This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

4° 3268



117. E. 4.

F. J. A. Hort

BX
220
.D133



IOANNIS DALLÆI
DE
DVOBVS LATINORVM
EX
VNCTIONE
SACRAMENTIS
CONFIRMATIONE
ET
EXTREMA *ut vocant* VNCTIONE
DISPVTATIO.



GENEVÆ,
Sumptib. Ioannis Antonij & Samuelis De Tournes.

M. DC. LIX.

English-H
744-26
13284

REVERENDIS VIRIS,

FRATRIBVS AC CONSERVIS
in Domino colendiſſimis,

ECCLESIARVM REFORMATARVM
apud SANTONES, ENGOLISMENSES,
& ALNETENSES *conſiſtentium*,

PASTORIBVS FIDELISSIMIS
AC VIGILANTISSIMIS,

JOANNES DALLÆVS S.P.D.

REVERENDI VIRI, Fratres ac conſerui in Domino colendiſsimi,

CVM in ea Chriſtianæ religionis Reformatione, quæ à noſtris maioribus ſuperiori ſæculo fœliciſſime ac ſapientiſſime deſignata eſt, multa ſint, quæ rem à Domino profectam eſſe clariſſime doceant; tum illud mihi inprimis mirabile, ſummaque obſeruatione dignum videtur,

quod illa fidei Latinæ pars, quæ expuncta à noſtris, & exploſa eſt, non modo in cœleſtibus literis; ad quas totum opus, velut ad certiſſimum canonem, pro eo ac decebat, inſtitutum fuit, nulla reperiatur; ſed ne in Eccleſiaſticis quidem primorum ſæculorum monumentis, quæ non pauca ſuperſunt, vſpiam tota deprehendatur; qualis apud Epiſcopi Romani communionem, & auorum noſtrorum memoria tradebatur, & nunc etiam cum maxime vrgetur. Siquis enim ſuperiorum temporum, quæ à Domini Chriſti morte ad nos fluxerunt, memoriam ex veris ſinceriſque ſingulorum ſæculorum ſcriptoribus repetat, omniaque intentis oculis, & animo à partium ſtudiis libero luſtret, ac circumſpiciat; comperiet eorum quæ à nobis reiecta Latini pertinaciſſime retinent, nihil quidem ſtatim ab initio Chriſtianiſmi fuiſſe, quædam maturius, alia ſerius, omnia aliquo poſt primordia ſpatio, ac interuallo exorta eſſe; Quibus vero temporibus ac locis ſingula primum occurrunt, ea ne iſtic quidem integra, omnibuſque iis partibus, ac numeris, quibus hodie in Romana diſciplina conſtant, perfecta abſolutaque occurrere, ſed manca mutila, hiulca, defecta; non artificis modo manum, ſed etiam aliquod materiæ additamentum deſiderantia, ac huiuſ-

modi denique qualia eſſe ſolent eorum rudimenta, quæ hominis ingenium inuenit, aut comminiſcitur. Vnde quiuis facile intelligere, quantumvis rudis, poteſt illam Latinæ religionis, quam nos repudiauimus, partem non eſſe à Chriſti Apoſtolis profectam; adeoq; eſſe à vero, & genuino, ſincceroque Chriſtianiſmo penitus alienam, quem totum à diuinis illis auctoribus ſimul ſemelque ſuo æuo traditum fuiſſe nemo dubitat. Atque hoc ſemel cõſtituto, omnis & fidei, quam nos profitemur, veritas atque diuinitas, & Latinorum dogmatum, quę abiecimus, vanitas atque pernicies ita clare patefit, vt vel hanc vel illam negare nemo poſſe videatur, qui quidem Ieſum Chriſtum pro Dei Filio, & mundi Seruatore agnouerit. Eo factum eſt, vt cum noſtri homines animaduerterent tantam eſſe huius demonſtrationis, tum ad noſtram religionem conſtituendam, tum ad refellendos aduerſariorum errores, vtilitatem, in ea explicanda plurimum & temporis & operæ poſuerint. Neque eorum, qui primi hanc viam ingreſſi ſunt, quamlibet laudatus labor poſteros deterruit, quo minus & ipſi quoque eandem tentarent, ſiquid vel reperire, vel certe illuſtrare, aut confirmare, aut quoquo modo expolire, ac exornare poſſent, quo veritas me-

lius ac facilius hominum mentibus illuceſceret, atque illaberetur. Horum nos exemplum atque auctoritatem ſecuti in eo quoque ſtudij genere nonnihil elaborauimus, ac pro noſtra tenuitate, tum alia, quæ iam exierunt typis edita, confecimus, tũ hæc duo, quę nunc ad vos, Reuerendi viri, mittimus, de duobus Latinorum ex vnctione ſacramentis opuſcula. Cum enim quæ præcipui ſunt momenti controuerſiæ, quibuſque ipſi, vt ſic dicam, religionis cardines continentur, eas animaduerterem ab aliis occupatas, copioſeque & accurate pertractatas; has autem duas cernerem, etſi à multis ex Scripturarum auctoritate luculentiſſime definitas, nondum tamen (quod ſciam) ex Eccleſiaſtica antiquitate à quoquam noſtrorum fuiſſe illuſtratas; operæ pretium facturum me putaui, ſi vtramque hac etiam ex parte, quo ad à me fieri poſſet, munirem atque conſtituerem. Ac eam quidem diſputationem, quæ de *extrema vnctione* eſt, primo loco & ſuſceperam & abſolueram, muſteorum de Latino ludo Sophiſtarum vociferationibus excitatus, ac prouocatus, quos non neſcitis in hoc mortuali myſterio ſeſe iactare, cauſæque ſuæ victoriam, plane ominoſe atque inauſpicato in ea potiſſimum *vnctione* quærere, quæ quod ſit

exeun-

exeuntium, id eſt morientium, ad funus potius, quam ad triumphum comparata eſſe videtur. Hac vero in parte illud me Domini dono præſtitiſſe, confido, vt omnes, niſi ſiqui ſponte cæcutiant, clare liquidoque cernere poſſint Latinam exeuntium vnctionem, non modo à Iacobo, quem noui diſputatores ad rauim clamitantes ſemper in ore habent, vel ab aliis Apoſtolis, Apoſtolicíſve viris, non fuiſſe traditam, aut factitatam; ſed ne inferioribus quidem ſæculis, poene ad infima tempora, fuiſſe cognitam. Neque id vero ſum aggreſſus ſpe aliqua perficiendi, vt cerebroſi viritingatores ſapiant, quos à vero alienos, auerſoſque ſatis noui, planeque *Demetriani* illius ſimiles, quocum ſibi Cyprianus negotium olim fuiſſe his verbis ſcribit, quæ quod ſint præclara, ſcriptuque digna, recitare hic obiter non pigebit; *Cum ad me* (inquit) *ſæpe* STVDIO *magis contradicendi, quam* VOTO DISCENDI *venires*, & CLAMOSIS *vocibus perſonans malles* TVA IMPVDENTER *ingerere, quam* NOSTRA PATIENTER *audire*, INEPTVM *videbatur congredi tecum, quando facilius eſſet & leuius turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quam tuam* RABIEM *tractatibus coercere. Certe & labor irritus, & nullus effectus offerre lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſa-* Cypr. 1. ad Demetr. init. libri. p. 231.

pientiam bruto; cum nec ſentire brutus poßit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdus audire. Hæc Sanctus ille Dei Martyr. Rogo vos, Fratres (neque enim veſtrum quemquam eſſe puto, qui rabioſos iſtos tota paſſim Gallia volitantes *Mißionarios*, vt vocant, diſputatores non ſit aliquando expertus) An non cum hæc Cypriani legitis, videmini aliquem de illo grege ad vos SAEPE VENIENTEM videre, & colloquium non *diſcendi voto*, ſed mero *contradicendi ſtudio* poſcentem ac flagitantem? *clamoſis vocibus perſonantem*? *ſua nullo pudore*, ſine modo, ſine fine *ingerentem*? *veſtra patienter audire*, procaciter abnuentem? ac *turbidenti* denique *maris* æmulum, *clamores rabioſos*, velut inſanos quoſdam *fluctus*, ad ſidera *tollentem*? Hos noſtros *Demetrianos*, quibuſcum vel *congredi ineptum*, merito cenſet Cyprianus, *tractatu* meo vel *coerceri ac retundi*, vel erudiri & miteſcere poſſe non equidem ſperaui. Sed tamen rem putaui me facturum neque fratribus meis ingratam, neque ipſis fortaſſe cæteris inutilem, qui plurimi ſunt in illis partibus honeſtiores, ac humaniores, ſi claris certiſque argumentis oſtenderem plane eſſe de nihilo omnes iſtos minutorum ac maleferiatorum ardelionum de ſua vnctione clamores ac ſtrepitus. Hac diſputatione

defun-

defunctus, alteram ſum de Confirmatione aggreſſus; tum quod hæc quoque *vnctione* conſtet: tum quod id argumentum à duobus præcipuæ apud Latinos eruditionis & famæ viris, Iacobo Sirmondo, & Petro Aurelio, illo Ieſuita, hoc Abbate, magna vtrimque animorum contentione non ita pridem agitatum fuiſſe viderem. Ego neutri addictus, quæ veriora ſunt, ſimpliciter & bona fide legi; quæ falſa, vel miſi, vel etiam vbi opus fuit, refutaui, & niſi animum meum ſui operis amor fallit, perſpicue demonſtraui tam apud veteres paulo recentioris memoriæ Chriſtianos, quam apud ipſos Chriſti Apoſtolos nullum hoc fuiſſe Latinorum ex oleo balſamato propriũ ac veri nominis ſacramentum. Ex his duabus diſputationibus eo ordine, non quo erant à me elucubratæ, ſed quo vtraque, quam tractant, vnctio apud aduerſarios adminiſtrari ſolet, inter ſe digeſtis ac diſpoſitis vnum hoc opus contexui, atque concinnaui. Id ipſum vero, Fratres in Domino obſeruandiſſimi, vt vobis inſcriberem, libenſque & merito darem, atque dedicarem, effecit non modo ſacrum communis, quo in Chriſti opere pariter fungimur, miniſterij ius atque vinculum; ſed etiam inſigne quoddam, quod à vobis omnibus nouiſſime accepi, beneficium. Vos enim IOANNEM, vnigenitum meum Filium, in

ſanctum ac venerabile collegium veſtrum ante annos quinque magna cum caritatis, & amoris ſignificatione honorifice allectum, & ſacri miniſterij, quo erat à vobis ornatus, munere in grege Dominico, qui Rupellæ apud vos colligitur, fungentem poſcenti huic alteri, in qua ego Chriſto ſeruio, Eccleſiæ nuper cum in Synodo ſederetis, benigniſſime conceſſiſtis. Quem ex multis argumentis intelligo vobis toto illo tempore, quo apud vos fuit, cariſſimum fuiſſe, cuique etiã in præſens commendationis nonnihil addebat, operariorum penuria, eum vos nobis donaſtis, veſtroſque vſus noſtris commodis, plane ex diuino Chriſtianæ caritatis ingenio, poſthabuiſtis. Atque hac veſtra liberalitate eo arctius deuinctũ me, atque obſtrictum vobis ſentio, quod præter totius Eccleſiæ noſtræ preces atque officia, quæ minus mirandum eſt magni apud vos momenti fuiſſe, etiam mei aliquam rationem habueritis; quod ipſum ſuauiſſimis quoque litteris, amoris ac beneuolentiæ plenis, mihi ſignificandum duxiſtis. Durum enim vobis viſum eſt Fratres, neque ſatis dignum tenerrimis illis lenitatis, ac συμπαθείας Chriſtianæ viſceribus, parenti filium, orbo ſeni vnius ſui adoleſcentis præſidium Domini ſeruo vnicum à Domino conceſſum vltimæ ætatis ſolatium negare. Veſtræ ergo bonitatis eſt

Veneran.

Venerandi Fratres, quod cariſſimo pignore poſt diuturnam abſentiam fruor, quod in eius ſinu ſecurus ſeneſco, in cuius officiolis paratum mihi diuinitus video ingruentium huic æuo incommodorum lenimen longè ſuauiſſimum. Quid enim mihi ad hoc ætatis prouecto contingere potuit optatius, quam vt mihi, qui natura filius eſt, in eodem miniſterij munere, & in eodem etiam grege collega eſſet? Faxit Deus, vt tantam in nos ac tam profuſam Chriſti clementiam atque benignitatem, ambo & ego & Ioannes meus animo pro merito reputantes, eius nos ſeruitio, & Eccleſiæ, quæ eo vſque nobis indulſit, vſui atque ædificationi totos in ſolidum mancipemus ac conſecremus! Vobis quidem certe, Fratres colendiſſimi, doni diuini adminiſtris, gratias pro munere ago immortales; & hũc librum, qui eodem forte tempore typis excudebatur, quo vos in me beneficium hoc contuliſtis, vt grati in vos animi pignus libentes accipiatis, etiam atque etiã rogo; Deumq; poſtremo Opt. Max. ſupplex veneror, vt vos veſtroſque greges Spiritu ac verbo ſuo regere, incolumeſq; ac florentes procul omni noxa, in diem Domini Chriſti tueri ac ſeruare velit. Valete. Dat. Lutet. Pariſ. anno Domini 1658. Aug. d. 8.

ELENCHVS OPERIS, & ſingularum eius partium.

DE CONFIRMATIONE

LIBER PRIMVS.

CAP. I. *Quod & quale ſit Confirmationis apud Aduerſarios ſacramentum. Id ex Chriſmate conſtare ab Epiſcopo confecto, & à ſolo Epiſcopo adminiſtrari.* pag. 1

Cap. II. *Latinum Confirmationis Sacramentum planè abhorrere à Chriſtianæ religionis ritibus. 1. Quod ad materiam. 2. Quod ad miniſtrum. 3. Quod ad formam. 4. Quod ad finem pertinet, quem nullum fuiſſe huius Sacramenti inſtituendi oſtenditur. Id ipſum patere ex aliorum Chriſtianorum puta Armeniorum, Æthiopum Græcorum à Latinis hac in re diſſidio.* pag. 5

Cap. III. *Ipſorum inter ſe Latinorum & multa & antiqua de Confirmationis ſacramento certamina referuntur. Ac 1. de eius materia, tum remota, tum proxima. 2. de forma. 3. de miniſtro. 4. de ſuſcipientibus id ſacramentum. 5. de eius neceſſitate. 6. effectis. Vnde concluditur non fuiſſe hoc ſacramentum à D. Chriſto inſtitutum.* pag. 13

Cap. IV. *Multos ex ipſis Aduerſariis diſertè negaſſe à Chriſto inſtitutum fuiſſe ſuum hoc Chriſmatis ſacramentum. Diuerſa Theologorum ea de re ſententia recitantur.* pag. 24

Cap. V. *Confirmationem Latinorum è Scripturis non demonſtrari. Exploditur ratio pro ea à nonnullis vetuſtiorum ex Matth. 19. 15. ducta.* pag. 27

Cap. VI. *Aduerſarios laborare in extruenda Confirmationis ſuæ ex Scripturis demonſtratione. Bellarmini operoſa ac lacinioſa ex Actor. 8. 15. argumentatio. Ea verò planè ridicula eſt. Bellarmini craſſum ſomnium refellitur. chriſmationis actum ipſam eſſe manus impoſi-*

impoſitionem non minus ſtultè quàm impudenter fingentis. pag. 35.

Cap. VII. *Soluuntur ac confutantur duo alia pro chriſmatione argumenta, alterum ex* 1. *Corinth.* 1. 21. *alterum ex* 1. *Ioann.* 2.27. *ducta.* pag. 47.

Cap. VIII. *Nullum ex Scriptura extrui poſſe Confirmationis proprium Sacramentum. Ac prius nullam eſſe factam tali alicui ſacramento promiſſionem. Ne promiſſum quidem datumque Apoſtolis ſpiritum planè eundem eſſe cum eo, qui Confirmationis ſacramento conferri fingitur.* pag. 55.

Cap. IX. *Datum ab Apoſtolis per manus impoſitionem Spiritum Act.* 8. *&* 19. *fuiſſe propriè ſpiritum Chariſmatum gratis datorum, ſiue miraculoſorum, & extraordinariorum. Soluuntur contra allata à Bellarmino ſex argumenta.* pag. 61.

Cap. X. *Spiritum ab Apoſtolis per manus impoſitionem datum ſignificare chariſmata extraordinaria, prophetiæ, & linguarum, &c. probatur ſeptem rationibus.* pag. 79.

Cap. XI. *Etiamſi donetur gratiam aliquam gratum facientem ab Apoſtolis per manus impoſitionem collatam fuiſſe non ideo fieri, vt ea manus impoſitio ſacramentum fuerit. De ritu manus impoſitionis* סמיכה *tam ſub veteri, quàm ſub nouo Teſtamentô. Ea non ſacramentum propriè dictum, ſed precationis cuiuſdam adiunctum eſt.* pag. 86.

Cap. XII. *Tribus argumentis oſtenditur manus impoſitionem neque huius (Confirmationis ſcilicet) nec cuiuſquam alterius Chriſtianorum ſacramenti, ſacrum ſignum & ſymbolum, ſiue materiam eſſe, uel eſſe poſſe, Refelluntur Bellarmini cauillationes.* pag. 97.

LIBER SECVNDVS.

Cap. I. *Proponitur altera quæſtio, de veteris Eccleſiæ Chriſtianæ circa hoc argumentum ſenſu & vſu. Nuperæ Sirmondi cum P. Aurelio de ea concertationes. Ordo dicendorũ. An Apoſtolicis temporibus in vſu fuerit Latinorũ Chriſmatio? Reiiciũtur allata ab aduerſariis apocrypha; Clementis Conſtitutiones & Epiſtola. Item Dionyſij Areopagitæ opus de Eccleſ. Hierarchia. Ea opera ſpuria eſſe ac falſi tituli. Soluitur*

ac explicatur obiectus ab iiſdē Clementis Alexandrini ex Euſebio locus. Diluuntur pauca alia à P. Aurelio in eandē rem allata. p.105.

Cap. II. *Non fuiſſe ab Apoſtolis traditam aut vſurpatam baptizatorum Chriſmationem; probatur 4. argumentis, & teſtimoniis Tertulliani, Cornelij, R. E. Valefridi, Amalarij & quorundam veterum Scholaſticorum.* pag.114.

Cap. III. *Vnctionem, & manus impoſitionem cærimonias baptiſmi fuiſſe, poſt ann. Dom. 160. inuentas, & vſurpari cœptas, vtramque ex V. T. ritibus ductam.* pag.119.

Cap. IV. *Id ex ipſo Tertulliani loco demonſtratur, qui primus ex omnibus veris antiquitatis monumentis huius vnctionis ritus meminit. Locus à Latinorum ſacramento alienus eſſe oſtenditur, & ab aduerſariorum obiectionibus vindicatur fuſéque explicatur.* pag. 126.

Cap. V. *Expenduntur alia Tertulliani de eadem re loca, & ab Aduerſariorum ſtrophis vindicantur.* pag.132.

Cap. VI. *Reiiciuntur in ſuum locum quæ ex Pſeudo-Vrbano ab Aduerſarijs falsò obiiciuntur. Soluuntur 2. obiecta Origenis loca.* pag.136.

Cap. VII. *Explicatur 3. teſtimon. quod eſt Cornelij R. E. idque ad baptiſmi ſolemnem eo ſæculo cærimoniam non autem ad hodiernum Latinæ Confirmationis ſacramentum pertinere oſtenditur.* pag. 138.

Cap. VIII. *Quartum teſtimonium, quod eſt Cypriani. Eius omnia dicta expenduntur, explicantur, & à Bellarmini, Petri Aurelij, & aliorum ſophiſmatis vindicantur. Liber de cardinalibus operibus Chriſti, non eſt Cypriani, ſed Arnoldi Bonauallenſis, ad cuius tempora reiicitur.* pag. 142.

Cap. IX. *De ſenſu & vſu Chriſtianorum quarti & deinceps ſæculi. 1. quarti ſæculi teſtimonium, quod eſt Synodi Eliberitanæ, explicatur, & vrgetur contra nouum Latinorum dogma.* pag. 158.

Cap. X. *Ad ſua tempora reiiciuntur apocrypha Pſeudo-Euſebij & Pſeudo-Melchiadis voces. II. ex quarto ſæculo teſtimonium, quod eſt Synodi Arelatenſis. I. Explicatur & à Bellarmini effugiis vindicatur. De chriſmatione & manus impoſitione, quibus in Eccleſiam recipiebantur ex hæreſi venientes. Eam plane eandem fuiſſe*

cum

eum baptizatorum chriſmatione & manus impoſitione, fusè demonſtratur, & Bellarmini, ac Petri Aurelij commenta & obiectiones diſſoluuntur. pag. 167.
Cap. XI. Tertium quarti ſæculi teſtimonium ex pſeudepigrapho quidem, ſed tamen vetuſto Conſtitutionum Apoſtolicarum opere deſumptum. Loca eius operis explicantur, & ab aduerſariorum dogmate aliena eſſe demonſtrantur. pag. 180.
Cap. XII. Cætera Græcorum de chriſmatione teſtimonia recitantur, inprimis, quod ex quarto ſæculo quartum eſt, teſtimonium Pſeudo-Iuſtini in opere Quæſtionum & Reſponſionum, tum V. teſtimonium quod eſt Synodi Laodicenæ. pag. 186.
Cap. XIII. Teſtimonium Græcorum ex quarto ſæculo, ſextum, quod Cyrilli Hieroſolymitani, explicatur & ab argutiis ac ſophiſmatis Bellarmini, & Petri Aurelij defenditur. pag. 190.
Cap. XIV. Septimum Græcorum, ex quarto ſæculo teſtimonium, quod eſt Gregorij Nazianzeni, à Bellarmini & Petri Aurelij obiectionibus vindicatur. VIII Græcorum teſtimonium ex eodem ſæculo quod eſt Aſterij. IX. ex vita Baſilij. X. Chryſoſtomi, quæ omnia explicantur. pag. 199.
Cap. XV. XI. Græcorum teſtimonium ex quinto ſæculo: Theodoreti. XII. ex ſexto ſæculo ineunte: Pſeudo-Dionyſij Areopagitæ: cuius loca fusè explicantur & aſſeruntur. pag. 202.
Cap. XVI. Idem etiam manſiſſe poſtea apud Græcos dogma. XIII. teſtimonium quod eſt Ioannis Damaſceni ex octauo ſæculo, à Bellarmini ſtrophis vindicatur. XIV. teſtimonium Oecumenij. XV. Symeonis Theſſalonicenſis. XVI. Harmenopuli. XVII. Pachymeris. pag. 209.
Cap. XVII. XVIII. Teſtimonium Græcorum ex Euchologio. Vnde concluditur chriſmationem Græcis eſſe baptiſmi cærimoniam; idque firmatur tribus argumentis. 1. quod ij neminem niſi chriſmatum ad Euchariſtiam admittant; 2. quod ab hæreſi conuerſos chriſment. 3. quod presbyteri apud eos chriſment. pag. 214.
Cap. XVIII. Id 3. probatur, quod apud Græcos presbyteri chriſment: atque hunc fuiſſe apud eos, etiam olim, vſum contra P. Aurelium defenditur. 1. ex Pſeudo-Ambroſio in Paulum. 2. ex Quæſtionibus V. & N. Teſt. Pſeudo-Auguſtini, Aurelij ex Chryſoſtomo,

Iſidoro

Iſidoro Peluſiota, Oecumenio & Pachymere obiectiones ſoluuntur. 3. *ex Photio, & Nicolao, P.R.I. & Ruthramno eiuſdem æui ſcriptore.* pag. 218.

Cap. XIX. *Diſcutitur & refellitur vana Arnaldi cauillatio Græcorum presbyteros ex P. R. diſpenſatione chriſmare ſomniantis. Soluuntur duæ quædam difficultates. Concluditur chriſmationem non eſſe proprium ac veri nominis ſacramentum.* pag. 231.

Cap. XX. *De chriſmationis apud Latinos quarto ſæculo vſu. Aliquid in eius miniſtro nouaſſe Syluestrum Ep. Rom. ann. Dom.* 326. *Pontificalis libri ea de re loca recitantur & expenduntur; eiuſque libri antiquitas contra Bellarmini, & aliorum cauillationes conſtituitur.* pag. 238.

Cap. XXI. *Expenditur* II. *teſtimonium, quod eſt Optati.* III. *quod eſt Paciani Barcinonenſis, vtriuſque de quarto ſæculo ſcriptoris. Bellarmini & Petri Aurelij ſtropha ac fraudes aperiuntur, atque diſcutiuntur.* pag. 245.

Cap. XXII. IV. *Teſtimonium. Inſignis Hieronymi locus, quarto ſæculo ſcriptus explicatur, & à Bellarmini ſophiſtice vindicatur, & ex eo veritas adſtruitur.* pag. 253.

Cap. XXIII. *Quintum teſtimonium, Ambroſij, Sextum Prudentij, Septimum, Synodorum trium Africanarum. Octauum Synodi Toletanæ.* I. *Abſurdiſſima ad hanc tum Petri Aurelij, tum Bellarmini ſomnia diſcutiuntur.* pag. 267.

Cap. XXIV. IX. *Teſtimo. Lat. ex quinto ſæculo ineunte, Auguſtini, cuius expenduntur quæcumque afferri ſolent primò de manus impoſitione, ſecundò de chriſmatione dicta, & à Bellarm. & aliorum cauillationibus vindicantur.* pag. 278.

LIBER TERTIVS.

Cap. I. *Innocentij Pontificis Romani decretalis anno* XVI. *V. ſæculi data, qua presbyteris frontem baptizatorum chriſmare primò prohibitum eſſe diſertè reperitur.* pag. 295.

Cap. II. *Anno Domini* 441. *non fuiſſe obſeruatam Innocentij decretalem in Galliis; in quibus ſemel chriſmatos fuiſſe neophytos & chriſmaſſe presbyteros apparet ex Arauſicana Synodo* I. *cuius canon exponitur.*

exponitur. Magna de eo Sirmondi & Aurelij certamina. pag. 301.

Cap. III. *Chriſmaſſe in Gallia eorum temporum presbyteros probatur ex einſdem Synodi Arauſicanæ Can. 1. & ex Synodo Vaſenſi 1. cap. 3. & ex Arelatenſis ſecunda, cap. 27. Soluitur Leonis locus à Petro Aurelio obiectus* pag. 311.

Cap. IV. *Recitatur & explicatur locus ex homilia de Pentecoſte; quæ vulgò Euſebio Emiſſeno, ſed falsò tribuitur.* pag. 313.

Cap. V. *Gelaſij Epiſcopi Romani, & Gennadij Maſsilienſis, ex quinto ſæculo extremo, loca ſexto ſæculo, anno Domini 517. preſbyteros adhuc chriſmaſſe patet, ex Concilio Epaonenſi, & in Hiſpania itidem ex Martino Bracarenſi.* pag. 319.

Cap. VI. *Sæculo ſexto extremo etiam in ipſa Sardinia, Italiæ vicina, chriſmaſſe presbyteros ex illuſtri Gregorij I. Epiſcopi Romani, loco probatur; qui ab aduerſariorum ſtrophis vindicatur. Alter einſdem Gregorij locus explicatur. Gregorij ſacramentarium opus interpolatum.* pag. 322.

Cap. VII. *Et in Hiſpania quoque iiſdem temporibus presbyteros chriſmaſſe, ex Barcinonenſis Synodi cap. 3. qui ab inepta, inuerecundaque P. Aurelij gloſſa vindicatur.* pag. 334.

Cap. VIII. *Obiter expenduntur tria teſtimonia; quorum auctores incerti ſunt, primum ex opuſculis* de iis qui initiantur myſterijs & de ſacramentis *apud Ambroſium; alterum ex ſermonibus à Sirmondo vna cum Auguſtini 40. editis. Tertium ex libello de ordinibus Eccleſiæ ad Ruſticum, Hieronymo afficto.* pag. 338.

Cap. IX. *Quæ qualiſque fuerit ſeptimi ſæculi de hoc capite doctrina, ac praxis. Synodi Hiſpalenſis illuſtris Canon ſimilia eorundem temporum ex Iſidoro Hiſpalenſi teſtimonia.* pag. 347.

Cap. X. *Octaui ſæculi ſenſus, & vſus ex Beda. Illuſtris eius locus; ex quo liquet Epiſcopalem chriſmationem idem eſſe cum presbyterali vnctione: adeoque meram eſſe baptiſmi cærimoniam. Illiberalis P. Aurelij cauillatio fuſè refellitur. Eiuſdem commentum exploditur, fingentis chriſmationem fuiſſe ipſam manus impoſitionem.* pag. 354

Cap. XI. *Quid ſit veteribus* confirmari. *Id & de Euchariſtia, & de calice ſolo dictum. Item baptiſmum confirmari manus impoſitione. Latinorum in eius vocabuli ſenſu error puerilis.* pag. 369.

Cap. XII. *Noni ſæculi ſenſus & vſus ex ordine Romano; Theo-*

*** *dulfo*

dulfo Aurelianenſi, Amalario, Rabano Mauro, Valafrido Strabone, Pſeudo-Alcuino. Tum receptum vt baptizati bis chriſmarentur; prius à presbytero, mox ab Epiſcopo; ab hoc in fronte, ab illo extra frontem in vertice. Ratio diſcriminis & origo. Tum etiam inuentum, vt ad Euchariſtiam etiam non ab Epiſcopo chriſmatus admitteretur. Cauſa nouitatis. pag. 377.

Cap. XIII. *Chriſmationis nono ſeculo receptæ tria ab hodierna Latinorum diſcrimina; quorum ſecundum, quod vna cum manus impoſitione adminiſtraretur; tertium, quod pro baptiſmi cærimonia haberetur. Vtrumque aduerſus immanem Petri Aurelij peruicaciam validè probatum.* pag. 385.

Cap. XIV. *Quartum noni ſeculi ab hodierno Latinorum inſtituto diſcrimen: quod illius memoriæ Patres vnctionem epiſcopalem eandem eſſe putarunt cum presbyterali. Quomodo accipienda ſint quæ de vi huius ritus dicũt.* pag. 391.

Cap. XV. *Expenduntur, & ad noni ſeculi vſum referuntur loca epiſtolarum quæ Ioanni III. Damaſo, Euſebio, Melchiadi, Clementi, Vrbano, & Fabiano, priſcis vrbis epiſcopis, à nequiſſimo impoſtore circa noni ſeculi initia aſſicta ſunt.* pag. 396.

Cap. XVI. *Ex eadem hypotheſi explicantur Fulberti Carnatenſis, Petri Damiani de vndecimo ſeculo, Iuonis & Goffridi de duodecimo teſtimonia. Honorij, Ruperti, & Hugonis dicta.* pag. 405.

Cap. XVII. *Arnoldi Bonæuallenſis dicta Cypriano falsò aſſicta expenduntur. Petri Lombardi ſententia. Diſputationis de Chriſmate concluſio.* pag. 411.

De

De Extrema Vnctione,

LIBER PRIMVS.

Cap. I. *Præfatio, Operis argumentum & partitio. Aduerſariorum de Extrema Vnctione ſententia Tridentinæ Synodi canonibus definita.* pag. 1.

Cap. II. *Aduerſariorum de hoc argumento lites: deque vnctionis materia, forma, fine, effectis, nomine, nominiſque ratione diſcrepantes inter ſe opiniones.* pag. 3.

Cap. III. *Aduerſariorum inter ſe pugna de duobus Noui Teſtamenti locis, in quibus mentio fit vnctionis ex oleo: Marci 6. 13. & Iacobi 5. 14. 15. quorum alij neutrum, alij vtrúmque, alij alterum tantùm ad ſuam vnctionem pertinere contendunt. Tridentinorum abſurda in hoc argumento verſutia.* pag. 9

Cap. IV. *Explicatur locus Marc. 6. 13. ſoluitur argumentum quod hinc Maldonatus pro extrema vnctione petit.* pag. 15.

Cap. V. *Vindicatur noſtra Marci expoſitio à Maldonati obiectiunculis, eiuſque ſententia & rebus ipſis, ex Bellarmini & aliorum de eodem grege teſtimoniis, ac rationibus refellitur.* pag 17.

Cap. VI. *Soluitur cæterorum aduerſariorum pro extrema vnctione è Iac. 5. ductum argumentum, vnctionem Iacobæam planè eandem eſſe cum Apoſtolica de qua Marc. 6. Exponitur Iacobi locus, & noſtra expoſitio Caietani ipſius teſtimonio confirmatur.* pag. 22.

Cap. VII. *Soluuntur ac refelluntur ſeptem Bellarm. obiectiones contra noſtram Iacobæi loci expoſitionem.* pag. 26.

Cap. VIII. *Demonſtratur vnctionem Iacobæam alienam eſſe ab extrema aduerſariorum vnctione 1. arg. inde ſumptum, quod hæc ad animum pertineat, illa ad corporis curationem referebatur. Vindicantur à Bellarmin. ſtrophis verba Iacobi σώσει κάμνοντα, ἐγερεῖ αὐτόν.* pag. 37.

Cap. IX. *Idem probatur aliis rationibus 2. inde petita, quod Iacobus iis, quos inungi vult, peccatorum remiſſionem, nõ abſolutè ſed*

*** 2 con-

conditionatè pollicetur, 3. inde ſumpta quòd Iacobæa vnctio non ſolis moribundis, ſed quibuſvis infirmis adminiſtrabatur, quæ ratio à Bellarmin. obiectionibus vindicatur. 4. Caietani quod plures ſacerdotes induci iubeat Iacobus. 5. inde ducta quod Iacobus nihil dicat de eo in quo ſitus eſt proprius vnctionis extremæ finis. pag. 46.

Cap. X. Refellitur Bellarmini pro extrema vnctione ratio, inde petita, quod diuina prouidentia fuit ſuis fidelibus de aliquo egreſſus & exitus ex hac mortali vita ſacramento, proſpicere. pag. 55.

LIBER SECVNDVS.

Cap. I. Demonſtratur nullo in vſu apud veteres fuiſſe extremam vnctionem. 1. ratio ex eo ducta, quod nulla eius mentio occurrat in omnibus, qui plurimi ſuperſunt, ſecundi ac tertij ſæculi libris. 2. quod ne quarti quidem ſæculi Patres eam memorauerint, dum accuratè ſacra Chriſtianæ Eccleſiæ inſtituta, ritus, ſacramenta enarrant, ediſſerunt, explicant, vt Epiphanius, Dionyſius Pſeudo-Areopagita, Clemens Romanus, Auguſtinus. pag. 61.

Cap. II. Idem 3. probatur ex eo, quod veteres ſex priorum ſæculorum ſcriptores, dum piorum mortes deſcribunt accuratè, vt Conſtantini, Helenæ, Antonij, Athanaſij, Baſilij, Gorgoniæ, &c. nullam extremæ vnctionis mentionem faciunt. Plurima exempla adferuntur. Bellarmini cauillatio reiicitur, ac fusè refellitur. pag. 66.

Cap. III. 4. Ratio inde ducta, quod quinti ſæculi, & ſequentium ad nonum certi & indubitati ſcriptores, qui in deſcribendis piorum & ſanctorum hominum mortibus, ſumpta ab iis Euchariſtia ſæpiſſimè meminerunt, extremæ vnctionis ſuſceptæ nulli prorſus meminiſſe reperiuntur, quod allata ex omni illa antiquitate magna exemplorum copiâ illuſtratur ac confirmatur. Soluuntur paucula, quæ contra obiici poſſe videntur, præſertim de nono ſæculo. pag. 72.

Cap. IV. Ratio 5. inde ducta, quod pœnitentibus in exitu verſantibus nulli veterum ad nonum ſæculum extremam vnctionem

vel

vel negaſſe vel conceſſiſſe reperiuntur, quibus tamen Euchariſtiam alij quidem, vt vetuſtiſſimi, negant, alij verò, & qui anno 325. & deinceps vixerunt concedunt. pag. 79.

Cap. V. *Ratio 6. inde ducta, quod apud veteres nihil eorum occurrit, quæ de extrema vnctione, nunc & nuper apud aduerſarios diſputantur: Ratio 7. quod Eccleſia Æthiopum non agnoſcit vnctionem extremam.* pag. 81.

Cap. VI. *Obſeruentur tria quædam ad hanc diſputationem pertinentia. Quorum 1. ac præcipuum eſt apud veteres diu manſiſſe miraculoſam infirmorum vnctionem: quod luculentis exemplis ex prioribus ſeptem ſæculis petitis confirmatur. Ab ea ortam eſſe extremam vnctionem. 2. fuiſſe apud veteres & aliam vnctionem ab extrema alienam eorum, qui ab hæreticis baptizati. 3. eſſe & aliam nouam ab hac itidem diuerſam.* pag. 84.

Cap. VII. *Soluuntur quæ ab aduerſariis pro extremâ vnctione ex veteribus afferuntur. 1. de benedictione olei ex Clemente & Baſilio. 2. ex Dionyſio Pſeudo-Areopagita. 3. ex Origene.* pag. 90.

Cap. VIII. *Soluitur 4. aduerſariorum argumentum, ex Pſeudo-Nicænis Canonibus. 5. ex Chryſoſtomo.* pag. 94.

Cap. IX. *Soluitur 6. aduerſariorum pro extrema vnctione ex Innocentio petitum argumentum. Locus explicatur, & in aduerſarios retorquetur.* pag. 97

Cap. X. *Reiiciuntur ex hac diſputatione, ſuppoſititia, quæ aduerſarij 7. & 8. loco, velut ex Auguſtino afferunt. Demonſtraturque, & rationibus, & ipſorum aduerſariorum teſtimoniis, Auguſtini nequaquam eſſe eos libros, ex quibus iſta petita ſunt. I X. ex alio verè Auguſtini loco nihil pro extrema vnctione concludi.* pag. 106.

Cap. XI. *Septimo Chriſtianiſmi ſæculo occurrere vnctionem infirmorum ex oleo, ſed ab extrema aduerſariorum longè diuerſam, quorumuis non deſperatè tantùm laborantium, & ad ſanitatem temperandam, non ad moriendum comparatam. Quæ eius videantur origines & occaſiones.* pag. 110.

Cap. XII. *Ad illam nuper deſcriptam vnctionem pertinere loca Eligij, & Sermonis de tempore apud Auguſt. 215. quem adeo non*

eſſe Auguſtini; vt eius auctor etiam poſt Eligium vixerit, demonſtratur. Fruſtrà, falſóque hæc loca ad extremam vnctionem torqueri; cum ea quæ his locis memoratur, vnctio, & quorumvis infirmorum, & ad ſanitatem corporis recuperandam fuerit, & etiam à laicis ritè adhibita ſit. pag. 113.

Cap. XIII. Quæ ex Damaſceno, ſed falsò, ex Beda verè laudantur eodem pertinere, & impudenter ad extremam vnctionem trahi. pag. 116.

Cap. XIV. Expenditur Alchimi nono ſæculo denati locus. Alienam eſſe ab extrema, quam ille memorat vnctionem, eamque planè eandem eſſe cum illa, quam in ſeptimo ſæculo notauimus idipſum tum ex veteri Menardi Codice qui ann. Domin. 768. ſcriptus Gregoriani ſacramentarij titulum præfert, & ex ordine Romano fuſe demonſtratur. pag. 119.

Cap. XV. Eodem pertinere adeoque ab extrema vnctione aliena eſſe, quæ iiſdem temporibus ſcripta, ad hanc perperam ab aduerſariis detorquentur teſtimonia, capitularis anno Domin. 802. editi, Concil. Cabilon. 2. ann. Dom. 813. habiti, Aquiſgran. 2. ann. Domin. 836. Meldenſ. ex Burchardo, Moguntin. ann. Domin. 847. Vormatienſ. ann. Domin. 869. Herardi Turon. anno Domin 858. Agobardi, Amalarij, qui & ipſi nono ſæculo floruerunt. Iſtorum vnctionem & ante Euchariſtiam miniſtratam fuiſſe, & quibuſvis infirmis datam; in exitu verò poſitis, minimè datam. pag. 124.

Cap. XVI. Eandem illam vnctionem ab extrema diuerſam, etiam decimo ſæculo manſiſſe, ex tribus antiquis Menardi libris fusè docetur. pag. 128.

Cap. XVII. Superiora confirmantur ex iis, quæ Caſſander in ſuis quoque libris manuſcriptis inuenit, & obſeruauit; partim etiam aliorum confeſſione, vt Matthæi Galeni, veteris Scholiaſtæ, Dionyſij, Cuſani, Maldonati, & huius obiter impudens ſuperbia notatur. pag. 131.

Cap. XVIII. Colliguntur veteris illius ſeptimo ſæculo, & ſecutis vſitatæ vnctionis ab Extrema recentium Latinorum differentiæ, in fine, forma, ſuſcipiente, modo, ordine, miniſtro, ipſo denique nomine. pag. 134.

Cap.

Cap. XIX. *Soluuntur quæ ex Oecumenio, Theophylacto, Petro Damiani, vndecimi ſæculi hominibus, pro extrema vnctione afferuntur, doceturque ea ipſa quoque ad ſuperiorem ſeptimo ſæculo vſitatam vnctionem pertinere.* pag 141.

Cap. XX. *Senſim ſæculo (vt videtur) duodecimo immutatam illam veterum vnctionem in extremam tandem deſiiſſe. Cauſa & occaſio mutandi. Extrema ab Eugenio ann. Domin.* 1439. *Et nuper à Tridentinis poſtremo confirmata.* pag. 143.

Cap. XXI *Soluitur quod de Græcorum recentiorum conſenſu obiicit Bellarminus: & demonſtratur neque quicquam concludere pro Romana vnctione, neque ſanè verum eſſe, id, quod ille ſumit. Multiplex ac penè immanis Græcanicæ vnctionis à Latina diuerſitas fusè explicatur.* pag. 146.

Cap. XXII. *Diſcutitur ac diſſoluitur eorum obiectio, qui queruntur quod vnctionis, non nouitium tantum apud Romanos abuſum, ſed veterem etiam qualem ſeptimo ſæculo fuiſſe concedimus, vſum ſuſtulerimus, Caſſandri & Grotii ratiunculæ refelluntur, Gregorii de Valentia vanitas ac ſophiſtice difflatur: Opus concluditur.* pag. 156.

LIBER

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Quod & quale ſit Confirmationis apud aduerſarios Sacramentum. Id ex chriſmate conſtare ab Epiſcopo confecto, & à ſolo Epiſcopo adminiſtrari.

SYNODVS Tridentina quæ de cæteris Eccleſiæ Romanæ Sacramentis fuſè, ac liberaliter egit, Confirmationis materiam parcè ac jejunè admodum perſtrinxit. Satis enim habuit tribus anathematiſmis eos ferire, qui vel eam *verum ac proprium Sacramentum* eſſe negarent, vel qui *chriſmati virtutem vllam tribuere id in Spiritum Sanctum iniurioſum* eſſe dicerent, vel qui denique *ordinarium huius ritûs miniſtrum non ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem* eſſe contenderent. Cæterum quid ſit illa ſua Confirmatio, & quibus partibus conſtet, quibuſve effectis, aut finibus cenſeatur, quæ in aliis haud indiligenter perſequi ſolent illi Patres, curis fortaſſe grauioribus occupati, planè penituſque prætermiſerunt. Eò nos impenſius decet in inueſtigando ac explicando eorum de re hac tota dogmate verſari; ne ſi ignotum aut incompertum ſit id ipſum de quo ſumus diſputaturi, omnis exinde diſputatio obſcura ac tenebroſa neceſſariò efficiatur.

Seſſ. 7. canon. tribus de confirmatione.

Quo loco cauendum inprimis moneo à recentiorum fraude, qui ritum hunc ſuum cùm & ab omni Dei Scriptura abhorrere, & à veteris etiam Eccleſiæ inſtitutis non parum diſcrepare intelligerent, eum, non qualis apud ipſos ex publico Eccleſiæ Romanæ vſu, libriſque ritualibus peragitur, definierunt, atque expreſſerunt, ſed qualem ipſi ad diſputationis ſuæ compendium eſſe optarent, deſcripſerunt. Atque in hoc numero eſt Matthæus Galenus, qui confirmationem in ipſo ſuæ diſputationis exordio definit hoc modo, *Confirmatio* (inquit) *Sacramentum eſt quo ad Epiſcopalem manuum*

Catech. [illegible] 56.

impoſitionem, benedictionemque cuique pro ſua capacitate infundatur Spiritus Sanctus. Ille vnctionis quidem, quæ vtramque apud iſtos in hoc negotio paginam facit, nullus meminit; *impoſitionis manuum*, quæ in hoc iſtorum ritu vel nulla, vel certè obſcuriſſima eſt, diſertè meminit. Nimirum homo callidus in Scripturis manuum quidem impoſitionem inueniri, vnctionem vero nuſquam occurrere ſciebat; Itaque maturè ſibi conſulendum putauit, remque ſuam ſic inuertendam, atque effingendam, vt ei aliquod ex Scripturis præſidium parari poſſet. Acumen hominis laudo; fidem & candorem, & Dialecticam ἀκρίβειαν deſidero. Simplicius & explicatius agunt Scholaſtici, & quotquot ante iſtas nobiſcum exortas controuerſias illo ſtudio vacui vixerunt, quo nunc incenſi feruntur Romanarum partium Theologi. Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis †; *Confirmatio eſt* (inquit) *vnctio hominis viatoris, viri ſcilicet vel mulieris, nec actualiter nec habitualiter diſſentientis, facta in fronte in figura crucis cum chriſmate ſanctificato, & hoc à miniſtro idoneo ſimul cum intentione debita inungente, certa verba proferente, ex inſtitutione Dei ſignificans vnctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum fiducia fidem Chriſti.* Ioannes Maior *; *Confirmatio eſt chriſma ſanctificatum, quo Epiſcopus inungit regeneratum in fronte, ad cuius inuocationem Deus dat robur accipienti ſuſtinere in publico fidem.* Mitto cæterorum eiuſdem modi definitiones, vt Gabrielis [1], Scoti [2], & aliorum, apertas, & accuratas; quas videat qui volet ſeptima diſtinctione libri quarti ſententiarum. Neque quicquam, quod ſit alicuius momenti, vel in doctrina, vel in praxi ab illorum temporibus quod ad hoc Confirmationis Sacramentum pertinet, apud Eccleſiam Romanam immutatum. Conſentiunt enim etiam hodie omnes materiam, quæ totius rei veluti fundus eſt, eſſe *chriſma*. *Chriſma* autem appellant, non (quod vocis etymon præ ſe fert) quoduis, ſed certi ac definiti generis vnguentum, ex duabus, olei ſcilicet & quidem oliui, ne erres, balſamique ſpeciebus vna mixtis, certaque inter ſe ratione temperatis confectum, ac concretum. Ac ne hoc quidem ſatis eſt, vt ſit eius legitimus in confirmatione vſus. Inſuper enim requirunt, vt id vnguentum, antequam ad hoc myſterium aſſumatur, fuerit eodem anno non à Presbytero, ſed ab Epiſcopo, certis quibusdam, iiſque neque paucis, neque profecto contemnendis ritibus, ac cærimoniis conſecratum; quod ab iſtorum Epiſcopis quotannis peragi ſolet, feria quinta maioris hebdomadæ *in Cœna* (vt vocant) *Domini.* Primò enim Epiſcopus paratas olei ac balſami ſpecies variis orationibus, mox & ſigno crucis, denique & benedicto ſuo halitu, ſiue afflatu

† obiit an. D. 1416. In 4. q. 4.

* floruit an. D. 1504. in 4. d. 7. q. vn.

[1] Q. vnica in 4. d. 7. b.
[2] in Repertat. in 4. d. 7. q. 1.

Catech. Trid. de Confirm. p. 123.

Ibid. p. 124. Bell. l. de conf. c. 8 §. Tertia.

[illegible] ibid. 13.

afflatu accuratiſſimè ſanctificat; Tum ita rite confectum chriſma ipſe cum presbyteris religioſiſſimè, & quidem his verbis ſalutant, *Aue ſanctum chriſma*, ei ſcilicet de noua, in quam commodum euectum eſt, dignitate, benigne ac prolixe gratulantes. Hoc demum chriſma eſt, quo confirmationem fieri ius, faſque eſt. Si aliud vnguentum adhibueris, puta vel ſine balſamo oleum, vel ſine oleo balſamum, vel aliam de pinguibus & oleoſis ſpeciem, vel hanc ipſam olei mixturam, ſed vel à nemine, vel certe ab homine non epiſcopo, myſticis illis ritibus conſecratam, atque inauguratam; tu vero nihil egeris. Atque hæc quidem eſt Romanæ confirmationis materia; tanto myſterio digniſſima; quippe & ipſa μυςηριῶτη. Iam caue putes quibuſuis miniſtris vel deſtinatam, vel per arcanas tam multorum myſteriorum ambages paratam hanc fuiſſe ſpeciem. Non aliis, quam ſummis Sacerdotibus, id eſt Epiſcopis, rem ſanctiſſimam vſurpare, & ad confirmandos Chriſtianos adhibere licet. Non Diaconos, ac ne presbyteros quidem (quamquam hi ſuis *precibus corpus* ipſum *Domini* confici plurimum glorientur) non vllos denique ex toto Sanctorum hominum grege, præter Epiſcopos, totius ordinis apicem, fas eſt hoc Sacramentorum Eccleſiaſticorum veluti culmen ac coronidem contingere. Sed neque hi vulgaribus cærimoniis, aut illotis (quod aiunt) manibus rem adeo ſacram, ac tremendam peragunt; verum, quod & ſuarum inſularum maieſtate, & ipſius materiæ Sanctitate ac religione dignum eſt, magna omnino myſteriorum mole, ac pompa Sacramentum hoc conficiunt. Principio, qui confirmandi ſunt, eos à patrinis, æquè ac in baptiſmo, ſiſti, atque offerri Epiſcopo decet. Hic exceptos variis ac ſatis prolixis orationibus veluti expiat, & ad confirmationem comparat, Tum ſacro ſuo chriſmate in figuram crucis ducto in fronte inungit, & quidem non cuiuſuis digiti, ſed pollicis ipſius miniſterio; ſimul hæc verba ſolennia, quibus ipſam totius myſterij formam contineri definiunt, clara voce concepta pronuncians; *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.* Ita rite vncto & pacem dat, & alapam, ſed leniter in maxillam infringit. Sed & frontem, poſtquam chriſmate illita eſt, faſcia obligare ſolenne eſt; quam alij poſt ſeptimum, alij poſt tertium diem, alij ſtatim exſoluunt, ac deponunt. Huc & illud accedit, quod ſeptem inde diebus confirmati caput, vel frontem lauari apud iſtos religio eſt. A jejunis & dari & accipi confirmationem morem olim fuiſſe ſcio; Nunc an idem quoque vſus maneat, dubito, Certe ex illis video, qui negent. Quo & illud accedebat, quod vt eſſet ſacratior ritus huius religio, non aliis ferè diebus, quam in Sabbatho Paſchæ, ac Pente-

Cat. Trid. vbi ſupr. p. 116.

Ibid p. 117.

Ibid p. 125.

Ib. p. 133. 134. Bell. de conf. cap. 13 §. Iam vero.

Bell. ibid.

Bell. Ibid.

coſtes confirmationem miniſtrabant Epiſcopi. Hic omninò eſt, quod ex iſtorum & quotidiana praxi & ritualibus libris, & omnibus ferè docentium diſputationibus patet, *Confirmationis* apud Romanos ritus. Si quæras, quis ſit rei vſus, quis finis, quod ingenium, quæ dignitas; reſpondent omnes Sacramentum eſſe, & quidem auguſtiſſimum, non quorundam (vt eſt *matrimonium*, & *ordo*,) ſed omnium omninò Chriſtianorum; perinde ac baptiſmum; niſi quòd hunc catechumenis, confirmationem nonniſi baptizatis conferri fas eſt; & quod baptizant quidem quauis ætate, quouis loco ac tempore; confirmare quemquam, vel antequam is ratione vtatur (id eſt ante annum ætatis duodecimum, vel certè ſeptimum) vel alibi, quàm in Eccleſia non ſolent. Iam ipſa oliui nitens pinguedo, ipſa balſami fragrantia clamant Spiritum Sanctum toto illo myſterio adumbrari, atque repræſentari; à Chriſti Domini vertice ac plenitudine in nos effuſi; ſed nunc quidem animorum noſtrorum (vt ſic dicam) *frontibus* ad hoc propriè illiti, ne Chriſti crucem, aut Euangelium palam confiteri vel erubeſcamus, vel expaueſcamus. Quò factum eſt, vt myſterium ipſum *confirmationem* dixerint. Putant nimirum fidelem, genitum quidem ac natum in baptiſmo, cæterum nonnulla adhuc (vt ſolent partus recentes) *mollitie ac teneritate* laborantem, altero hoc Sacramento durari, & firmari in bella, ac pugnas pro Euangelij fide obeundas; ac denique ſpirituali illo robore inſtrui, atque muniri, quod eſt nobis ad ea certamina neceſſarium, quæ à Chriſtianæ pietatis hoſtibus, & quidem perſecutoribus, plurima nomini Chriſtiano incumbunt. Itaque quod iſtis conſentaneum eſt, ſuum illud *confirmationis*, ſiue *chriſmatis* ſacramentum magni faciunt, & laudibus, quoties in eum ſermonem delabuntur, ad cœlum ferunt; & quidem vſque adeò, vt bonus Galenus disertè negauerit *ſine vnctione* hac ſuâ *Chriſtianum quemquam effici*; litteriſque mandatum reliquerit *baptiſmi fructus tantum abeſſe à conſignationis* (confirmationem intelligit) *perfectione, quantum eſt inter virum & infantem diſcriminis.* Nunc quàm belle huic fini, atque effecto tam multi illi ritus congruant, quos nuperrimè enarraui, & quæ ſint, quamque præclara atque admiranda ſingulorum myſteria, nihil opus eſt indagare, aut exequi. Ad inſtitutum quidem noſtrum ſatis eſt, quod quid ſit illud, quod iſti *Confirmationem* vocant; quodque adeò animosè in Tridentina Synodo vindicandum diris trium anathematiſmorum fulminibus cenſuerunt, ex iis quæ diximus, clarè niſi fallor perſpicitur. Vnum addam, plæraque ex iis quæ diximus Eugenij Pontificis Romani decreto in Concilio Florentino An. D. 1439. ad Armeniorum inſtructionem edito conſtituta

Catech. Trid. vb. ſupr. p. 114.

Catech. 110. p. 366. ibid.

fuiſſe

fuiſſe; quod ad ſuperiora confirmanda, hîc ſubjicere placuit; *Secundum Sacramentum* (inquit) *eſt Confirmatio; cuius materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt; Signo te ſigno crucis*, &c. vt ſupra. *Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus. Et cum cæteras vnctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet conferre; quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quod per manûs impoſitionem Spiritum S. dabant.* Atque hîc recitat Lucæ locum ex Act.8. Tum ita pergit; *Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & vrgente admodum cauſſa, ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe chriſmatis Sacramentum. Effectus autem huius Sacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, vt videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Ideoque in fronte, vbi verecundia ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, ſecundum Apoſtolum, propter quod ſigno crucis ſignatur.* Atque hæc quidem Eugenius. Nos verò jam inſtitutam diſputationem aggrediamur; ac diſpiciamus quo iure, quaue auctoritate iſta, vt à nobis deſcripta eſt, Confirmatio in religione Chriſtiana eo loco conſtituta ſit, quo apud aduerſarios habetur. VIII. Concil. 865.col.2.

CAPVT II.

Latinum Confirmationis Sacramentum plane abhorrere à Chriſtianæ religionis ritibus. 1. *Quod ad materiam.* 2. *Quod ad miniſtrum.* 3. *Quod ad formam.* 4. *Quod ad finem pertinet, quem nullum fuiſſe huius Sacramenti inſtituendi oſtenditur. Id ipſum patere ex aliorum Chriſtianorum puta Armeniorum, Æthiopum, Græcorum à Latinis hac in re diſſidio.*

IPſa quidem primum rei ſpecies videtur à cæteris Chriſti Domini inſtitutis plurimum abhorrere. Nam ſi duo illa ſacramenta, quæ omnes ab eo certò & indubitatò inſtituta eſſe conſentiunt, paulo attentius inſpexeris, ſtatim deprehendes totum eorum ingenium ita eſſe à Romanæ confirmationis natura alienum, vt vix ac ne vix quidem ab eodem auctore profecti eſſe videri poſſint adeo diſpares, ac diſcrepantes ritus. Baptiſmi, & Euchariſtiæ ſumma eſt in omnibus

ſimplicitas; Nam & vtriuſque elementum ſimplex eſt, illius quidem aqua mera, huius vero panis & vinum; & ſimpliciſſimus vtriuſque adminiſtrandi ritus nullis prauiis conſecrationibus, nullis operoſis
1. cærimoniis ambitioſe inſtructus, vel exornatus. In *confirmatione* alia omnia; ad quam non ſimplex, ſed mixta, & ex duabus diuerſiſſimis ſpeciebus concreta materia ſumitur; ad hæc magnâ priùs pompâ ab Epiſcopo ad hunc vſum dedicata, & multiplici tum prece tum ſignaculô, denique & ſalutatione inaugurata; quæ profectò omnia peregrina videntur, & in religione Chriſtianâ inuſitata. Tum & illud mirum eſt, quod cùm Chriſtus in veris atque indubitatis ſacramentis ſpecies eas adhibuerit, quæ fere vbique ſunt obuiæ, &
2. facile à quibuſvis comparari poſſunt, in *Confirmatione* contrà, eam ſpeciem vſurpari cernamus, quæ & rara eſt in rerum natura, & ingentis pretij, & exigui in vita communi vſus. Balſamum enim, quo iſti ſuos confirmant, in vna Iudæa olim proueniebat; Nunc vero ipſas arbores, quæ id ſudant, in hortos Caïrenſes jampridem fuiſſe translatas narrant; neque vllum in orbe noſtro locum eſſe ſimili prouentu fœlicem. Itaque ſi iſtis credimus, Chriſtus jam ab aliquot ſæculis ſui populi ſacramenta à Mahumedanis (quorum jam dudum in poteſtate eſt & Caïrus & tota Ægyptus) emendicare neceſſario coactus eſt. Fateor (quod iſti hic reſpondent) ex Indiis vtriſque perferri in hunc orbem balſamum, & quidem ſatis copioſum. Sed negant rerum naturalium periti eiuſdem eſſe vtrumque generis, & tradunt nihil habere eas plantas, ex quibus Indicum elicitur, cum iis arboribus commune, quæ Iudaïcum exſudant. Vnde liquet, ſi balſamum Iudaïcum vera eſt huius Sacramenti materia (eſſe autem omnino neceſſe eſt, ſi quod volunt aduerſarij, id jam à primis Chriſtianiſmi temporibus eſt inſtitutum, quibus orbi noſtro plane ignotum erat Indicum balſamum) non poſſe rite ac legitime in eius adminiſtratione pro Iudaïco Indicum vſurpari; non magis profectò, quam pro oleo oliuarum, oleum ex amygdalis, vel ex juglandibus confectum (hoc enim aduerſarii nequaquam concedunt.) Siquis enim bene reputet, non minor, imo fortaſſe etiam maior eſt Indici balſami à Iudaïco diuerſitas, quam olei amygdalini ab oliuo. Sed etſi iſtis, quod minimè concedendum videtur, donauero rite ac legitime, & ad reliquum eorum dogma conſentaneè, Indicum ſuccum pro Iudaïco balſamo vſurpari; certe fateri nihilo ſeius cogentur, Chriſtianos & ante apertam ſuperiori ſæculo Indiarum nauigationem, vnum de ſuis Sacramentis nonniſi à Mahumedanis precariò habuiſſe; & quam nunc habent illius copiam, eam Luſitanorum, Hiſpanorumque in res Indicas inhiantium vel auaritiæ,

ritiæ, vel ambitioni totam deberi, quod vtrumque noſtrorum myſteriorum majeſtate, ac facilitate indignum videtur. Huc accedet, quod & nunc reſerato per Iberorum libidinem atque audaciam mari, neceſſe eſt tamen populi Chriſtiani vitam ac ſalutem ex peregrinis, & longinquis, totoque orbe diuiſis locis peti, & illinc per ventorum, atque procellarum, & fluctuum, ac piratarum immania diſcrimina ad nos nauigare, quod equidem neſcio, quam bellè cum Romanæ religionis ingenio congruat, à Chriſtianô certe cultu plurimum abhorrere omnes vident, cuius hoc ſcilicet ingenium eſt, vt à nullis locorum temporumve circumſtantiis pendens, vbique poſſit facile Deo optimo maximo & ad ipſius gloriam, & ad noſtram ſalutem præſtari. Sed & hoc à Chriſti inſtitutis alienum in Romana confirmatione videtur, quod eam, non vt vera certaque Domini Sacramenta, baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam, quilibet presbyteri, ſed ſoli maiorum (vt ſic dicam) gentium Antiſtites, ſiue Epiſcopi miniſtrent; qui & pauciſſimi ſunt præ fidelium multitudine, magnis ſinguli non tam ferè ciuitatibus, quam prouinciis incubantes, & aliis tam multis curis, atque negotiis occupati tenentur, vt iis vix dimidiam ſuorum partem rite chriſmare vacet. Quin & totæ interdum gentes ſine vllis Epiſcopis agunt, vt Angli hodiè, exempli cauſſâ, Scoti, atque Hiberni; apud quos nullus eſt Romanus Epiſcopus, & cùm nuper vnus eò nauigaſſet, Ieſuitarum factione ita repulſus eſt, ac rejectus, vt tota inſulâ cedere, & retrò, vnde venerat, redire coactus ſit. Quò fit, vt ingens hominum multitudo eô omni ſpirituali præſidiô, quod huic Sacramento tribuitur, neceſſariò careat: Id autem quam ſit à Chriſti in ſuos bonitate alienum nemo non videt. Nam hoc ſacramentum, vel neque omninò inſtituendum fuit, ſi eô carere nullo fidei aut ſalutis detrimento totis gentibus licet, vel ſi neceſſarium eſt aliter certe quam nunc eſt, inſtituendum fuit: ita ſcilicet, vt à quouis presbytero, perinde ac baptiſmus, haberi poſſet. Huc accedit quod Catechiſmus ipſe Tridentinus tradit conſentaneum eſſe *presbyteros, quod ij ad Euchariſtiam conſecrandam inſtituti ſint, quæ pacis eſt & vnitatis Sacramentum, poteſtatem habere omnia illa adminiſtrandi, per quæ neceſſariò huius pacis & vnitatis quilibet particeps fieri poſſet.* Vnde ſequitur vel presbyteros confirmationis adminiſtrandæ poteſtatem habere debuiſſe, vel non eſſe certè Confirmationem *ad pacem & vnitatem* conſequendam neceſſariam, quod non video qui ſtare poſſit, vel cum veterum placitis, qui ad Euchariſtiam *pacis, & vnitatis ſacramentum*, non alios quam *chriſmate confirmatos* admittebant, vel cum ipſorum Latinorum dogmate, hoc ſuum ſacramen-

De bapt. pa. 189.

tum vſque adeò interdum extollentium, vt ſint, quod nuper diximus, qui negent *ſine vnctione* hac ſua *Chriſtianum quemquam effici.* Sed fortaſſe non immeritò quiſquis rem diligentius perpenderit, ita exiſtimabit, iſtam (vt vocant) *confirmationem*, Epiſcoporum potius honori atque dignitati, quàm plebis ſaluti atque vſui inuentam prius fuiſſe. Iam neque illud vel in Confirmatione, vel etiam in extrema vnctione Romana cum Domini Chriſti vſu congruit, quod vtriuſque materia benedictione præuia ab Epiſcopo conſecratur, antequam ad ſacramentum conferendum aſſumatur. Nihil tale in baptiſmi, & Euchariſtiæ elementis vel à Domino præceptum, vel ab Apoſtolis vſurpatum legimus, vel ab vllis vnquam, aut vſpiam Chriſtianis obſeruatum ſcimus. Notum enim eſt aquam in baptiſmo ipſo, panem & vinum in ipſa euchariſtia benedici: nulla ſeorſim ante hæc præuia benedictione conſecrari. Scio Thomam diſcrimen inter iſtorum ſacramentorum elementa deprehendiſſe, rationemque inde commentum eſſe, cur præuiâ illâ benedictione oleum quidem & balſamum egeant, non egeant aqua, vel panis, & vinum, quod ſcilicet Chriſtus hæc quidem dum baptiſmum & euchariſtiam ſuſcepit, ipſo ſuo vſu veluti conſecrauit, & ad Sacramenti perfectionem apta reddidit; oleum non item, neque balſamum, quibus in ſacris nunquam ipſe vſus legitur. Sed Paludanus, & Durandus illam Thomæ rationem confutarunt, aliam Durandus attulit; neq; minus ſubtilem, neque propiùs petitam. Eſtius † vtramque, hoc eſt tam Durandi, quàm Thomæ rationem refellit, & quidem valide. Et Soto,* tametſi Thomæ ſuo addictiſſimus, *neutram conuincere* rotundè confitetur, *niſi res eſſet Eccleſiæ ſanctionibus decreta.* Meritò profectò. Quis enim non intelligit hos eſſe otioſorum hominum luſus, qui quæ in rebus ipſis nullæ cernuntur rationes, eas cum libet ab ingeniô ſuô mutuantur? Res ipſas intuenti nulla profectò rationis vel vmbra occurrit, cur oleum & balſamum potius, quàm baptiſmi & euchariſtiæ elementa benedici ante vſum ab Epiſcopo debuerint. Et ſiquis ſit, qui ſibi perſuadeat Chriſtum reuera illam vel Thomæ, vel Durandi ſubtilitatem habuiſſe in animo, ideoque hoc diſcriminis inter iſta Sacramenta conſtituiſſe: illum ego hominem parùm ſobriè, parumque reuerenter de Domini mente ac conſiliis exiſtimare judico. Formam verò ipſam Confirmationis in his verbis ſitam, *Conſigno te ſigno crucis,* &c. ab Euangelij majeſtate, grauitate, atque geniô, non minus quàm à cœlo terra abeſt, diſtantem, ne illi quidem ipſi, qui hæc docent, ac defendunt, reuera ſic à Chriſto inſtitutam, præceptamque fuiſſe putant. Hoc vnum quidem vere ſanctèque confirmare poſſum nihil in omnibus Dei litte-

ris

4. (margin, beside "prius fuiſſe")

Summ. p. 3. q. 72. a. 3. c. a.

In 4. d. 7. q. 2. num. 8.
Palud. ibid. q. 2. art. 2.
† In 4. d. 7. §. 9. Tertia ſententia.
* In 4. d. 7. q. vn. art. 3.

5. (margin, beside "dem vere")

ris extare verbis iſtis conceptis ſimile? Quid illa dicam anxiæ, &, ſi liberè loquendum eſt, aniliſ ſuperſtitionis plena, vt frons propriè vngatur? vt in *crucis figuram* ducatur vnguentum? vt Epiſcopus *pollice*, non alio digito, ſignet? vt alapam confirmato infligat, quo ſcilicet hominem ad ferendam Chriſti crucem initiet, atque imbuat? vt eū faſcia frontem obliget? & cætera huius generis myſteria? Eone Domini Maieſtatem deducimus; vt iſta eum pœne puerilia ſuis poſt diuinos illos ſermones tradidiſſe ſomniemus, quos ſuprema vitæ terreſtris nocte cum illis habuit? Ad hæc nulla omnino in tota diſciplina Chriſti ratio apparet, cur hoc confirmationis myſterium inſtitui in Eccleſia oportuerit, vel cur Chriſtus diſcipulos cœleſtibus baptiſmi, atque eucharistiæ ſacramentis munitos aliptis Romanis inſuper inungendos tradere debuerit. Cauſſantur ſpirituali robore ad myſtica aduerſus perſecutores certamina opus fuiſſe. Quaſi verò Spiritus ille, quem in genitali Chriſti vnda hauſimus, iners ſit, vel ignauus, vel *cor* non *confirmet panis* ille quem in Domini menſa inuadimus! Paulus quidem de Spiritu, quo in omni Euangelica diſciplina potamur, ita in genere docet; *Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini.* Vel ergo nega iſtum nos Spiritum & in baptiſmo accipere, & in Euchariſtia potare, & precibus impetrare, & ſanctimoniæ ſtudio nobis conciliare; vel certè confitere, quod res eſt, poſt donata cœleſtia illa præſidia nullam Chriſto fuiſſe inſtituendæ, nullam nobis ſuſcipiendæ vnctionis iſtius tuæ neceſſitatem. Euchariſtiæ quidem hanc eſſe vim, vt ea ad fortitudinem Chriſtianam in periculis pro fide ſubeundis confirmemur, atque muniamur, egregriè præter cæteros docet Sanctiſſimus Chriſti Martyr Cyprianus; *Non morientibus* (inquit) *ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus. Et cùm ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe TVTELA, quos tutos eſſe contra aduerſarium voluimus, MVNIMENTO Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut prouocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneôs facimus, ſi non eos priùs ad bibendum in Eccleſia poculum Domini iure communicationis admittimus.* Quò pertinent & hæc, quæ in alia epiſtola habet, *fideles idcircò quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, vt poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* Hæc martyr Chriſti Cyprianus, in quibus duo ſunt obſeruanda: Prius; ſanctiſſima Euchariſtia nos ad prælia Chriſtiana *armari, muniri, protegi*: eam contra aduerſarium *protectionem, tutelam*, ac *munimentum* eſſe: Alterum, ex duabus Euchari-

Pſ.103.(hebr. 104.) 15.

2.Tim.1.&c.

Ep 54 ad Cornel. p. 85.

Ep. 54. ad pleb. Theb. p. 99.

ſtiæ partibus, *ſacri* potiſſimum *poculi* id officium ac munus, eamque vim eſſe, vt militaturos Chriſto ad profundendum pro eius nomine ſanguinem, hauriendumque *martyrij poculum* prouocet, ac confirmet. Ex quibus intelligitur, neque neceſſe fuiſſe aliud Chriſtianis Sacramentum tradi hoc à Domino ſuo abunde munitis; & aduerſarios tum vanitatis, tum ſacrilegij manifeſtos eſſe; qui non modo ſuum illud confirmationis nouum & peregrinum myſterium Chriſti populo fruſtra ac inutiliter impoſuerint, ſed & verum, vereque à Domino inſtitutum *confirmationis* poculum eripuerint, vt merito ab iis quæri poſſit, *Quomodo docetis aut prouocatis eos in confeßione nominis ſanguinem ſuum fundere, quibus militaturis Chriſti ſanguinem denegatis? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facitis, quos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini iure communicationis non admittitis?* Atque hæc obiter quidem, ſed ad rem tamen ex Cypriano. Sed ex aduerſariis Thomas, vt eſt acutus, aliam ſui huius aliptici myſterij rationem attulit; *In vita* (inquit) *corporali ſpecialis quædam perfectio eſt, quod homo ad perfectam ætatem perueniat, & perfectas actiones hominis agere poſſit. Et inde eſt etiam, quod præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, eſt motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem.* Quid tam inquam, poſtea? quoue tandem euadent iſta tam longè petita? *Sic igitur* (inquit) *& vitam ſpiritualem homo accipit per baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio.* Eſto quidem, vt tu vis, inquam. Quid tum fiet? *In confirmatione autem*, inquit, *homo accipit quaſi quandam perfectam ætatem ſpiritualis vitæ.* Imò, inquam, ô Thoma, non in tua *confirmatione*, ſed in Domini Euchariſtia perfecta illa ætas accipitur. Certè tua ratiocinatio id conficit. Nam in naturâ, vnde tu argumentaris, notum eſt nos quibus nutrimur, iiſdem augeri, & creſcere, & ita ad ætatem perfectam perduci. Cum ergo in ſpiritualibus nos per Euchariſtiam nutriri, & clarum ſit, & confeſſum, ſimile illud tuum (ſi valet) efficit vt per Euchariſtiam quoque ſpirituale incrementum habeamus, atque ita ad ætatem perfectam deducamur. Quod ſi ſtat, liquet nihil opus fuiſſe ad hoc, vt *perfectam illam ſpiritualis vitæ ætatem homo acciperet*, confirmationis tuæ myſterium præter Euchariſtiam inſtitui. Quin imo ſi res ad tuum illud ſimile exigatur, apparebit *confirmationem* malè ad eum, quem vrges, *augmenti motum* eſſe comparatam; Euchariſtiam optimè. Nam vt in naturâ, quod non ſimul ac ſemel, ſed ſenſim, paulatimque creſcamus, & ad ætatis perfectionem perueniamus, non ſemel, vt generamur, ita nutrimur, ſed ſæpius, iterum atque iterum cibis vtentes, ita & in gratia ex eadem à te conſtituta analogia, decet nos id, per quod creſcimus, ſacramentum ſæpius ſumere; quod, vt omnes vident, euchariſtiæ quidem conuenit, à confirmatione vero, quam vos iterari vetatis, alienum

Vb. ſupr. art. 1. in corp. art.

alienum eſt. Hæc fortaſsè, vel alia eiuſdem generis Dominicum à Soto fateri coëgerunt *hanc Thomæ rationem, niſi authoritatem Eccleſiæ præſupponeret, non eſſe ſatis efficacem ad comprobandum confirmationem eſſe ſacramentum.* Eadem eſt cæterorum ratio, quæ ad conſtituendam *confirmationis* ſuæ vel neceſſitatem, vel vtilitatem, ab aduerſariis vel afferuntur, vel afferri poſſunt. Nihil iſtorum eſt, quod ſi per ſacramentum aliquod haberi debeat, non abundè habeatur vel per baptiſmum, vel per Euchariſtiam; vnde id quod nos diximus, apparet nullam fuiſſe rationem, cur Chriſtus, qui vtrumque illud ſacramentum ſuis dedit, aliud in hoc genere inſtitueret. Huc & illud accedit, quod ſi ſacramentum aliquod à cæteris diſtinctum ad nos in fide aduerſus tyrannorum minas, & perſecutiones confirmandas inſtitui oportuit; ratio nulla dici poteſt, cur non & aliud ſacramentum aduerſus carnis libidines, & aliud aduerſus rerum proſperarum illecebras, & alia denique ſimilia contra ſingula tentationum genera inſtitui debuerint, à quibus non minùs, quàm à perſecutoribus & tyrannis oppugnamur; vt plures ferè ſint, quos deliciæ (vt Annibalem olim Capua) frangant atque emaſculent, quàm periculorum & mortis terrores. Itaque ſi ſtent Romani dogmatis hypotheſes, totidem inſtituenda erant diuerſarum confirmationum, ſacramenta, quot ſunt fidei, ſalutiſque noſtræ hoſtes; quod quam ſit abſurdum, omnes vident. Denique non fuiſſe vel à Chriſto Domino inſtitutum, vel ab Apoſtolica, primitiuaque Eccleſia pro vero ſacramento habitum Romanæ *confirmationis* myſterium videntur docere, & cæterorum Chriſtianorum à Latinis, & Latinorum ipſorum inter ſe magna de omni hoc negotio diſſidia, atque certamina. Nam conſtat in primis antiquiſſimæ & paternorum rituum ad ſummam ſuperſtitionem obſeruantiſſimæ Æthiopum Eccleſiæ planè penituſque ignotum eſſe totum hoc Latinorum ſacramentum. Teſtem habemus ex ipſo aduerſariorum ſinu idoneum Aluarem Hiſpanum Monachum, qui in ſuo Æthiopiæ itinerario, gentis dogmata ac ritus recenſens, cum de eorum baptiſmo dixiſſet, *Neque Chriſmatis* (inquit) *ſacramento, neque extremæ vnctionis oleo vtuntur.* Idem Zaga Zabo ipſe Æthiops ad Damianum à Goës Luſitanum de ſua gente ſcribit, *Sciendum* (inquit) *apud nos Confirmationem, & Chriſma, ſiue extremam olei vnctionem pro ſacramento non haberi, nec in vſu eſſe; vt video hic ex Romana Eccleſia conſuetudine fieri.* Ieſuitæ, qui Papæ Romani fidem ac imperium in Æthiopiam inuehere, antè annos quadraginta conati, inde tandem poſt turbas, bellaque ab iis excitata nuper ejecti ſunt, paria quoque de Abyſſinis teſtantur. Ioannes de Sylua in litteris Goæ, An. D. 1623. datis *Confirmationis* (inquit) *& extremæ vnctionis ne nomen quidem apud Æthiopas notum erat,* quæ & Alphonſi Mindeſii, Latini illius gentis ex Ieſuita Pſeudo-Pa-

In 4. d. 7. q. vnica. art. 1. init.

c 22. T. 1. de Ramus. 10. f. 197.

Annat. Æth. a 1613 p. 346.

Mindes. ep. a. 1626 p. 157.

triarchæ ea de re verba ſunt in epiſtola ad Mutium Vitelleſchum de rebus à ſe illic geſtis an. D. 1626. data. Quibus Emmanuel quoque Almeida ſuccinit, ſcribens ante Mindeſij aduentum ignotum, atque inuſitatum apud illos populos fuiſſe Confirmationis ſacramentum. Nobiliſſimam Armeniorum in Oriente gentem hoc vtrumque Chriſmatis, & extremæ vnctionis myſterium pariter neſciuiſſe auctor eſt Guido, Carmelita & ipſe quoque Monachus; referens hanc eorum fuiſſe hæreſim, vt *ſacramenta confirmationis, & extremæ vnctionis reſpuerent*; quod ego apud Dominicum Soto in hac ipſa diſputatione legi. Id ipſum de Armeniis ab Armachano quoque traditum l. 9. c. 12. de eorum quæſtionibus, idque etiam obſeruat Gregorius de Valentia. Sed & Chaldæos Chriſtianos, longè lateque per Arabiam, Meſopotamiam, Chaldæam, Aſſyriam, Perſidem, ipſamque etiam Ægyptum diffuſos, quorum Patriarcha in Vrbe Meſopotamiæ Mouſoul ſedet, Antonius Gouueanus Monachus Luſitanus Auguſtinianus teſtatur vtrumque hoc Latinorum ex vnctione ſacramentum, quo vel baptizati confirmantur, vel morientes dimittuntur, planè penituſque neſcire. Ieſuitæ eandem Indorum Chriſtianorum, qui vulgò S. Thomæ vocantur, hæreſin fuiſſe tradunt, antequam ipſi eos ad Papæ communionem traduxiſſent, ſi tamen re vera traduxerunt. Iarricus ſcribit Alexium Meneſium Archiepiſcopum Goæ primum eos docuiſſe Confirmationis inſtitutionem, vſum, atque effecta, *quam* (inquit) *cum illi ſuſcipere non ſolerent, illorum omnium omnino rudes, atque ignari erant.* Idemque alibi negat eos vel confirmationis, vel extremæ vnctionis vllam habuiſſe notitiam. Iam & Græcis & omnibus qui cum iis communicant, ignotum quoque eſſe Latinæ confirmationis propriè dictum ſacramentum nos infra Deo dante ſuo loco demonſtrabimus. Itaque ex omnibus Chriſtiani nominis gentibus ſoli ſi benè reputes, Latini hoc confirmatiuæ vnctionis myſterium norunt, & factitant. Vnde quæſo factum eſt, vt tam multæ Æthiopum, Chaldæorum, Armeniorum, Indorum, Græcorum gentes tam inter ſe & locis, & lingua, & moribus diſſitæ, ad hæc veterum traditionum retinentiſſimæ, myſticum hunc ritum omnes ignorauerint, ſi is, quod volunt aduerſarij, erat ab initio Chriſtianiſmi traditus? Sed quid verum ſit, res ipſa per ſe ſatis loquitur. Nimirum, quibus illæ temporibus Chriſtianiſmum primum acceperunt, nondum obtinebat nouum iſtud Sacramentum, quod ſi jam tum obtinuiſſet ſcilicet, & iis vna cum cæteris traditum eſſet, & ab iis haud dubiè non minùs, quàm cætera ſeruatum eſſet. Quò minùs verò id poſtea ipſis, poſtquam inuentum eſt, æquè ac Latinis noſtris, innoteſceret, effecit partim quidem terrarum, in quibus illi populi degunt, à noſtris valdè remotarum ſitus, maximè verò eorum ab Eccleſia Romana diſſi-

Almeida in Annal Æth. a. 1626. p. 27.

In 4. d. 7. art. 1.

In 3 Thom. diſp gen. 5. q. 1. puncto 1.

Ant. de Gouuea l. 1. de rebus Perſic. Cha. Abbas. c. 9. p. 51.

Iarric in Indic. l. VI. c. 9. p. 579. ibid. c. 12 p. 632. 633.

na diſſidium, quod à multis ſæculis cœptum ad noſtra tempora perſeuerat....

CAPVT III.

Ipſorum inter ſe Latinorum & multa & antiqua de Confirmationis ſacramento certamina referuntur. Ac 1. de eius materia, tum remota, tum proxima. 2. de forma. 3. de miniſtro. 4. de ſuſcipientibus id ſacramentum. 5. de eius neceſſitate. 6. effectis. Vnde concluditur non fuiſſe hoc Sacramentum à D. Chriſto inſtitutum.

SEd ipſorum Latinorum vix inter ſe maior eſt, quam cum exteris hac de re concordia; quod quamquam longum ſit ac tædij plenum, hic tamen paucis & quam breuiſſimè fieri poterit, demonſtrare, atque exſequi operæ pretium videtur. De ipſa Sacramenti materia, ſpecta quæſo quàm variæ, quamque inter ſe contrariæ fuerint iſtorum ſententiæ. Nunc omnes ferè Eugenij in Conciliô, vt putant, Florentinô auctoritas, atque definitio eo compulit, ac coëgit, vt doceant chriſma neceſſariam & eſſentialem eſſe Confirmationis materiam, ſine quâ ne ipſa quidem Confirmatio ſacramentum futura ſit. Sic-cine etiam olim? Minimè verò. Refert enim Petrus Aureolus Cardinalis, grauis & antiquus apud iſtos auctor, qui antè annos 300. floruit, an. D. 1317. refert inquam Aureolus fuiſſe ſuis temporibus grauem inter Theologos, & Canoniſtas eâ de re controuerſiam; *Tenent enim* (inquit) *Theologi, quod chriſma eſt de eſſentia Sacramenti, ſicut aqua eſt de eſſentia baptiſmi; & tunc dicunt conſequenter, quod Papa non poteſt immutare, faciendo quod hoc Sacramentum fieret in alia materia. Brucardus autem & alij Doctores Canonici tenent oppoſitum, & quod Papa ſimiliter poſſet diſpenſare; & eorum motiuum eſt, quia quod in tali materia fieret ſacramentum Confirmationis, non fuit traditum à Chriſto, nec ab Apoſtolis præceptum obſeruari, ſed fuit ſtatutum in antiquis Conciliis, talia autem immutari poſſunt authoritate Papæ.* Eodem pertinet, quod Brucardum illum paulò antè dixerat ſcripſiſſe, quod *illa vnctio non eſt de eſſentia Sacramenti.* Ipſe verò Aureolus hanc Canoniſtarum ſententiam conatur conciliare cum Theologorum dogmate; Eam autem vſque adeo non refellit, aut vexat, vt in illâ ſua conciliatione idem ferè doceat, quod Canoniſtæ. Statuit enim diſertè *chriſma* non aliter eſſe *de ſubſtantia huius Sacramenti, quam manus eſt de ſubſtantia hominis; Nam* (inquit) *ſicut homo carens manu eſt*

In 4. d. 7. q. 1. p. 63. col. 1. E.

p. 64 col. 1. A. Ibid. B.

quidem homo, tamen non integer; ſic in confirmatione, ſi non adhibeatur chriſma, eſt quidem ſacramentum, non tamen integrum; idque firmat ex Innocentij Decretali *veniet*, eodemque pertinent, quæ paulò antè adduxerat ex principio *Decreti*, & extra *de ſacris non iterandis l.1.cap. Paſtoralis*. Conink ex Marſilio in 4.q.5.art. 1. idem quod Aureolus, narrat, *docuiſſe nimirum olim quoſdam Canoniſtas, ſufficere ad eſſentiam huius ſacramenti ſolam impoſitionem manuum ſine vlla vnctione*; Neque omiſit Dominicus à Soto. Hæc illi. Nunc verò omnes vnctionem magno conſenſu confirmationis materiam, adeoque eſſentialem partem eſſe tradunt; manuum verò impoſitionem huius ſacramenti neque materiam, neque formam, ſed cærimoniam tantùm accidentalem eſſe, non neceſſariam, neque ad eſſentiam, neque ad integritatem ſacramenti pertinentem. Ita ſentiunt Eſtius[1], Gregorius de Valentia[2], Bellarminus[3], Suarez[4], Vincentius Fillacrius[5], Adamus Tannerus[6], Ægidius Conink[7], & nouiſſimè, qui horum omnium teſtimonia in vltimô contra Sirmondum opere collegit Petrus Aurelius[8], oppoſitam verò illam veterum Canoniſtarum apud Aureolum opinionem planè *erroneam* eſſe affirmant, atque *hæreticam*. Quin & id vſque adeò viſum eſt iis abſurdum, vt Aureoli fidem, non quidem apertè, ſed tamen neque omninò obſcurè ſollicitent; *dubitantes, an vlli omninò extent iam Canoniſtæ, qui id ſenſerint*. Sed non jam quæritur, vtrùm aliqui nunc extent (neque enim vel dixit, vel diuinare potuit Aureolus, quid eſſet nunc, id eſt trecentis poſt obitum ſuum annis futurum) Quæritur an Aureoli memoria extiterint. Ille verò & Brucardum citat, & alios Doctores Canonicos in eadem fuiſſe cum eo ſententia narrat. Cum bona & Gregorij & Dominici Soti venia, Aureolo de rebus ſui ſæculi affirmanti potiùs credemus, quam ſtultis ipſorum & inuerecundis ſuſpicionibus. Sed & ex iis quæ poſtea diſputabuntur, perſpicuum, vt ſpero, fiet, illam veterum Canoniſtarum opinionem multò propiùs ad veri ſpeciem acceſſiſſe, quam nouam Gregorij & Dominici & aliorum ex iiſdem partibus Theologorum ſententiam. Certè nuper eruditiſſimus Ieſuita Sirmondus ſcribere & aduerſus Petri Aurelij clamores defendere non dubitauit olim circa Conſtantini ſæculum chriſma in baptiſmi cærimoniis hæſiſſe; Confirmationem ſola manuum impoſitione conſtitiſſe; idque pluribus ſæculis in Eccleſiis Occidentalibus obtinuiſſe. Nunc quidem ſatis eſt, quod habemus antè annos 300. nondum fuiſſe apud Latinos conſtitutum, quæ vera eſſet huius (vt vocant) Sacramenti materia, & eos, qui veram negarent, falſam & accidentalem ſubſtituerent, non modo non reiectos, tanquam hæreticos, ſed ne inclementiùs quidem à ſummo illis temporibus viro Aureolo eorum opinionem recenſente, appellatos; adeò vt ipſe quoque ad eorum ſententiam propè

Ibid. C.

P. 63. col. 2. d. e.

De Sacram. q. 72. aſſ. 1. dub. 1.

In 4. d. 7. a. 2.

[1] Eſtius in 4. d. 7 §. 7.

[2] Greg. Val T. 4. in Th diſp. 5. q. 1. p 1. pag. 641 c.

[3] de confirm. c. 8.

[4] in 3. Thom. q. 72. art. 4. diſp. 33. Sect. 1.

[5] Tract. 3. c. 1. num. 9.

[6] Tom 4. diſp. 4. q. 4. dub. 1.

[7] q. 72. art 3

[8] orthodox. p. 546.

Soto ibid. Greg. de Val. in 3. Th. diſp. 5. q. 1. 2.

Antioch. 1. p. 61. & antirrh. 2.

propè videatur accedere. Hoc, etiamſi vnum eſſet, ſatis demonſtrat nouum & muſteum eſſe hoc iſtorum ſacramentum, de cuius ſcilicet materiâ, adeoque eſſentia & ſubſtantia mille & trecentis poſt Chriſti Domini natales annis nondum conſtabat. Sed & alia ſunt non pauca iſtorum de Confirmatione diſſidia, quæ idem oſtendunt. Nam qui conſentiunt vnctionem eſſe materiam proximam, id eſt neceſſariam & eſſentialem confirmationis partem, iidem tamen de Apoſtolorum vſu dubitant; & alij Apoſtolos nuda manuum impoſitione hoc Sacramentum contuliſſe docent, vt Scotus; alij interdum etiam fortaſſe adhibuiſſe vnctionem, vt Durandus; alij denique, ſed vt plurimum recentiores nunquam ſine vnctione huius Sacramenti effectum contuliſſe, vt Bellarminus [1] & Conink [2]. Eſtius quidem certè ait *communiorem eſſe ſententiam Apoſtolos initio ſuæ prædicationis non vſos fuiſſe chriſmate in adminiſtratione huius ſacramenti*; vnde ille probabile putat *eodem tempore manus impoſitionem locum materiæ tenuiſſe; orationem locum formæ*; idque ait (ſanè, vt mihi quidem videtur, veriſſimè) *decreto Florentino* congruere, *in quo legitur, quod loco illius manus impoſitionis, per quam Apoſtoli dabant Spiritum ſanctum, in Eccleſia datur Confirmatio.* Ex quibus liquet, ſi hæc ſequamur, neque quam iſti hodie factitant confirmationem *Apoſtolicam* re verâ eſſe; neque quam fecerunt olim ex iſtorum hypotheſi Apoſtoli, Eccleſiaſticam ſiue Romanam verè fuiſſe. Sed & de ipſa vnctione variæ ſunt & diſcrepantes eorum ſententiæ. Eam enim alii fieri poſſe putant vel ſolô oleô oliuarum, vel ſolô balſamô; vt Canus; alij oleum ſolum ad ipſius ſacramenti rationem neceſſarium eſſe, balſamum ex præcepto tantum, vel Chriſti vel Eccleſiæ addi, non ex ſacramenti neceſſitate, vt Cajetanus [1], & Nauarrus [2], & Sotus [3], & Victoria [4], & ipſe etiam de Valentia [5], qui ait hanc ſententiam jam tam illuſtrium, & tam multorum doctorum eſſe, vt altera huic contraria multorum putantium vtramque, olei ſcilicet & balſami ſpeciem æquè neceſſariam eſſe, ac de neceſſitate (vt loquuntur) ſacramenti, iam vix dici poſſit *communis*, quod eius nomen antehac fuerat. Ea tamen Ægidio de Conink Doctori recentiſſimo, placuit, affirmanti, ac fusè defendenti *hoc ſacramentum eſſentialiter requirere chriſma confectum ex oleo & balſamo* [6]. Quin & iſte diſputat Florentini decreti hanc eſſe mentem, verè, vt mihi quidem videtur, (ſunt enim apertiſſima eius verba) & Caietanum, & alios Thomiſtas (Gregorium haud dubiè notat) aliud ſentientes quæritur à ſuô D. Thoma hic apertè recedere. Sed neque iſti de materiæ huius id eſt chriſmatis, ad ſacramenti huius vſum præparatione planè, penituſque conſentiunt. Nam & Paludanus [7] negat eſſe de neceſſitate vel ſacramenti, vel præcepti diuini, *vt aliqua determinata benedictio adhibeatur per Epiſcopum*; vt eſt apud Gregorium [8], & Caietanus

In 4. d. 7. q. 1.
Ibid. q. 1. art. 2.

[1] cap. 9.
[2] q. 72. art. 3. dub. 2.
Eſtius in 4. d. 7. §. 7.

Apud Greg. Val q 1 puncto. 1.
[1] in 3. Th. q 72. art. 2.
[2] Man c. 21. num. 8.
[3] in 4. d. 7. art 2.
[4] Sum. de ſacr. q. 41.
[5] vb. ſupr.
[6] art. 3. d. 1. num. 30.
[7] in 4. d. 7. q. 4. art. 1.
[8] vb. ſupr. puncto 1.

Cajetanus [8] *ſimplicis presbyteri benedictionem ſufficere, rationi magis conſentaneum eſſe* exiſtimat, ſeque negat *vllam videre dubitandi rationem,* cur non à Papa poſſit presbyter accipere *poteſtatem benedicendi olei.* Conink verò ex Thomâ, & Nauarrô, & aliis multis defendit benedictionem *chriſmatis factam ab Epiſcopô eſſe etiam de eſſentiâ huius ſacramenti* [9]. Eſtius de præcepti neceſſitate fatetur; De ſacramenti, aliorum diuerſas opiniones proponit, aliorum aientium, aliorum negantium, eſſe & qui putent *ſubſiſtere ſacramentum etiam abſque omni materiæ eius præuiâ conſecratione* [10], & hanc ſententiam tribuit Franciſco à Victoria, & Emanueli Sa; certè ex ea ratione conſequi ait, qua iſti conficiunt nullam in oleo infirmorum præuiam conſecrationem neceſſariò ad hoc requiri, vt ſacramentum ex eo confici poſſit. Ipſe quidem quid ſentiat, certo liquidoque non aperit; ſed videtur tamen in hanc ipſam opinionem animo propendere. Atque hactenus quidem de *materia* (vt loquuntur) *remotâ.* De *proxima*, hoc eſt de ipſa ex chriſmate *vnctione*, ne liquido quidem ac ſimpliciter omnes conſentiunt. Primò enim in modum, ſiue figuram crucis fieri eam neceſſario debere, ita vt abſque hoc ſacramentum futurum ſit nullum, definit Soto [1], & alij pleriſque omnes videntur aſſentiri, Aureolus id plane negat. *Iſte tamen tactus* (inquit) *in modum crucis non eſt de eſſentia ſacramenti* [1]. Tum *chriſma* in fronte præcisè applicandum, *de neceſſitate ſacramenti* eſſe contendit Gregorius de Valentia [3], Franciſcus Victoria [4] vnctionem hanc in fronte negat eſſe de neceſſitate ſacramenti. De ipſa quoque confirmationis formâ litigant, certè litigarunt olim Latinorum ſcholæ. Quam enim vulgò cæteri in his verbis, vt ſupra docuimus, conſtituunt, *Conſigno, te ſigno crucis,* &c. Armacanus in illis ſitam eſſe volebat, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* *De forma* (inquit de Alliaco [5]) *tenet Dominus Armacanus* * *l. 9. de quaſt. Arm. c. 12. quod probabile eſt vnam eſſe formam baptiſmi, & omnium iſtorum ſacramentorum, ſcilicet confirmationis, ordinis, pœnitentiæ, & extremæ vnctionis, quamuis multas & diuerſas orationes Eccleſia in ipſorum collatione exerceat. Nam ipſe tenet l. 8. c. 9. quod iſta verba, vel eorum ſenſus* (ſcilicet in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti) *ſint forma baptiſmi, quamuis exigantur alia verba, & ita conſequenter dicit de prædictis ſacramentis, ſed quia hoc communiter non tenetur, non aſſero, licet iſte benè loquatur conſequenter ad Scripturam ſacram.* Huc etiam pertinet, quod ipſam illam trium ſacræ Trinitatis perſonarum expreſſionem licet Soto [6] *neceſſario adhibendam, & proculdubio tenendam tanquam de eſſentia doceat;* [7] Eſtius tamen pronuntiat eorum, qui hanc neceſſariam negant, opinionem non eſſe *improbabilem.* De Miniſtrô Confirmationis magna etiam fuit, eſtque adhuc apud iſtos opinionum differentia. In primis enim Armacanus olim

ſtatuit

[8] In 3. Th. q. 72. art. 3.

[9] art. 3. dub. 1. concl. 4.

[10] in 4. d. 7. §. 9. fol.

[1] vb. ſupr. art. 4. p. 186. Du. q. 2.

[2] In 4. d. 7 q. 1. p. 64. col. 1. F.

[3] vb. ſupr. puncto 1. extremo.

[4] de Sacr. q. 51.

[5] In 4. q. 4. art. 1. fol. 146.

* Is eſt Richardus Radulphus, Archiepiſc. Armacan. qui obiit a. D. 1359.

[6] vb ſupr. art. 4. p 186. §. At verò.

[7] vb. ſupr. §. 10. extr.

ſtatuit ſacerdotes, quinimò & diaconos jure diuino eſſe ordinarios huius ſacramenti miniſtros. *Nec quæro* (inquit) [8] *qualia ſint decreta Eccleſiæ, ſed quid poteſt ex ſacra pagina elici.* Quæ viri oratio Fratrem Dominicum à Soto ita grauiter commouit, vt ad hæc eius verba ita ſcripſerit [9], *Perſpice* (inquit) *impiam hominis impudentiam. Fatetur enim decretis Eccleſiæ definitum eſſe contrarium; Nihilominus errorem ſuum ex ſacra pagina colligit.* Atqui ipſe Monachus præter rem, ac modum omnino inuerecunde in Armacanum exarſit, qui & Archiepiſcopus fuit, & eruditionis, ac ſubtilitatis laude ſuo ſæculo commendatiſſimus. Petrus quidem Cardinalis Cameracenſis hunc virum plurimi facere videtur; eumque & alibi, quoties laudat, & hoc ipſo in loco illam eius ſententiam commemorans, quæ Dominicum in rabiem egit, perhonorificè *Dominum Armacanum* appellat. Neque, ſi rectè rem putes, vlla ratio fuit, cur tam vehementer, tamque inſolenter commoueretur Dominicus. Nam neque apud iſtos nefas eſt, quod hic facere ſe profitetur Armacanus, ſepoſitis pauliſper Eccleſiæ decretis, quid ex vna Scriptura elici poſſit attendere; Neque hoc qui faciunt, vllam eô factô teſtantur in Eccleſiæ decreta irreuerentiam, aut contumaciam; quod vel ex ipsô Armacanô patet, qui *prolixè quidem declarat* (vt ait hoc loco Alliacenſis) *quod nullus prælatus habet ampliùs de poteſtate ordinis, ſiue ſacramentali, quàm ſimplices ſacerdotes, & in cap.4. oſtendit, quod ſimplices ſacerdotes habent poteſtatem confirmandi, & abſoluendi à quocunque peccatô*; ſed ita tamen ſententiam ſuam temperat, vt quod addit Alliacenſis, *ſecundum eum, ſi hoc faciant, peccent, grauiterque puniendi ſint.* Nimirum eam vir doctiſſimus intelligebat Eccleſiæ reuerentiam eſſe deferendam, vt etiam, quæ alioqui juris noſtri ſunt, ſine peccato tamen vſurpari ea à nobis non poſſe putemus, ſiquid de iis aliter præceperit Eccleſia; quæ ſi, vt decebat, perpendiſſet Soto, fortaſſe non ea, quâ vſus eſt, temeritate atque petulantia in Theologum immerentem proſiliiſſet. Non equidem video, quid ille grauius promeritus ſit, quàm Scotus, quàm Aureolus, quàm Gabriel, & alij; qui in hac de legitimo Confirmationis miniſtro controuerſia, illam alteram quæſtionem commemorandam putarunt, an ſcilicet jure diuino idem ſit presbyter, qui Epiſcopus, ac prout vel hæc, vel illa pars quæſtionis ſupponitur, ita de miniſtro confirmationis ſtatuendum, ſanè, vt videtur, prudenter monent. Si enim presbyter idem diuinô jure, qui epiſcopus, quis non videt jure diuino tam illius eſſe confirmare, quàm huius? Scotus; *Alij poſſunt eſſe duo modi probabiles, vnus, quod in primitiuâ Eccleſia non erat differentia inter ſacerdotes & Epiſcopos, quod probatur per duas autoritates Hieronymi, &c.* Ita Aureolus, *Hæc* (inquit) de idoneo Confirmationis *Miniſtro quæſtio magnam habet difficultatem*, & poſt pauca,

[8] l. 11. de quæſt. Armen. c. 4.

[9] In 4. d. 7. art. 11. §. De hac.

In 4. q. 4. fol. 46. E.

In 4. d. 7. q. 1. [illegible]

In 4. d. 7. q. ar. [illegible]

Quoad primum ſciendum eſt, quod ſecundum aliquos ſacerdos, & Epiſcopus non differunt; vnde Epiſcopus non eſt niſi ſimplex ſacerdos, habens tamen maiorem parochiam, & auctoritatem; Tum pro hac ſententia eadem illa Hieronymi teſtimonia deſcribit, quæ ſunt à Scotô allata, &, *Quod ſi verum* (inquit) *eſſet, quæſtio non haberet difficultatem.* Gabriel denique; *Tertia concluſio* (inquit) *quam pono non aſſerendo, ſed occaſionem profundiùs inquirentibus dando; Stante opinione, quod Epiſcopatus ſemper fuit inſtitutione Chriſti à ſacerdotio diſtinctus, tenentes ſolos Epiſcopos poſſe confirmare videntur veritati magis appropinquare. Dixi ſtante opinione quod Epiſcopatus, &c. quia ſi teneretur, quod in primitiua Eccleſia nulla fuerit diſtinctio Epiſcoporum à ſacerdotibus, tunc opinio contraria non habet dubium; quin ſic omni ſacerdoti ex officiô potuit competere confirmare, & quicquid conuenit Epiſcopo, cum non fuerit diſtinctio.* Hactenus illi. Vides quam ciuiliter, quamque modeſtè hypotheſin ad theſin reuocent, theſin ipſam in mediô relinquant, niſi quod Aureolus partem affirmantem Epiſcopi à presbytero diſtinctionem amplectitur; nihil in alia ſequentes durius pronuntiat. Sed neque ipſi illi inter ſe planè conſentiunt, qui Epiſcoporum propriam eſſe confirmationem cenſent. Iampridem enim grauis inter eos & difficilis diſputatio exorta eſt, an id jus presbyteris committi ſaltem poſſit, quod per ſe ipſorum non eſſe confitentur. Sunt qui affirment, ſunt qui negent; vtrique & multi & celebres. Ac priorum quidem iterum triplex eſt differentia. Alij enim ab vnô Papâ committi presbyteris hoc miniſterium poſſe volunt; alii etiam quemuis Epiſcopum idem poſſe, ſi libeat, modo in ſua parœciâ, ſimplici ſacerdoti concedere contendunt. Ledeſmam [1] edit Gregorius huius opinionis, alioqui ſatis obſcuræ, auctorem. Rurſùm eorum, qui ſoli Papæ huius poteſtatis conferendæ jus vindicant, alij aiunt etiam Diaconis conferri à Papa eam poſſe, qua in hæreſi eſt Gloſſator capituli *peruenit* 95.d. Alij ſolis presbyteris jus eſſe eam accipere, qui numero & auctoritate alios vincunt. Contra hos ergo multi negant vllâ omninò ratione valere adminiſtratam à quibuſlibet presbyteris confirmationem. Hi verò duo ordines ſoli eminent, cumque & numero, & ingenio, & animis, adhæc rationum multitudine & ſpecie, fere ſint inter ſe pares, magno omnino impetu certant; vt iudicare difficile ſit, vtrius turmæ palma ſit. Papam igitur poteſtatem confirmandi presbyteris dare, & qui aiunt Thoma inprimis duce gloriantur, & qui negant, Albertum [1], Bonauenturam, & Durandum jactant; magnam inde multitudinem vel illi, vel his adhærentium in ſuis quique partibus numerant. Ac ne rem leuis momenti agi putes, clamat Durandus aduerſariorum opinionem videri non ſolum falſam, ſed etiam fidei & Eccleſiæ valdè periculoſam. Contra alij inſtant, & Papæ maieſtatem minui.

Ibid. q. vnica. art. 1. concl. 3.

vb. ſupr. q. 2. puncto 1.

In 4. d. 7. art. 4.
Bonau. ibid. art. 1. q. 1.
Dur. q. 3 & 4.
In 4. d. 7. q. 4.

minui, atque in ordinem cogi indignantur; aduerſarios ſuperbiæ haud obſcurè inſimulantes. Vnde illa Caietani vox; *Licet multi multa in hoc ſcripſerint, ſoli tamen illi verum ſcripſerunt, qui noluerunt ſapere pluſquàm oportet. In iſtis enim Sanctorum auctoritas præponenda eſt rationi.* Sed & magna vtrimque confidentia. Ioannes quidem Major negantium, quam ſequitur, ſententiam eo vſque extollit, vt neget ſe *ſcintillam apparentiæ* (ita enim ille loquitur) *videre in oppoſitum.* Ac tametſi affirmantium acies magnum ſibi in Florentinô, ſiue potiùs Eugenianô decreto præſidium eſſe putet; neque ſic tamen compreſſus eſt aduerſantium ardor. Nám & hic Major, & qui negantem ſententiam præcipuâ contentione tutatus eſt Hadrianus poſteà Pontifex Romanus, vterque poſt Eugenij tempora vixit. Denique tanta fuit vtriuſque partis, in ſuo dogmate, conſtantia, vt etiam Tridentinis Patribus nonnihil negotij eorum inter ſe contentio faceſſiuerit. Quod, quia non videtur indignum memoriâ, libuit hic deſcribere, quæ præſtantiſſimus auctor in illius Synodi hiſtoriâ eâ de re litteris mandauit. *Magna* (inquit) *fuit circa tertium articulum difficultas, propter Gregorij Romani Epiſcopi factum, quem conſtat confirmandi miniſterium ſimplicibus presbyteris commiſiſſe. Theologi verò Franciſcani qui cum Ioanne Scoto, totoque ferè Franciſci ordine, Bonauenturæ doctrinam ſequebantur, ſoli Epiſcopo huius miniſterij ius attribuentis, & ſiquid presbyter huius generis audeat, id pro nullo habentis, qua in ſententia Hadrianum quoque Papam VI. habent conſentientem, illi inquam reſpondebant Gregorium id propriâ quadam neceſſitate compulſum præter ſuam ipſius mentem atque voluntatem, ſed ſemel tantum ad vitandum gentis illius ſcandalum, inuitum conceſſiſſe; vel certe negabant illam à Gregorio conceſſam vnctionem veri nominis confirmationem, hoc eſt ſacramentum, fuiſſe. Sed Thomas, qui videret eâ ratione minimè Papam purgari ab omni omnino errore illâ ſolutione repudiatâ, aliò confugerat, rem ita temperans, vt Confirmationem quidem Epiſcopi, veluti veri ac genuini Miniſtri, propriam eſſe concederet; cæterum illud quoque tueretur, nihil obſtare, quin ea interdum ex Pontificis Romani commiſſione, ac mandatô, etiam à presbytero miniſtraretur. Sed & huic à diuerſâ parte obijciebatur abſoluta Eccleſiæ Romanæ ſententia, docentis à Chriſto ita inſtitutos ſacramentorum miniſtros, vt Papa, tametſi quod ad miniſterij exercitium pertinet, iis pro ſuo iure imperet, nulla tamen ratione efficere poſſit, vt vel validum ſit ſacramentum, quod ab alio miniſtratum fuerit, vel nullum atque inualidum, id quod miniſter à Chriſto inſtitutus, etiam contra ipſius Papæ præceptum ac voluntatem contulerit. Quo fit, vt Papa neque presbytero conficiendi huius ſacramenti ius dare poſſet, ſi eius à Chriſto miniſter eſt inſtitutus Epiſcopus; neque presbyterum, quo minus id conficiat, prohibere, ſi conficiendi ius ei fuit à Chriſto datum. Illud certè meritò mirum videri,*

In 3. Thom. q. 72. art. 8. 9. 10. 11.

In 4. d. 7. q. vn.

Q. de Confirm. art. 3.

l. 2. p. 241. 242.

Chriſtum in aliis quidem ſacramentis, quorum multo major eſt neceſſitas, ita inſtituiſſe, vt proprios ſingulorum miniſtros certò ipſe præſcripſerit, nullá penitus hominibus relictâ de iſtis ſecùs ſtatuendi libertate, in hoc verò vnô, quod omnium facillimè poteſt in aliud commodius tempus differri, peregrinam quandam, ac planè ſingularem rationem tenuiſſe, cujus in ſex illis, quæ ante Gregorium fluxerant ſæculis, nulla quantumuis tenuis, aut obſcura mentio facta fuerit: Mirum & illud viſum iri, ſi de pauculis & ex alia occaſione ſcriptis à Gregorio verbis, fidei articulus inſtituatur. Certè, ſi quod facile fieri potuit, illa Gregoriana epiſtola intercidiſſet, nemini vnquam in mentem venturam fuiſſe eam, quam nunc adferunt diſtinctionem, planè in totô hoc argumento inſolitam, & inuſitatam, ac denique hujuſmodi, quæ ſi Gregorianum vnum hunc locum tollas, nullum vſquam alibi vſum vel habuerit vnquam, vel omninò habere poſſit. Sed cum eſſent, quibus neque horum neque illorum ſententia ſatis placeret, ſuggeſſerunt aliqui, vt nuda Florentinæ Synodi verba hoc loco adhiberentur, neque vltrà de his ſatageretur. Alij auctores erant, vt is tantum damnaretur, qui dixerit Presbyterum, non ſolum autem Epiſcopum, eſſe hujus ſacramenti miniſtrum ordinarium; Hæc enim ſic dicta vtroſque in rem ſuam interpretaturos, quod ex iis liceat & illud concludere, eſſe ergo hujus ſacramenti, præter Epiſcopum, extraordinarium alium miniſtrum; *& hoc etiam colligere*, Ergo nullum Confirmationis alium eſſe, præter Epiſcopum, miniſtrum, cum ſacramentorum niſi ordinarius, nullus ſit Miniſter, Atque hæc quidem ille hactenùs. Iam horum poſteriorum conſilia ſecutos Tridentinos fatetur ab iis planè ex illorum mente editus canon, *Si quis dixerit confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem ſacerdotem, anathema ſit.* Illud in præſentiâ quærere ſuperſedeo, dignum-ne ſit vel Chriſtianorum hominum candore, vel Patrum tantorum grauitate, id quod iſti & hoc locô & alibi non ſemel feciſſe noſcuntur; hoc eſt verbis ambiguis, & in contrarios ſenſus flecti pronis, ac (vt Poëta loquitur) cereis lectores ludere, & diuerſæ duarum partium libidini blandiri. Illud quidem clarum eſt, rem, prout illius conſilij auctores conjecerant, cecidiſſe. Nam etiam poſt illum Concilij Tridentini anathematiſmum, apud iſtos defenditur ſolius omninò Epiſcopi eſſe confirmationem. Iactant quidem alij, qui id miniſterium Presbyteris à Papa extra ordinem committi poſſe defendunt, ſuam ſententiam *certam eſſe, imò haberi jam tanquam de fide.* Verum id Eſtio nondum perſuadere potuerunt; qui contrariam, hoc eſt Durandi, ſententiam fuſiſſimè defendit, vt videre eſt in iis, quæ de hoc argumento in quartum ſententiarum * ſcripſit. Eſtium hic, vt ferè alias, non obſcurè ſecutus eſt Petrus Aurelius; vt ex multis eius operis locis apparet, quod contra Sirmondum emiſit.

Seſſ. 7. can. 3. de confirm.

Valent. T. 4. d. 5. q. 2. p. 1. Soto in 4. d. 7. art. 11.

* D. 7. §. 14. 24. totis. Anæret. p. 453. 454. Orthod. p. 534.

Sed

Sed de iis, qui hoc ſacramentum ſuſcipere poſſint, vel debeant, in Latinorum quoque ſcholis litigatum eſt. Principiò enim, quod cæteri ferè tuentur, confirmationem *baptiſmum præſupponere*, adeòque non aliis quam baptizatis dandam, id non ſimpliciter admittit Petrus de Alliacô; *Poteſt dici* (inquit) *quod baptiſmum fluminis præcedere non requiritur ſimpliciter, ſed vel ipſum, aut aliquid æquiualens.* Item quos Gregorius[1], & Soto[2], hinc excludunt *amentes*, eos Coninck[3] admittit. Sed præcipuum de ætate diſſidium eſt. Gloſſa ſuper canonem *vt jejuni*, de conſecr. d. 5. præſcribebat ne ante annum duodecimum pueri confirmarentur. Idemque, vt eſt apud Soto, ſequitur Marſilius in 4. q. 5. art. 4. Et Tridentinorum Catechiſmus ad Barochos[4] ait *minus expedire* hoc ſacramentum adminiſtrari ante rationis vſum; quod certè præſenti iſtorum de huius ſacramenti fine (ad roborandum ſcilicet fidelium contra perſecutionem animum) doctrinæ apprimè conuenit; idque ſequuntur Soto[5], Gregorius[6], Eſtius[7], Conink[8], & cæteri ferè omnes; qui id tempus tamen annô, non vt Gloſſator, duodecimô, ſed ſeptimô definiunt. Olim cùm primùm inuectum eſt hoc ſacramentum, alium fuiſſe vſum, alium adeò Latinorum ſenſum, apparet. Durandus[9] enim Mimatenſis ita ſcribit; *Baptizatus confirmari non poteſt, niſi demum poſt ſeptem dies poſt baptiſmum. Alij dicunt, quod ſtatim poſt baptiſmum confirmatio inchoanda.* Iacobus verò Cardinalis de Vitriaco, vir magnus, quem a. D. 1240. obijſſe ferunt, his conſentanea tradit[10]; *Hoc confirmationis ſacramentum* (inquit) *quidam ita conjungunt baptiſmo, vt ſtatim velint ipſum poſt baptiſmum debere conferri, quia per hoc confirmatur fides, quæ in baptiſmô ſuſcipitur. Quæ conſuetudo ſatis approbanda eſt, vbi haberi poteſt copia, ſeu præſentia maioris ſacerdotis.* Quin & Gabriel[11] multo recentior etiam ante rationis vſum pueros confirmari poſſe ſtatuit. Et paulò poſt. *Ex illô* (inquit) *patet quod ſacramentum confirmationis ſtatim poſt baptiſmum dare congruit.* Idem quoque ex recentiſſimis, ſed vnus (quod ſciam) ſentit Matthæus Galenus[12]; *Debet* (inquit) *hoc ſacramentum etiam pueris, infantibuſque conferri; de quibus peſſimè merentur, qui in ſeptimum, vel decimum annum differunt. Cum enim ea vis, quam diximus, exerat ſeſe in eos omnes, qui non obturent riuos fluentis gratiæ; profectò is omnibus chriſmatibus infantes ſpoliat, tantumque cœleſtis gloriæ detrahit, quibus hinc properata morte præreptis noluit hoc dari ſacramentum, quantum beneficiorum Chriſti per hoc labrum eis communicari vetuit.* Ita bonus Galenus, Tridentino Catechetæ priuatus ipſe Catechetes, & vnus omnibus oppedit; iiſque diræ in infantes crudelitatis, ac pænè paricidij dicam ſcribit; fortiter, an ſtolide, noſtra quidem nihil intereſt; Viderint, quorum res agitur. Huc etiam pertinet Latinorum de hujus confirmationis neceſſitate di-

In 4 q. 4. ad 4.
[1] T. 4. d. 5. q. 2. p. 1.
[2] In 4. d. 7. art. 8.
[3] art. 8. §. 83.
[4] p. 213.
[5] In 4. d. 7. q. vn. art. 8.
[6] vb. ſupr. q. 2. puncto 2.
[7] vb. ſupr. §. 23.
[8] vb ſupr. art. 8.
[9] Ration. l. 6. fol. 142.
[10] Hiſt. Occident. c. 37.
[11] In 4 d. 7. art. 3. dub. 7.
[12] Catech. l. 9. p. 367. ex[illegible]

uerſitas. Nam de ea omnes recentiores, ſi paucos exceperis, multò dilutiùs loquuntur, quam veteres. Hugo quidem de S. Victore, qui ſæculi duodecimi anno 30. floruit, videtur exiſtimaſſe ad ſalutem quadamtenus neceſſarium eſſe hoc ſacramentum; *Quid prodeſt* (inquit) *ſi à lapſu erigeris, niſi ad ſtandum confirmeris? Et timendum eſt iis qui per negligentiam amittunt Epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, ne fortè propterea damnentur, quia feſtinare debuerunt, cum poterant. Propter eos enim, qui articulo temporis præueniuntur, inſtituta eſt illa, qua ſacerdos baptizatum ſtatim in vertice linit, ſacramenti chriſmatis vnctio; vt in hoc ipſo oſtendatur, quantum hoc ſacramentum ad ſalutem neceſſarium ſit, cum tam ſollicitè vniuerſis cauetur, ne fortè ſine Epiſcopo ex hac vitâ ſubtrahantur.* Hæc ille; neque valet Thomæ gloſſa, periculoſum eſſe ſiquis ſine confirmatione diſcedat, ita interpretantis; *non quia damnaretur* (inquit) *niſi fortè propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Atqui hoc effugium disertè Hugo ipſe excludit; dum ait *timendum eſſe ne fortè* homo hujuſmodi *damnetur*, & *damnetur* non ob vllum contemptum, ſed *ob ſolam negligentiam.* Quid, quod addit hoc *ſacramentum ad ſalutem eſſe neceſſarium*, & quidem non ſimpliciter, ſed valdè *neceſſarium*? ac ne cui fraudi ſit, quod Epiſcopo inuitus caruerit, ideò prouiſum cenſet ab Eccleſia, vt quiſquis baptizatur *ſtatim in vertice linatur à presbytero*? Palam eſt eum velle confirmationem eſſe ad ſalutem neceſſariam; ſed quia ob miniſtri penuriam, non ſemper poteſt haberi, in ejus locum venire presbyteralem verticis chriſmationem; ne ſcilicet abſque vllo omnino chriſmate quiſquam baptizatus moriatur, eoque damnentur etiam ij, qui non ſponte confirmatione caruerunt. Qui verò per negligentiam ea caruerunt, omninò timendum, ne eos nihil juuet vicaria illa ac tantum ſuccedanea presbyteri chriſmatio; neue ij neglectæ veræ confirmationis culpam damnatione luant. Hæc omninò Hugonis mens eſt, vt liquet. Minus rigidi, qui poſtea vixerunt, ſed & ipſi tamen plurimum huic ſacramento tribuunt. Nam Durandus *neceſſariam* cenſet confirmationem, non abſolutè fateor; ſed tamen in caſu; ſcilicet quando imminet perſecutor, coram quo eſt fides confitenda, & habetur copia miniſtri. Sic etiam de Alliaco, eius receptionem vim præcepti habere ait, adeoque neceſſariam eam eſſe, ſi haberi poſſit. Eadem ſentit Major. His ex recentioribus Eſtius[1] videtur aſſentiri, qui victuris & pugnaturis ita neceſſarium eſſe putat hoc ſacramentum, vt eum mortaliter peccare cenſeat, qui non confirmatur ſi poſſit tempore & loco perſecutionis, etiamſi non contemnat. Eſtium hic quoque ſequitur P. Aurelius; & aduerſus Loëmelij Ieſuitæ Spongiam animoſiſſimè ac fuſiſſimè nuper defendit Confirmationis ſuæ neceſſitatem. Videat, qui volet, eum cum Ie-

ſuitâ

L. 2. de Sacram. part. 7. cap. 7.

3. part. q. 72. art. 8. ad 4.

In 4. d. 7. q. 1. num. 6.

In 4. q. 4. fol. 247. G.

In 4. d. 7. init.

[1] In 4 d. 7. §. 18.

Vindic. ad. uerſ. ſpong. p. 61. 63. & ſeqq. ad 74.

ſuitâ ſtrenuè, vt ſolet, rixantem. Alij vulgo eunt in alia omnia. Nam de Valentiâ negat *vllo præcepto diuino aut Eccleſiaſtico teneri homines ſuſcipere hoc ſacramentum, ita vt illud omittere, cum recipere poſſunt, ſit peccatum mortale.* Peccari tum demùm mortaliter, ſi omittatur ex contemptu, hoc eſt, quia parui fiat, neque contemptum *iſtum eo ipſo* (quod nonnulli putarunt) *haberi, quod hoc ſacramentum intermittatur*; ſuamque hanc ſententiam teſtatur his temporibus communem eſſe. Soto certè ante eum jam ſcripſerat, atque defenderat, *nullum eſſe præceptum ad confirmationem ſuſcipiendam obligans.* Peccare tantum, *qui contemnit, hoc eſt nihili æſtimat.* Sic ex recentiſſimis Coninck tria iſta conſentanea ponit, 1. omittere ex contemptu, peccatum eſſe. 2. omiſſionem abſque contemptu nunquam eſſe peccatum mortale. 3. nullam eſſe obligationem directam ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum, etiam ſub peccato veniali. Loëmelius Ieſuita eadem in *ſpongia* nuper defendit; & Bonacinam, & Henriques ſui dogmatis teſtes laudat.

T. 4 d. 5 q. 2. puncto 3.

In 4 d. 7. art. 8.

De ſacr. q. 72. art. 9. dub. 1.

Apud Aurelium Vindic. p. 63.

Nihil neceſſe eſt reliquas iſtorum diſputationes perſequi; de effectu confirmationis, quem non ſecus ac baptiſmi gratiam, Gabriel & remiſſionem peccatorum, & conſtantem fidei confeſſionem, complecti vult; recentiores ad virtutem, ac robur vt plurimum reſtringunt, quô confirmati, quod credunt, intrepidè confiteantur; de charactere, quem imprimi ſomniant, deque eô, quod inde conſequi putant, vt confirmatio, non magis quam baptiſmus, iteranda ſit; deque ejus, qui iterauit, pœnâ, an is irregularitatem contrahat, quod Canoniſtæ, & vna cum iis Major defendunt; negant cæteri Theologi; & ſiquid eſt aliud de minutioribus in Latinis ſcholis agitatum. Hoc, quod dedi, ſpecimen ſatis eſt ad id, quod inſtituimus, probandum; non fuiſſe ſcilicet jam à primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, quicquid iſtud eſt ſacramenti conſtitutum. Aliter enim quî factum eſſet, vt de eius materiâ, ac formâ, & efficiente ſiue miniſtro, deque aliis ad rei naturam pertinentibus tam variæ, ac diſcrepantes diu vigerent apud iſtos ſententiæ? De baptiſmo neminem apud eos dubitaſſe legimus, an aqua cenſenda ejus eſſet materia remota; vel de Euchariſtiâ, an panis & vinum, & ſiquis aliter docuiſſet, nemo dubitat, quin hæreſeos notam ſubiturus fuerit. Nimirum & Scripturarum auctoritate, & omnis jam à principiô Eccleſiæ voce atque vſu expreſſum atque confirmatum vtrumque ſacramentum habebatur. De confirmatione, quod aliter factum, quod eius & materia, & miniſter, & forma, & cætera penè omnia tamdiù in incerto Scholaſticarum & Canoniſticarum opinionum ſalo, vt ita dicam, fluctuarunt; id inquam clarum & inuictum argumentum eſt totum hunc ritum, non jam à principio religionis Chriſtianæ diuinitus

In 4. d. 7. dub. 4.

Eſt. in 4. d. 7. §. 12. 13. 14.

In 4. d. 7. q. vn. extr.

poſitum,

poſitum, ac conſtitutum fuiſſe eo, quo nunc eſt, loco; ſed ab hominibus exortum, paulatim, vt cætera humana, incrementa cepiſſe, & auctoritatem à tempore, & à docentium induſtria, & ſtudio tandem nactum eſſe.

CAPVT IV.

Multos ex ipſis aduerſariis diſertè negaſſe à Chriſto inſtitutum fuiſſe ſuum hoc chriſmatis ſacramentum. Diuerſa Theologorum eâ de re ſententia recitantur.

ATque id quidem quæ plane admirabilis eſt vis veritatis, etiam ex iis ipſis, qui hoc pro vero ſacramento Chriſtianis obtrudunt, non pauci neque ignobiles viri agnoſcunt ac tuentur. In primis enim Alexander Alenſis, vir doctiſſimus, Theologorum Scholaſticorum pæne vetuſtiſſimus, Thomæ & Bonauenturæ præceptor, an. D. 1245. mortuus, negauit hoc, quod nunc apud Latinos in vſu eſt, confirmationis ſacramentum, vel à Chriſto, vel ab eius Apoſtolis inſtitutum fuiſſe; idque in Summâ juſſu Innocentij Papæ IV. ſcriptâ, atque editâ, quam Bellarminus *egregiam & copioſiſſimam* eſſe dicit, apertè defendit his argumentis; primò *quia non legitur in ſcriptura, quando vel vbi*, confirmatio inſtituta fuerit; ſecundò, quia neque Chriſtus, neque Apoſtoli, vſi ſunt hac materiâ, neque hac formâ, ſed ſola manuum impoſitione. Vnde ita concludit; *Sine præjudiciô dicendum, quod neque Dominus hoc ſacramentum inſtituit, neque diſpenſauit; neque Apoſtoli.* Ac Apoſtolos quidem vim ac robur Spiritûs accepiſſe in plenitudine; adeoque confirmatos eſſe confitetur; ſed ab ipſo Spiritu S. *immediatè ſine miniſtro, & ſacramentô*, & ipſos deinde pariter quoque ſinè ſacramentô confirmaſſe. Poſtquàm verò Apoſtoli Eccleſiæ baſes, *defecerunt*, hoc eſt terris exempti ſunt, tum *demum inſtitutum fuiſſe hoc Sacramentum Spiritus Sancti inſtinctu in Concilio Meldenſi, quantum ad formam verborum, & materiam elementarem, cui etiam* (inquit) *Spiritus Sanctus contulit virtutem ſanctificandi.* Soto ait alios, Aurelianenſi Synodo hanc inſtitutionem tribuiſſe, non Meldenſi. Bonauentura, quem Pontifices Romani ob ſingularem ſanctimoniæ opinionem in ſuorum cœlitum album retulerunt, hanc præceptoris ſententiam ipſe quoque ſecutus eſt[1]. Valentianus[2] ait hanc iſtorum opinionem *omnino falſam eſſe, & jam poſt tot aliis Eccleſiæ declarationes eſſe planè erroneam, & hæreticam.* En quibus verborum floſculis, veterum, etiam eorum quos vt cœlites habent, atque colunt, ſententias conſpergant nouitij Ieſuitæ! Neque quicquam ad rem valet,

Part. 4. q. 14. membro 1.

In 4. d. 7. art. 1.

[1] In 4. d. 7. art. 1. q. 1. & 2.

[2] T. 4. in Thom. d. 5. q. 1. p. 4.

valet, quod ſubjicit; *Itaque* (inquit) *Halleſem eodem tempore refutauit in eâ re Albertus Magnus, in 4. d. 7. art. 2. ad 1. & D. Thomas hîc art. 1. ad 1.* Primùm, quod ait Gregorius, iſtos Alexandrum eodem tempore refutaſſe; quî ſtare id poteſt, cum vterque Alexandro non paucis annis junior; alter etiam ejus diſcipulus fuerit? Tum, quod potiſſimum obſeruandum eſt, neuter Alexandræam ſententiam hæreſeos inſimulat; vterque quid ſibi magis placeat, liberè quidem, vt in ſcholis mos eſt, ſed tamen modeſtè, ac ciuiliter, non vt iſte nunc Ieſuita, petulanter, & in aduerſarium contumelioſè, ediſſerunt. Adde, quod nuper dixi, hanc communis præceptoris ſententiam, ſi Thomas repudiauit, ſecutum eſſe iiſdem temporibus Bonauenturam, Thomâ nihilo vel ſanctitatis fama, vel ingeniô & eruditione inferiorem. Sed & Iacobus Cardinalis à Vitriacô paria cum Alexandrô, cuius σύγχρονος fuit, & ſentit, & ſcripſit planiſſimè, cum de Confirmatione verba faciens, *Hoc* (inquit) *ſacramentum inſtitutum eſt, partim ab Apoſtolis, quantum ad manus impoſitionem, partim ab Eccleſiâ, quantum ad vnctionem chriſmatis; quod non legimus Apoſtolos feciſſe.* Quin & Aureolus ſæculo ſequente, tametſi interdum aliter, vt paulò poſt dicam vel definiat, vel certe definire videatur, idem quod Iacobus à Vitriacô, his verbis ſcripſit; *Iſta vnctio* (inquit) *per gratiam, quæ eſt deſcenſus Spiritus S. in ſuis donis, in primitiua Eccleſia, ſcilicet tempore Apoſtolorum, communiter fiebat in duobus ſignis, ſcilicet in apparitione ignis deſcendentis, & dono linguarum: Eccleſia ergo, quia non ſemper potuit talia habere ſigna idcirco congruè inſtituit ſigna communia pro omni tempore illis ſignis correſpondentia. Talia ſunt oleum & balſamum.* Vides vt iſte quoque huius ſacramenti inſtitutionem, *quantum ad chriſmatis vnctionem*, Eccleſiæ tribuat; planè vt Vitriacus? Quod ipſum profecto voluiſſe videtur Eugenius iis verbis, de quibus, quod à Bellarmino & Conink vexentur, alibi dicendum erit; *Loco autem illius manus impoſitionis* (qua ſcilicet vtebantur Apoſtoli) *datur in Eccleſia confirmatio.* Ille ſuam *confirmationem*, id eſt chriſmationem, cum apertè opponat Apoſtolicæ manus impoſitioni, euidenter Apoſtolorum eſſe negat, Eccleſiæ adeò, in quâ datur, eſſe affirmat. Gaſpar Contarenus Cardinalis, vir ſuperiore ſæculo doctiſſimus, idem ſenſit; niſi quod chriſmatis vſum, non Eccleſiæ ſimpliciter ſuæ, ſed Apoſtolicæ traditioni tribuit. Nam poſtquàm huius ſacramenti ſignum initiô vſurpatum in linguis igneis ſitum fuiſſe tradidit, conſequenter hæc ſubjicit; *A quo Spiritu docta Eccleſia ex traditione Apoſtolorum, materiam huic ſacramento accommodauit (non enim decet diuinam ſapientiam, vt ſemper & vbique miracula faciat) qua maxime & ignea lingua, & ſonus ſpiritus ſignificaretur*; oleum ſcilicet, vt ipſe mox explicat, balſamatum, id eſt chriſma. Paria iſtis Conradus quoque Clingius docet in loco...

Hiſt. Occid. c. 17.

In 4. d. 7. q. art. vn. propoſit. 2. p. 63. col. 4. E.

L. 2. de ſacr. c. 2.

Contra mendac. ſectar. c. 39.

qui infra alibi deſcribetur. Certe ante exortum iracundum illud, & rabioſum Theologorum genus, qui nullô diſcrimine pro hæreſibus habent quæcumque ipſi non probant, apparet apud Sholaſticos liberam, atque (vt loquuntur) opinabilem fuiſſe Alexandri ſententiam, perinde ac oppoſitam. Vide vt veteres de hisagant; Thomas; *Circa inſtitutionem* (inquit) *huius ſacramenti eſt triplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod hoc ſacramentum non fuit inſtitutum nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis, ſed poſtea proceſſu temporis in quodam Concilio. Alij verò dixerunt, quod fuit inſtitutum ab Apoſtolis. Sed hoc non poteſt eſſe; quia inſtituere nouum ſacramentum pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quæ competit ſoli Chriſto.* Sic ille ratione opinionem quam non probat, ferit; de hæreſi nihil, omninoque (quod virum honeſtum & grauem decebat) conuitiis abſtinet; Neque aliter Gabriel, vel alij, qui Alexandri placita improbarunt. Ex quibus videre eſt iſtorum temporibus è ſcholis Latinorum hanc ſententiam non magis, quam cæteras de eodem argumento exulaſſe. Aureolus ſedate ac grauiter rem totam ſic explicat; *Reſtat dubium* (inquit) *de inſtitutione chriſmatis, quis ſcilicet inſtituerit, vtrum Chriſtus, an Apoſtoli, an Concilia. Reſpondeo ad hoc, quod magis eſt veriſimile, quod fuerit inſtitutum à Chriſto, vel Apoſtolis, quam à poſterioribus Conciliis*; Nimirum hoc ei perſuadebat Dionyſij, quod hic deinceps deſcribit teſtimonium. Tum; *Quod ſi* (inquit) *videatur non eſſe rationabile, quod Chriſtus inſtituerit, videtur tamen probabile, quod illud inſtituerint Apoſtoli Spiritu S. ſuggerente.* Ita ille primam ſententiam ſecundæ ac tertiæ præfert, vt ſecundam planè cuiuſque arbitrio permittat; quinimo & primam à rationis ſpecie abeſſe innuat, & tertiam cæteris duabus poſthabeat, non quod eam *erroneam, hæreticam, planè falſam* (quibus elogiis eam cohoneſtauit Gregorius) ſed quod minùs quàm priores duas, veriſimilem eſſe cenſeat. Ita autem cenſet vnâ Dionyſij auctoritate adductus; quam ſi vtpote ſcriptoris recentioris, ac ſuppoſititij nullam eſſe, quod nos ſcimus, didiciſſet, haud dubitandum videtur, quin tertiam illam opinionem aliis antelaturus fuerit. Quomodo verò hæc Aureoli dicta cum iis conciliari poſſint, quæ nuper ex eodem attulimus, hanc ipſam ſententiam, quam nunc minus probare videtur, conſtituentia, noſtrum non eſt indagare. Fortaſſe hoc vltimo loco *chriſmatis* nomine intelligit, non huius præciſè ſacramenti materiam, ſed totum ipſum ſacramentum, quanquam ne hoc quidem mihi planè ſatisfaciat. Thomas, fateor, multò vehementius, multoque validiori ariete Alexandri ſententiam quatit, hoc quod obijcit, quodque ab omni hodie Romanorum hominum ſcholâ arctè tenetur, ac defenditur, *ſolius Chriſti eſſe noua ſacramenta inſtituere.* Hoc ſanè vt veriſſimum eſſe agnoſco, ita eam vim, quam putat Thomas, habere nego, vt probet.

Summ. 3. q. 72. art. 1. ad 1.

In 4. d. 7. q. 1. p. 64. col. 1. c. d.

probet ſcilicet hoc confirmationis (quod dicitur) ſacramentum à Dominô Chriſtô fuiſſe inſtitutum. Profectò ſi res ſine ſtudio penſetur, apparebit & præceptorem & diſcipulum, verum aliquatenus vidiſſe; vtramque eius partem minùs percepiſſe, eoque in errores, quamquam diuerſos, inductum eſſe. Veriſſimum enim eſt, quod egregiè profiteri auſus eſt Alexander, hunc quem iſti nunc habent, confirmationis ritum, neque à Dominô Chriſtô, neque ab Apoſtolis fuiſſe vnquam inſtitutum. Res clara ex Scripturis; & dum iis ſatisfacere conatur Thomas, profectò non aliter potuit, quam abſurdô (quod tanti viri pace dictum ſit) & ridiculô commentô, quô ſtatuit Chriſtum *inſtituiſſe hoc ſacramentum non exhibendo, ſed promittendo*. Sed & veriſſimum eſt quod parte alia Alexandro Thomas objecit *ſoli Chriſto competere poteſtatem inſtituendi ſacramenti*; idque Alexander dum ſtudet declinare, in res partim abſurdas, ac periculoſas, partim falſas ac vanas incurrit; qualia ſunt, quæ *de inſtitutò Spiritus Sancti inſtinctu ſacramento*, quæque de Concilio Meldenſi præter omnem veri ſpeciem fingit. In hæc præcipitia viros cætera magnos conjecit præcepta animis falſa ex ſuæ Eccleſiæ vſu opinio; quod Confirmatio ſcilicet verè ſit Chriſtianum ſacramentum. Nos qui nullo præjudiciô ducimur, verum ex iſtorum inter ſe conflictu emicans, purum ac ſincerum colligamus; Ac primò quidem cum Thomâ certò atque indubitatò conſtituamus nullum vel eſſe re verâ, vel eſſe poſſe noui id eſt Chriſtiani populi ſacramentum, quod non fuerit ab ipſo Dominô Chriſtô inſtitutum. Tum illud quoque aſſumamus, quod præſtantiſſimus Alexander verè ac fortiter poſuit, hunc Romanæ Confirmationis præſentem ritum non fuiſſe à Dominô Chriſtô inſtitutum. Atque ex vtroque tandem concludamus, quod apertiſſimè inde conſequitur, non eſſe, non fuiſſe, imò neque eſſe poſſe populi Chriſtiani verum ſacramentum eam, quam Romani ab aliquot ſæculis factitant, Confirmationem.

Caput V.

Confirmationem Latinorum è Scripturis non demonſtrari. Exploditur ratio pro eâ à nonnullis vetuſtiorum ex Matth. 19. 15. ducta.

Hactenus demonſtrauimus eam eſſe Romanæ confirmationis naturam, cum aliarum Eccleſiarum vſum, ea denique Latinorum ipſorum de hoc argumentô inter ſe diſſidia, vt non ſit credibile ritum, vel tam à reliquis Chriſtianæ religionis certis & antiquis ſacra-

mentis abhorrentem, vel tam inſignibus Eccleſiæ partibus ignotum, vel denique apud ipſos Latinos, qui eum defendunt, ac factitant, tamdiù, tamque multipliciter incertum atque ambiguum, iam à principiô primis noſtri nominis fidelibus traditum, atque apud eos quâ nunc eſt formâ & naturâ, conſtitutum fuiſſe. Sed ipſi nobis nunc Latini commodam, ac facilem viam aperiunt, quâ iſtius inuenti vanitas clariſſime deprehendatur. Cum enim in id, quod à Thoma Alexandreæ opinioni obiectum nuper memorauimus, omnes Dei gratiâ conſentiant, nobiſcumque fateantur, ac defendant nullum eſſe verum, ac propriè dictum Eccleſiæ Chriſtianæ ſacramentum, quod non fuerit ab ipsô Domino Chriſto totius noſtræ religionis auctore ac principe inſtitutum, & ab Apoſtolis ex eius mandato, præceptum atque traditum; niſi Confirmationis ſuæ hanc fuiſſe originem certis & euidentibus argumentis probauerint; nemo non intelligit nullum ei amplius inter vera Chriſtianorum ſacramenta locum eſſe relictum. Quod cum ipſi non neſciant, duabus omninò rationibus conantur id conficere, quod ſibi probandum vident; nimirum & argumentis è Sacrâ Scripturâ, cuius longe maxima eſt apud omnes auctoritas, ductis, & veterum ſecundò Patrum, quibus plurimum in fidei negotiis tribuere ſe profitentur, vocibus, ac teſtimoniis. Nobis ergo nunc vtraque diſputationis pars ſigillatim conſideranda eſt; vt liquidò appareat, quam fruſtrà ſit omnis eorum in hac conſtituenda cauſſa labor atque conatus.

Gabr vb. ſupr. Soto in 4 d. 7. art. 1. p. 181 col. 2. & d. 1. q. 5. art. 4.

Ac Scripturam quidem quod audent in hac diſputatione adhibere, & ad ſacroſanctum eius tribunal prouocare, res eſt non paruâ admiratione digna. Nam quam illa Chriſtianæ religionis cœleſtis regula ab hoc iſtorum myſteriô aliena ſit, & res ipſa, quod ſtatim apparebit, clarè loquitur, & præter Alexandri, ac Bonauenturæ de confirmationis inſtitutione ſententiam, ſatis inſuper teſtantur & veterum & recentiorum ex illis partibus Theologorum voces. Scotus quidem hanc diſputationem ingrediens, *ſupponit* inprimis *hoc ſacramentum inſtitutum eſſe à Deô*; *licet* (inquit) *tempus, & modus huius inſtitutionis in Scripturâ non legatur*; cuius rei rationem adducit, ſed ineptam; quod ſcilicet *hiſtoriographi ſcripturam vſque ad tempus illud non perduxerunt*; quod, vt patet, falſum eſt. Cùm enim hiſtoria in nouo Teſtamento ad Chriſti vſque aſcenſionem perducta fuerit; nemo non intelligit, ſi à Chriſto in terris verſante inſtituta ſit Confirmatio, libros ſacros neceſſariò id etiam tempus complecti, quo ea inſtituta eſt. Itaque multò commodius eſt & ad ſuam hanc cauſſam opportunius, quod mox addit Scotus, *Nec eſt* (inquit) *improbabile multa eſſe tradita authenticè à Chriſto Eccleſiæ per Apoſtolos, quæ tamen in Scriptura non legimus.* Sic etiam Gabriel; *Quod autem tempus inſtitutionis & modus non*

In 4. d. 7. q. 1.

Ibid. fol. 39. E.

legitur

dicitur in ſcriptura; nihil probat, quod multa fecit Deus, quæ ſcripta non ſunt Ioan.20. Multa denique tradita ſunt Eccleſiæ ab Apoſtolis, & per ſucceſſionem Epiſcoporum ad nos derivata, quæ non ſunt ſcripta in canone Bibliæ. Vides, vt iſte quoque ad traditionem non ſcriptam, velut ad ſacram ancoram, confugiat? Neque aliter Major, concedens *non legi paſſum Scripturæ, vbi inſtituatur Confirmatio*, & ad purgandum hoc Scripturæ ſilentium eadem affert, quæ Scotus. Ex recentioribus Soto; *Quod ſi* (inquit) *ſciſciteris: vtrum veritas hæc in ſacris litteris habeat fundamentum; reſpondetur quod Auguſtinus l.2. contra litteras Petiliani c.104. illud è pſ.132.* Sicut vnguentum in capite; quod deſcendit in barbam Aaron, *ait poſſe interpretari de ſacramento chriſmatis. Et l.3. contra Donatiſtas c.16. illud ad Rom.5.* Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. *eidem attribuit Sacramento. Et Ambroſius illud ad Epheſ.1.* Spiritum S. in quo ſignati eſtis. *Veruntamen niſi auctoritas Eccleſiæ Catholicæ, Spiritu S. illuſtrata, interpres nobis adeſſet, teſtimonia hæc non vſque adeo rem demonſtrarent.* Itaque rejectis velut parum firmis, quæ ab aliis è Scriptura, & ex Fabiano afferuntur, ipſe in Eccleſiæ auctoritate paulò poſt conquieſcit; *Quod ſi arguas* (inquit) *huiuſmodi teſtimonia non id apertè aſſererè; reſpondetur ſatis eſſe Eccleſiam ſuis decretis ſanxiſſe confirmationem eſſe ſacramentum; vt inde velut certiſſimum colligatur, neque materiam eius, neque formam ab alio, quam à Chriſto fuiſſe inſtitutam.* Sed & ipſi illi, qui Scripturam hac in cauſa afferunt, ſatis ſuam diffidentiam teſtantur. Sic enim præfatur Gregorius in hanc ſuæ diſputationis partem; *Etſi* (inquit) *Scriptura non exprimat quidem clarè totam rationem huius ſacramenti; tamen ex ſententia Patrum, in quibuſdam ſcripturæ locis ſignificatur effectus huius ſacramenti proprius, & etiam alicubi ipſe ritus, quo ab Apoſtolis conferebatur eiuſmodi effectus. Quò ipſò ratione quidem eiuſmodi effectus & ritus, conſequenter cenſuerunt Patres ſignificari ibi ſaltem implicitè totum ipſum ſacramentum, ſicut eſt à Chriſto inſtitutum, & in Eccleſiâ ex Apoſtolica traditione vſurpatum.* Atque hæc Gregorius præfatur; quod quid aliud eſt, quam confiteri hoc Sacramentum ex Scriptura probari non poſſe validè ac legitimè? Nam cum omnis benè ac legitimè inſtituta probatio ex iis fiat, quæ clara ſunt, atque perſpicua, noſter hic diſputator profitetur totam ſacramenti huius rationem in ea ipſa Scriptura, vnde eam probaturus eſt, clarè expreſſam non haberi. Neque quod de Patribus affirmas, cauſſam eius quicquam juuat. Primò enim, ſi Patres vel effectum, vel ritum confirmationis aliquô ſcripturæ loco ſignificari putant; non ideò tamen conſequens eſt, vt is [illegible] Scripturæ ſenſus ſit, qui ex ipſius dicentis mente & verbis pendet, non ex aliorum opinionibus. Sed etſi Patres verè iſta Scripturæ loca interpretatos conſtet, non ideò tamen fiet, vt Scriptura hoc ſa-

Ibid fol 16. col. 1. extr.

In 4 d. 7. art. 1 p. 181. col. 2.

Ibid. p. 182. col. 1.

Tom. 4 in Thom. diſp. 5. q. 1 puncto 4.

cramentum vel à Chriſto inſtitutum, vel ab Apoſtolis vſurpatum fuiſſe tradat. Illud tantum eô fiet, vt Scriptura de re aliqua locuta fuerit, in qua iſti Patres confirmationis ſuæ vel effectum, vel ritum ſitum eſſe putarunt; Id verò, quam longè abſit ab eô quod quæritur, nemo non videt. Omnes enim confitentur & de vnguento verbi gratia in veteri teſtamento, & de Spiritus Sancti gratiâ confirmante in nouo plurima paſſim haberi, quorum altero ſuæ confirmationis materiam, alterô effectum contineri volunt aduerſarij. Nemo tamen tam ſtultus erit, qui ideo putet docuiſſe ſcripturam aliquod eſſe in Eccleſia Chriſtiana ſacramentum, quo chriſmatâ in crucem fronte Spiritus Sanctus donetur. Ego concedo ex iſtis, quorum meminit Scriptura, ſacramentum ſuum fabricaſſe aduerſarios; Scripturam, quod quæritur, teſtari id à Chriſtô ex iſtis conſtitutum fuiſſe, nego. Denique quid hic Patres fecerint, aut qualiter ſe in Scriptura interpretandâ geſſerint, nihil ad Gregorium. Non enim donamus, quod iſte præter omnem rationem proteruè atque inſolenter ſupponit, Patrum de confirmatione eundem planè fuiſſe cum nouitiâ Romæ Eccleſia ſenſum, vel vſum. Itaque ſiquid è Scripturâ Patres ad confirmationem tranſtulerint, id ad ſuam ipſorum tranſtuliſſe clarum eſt; non adeò aliter ad Romanæ hodiernæ vſum atque commodum referendum, quam ſi prius demonſtratum fuerit hanc cum illâ planè, penituſque eandem eſſe. Nam ſi diuerſam eſſe verum ſit; nemo non videt ſtultè, atque impudenter in eam tranſcribi, quæ Patres de ſuâ dixerunt. Cum ergo nunc quidem de ductis è Scripturâ probationibus quæratur, faceſſere hinc debet omne illud auctoritatis Eccleſiaſticæ præjudicium; noſque decet ſimpliciter ac bónâ fide expendere quid ipſa Scriptura de re propoſitâ dicat; non quid eam homines ſiue veteris, ſiue recentis memoriæ dicere opinentur; rejectâ in ſuum locum atque ordinem altera illa ex veterum teſtimoniis ducta probatione.

Illud inprimis ipſi ab hac diſputatione ſummouent, quod ab Aureolo, & aliis non paucis ex Euangelio adductum fuerat, Chriſtum
Matth 19.15. & Marc.10 16. Vb. ſupr. art.1. p. 81.in. *pueris oblatis manum impoſuiſſe, ac benedixiſſe. At verò* (inquit Soto) *cum illi non cenſeantur fuiſſe tunc baptizati, falſum eſt tunc ſacramentum inſtituiſſe* Chriſtum, quod *non-niſi baptizatu conferri poteſt.* Conink; *Sed hæc ſententia* (quæ vult tum inſtitutum fuiſſe hoc ſacramentum) *non videtur* (inquit) *probabilis*; quia *nulla fit ibi mentio huius ſacramenti,*
De ſacr. q.72. a.1. dub.2. nu. 18. *eiuſve effectus; nec Chriſtus per manum impoſitionem hoc ſacramentum vllâ ratione tunc intendit conferre. Nam, vt patet Ioan. 7.39. Spiritus Sanctus nulli fuit per hoc ſacramentum collatus ante Chriſti glorificationem.* In quibus Ægidij verbis duo ſunt obiter notanda; vnum, quod prior eius ratio ſi valet (vt valet certè) non hunc modò locum, ſed & plæ-

raque

raque alia ex nouô Teſtamentô adducta ab hac ſuâ cauſâ aliena eſſe conficit; in quibus ſcilicet, nulla magis, quàm in hoc, mentio fit Sacramenti huius Latini, eiuſve effectus. Alterum eſt, quod iſte inſigni fraude ſic loquitur, quaſi Ioannes Spiritum Sanctum per *hoc ſacramentum* vel nondum collatum fuiſſe, vel poſthac collatum iri dicat; cum tamen reuerâ ſacramenti iſtius in laudato locô non magis meminerit, quam fibulæ Loyoliticæ, vel Franciſcani capucij; ſimpliciter affirmans *credentes Spiritum*, de quo Chriſtus ſub aquæ nomine locutus erat, *accepturos*; & negans eum tunc temporis adhuc fuiſſe datum, quod *Ieſus* ſcilicet *nondum eſſet glorificatus*. De oleô, de balſamô, totoque iſtorum myſteriô, ne γρῦ quidem ibi occurrit. Sed præter hæc, quæ iſti ex ſuâ hypotheſi adducunt contrà Aureolum & alios, ſiqui hoc Chriſti factum ad ſuam confirmationem detorſerunt, ego inſuper reſpondeo id nihil cum fictitiô iſtorum ſacramentô habere commune. Iſti pueros neſcio quâ olei & balſami mixturâ manu Epiſcopali priùs conſecrata inungunt in fronte vnctione in crucem ductâ; & alapam inſuper iis leuiter infligunt. Chriſtus oblatos ſiue infantulos, ſiue puerulos complexatur, &, quod rogatus fuerat à Iudæis puerorum parentibus, manus iis imponit, atque benedicit. Quibus quæſo fidiculis extorqueas, vt qui hoc fecit Chriſtus, illud quoque ſimul ac ſemel fecerit, inſtitueritque, vt à ſuis in perpetuum fieret, & pro verô ac perpetuô in Eccleſiâ Chriſtianâ ſacramentô haberetur, colereturque? Qui res adeò diuerſas idem eſſe putauerit, eum hominem vel inſanire, vel certè delirare nemo dubitauerit. Neque ſi hanc probandi rationem admiſeris, effugere potes, quin è Scripturâ quiduis probari poſſit. Scio, quid iſti obtrudere in ſimili negotiô ſoleant; nimirum *manus imponere*, idem eſſe in Scripturis quod *chriſmare*; quod ſane craſſum eſt, & vel puerô indignum deliramentum, vt mox, Deô dante demonſtrabimus. Cæterum cùm iſti hoc locô ſuum myſterium ex Dei litteris demonſtrare ſe profiteantur, eos decet, non ſua nobis ſomnia dictare, ſed claras apertaſque Domini voces afferre, & ſiquid in iis interpretentur præter communem, ac vulgarem ſermonis vſum, id vt perſuadeant, ex ipſis ſacris Scripturis, vel ratione aliqua certa, & euidenti firmate. Nunc quidem, nequid omninò dubium, aut obſcurum relinquatur, planeque conſtet, quàm ridiculi ſint, qui ad alipticum ſuum negotium hunc locum referre auſi ſunt; ſatis erit Maldonati è Ieſuiticâ familiâ non ignobilis ſodalis, & præ cæteris omnibus in nos acerbi, ac rabioſi, commentarium ad hæc Euangeliſtæ verba deſcribere, quô vere ſanè, ac eruditè loci totius ſenſum explanauit; *Vt eis manus imponeret, & benediceret id eſt* (inquit) *vt impoſitis ſuper eis manibus eis benediceret, beneque precaretur. Hebræorum conſuetudinem fuiſſe, vt qui* In Matth. 19. 13.

maiores

majores erant, & aliqua pollebant diuinâ gratiâ, manuum impoſitione inferioribus benedicerent, conſtat ex Scripturâ. Gen. 48. 14. *Hac ergo ratione adducti parentes infantes ad Chriſtum adferebant, vt impoſitis manibus illis benediceret. Vnde Eccleſiaſtica conſuetudo nata eſt, vt Laïci, ac præſertim pueri, à Sacerdotibus & Epiſcopis etiam extra Eccleſiam benedicantur, quam conſuetudinem Auctor imperfecti* (ſcilicet in Matthæum operis) *commendat.* Tirinus eiuſdem homo familiæ ſocij ſui ſcrinia compilauit; *vt manus eis imponeret id eſt* (inquit) *benediceret, & Deum pro illis oraret. Hauſerunt hunc ritum Hebræi ex facto Iacobi Patriarchæ Gen. 48. 14. & monitô Eccleſiaſtici c. 3. 10. Et Chriſtianis valdè commendat auctor imperfecti.* Grotij, viri eruditiſſimi, & huic eidem ſocietati plurimum, vt notum eſt, fauentis, iſta etiam ſunt, ſuperioribus haud quaquàm deteriora; In Matth. 19. 13 τὰς χεῖρας ἐπιθῇ καὶ προσεύξηται] *Manuum* (inquit) *impoſitio apud Iudæos indicabat inuocationem diuinæ potentiæ, vt alibi diximus. Vnde factum eſt, vt & munia publica eô ritu conferrentur, etiam ciuilia, vt Senatorum. Sed & in archiſynagogis, & ſenioribus ſynagogæ idem obſeruatum; vnde mos τῆς χειροθεσίας ad Chriſtianos tranſiit. Pro pueris etiam eô ritu preces concipi ſolitas manifeſtum eſt ex Gen.* 48. 14. 15. *Exinde Hebræis ſemper obſeruatum, vt ad eos, qui ſanctimonia præſtare cæteris crederentur, pueros deferrent, ipſorum precibus Deo commendandos διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως; qui mos hodieque apud ipſos manet. Hunc autem morem Chriſtus probans oſtendit iſti etiam ætati prodeſſe aliorum fidem, ac preces.* Iterum ad verſum 15. qui habet *Chriſtum manus pueris iſtis impoſuiſſe, ita vt ſimul* (inquit Grotius) *more Hebræo preces pro iis conciperet. Hoc enim eſt εὐλογεῖν. Marci* 10. 16. *Habebat quidem Chriſtus poteſtatem dona conferendi etiam ſinè precibus; ſed exemplum nobis præbens plærumque preces interponebat.* Hæc illi; ex quibus liquet hac manuum impoſitione Dominum Chriſtum ex ritu apud Dei populum jam inde ab ipſis Patriarcharum temporibus ſolenni, ac vulgari vſum eſſe; nullum eo noui populi ſacramentum inſtituiſſe; nedum, vt Latinorum chriſmationem (de quâ nullum eſt apud omnes noui fœderis ſcriptores verbum) vel fecerit, vel commendarit, vel denique, quod nonnulli aiunt, inſinuarit.

CA-

Caput VI.

Aduerſarios laborare in extruendâ Confirmationis ſuæ ex Scripturis demonſtratione. Bellarmini operoſa ac lacinioſa ex Actor. 8. 15. argumentatio. Ea verò planè ridicula eſt. Bellarmini craſſum ſomnium refellitur chriſmationis actum ipſam eſſe manus impoſitionem non minùs ſtultè, quàm impudenter fingentis.

NVnc ad recentiorum argumentum veniendum eſt, quô illi ſuam hanc ex chriſmate confirmationem, comportatis in vnum plurimis, ac diuerſiſſimis Scripturæ locis compingere, ac in ſacramentum diuinâ auctoritate inſtitutum conformare conantur. Perplexa, & inuoluta, vt ſophiſticorum ferè elenchorum natura eſſe ſolet, variiſque ambagibus contorta & implicita eſt tota hæc iſtorum ratiocinatio; quæ vnius eiuſdemque rei partes, quas in loco vno nuſquam inuenit, in diuerſis, multumque inter ſe diſſitis ſedibus venatur; veluti Spiritus Sanctus miſerum hoc iſtorum ſacramentum tanquam aliquem de fabulis Abſyrtum vel Oſirin, membratim diſcerptum huc, & illuc per varias regiones ſparſerit? vbique lacerum, ac mutilum; nuſquam totum, atque integrum exhibens. Namque iſti ſicubi vel prophetes aliquis, vel ipſe Chriſtus, vberiorem ſpiritus gratiam credentibus, aut Apoſtolis pollicetur, ſtatim inuolant; atque illic ſe reperiſſe ſuæ confirmationis veluti caput, putant, diuinam ſcilicet inſtitutionem, & rei ex ea efficaciam. Sin aliquid occurrit de *manuum impoſitione*, clamant hunc ipſum eſſe ſui ſacramenti ritum; alteram ſacramenti ipſius partem, nempè materiam. Atque hæc, & alia hinc indè eadem arte excerpta argumentorum ſuorum diuinâ vi, veluti aliquô incantamentô, colligant, & in vnum corpus conferruminant; id eſt, ſi qua eſt iſtorum, aut carminibus vis, aut pollicitis fides, ipſum illud, de quô quærimus, ſacramentum. Tractauere ingenioſiſſimam hanc conſtruendorum ſacramentorum rationem ſanè complures, Gregorius à Valentia [1], Eſtius [2], Conink [3], alij. Sed quia in ſinuoſo, & latebroſo argumento nullus, quod ſciam, Bellarmino, vel diligentiùs, atque enucleatiùs verſatus eſt; vel etiam apertius, ac candidiùs (ſi quis tamen eſt in furtis candor) placet cum iſtô potiſſimùm congredi; ita tamen vt neque aliorum inuenta, ſiquid commemorare operæ pretium videatur, ſuis locis prætermittamus.

[1] T. 4. d. 5. q. 1. pun 1.
[2] n 4 d. 7. art. 6.
[3] De ſacr. q. 72. art. 1. dub. 1.

Ille igitur principio præſtruit *tria requiri ad eſſentiam Sacramenti Chriſtiani propriè dicti; promiſſionem gratiæ, ſignum ſenſibile, mandatum diuinum, quo id iubeatur miniſtrari.* [a] Tum aſſumit in ſua ex chriſmate confirmatione tria iſta requiſita inueniri, eaque in diuinis ſcripturis omnia extare. Ac promiſſionem quidem gratiæ huic ſacramento factam, & quidem *ampliſſimam* haberi dicit Ioan. 14. vbi Deus promittit Spiritum paracletum, qui conſoletur in omnibus aduerſis. Addit caput 15. & c.16. vbi idem Spiritus promittitur; Luc. vltimum, & Act. 1. vbi dicuntur Apoſtoli accepturi virtutem ſuperuenientis in eos Spiritus Sancti. *Signum verò ſenſibile conſtans ex rebus & verbis, quibus applicetur illa promiſſio,* reperiri ait in libro Actuum, vbi legimus Apoſtolos impoſuiſſe manus Samaritanis conuerſis, & baptizatis; atque hos accepiſſe Spiritum Sanctum; idemque haberi ait Actor. 19. Mandatum fatetur nullum extare; ſed (vt eſt liberalis) aliquid etiam mandato maius nobis dat; nimirum mandati executionem. Dominum enim Apoſtolis mandaſſe, vt manus omnibus baptizatis imponerent, ad hoc, vt veniret ſuper eos Spiritus Sanctus, ex eô ſibi videtur firmiſſimè colligere, quod id ipſum illi facerent ita ordinariè, & ſecurè, vt eſt in Actuum libro perſcriptum. Sed nequid deeſſet inuictæ huic ſuæ demonſtrationi, addit præterea Bellarminus *ritum illum ordinarium & communem omnibus baptizatis* fuiſſe; idque patere ait ex Act. 8. & 19. & ex c.6. ep. ad Hebræos. Atque ita quidem Bellarminus. Cæteri etſi per alias ambages, ex iiſdem tamen, & eodem argumentationem deuoluunt. Mox videro, an hæ Bellarminianæ artes, vel alia cæterorum epichiremata nobis aliquod ex diuinis litteris confirmationis ſacramentum exſculpant. Nunc illud omnibus in commune reſpondeo, videri eos cauſæ, quam agunt, planè penituſque oblitos, non id, quod ipſi defendunt, ſed aliud, quod damnant, Canoniſtarum veterum ſacramentum ſuis iſtis tam operoſis diuiſionibus, atque ſyllogiſmis extruere. *Confirmationem* enim è Scripturis demonſtraturos ſe profeſſi ſunt, non quamlibet, ſed ſuam, id eſt eam, quam & Eugenius conſtituit, & Tridentini anathematiſmis ſanciuerunt, & vulgò Latini, Epiſcopi quidem factitant, Theologi verò docent. Ea verò, ſi benè memini, eſt *chriſma ſanctificatum,* vel *vnctio hominis viatoris facta in fronte in figurâ crucis cum chriſmate ſanctificato;* vel, vt ipſe Eugenius definit, *ſacramentum cuius materia eſt chriſma confectum ex oleo, & balſamo;* cuius adeò *de eſſentiâ chriſma eſſe, ſicut aquam de eſſentia baptiſmi,* exſertè tuentur jam ab annis trecentis Theologi; nunc verò, non Theologi ſoli, ſed etiam Canoniſtæ, & ſiquod eſt omninò aliud vel doctorum, vel hominum in Romani Epiſcopi communione genus. Atqui nullum in totô iſtorum argumentô oleum ſentio; nullum odoror balſamum. De *chriſmate.*

[a] L. 1. qui eſt de confirm. c. 1. §. Quinque.

Act. 8. 17.

Aureol. ſupr. cit in 4. d. 7. q. 1.

mate inſtituerant; de *impoſitione manuum* concludunt; idque eò indignius eſt, quod non modò, ſuum dogma deſerunt, ſed inſuper id moliuntur, ac conſtituunt, quod ipſi atrô carbone damnauerant. Illam enim *manuum impoſitionem*, cui nunc ex diuinis litteris ſacramenti nomen ac dignitatem tam operosè, tamque ſubtiliter exſtruunt, ipſi ſuprà infenſis animis denotabant ac ſugillabant, vel *materiam*, vel *formam huius ſacramenti* eſſe præpactè negantes; & ſiquid illius huic myſterio interueniat, id *carimoniam eſſe accidentalem, non neceſſariam*, neque *ad eſſentiam*, *neque ad integritatem ſacramenti pertinentem*. Quin & Canoniſtarum veterum, aliter apud Aureolum opinantium, ſententiam *planè erroneam*, atque *hæreticam* eſſe, diſertè pronuntiabant. Iſti ergo nobis nimis profectò ſecurè, ac, vt liberè dicam, nimis proteruè, atque illiberaliter illudunt; qui veluti cum truncis ac ſtipitibus, vel cum amentibus agant, vnum pro aliô planè diuerſo inuerecundè ſubſtituunt; pro *chriſmate*, id eſt, oleo balſamato, *manuum impoſitionem*; quaſi quiſquam ſit tam infans, vel tam mente, ſenſibuſque omnibus captus, qui alterum ab altero ſecernere non poſſit; & vel naſô ipſô intelligere longè aliud olere balſamum, aliud mitrati hominis manus; aliud eſſe frontem in crucem chriſmare, aliud manus capiti imponere. Faceſſant ergo iſti cum ſuis præſtigiis inuerecundi diſputatores; neque ſe nobis perſuaſuros vnquam ſperent Latinam chriſmationem in Scripturis extare, ex quibus ipſi admotô licet omni hoc tam longarum, & tam quæſitarum ratiocinationum tormento, ne vnam quidem vel balſami, vel ſaltem olei guttam extundere potuerunt. *Impoſitionem manuum* in omnibus, quæ recitauerunt locis, audio. *Chriſma*, nullum reperio. Ex iſtis ergo quod libuerit ſacramentum conficiant; ſuum quidem certe nunquam conficient; quod non *manuum impoſitionem*, ſed *chriſma* eſſe etiam cæci vident, etiam pueri intelligunt. Atque hic Bellarmini tergiuerſationem ſpectare operæ pretium eſt. Cum enim ſcripſiſſet Chemnitius loca ex Act. 8. & 19. quibus tota aduerſariorum demonſtratio nititur, nihil pro ipſis facere, qui impoſitionem quidem manus rejecerunt; vnctionem verò chriſmatis in eius locum ſubiecerunt; ille ita reſpondet, *Hæc* (inquit) *ſolutio nulla eſt. Nam vt omittam quæ infrà de chriſmate dicenda ſunt, falſum eſt reiectam eſſe manus impoſitionem. Bis enim Epiſcopus manus imponit comfirmandis, vt ex Pontificali Romanô intelligi poteſt.* Principio, vt intelligatur, num verè neget ſuum argumentum ſolutum, repetenda eſt animo ſuperior eius diſputatio; in qua ſe ex Scripturis demonſtraturum profeſſus eſt Confirmationem *verè ac propriè dictum Sacramentum eſſe, vt Concilium Tridentinum docet Seſſ. 7. can. 1.* Tum tria illo, quæ in omnibus ſacramentis neceſſariò requiri confitetur, ſigillatim in Scripturis de-

Eſt. in 4. d. 7. §. 7. Valent. T. 4. in Thom. d. 5. q. 1. p. 1. Soto in 4. d. 7. a. 1. Val. vb. ſup. q. 1. p. 1.

De confirm. c. 1 extr. §. Contra.

Ibid. §. 1.

Ibid. §. Iam verò.

monſtrare aggreſſus, *ſecundùm, id eſt, medium, ſeu organum, ſiue ſignum ſenſibile conſtans ex rebus & verbis, quibus applicetur gratia promiſſio* ex duobus illis Actuum Apoſtolicorum locis 8. & 19. probat; In iis autem locis ipſe ibidem dicit reperiri *manus impoſitionem cum oratione*; neque aliud quicquam ex iis concludi, vel concludi poſſe innuit. Nos miſſis in præſentia aliis argumenti partibus negauimus iſtic nos videre *chriſmationem*, propriam ac proximam Confirmationis Romanæ materiam. Hoc negatô nemo non videt planè ſolutum, confractumque eſſe totum argumentum. Quod ipſe non aliter inſtaurare, atque reſtituere poteſt, niſi vel ſuam demonſtret ex iis Lucæ locis chriſmationem, vel eam certè probet non eſſe illius, de quâ nunc quæritur, Confirmationis Romanæ materiam. Nam ſi verum eſt, *chriſmationem* (quod nos quidem putabamus) iſtius *Confirmationis* materiam & ſignum eſſe ſenſibile; ſi & hoc verum eſt hanc ipſam chriſmationem nullam in duobus illis Lucæ locis à Bellarmino oſtendi; profectò illud quoque neceſſariò verum eſt non eſſe à Bellarmino ex his duobus locis demonſtratum Romanæ confirmationis *ſignum ſenſibile*; abſque quo cum ſacramentum confirmatio eſſe, vel ipſo judice Bellarmino, non poſſit; omninò relinquitur Bellarminum, quod ſe facturum erat pollicitus, nequaquam ex Scripturis demonſtraſſe, Romanam Confirmationem proprium ac veri nominis eſſe ſacramentum. Nunc ergo te appello, Bellarmine. Dic nobis bona fide; Eſt-ne chriſmatio tuæ, id eſt Romanæ, confirmationis *materia*? eſt-ne *ſignum*, vt tu loqueris, *ſenſibile*? eſt-ne, quod tu idem ais, *organum, & medium* quo *applicanda eſt gratia promiſſio*? Tu quidem nobis aliquando videris non nimium verecundus. Sed non puto tamen te eò progreſſurum, vt id neges, quod eſt ab omni veſtrâ ſcholâ communi jampridem conſenſu receptum, atque definitum; quod à ſanctiſſimô tuô Pontifice Eugenio, imò, ſi te ſequimur, à totâ Synodo Florentinâ decretum; à Tridentinis verò Patribus etiam anathematis fulmine ſancitum, *Siquis dixerit injurioſos eſſe Spiritui Sancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati VIRTVTEM aliquam tribuunt, anathema ſit*; ac, vt alios mittam, quod tu ipſe, & quidem eo ipſo in loco, quo nunc nos rejicis, clarè, atque copioſè explicaſti, ſtatuiſti, & quantum in te fuit, modis omnibus confirmaſti. Hæc enim iſtic velut certa atque immota veſtræ doctrinæ capita, & velut κυρίας quaſdam δόξας ponis, atque defigis. I. *Chriſma, ſiue vnctionem materiam eſſe ſacramenti Confirmationis.* II. *Materiam Confirmationis non eſſe oleum ſimplex, ſed oleum mixtum balſamo.* III. *Chriſma, quod eſt materia ſacramenti confirmationis, prius conſecratum, ac benedictum eſſe debere.* IV. *Vnctionem Chriſmatis ad crucis figuram in fronte hominibus baptizatis fieri debere, vt ſit vera & proxima ſacramenti huius materia.*

Seſſ. 7. can. 2. de ordin.

I. de Conf. c. 8. toto.

Neque

Neque tu iſta negabis (ſunt enim tua) *formam huius ſacramenti eſſe hac verba, Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis,* &c. Quæ cum ita ſint, neque ſane hoc, quod & apud vos confeſſum eſt, & ex iſtis neceſſariò & euidenter ſequitur negare potes, *medium, ſeu organum, ſiue ſignum ſenſibile conſtans ex rebus & verbis, quo applicanda eſt gratia diuinæ promiſſio,* huius ſacramenti proprium eſſe ipſam illam, quam nuper ex te deſcripſi, *ex chriſmate vnctionem ad crucis figuram in fronte factam, cum his verbis,* Conſigno te ſigno crucis, &c. An non hoc ipſum eſt illud *confirmationis chriſma,* cui *virtutem* Tridentini, tu *gratiam* ex diuinâ promiſſione tribuis? Hæc profectò apud vos certa omnia, & trabalibus veluti clauis fixa, tu quidem negare non potes; neque es, vt opinor, negaturus. Nunc ergo ſecundò te interrogo, num tu iſta nobis ex Act. 8. & 19. demonſtraueris? Non ero tibi hoc loco nimium moleſtus; Non enim quæram, quod jure poſſem quærere, quo tu ex Actorum loco probaueris balſamum in huius ſacramenti materiâ neceſſariò requiri, vel ſaltem aliquô modô requiri; Non vrgebo, vt narres, ex quô Lucæ loco oſtenderis oportere materiam iſtam, quæcunque eſt, ab Epiſcopo, priuſquam in hunc vſum aſſumatur, conſecratam fuiſſe; Neque ſane poſtulabo, ex quibus Dei litteris confeceris ad hanc materiam, vt euadat efficax diuinæ gratiæ organum, accedere omninò debere formam iſtam, quâ vos totius myſterij vim contineri definitis, in verbis illis mirificis ſitam, *Conſigno te ſigno crucis,* &c. Hæc quidem omnia clarè, atque euidenter ex Scripturis hoc locô demonſtrari à te debuiſſe nemo non videt, quibus ſcilicet continetur id, quod te ex Scripturis probaturum atque demonſtraturum profitebaris, *medium ſeu organum, ſiue ſignum ſenſibile conſtans ex rebus & verbis, quibus applicetur promiſſio.* Id enim, vt liquet, nullum aliud apud vos in hoc ſacramentô eſt, præter vnam illam chriſmationem ex hac materiâ, & in eum modum quo dixi factam, & his verbis conceptis quæ ex te ipſo memoraui, informatam. Sed de his tamen vt dixi, non equidem inſtabo vehementius. Illud vnum rogabo, quo loco nobis vel *vnctionem*, ſi non hanc veſtram nimium profectò myſticam, atque operoſam, certè aliquam ex Lucâ, demonſtraueris? Atqui tu ne nominaſti quidem vllam; nedum vt probaueris. Ergo tu quidem, mi homo, planè ridiculus es; qui te ex Scripturis tuæ *confirmationis* ſignum demonſtraſſe gloriaris, cuius nè vnum quidem vel leuiſſimum veſtigium oſtendiſti. Sed (inquis) *falſum eſt rejectam eſſe manus impoſitionem.* Tu verò, inquam, tergiuerſaris. Statim videro falſum ne (quod tu dicere non dubitaſti) an verum ſit id quod ſcripſit Chemnitius, rejectam à vobis eſſe manuum impoſitionem. Sed eſto; hoc tibi tantiſper donetur, non fuiſſe eam rejectam. Quid hoc ad id quod nunc agis, pertinet? Memento

quæſo, quid inſtitueris. Nimirum demonſtrare vis ex Act. 8. & 19. Confirmationis *Romanæ medium, ſeu organum, ſiue ſignum ſenſibile*; quod negare, vt nuper probaui, non potes non aliud eſſe, quàm chriſmationem in fronte ex oleô, & balſamo factam. In hoc vnô tibi

Act. 8. 17. nunc pes figendus eſt. Ad hanc lineam certandum. Verba, quæ tu ex Actis recitaſti, hæc ſunt, *Tunc imponebant* duo Apoſtoli manus

Act. 19. 6. *ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Item iſta; *Cum impoſuiſſet illis manus* Paulus, *venit Spiritus Sanctus ſuper eos*. Ex his tibi probandum eſt Apoſtolos, quos Spiritu Sanctô, vt vos quidem vultis, *confirmabant*, chriſmaſſe in fronte oleô & balſamô benedictô; hoc fuiſſe medium, hoc *organum*, hoc *ſenſibile ſignum*, quô *Spiritum* iſtis ex Dei promiſſione repræſentabant. Vel hoc inquam demonſtra, vel cede; & tuæ hinc confirmationis *medium* ſeu *ſignum ſenſibile* exculpi, aut extundi non poſſe, confitere. Vides jam, niſi cæcus es, nihil ad rem pertinere, quod tu nobis hic narras, te *manuum impoſitionem* ex hoc negotio non rejeciſſe. Satis eſt, quod non *hanc*, ſed *chriſmationem* Confirmationis veſtræ *organum*, & *ſignum ſenſibile* eſſe ſtatuitis, ac decernitis. Cum ergo *chriſmationem* hinc demonſtrari non poſſe, & omnes videant, neque tu ipſe negare ſuſtinueris, agnoſce tandem, non modò ſolutam, quod tu negas, ſed etiam planè disjectam, ac confractam, diſſipatamque jacere tuam illam omnem ex his Lucæ duobus locis demonſtrationem. *Manus imponebant Apoſtoli*. Ergo chriſmandi ſunt in fronte, & quidem neceſſariò, quibus promiſſus à Chriſto ſpiritus conciliandus eſt. Hanc ego bellam ſane, ac ſuauem (vt in ſcholis loquuntur) *conſequentiam*, nego, ac pernego; nequo, credo, quiſquam eſt in hominum genere vſque adeò bardus & inſubidus, qui admittendam putet. Tuum certe erat eam probare, ſi bonam, ac legitimam cenſebas. Non feciſti. Ergo nihil hactenùs quidem demonſtraſti. Sed qui, quod vnicè tibi hoc loco faciendum fuit, eam conſequentiam non probaſti è laudatis Scripturis, nè nihil diceres, fugiens clamas non eſſe *à vobis rejectam manuum impoſitionem*. Id tametſi verum eſſet, nihil tamen te ſubleuaret; quod iſtam *manuum impoſitionem* non ſacramenti *materiam*, non *medium*, non *ſignum* ſiue *ſymbolum*, & *organum* (de quô nunc quæritur) ſed meram cærimoniam, *accidentalem*, nihil neque ad *eſſentiam*, neque ad *integritatem* ſacramenti pertinentem, eſſe affirmatis. Nunc verò id, quod dicis, non ſolum ab inſtituto tuo alienum, ſed & falſum videtur. Diù enim eſt, cum nulla in veſtris ſcholis manus impoſitionis fit mentio, quoties veſtra Confirmatio definienda eſt; neque ſane veſtri Epiſcopi ma-

de Domin. de Rep. Chriſt. l. 5. c. 5. §. 29. nus iis, quos *confirmant*, imponunt. Sciunt, qui viderunt; & teſtatur, qui apud vos diù Archiepiſcopus fuerat, Marcus Antonius de Dominis. Quâ ergo fronte *rejectam* à vobis negas *manus impoſitionem*, quæ

apud vos in hoc negotiô nulla eſt? Sed audiamus facetam Bellarmini ſtropham. *Bis* (inquit) *Epiſcopus manus imponit confirmandis, vt ex Pontificali Romano intelligi poteſt; ſemel cum ſuper eos manus extendit atque orat; & rurſum cum ſignat in fronte, atque vngit. Ipſa enim vnctio & ſignatio, cum manu fiat, manus impoſitio rectiſſimè dicitur, vt docet Hugo lib.2.de ſacram.part.7.c.2.* Eadem quoque habent & Beccanus & Coninck, & fortaſſe complures alij. Atqui iſti dum ſic agunt, ſiquidò id ipſum, quod refellere ſe profitentur, conſtituunt. Nam ſiquid in ſuæ confirmationis ritu præter hæc duo eſſet aliud, quod *impoſitio manuum* dici vlla ratione poſſet, id iſti hoc loco haud dubiè pro ſua ſedulitate allaturi erant. Qui ergo hæc duo ſola attulerant, eo ipſo nihil aliud eſſe huiuſmodi confitentur. Atqui ſi nihil aliud eſt (vt certe nihil eſt) omninò verum eſt nullam eſſe in hodierna Confirmatione manus impoſitionem. Quid ita? inquis. Quia clarum, certumque eſt neutrum iſtorum quæ afferunt, vllam reuerâ eſſe manus impoſitionem. Ad priorem quidem illum actum, quod attinet, quo aiunt priorem manus impoſitionem contineri, notandum eſt imprimis inſigne Bellarmini mendacium, dum ait *Epiſcopum SVPER confirmandos manus extendere, atque orare*; idque *ex Pontificali Romano intelligi poſſe*. Falſiſſimum enim eſt vel Epiſcopos ſuper eos, quos confirmant, manus extendere, vel id teſtari Pontificale Romanum. Diſerta ſunt eius verba eô locô, quem Bellarminus citatum & laudatum voluit, vbi de Epiſcopo loquens; *Tunc extenſis* (inquit) *VERSVS confirmandos manibus, dicit*. Iam, vt *extendere manus ſuper confirmandos*, *manus impoſitionem* eſſe donem; illud tamen clarum, certumque eſt *manus verſus eos extendere* (quod in confirmatione Latina fit ex Pontificali) planè aliud eſſe, quam *manum eis imponere*. Ergo etiamſi Epiſcopus manus extendat non *ſuper*, ſed *verſus confirmandos*, apparet nullam eſſe in eô actu manus impoſitionem. Reſtat alter actus, frontis nimirum *conſignatio & vnctio*. Eum actum fieri in Latina confirmatione ſcio; *manus impoſitionem* vel eſſe, vel *rectiſſimè dici poſſe* nego. *Manus* enim *impoſitio* in omni diuinô, atque Eccleſiasticô ſermone actus eſt certus, ac definitus, quô expanſa ſuper alicuius capite manus, vel vtraque, vel certe altera, ita ſtatuitur, vt in eius vertice recumbat, vel conſidat. Vocis etymon id primò ſuadet. *Manus* enim *imponere* eſt *manus in eo ponere*; non adeò in eum *injicere*, vel *immittere*. Græci eadem ratione, eodemque ſenſu χεῖρας ἐπιθεῖναι dicunt, Hebræi ſimiliter סמך ידים, vnde סְמִיכָה ipſa manus impoſitio. סמך autem eſt *inniti*, vel in ſenſu tranſitiuo *fulcire*, *jungere*, *coniungere*. Ergo *manus* eius qui eas imponit, eius vertice, cui eas imponit, niti & incumbere debent, eumque tangere. Non ita Epiſcoporum Latinorum manus, quæ confirmandi verticem ne tangunt quidem; nedum

Pontific. edit. Roman a.D. 1611 ne Confirm.p.2.col. 29.

vt ſuper

vt ſuper eô recumbant. Sed, inquis, *ſignatio & vnctio* (*cum manu fiat*) *manus impoſitio rectiſſimè dicitur.* Imò inquam ineptiſſimè. Quî enim quæſo *manus* ei *imponit* Epiſcopus, quem non manu, ſed vno digito, id eſt pollice tangit? Idem-ne pollex quod manus? Tum nè digitum quidem *ponit* Epiſcopus in confirmando; ſed eum extremo digito tangit; neque caput, vel capitis verticem, in quo propriè eius manus conſidere debent, qui eas imponere dicitur, ſed frontem tangit. Ad hæc tua illa ratione Bellarmine, quid ineptius fingi poteſt? Chriſmatio (inquis) *rectiſſimè dici poteſt impoſitio manuum.* Quid ita? Quia chriſmatio *manu fit.* Ergo ſi te audimus, quicquid alicui fit, dum manu fiat, rectiſſimè *manus impoſitio* dicetur. Ex hac lege, qui alium manu ferit, qui pulſat, qui ei colaphum impingit, qui emplaſtrum vulneri eius admouet, *manus ei imponere,* quod iſta ſcilicet manu fecerit, rectiſſimè dicetur. Ex hac lege presbyteri, dum catechumenos baptizant, dum baptizatos communicant, manus vtriſque impoſuiſſe rectiſſimè dicentur; quod vtrumque ſcilicet manu faciant. Sed & omnium ſcriptorum vſus, qui vnus omnis ſermonis magiſter, ac interpres eſt, abſurdiſſimas gloſſas tuas apertiſſimè refellit. Nam in veteri Teſtamentô, vbi impoſitio manuum non rarò occurrit, nunquàm aliud ſignificat, quam actum illum quem nuper definiuimus; neque aliter vnquam acceperunt Hebræi, Græci, Latiniue interpretes. Noui teſtamenti eadem ratio; in quô nemo veterum, nemo recentiorum *manus impoſitionem* de chriſmatione intellexit, vel omninò de aliô actu, quam de eô ipsô, quem diximus. Loca vtriuſque Scripturæ non deſcribo, quod ea breui afferenda erunt, vbi de re ipſa agemus. Tuum Bellarmine erat quando hic de Lucæ teſtimonio quæritur, aliquem vel eius, vel alicuius Scriptoris diuini locum afferre, in quô *manus imponere* vſurpatum eſſet, pro *chriſmare.* Quod verò tu, tuuſque Becanus ad confirmandam veſtram hanc gloſſam ex
Marc. 7. 32. 33. Marco affertis, id inquam, nullam vim habet. *Marci* 7. (inquis) *cum poſtulaſſent quidam, vt Dominus manus imponeret lunatico, ille id fecit, Nam digito tetigit linguam, & aures eius.* Imo inquam, tu Euangeliſtæ imponis; qui nuſquàm quod tu ſignificas, ait, Chriſtum iſti *manus impoſuiſſe.* Narrat hominem de turba ſeorſum *apprehendiſſe, miſiſſeque digitos in auriculas eius, & expuentem tetigiſſe linguam eius.* Hæc quæ Chriſtus fecit, *manus impoſitionem* fuiſſe; tua eſt interpretatio; non eſt Euangeliſtæ oratio. Sed inquis, nonne Chriſtus fecit, quod iſti poſtulauerant? Poſtulauerant autem, Euangeliſta narrante, vt *imponeret illi manum.* Reſpondeo feciſſe Chriſtum, quod illi cupiebant. Nam dum iſti miſero *manus imponi* poſtulant, nihil in animô aliud habebant, niſi vt iſte infirmitate ſua liberaretur; quod eſt à Chriſto præſtitum. Cæterum hanc animi ſui voluntatem iis verbis

ſigni

ſignificarunt, quæ eum actum denotant, quô Dominus ex more gentis vti plærumque ſolebat in huiuſmodi curationibus; non quo ipſi præſcriberent, quô modô, quaue ratione id, quod expetebant, efficeret (neque enim dummodo, quod expetebant, id conſequerentur, nimirum Lunatici curationem, de cætero ſolliciti erant quo manus actu, impoſitione, an immiſſione, an extenſione opus peragetur) ſimpliciter *imponi manum* petiuerunt, quod putarent Chriſtum, ſi hominem curare annueret, id impoſitâ de more manu effecturum. An verò Chriſtus manum impoſuerit, neque dicit Euangeliſta, neque noſtrum eſt ſcrutari. Nam etiamſi conſtaret manum minimè impoſuiſſe, nemo ſanus ideò negauerit feciſſe Chriſtum quod illi poſtulabant, qui Lunatico & auditum, & linguæ vſum planè reſtituit. Alioqui ſi ſyllabas captamus, nè admiſsâ quidem tua Bellarmine gloſsâ, id Chriſtus fecerit, quod illi poſtulabant. Cum enim manum imponi Lunatico petebant, impoſitionem manuum eam haud dubiè intelligebant, non quam tu commentus es, quæque fit digitis in aures hominis immiſſis, ſed quæ apud ipſos nota, ac ſolennis, Chriſtoque familiaris erat, quæ ſcilicet fit manu hominis capiti impoſita, qua tu Chriſtum nunc vſum non vis. Numquam ergo Scriptura *manum imponere* aliter vſurpat, quam quô nos diximus ſenſu. Neque verò aliter Scriptores Eccleſiaſtici. Nam veteres quidem quotquot ſunt, ita ſemper in hoc ipſo negotio *manus impoſitionem* ſumpſiſſe pro actu à chriſmatione diſtincto, & Sirmondus ex Ignatiana ſocietate fusè, ac validè demonſtrauit, & ipſe eius aduerſarius P. Aurelius de iis confitetur, qui ante ſeptimum ſæculum vixerunt. Nos, quia id ipſum in ſequenti huius diſputationis parte pluribus ſumus oſtenſuri, non eſt neceſſe ea in re hic immorari; maximè cum de Scripturæ non de alicuius Patris teſtimonio hic quæratur. Satis eſt ſtatuere, & ex Scripturæ (quod nuper oſtendimus) & ex veterum vſu (quod & Sirmondus ſimpliciter, & Aurelius magna ex parte concedunt, & nos infra demonſtrabimus) aliud eſſe *manum imponere*, aliud *chriſmare*. Falſa ergo tua Bellarmine gloſſa, quæ *impoſitionem manus* idem in hoc negotio eſſe interpretatur, quod *frontis Chriſmationem*. Neque verò ea cum veſtræ ipſius, quam cum veteris Eccleſiæ ſermone minus pugnat. Apud vos, quod tu ipſe alibi tradis, preſbyter baptizatum mox *chriſmate in vertice vngit*. Hic ex tuâ quidem gloſsâ baptizato *manus imponit*; qui ſcilicet, quod tu *rectiſſimè* manuum impoſitionem dici decernis, id facit. Vngit nimirum, & quidem capitis, non, vt Epiſcopus, *frontem*, ſed *verticem*; quod à propriè dicta manus impoſitione, quæ & ipſa fit in vertice, non in fronte, propius abeſt; vt ex tuâ iſtâ diſciplina preſbyter aliquantò, quàm Epiſcopus, rectius *manus baptizato imponere* dici poſſit. At negat tamen tua omnis Eccleſia fas

Antirhet. l. c. c. 7.

L. de bapt. c. 27.

eſſe, vt presbyteri *manus baptizatis imponant*; idque fuiſſe ſemper, & nunc etiam eſſe tendit Epiſcopi ſolius præcipuum. Ergo apud Eccleſiam, etiam tuam, *chriſmate vngere* planè aliud eſt, quàm *manum imponere*. Tu ipſe alibi diſputas *impoſitionem manuum* ordinationis eſſe materiam eſſentialem. Ergo, ſi vera ſunt quæ hic nos doces, *manuum* verſus ordinandum *extenſio*, vel eius certè in fronte *chriſmatio*, vera ac legitima eſſe poteſt ordinationis materia; quidni, cum ſit vtraque (te quidem decernente) vera *manuum impoſitio*? Atqui hoc tamen portentum eſſe in omni & veſtrâ, & veteri Eccleſiâ inauditum, neque tu neſcis, & omnes tecum norunt. Item; Tu ipſe quoque alibi narras Scholaſticos nonnullos tradere Apoſtolos primis temporibus non fuiſſe vſos vllâ vnctione, ſed manuum impoſitione duntaxat; poſteà chriſmationem addidiſſe; *quod id præceptum* ſcilicet *à Domino accepiſſent, vt modò vterentur manus impoſitione, modò chriſmate*; eamque opinionem negas tu ipſe eſſe *improbabilem*. Ergo neque te ipſo iudice, *improbabile* eſt falſam eſſe gloſſam hanc tuam; quæ, quod iſta non *improbabilis opinio* aliud, atque aliud eſſe ſtatuit, vnum idemque eſſe vult, chriſmationem nempe, & manus impoſitionem. Quin & tu ipſe quoque ibidem Apoſtolos nunquam ſine chriſmate confirmaſſe diſputans, ais Lucam ritum illum (confirmationis Apoſtolicæ ſcilicet) compendio perſtrinxiſſe, & *ex vnâ parte rem totam intellexiſſe*. *Res tota* eſt confirmatio ex *chriſmatione*, & *impoſitione manuum* conſtans. *Pars* ex qua res tota intelligitur, *impoſitio manuum* eſt. Pars autem rei ab alia eiuſdem parte, & à re tota, niſi fallor, diuerſum quid eſt. Ergo & te quoque fateri ipſum neceſſe eſt in Apoſtolicâ (vt tu vocas) *confirmatione*, *manuum impoſitionem*, quæ ex te pars eius fuit, aliud fuiſſe & à chriſmatione, altera ſacramenti ſcilicet parte, & à re tota, cuius hæ ambæ partes erant. Vides quam bellè hæc congruant cum nouis tuis dictatis, quæ manus impoſitionem iubent idem planè, penituſque eſſe cum chriſmatione; totumque in eâ ſolâ hoc ſacramentum conſtituunt. Sed tu quidem quomodò tecum reconciliari, & in gratiam redire poſſis, viderit qui volet: Alios quidem omnes ſcholæ ac Eccleſiæ Romanæ Theologos gloſſa hæc tua non pulſat modò, ſed & intolerabilis cuiuſdam ſtultitiæ, atque amentiæ condemnat. Si paulò vetuſtiores adimus, Gulielmus Antiſiodorenſis *teſtatur* (vt veſter Sirmondus * refert) *ſacramentum Confirmationis dici*; *quantum ad manus impoſitionem, ortum habuiſſe ab Apoſtolis*; *quantum verò ad chriſmationem, ab inſtitutione Eccleſiæ*; quod ipſe quidem non ſatis probat; probat verò Iacobus de Vitriaco; qui vt ſuprà diximus, ſcribit impoſitionem manuum ab Apoſtolis, chriſmatis vnctionem ab Eccleſiâ inſtitutam eſſe; Nimium ſtultè, ſi tibi quidem, Bellarmine, credimus; qui manuum in hoc negotiô impoſitionem ipſam eſſe vis chriſ-

L. de ſacr. ord. c. 9.

L. de conf. c. 8.

Ibid. §. Primò igitur.

* Antirrhet. 1. c. 7.

Lib. 4. tract. 9.

chriſmationem. Iam & Alexander Alenſis & Bonauentura, quam & ipſi inepti, atque improuidi, ſi te audimus, fuerunt, qui cum Apoſtolos *manus impoſuiſſe* & ſcirent, & confiterentur, negarunt tamen hoc ſacramentum vel à Chriſto, vel ab ipſis fuiſſe inſtitutum? Neque ſapientiores fuerunt veteres vel Canoniſtæ, vel Theologi de *chriſmatione*, & *manuum impoſitione*, velut de rebus diuerſis digladiantes, cum hi quidem illa, illi verò hac contineri ſacramenti huius materiam contenderent; quæ vtraque vna ſcilicet eademque res eſt, ex tuo quidem mirifico ſane gloſſario. Aureolo vero quid item ineptius fingi poteſt, qui tam facilem conciliandæ huius controuerſiæ rationem non animaduertens, ad alia neſcio quæ confugit, ſtatuens manuum impoſitionem eſſe huius ſacramenti eſſentialem materiam; chriſma, partem integrantem, vt corporis eſt manus; quo nihil dici poteſt ſtultius, ſi chriſmatio eadem manuum impoſitio eſt. Neque verò vel Thomæ, & Thomiſtis, vel Durando & aliis parcit hæc tua gloſſa. Illi ſane, vt ſignificent Apoſtolos (quod ſæpe eos feciſſe putant) ſine chriſmate confirmaſſe, aiunt *ad eorum manus impoſitionem deſcendiſſe plenitudinem Spiritus Sancti ſuper fideles*; Ineptiſſimè, ſi hæc manuum impoſitio, chriſmatio & ipſa fuit. Durandus verò ſcribit Deum ex ſpeciali gratia dediſſe aliquibus effectum confirmationis ſine ſacramento, cum ad impoſitionem manuum Apoſtolorum dabatur Spiritus Sanctus. Quomodo, ſine *ſacramento*, ſi hæc manuum impoſitio, ad quam dabatur Spiritus Sanctus, ipſum chriſmationis ſacramentum fuit? Superioris quidem ſæculi communis fuit hæc ſententia chriſma in locum impoſitionis manuum fuiſſe in hoc ſacramento ſuffectum. Eugenius Papa hoc ſignificat in Decreto de inſtructione Armeniorum, cum ait *loco illius manus impoſitionis, per quam Apoſtoli dabant Spiritum Sanctum, in Eccleſia dari Confirmationem*; cujus paulò ante chriſma dixerat eſſe materiam. Clarum eſt eum velle pro Apoſtolicâ manuum impoſitione ſucceſſiſſe veſtram per chriſma Confirmationem. Neque ſtare poteſt ſenſus, quem tu alibi Eugenio affingis, quaſi is ſcilicet locutionem duntaxat à locutione diſtinxerit, *& hoc ſolum voluerit, id ipſum, quod faciebant Apoſtoli, cum dicebantur imponere manus, facere nunc Epiſcopos, cum dicuntur confirmare vel chriſmare*; quæ totidem ſunt chimæræ, quarum nullum in Eugenij verbis veſtigium. Ille enim, vt patet, de re ipſâ, quæ datur, & de manuum impoſitione, cuius locô datur, hoc eſt de veteri, deque nouâ huius ſacramenti materiâ, loquitur; non de verbis, quibus vtraque ſignificatur. Atque hæc Eugeniana Eſtius eodem, quo diximus, ſenſu accepit; aitque *communiorem apud ſuos eſſe ſententiam Apoſtolos initio ſuæ prædicationis non vſos fuiſſe chriſmate in adminiſtratione huius ſacramenti*; eaque ſuppoſita ipſe dicit *probabile eſſe quod eodem* tem-

Thom ſum. 3. q. 72. art. 2. ad 1. In 4. d. 7 § 7.

Bell. de Conf. c 9 § Dico tamen.

In 4. d. 7. § 7.

tempore manus impoſitio locum materiæ tenuerit, neceſſariòque adhibita fuerit, donec introductô chriſmatis vſu neceſitas impoſitionis manuum ceſſaret. Ille certè Bellarmine, non putauit quod tu dictaſti *chriſmationem* eſſe ipſam manuum impoſitionem. Idem alij quod Eſtius ſenſerant; Tapperus re fuſe explicata, de hoc ſacramento verba faciens; *Nam* (inquit) *conſiſtit in conſignatione per ſacrum chriſma; quod ab Apoſtolis conferebatur in ſolâ manuum impoſitione.* Patres Synodi Moguntinæ; *Diligenter populum inſtruant cur hoc ſacramentum ab initiô ſola manuum impoſitione exhibitum, mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum ex eorumdem traditione adhibita chriſmatis vnctione cœperit conferri.* Iſti, vt vides, Apoſtolicam *manuum impoſitionem*, aliud fuiſſe putarunt, quam chriſmationem; ſtultè, ſi ſtant tua dictata. Idem quod iſti, docuerat Conrad. Clingius; *Licet ſacramentum Confirmationis in principio* (inquit) *Eccleſia ſola impoſitione manuum frequentatum fuit, tamen Eccleſia circa ipſa tempora & traditionem Apoſtolorum incepit cum externo aliquo ſigno interiorem vnctionem S. Spiritus ſignificare, nempe per chriſma, quod adjecit huic ſacramento cum ſigno S. crucis.* Sed & Gregorium de Ignatiana ſocietate non ignobilem virum, hæc quoque tua decreta feriunt; qui ait *Apoſtolos per illam manuum impoſitionem Spiritum S. nunquam dediſſe, niſi adhibita ſimul ſubſtantiali materia huius ſacramenti, nempe vnctionis chriſmatis*; mox, *Apoſtolos impoſitionem manuum adhibuiſſe, tanquam cærimoniam; ſacramentum autem quo ad ſubſtantiam adminiſtraſſe in eadem materia, & forma, quæ eſt perpetuo deinde vſurpata in Eccleſia*; id eſt (vt liquet) chriſmatione. Ergo neque iſte quod tu ais, id ſenſit, chriſmationem eſſe ipſam manuum impoſitionem; qui vt vides alteram ab altera tam longe ſummouet, illam huius ritûs *ſubſtantialem* materiam; hanc, *cærimoniam* meram cenſens. Parco plura congerere. Hæc enim ſatis ſunt ad inficetiſſimam illam tuam gloſſam confutandam; quæ cum omni Dei, & Eccleſiæ ſermone pugnat; quæ omnes pænè omnis memoriæ Chriſtianos, veteres, recentes, notos, ignotoſque pulſat. Neque vero nos vel Hugonis quem adfers, vel Valdenſis, quem tu iſti ſocium addere poteras, tuæ iſti infauſtiſſimæ, ac falſiſſimæ interpretationi fauentium, auctoritas commouere debet. Vt te ſcilicet, ſic etiam iſtos, à veri regionibus auertit cauſæ ſtudium, quod cum eam, quam apud veteres huius ſacramenti proram ac puppim fuiſſe legebant, *manuum impoſitionem*, eam nullo fere apud ſuos loco ac numero eſſe viderent; ne à moribus antiquis diſceſſiſſe viderentur, commenti ſunt *impoſitionem manuum* eſſe ſuam quoque *chriſmationem*; Quod illis ſæculo obſcuro, ac nullis ferè litteris illuſtri degentibus condonandum. Tua, qui in tanta luce peccas longe grauior culpa eſt. Ac vt intelligas, quanti nobis eſſe illa iſtorum deliratio debeat; audi quæſo, quid de ea judicauerit

Act.12.

Cap.18.

L. contra mendac. ſectar. c.39.

T.4. in Th d 5. q.1. puncto 1.

uerit Sirmondus, ordinis ſui, id eſt Ignatiani abſque controuerſia eruditiſſimus. Is enim recitata Thomæ Valdenſis * opinatione, *manuum impoſitionem*, quæ in hoc ſacramento memoratur, *de ipſa frontis vnctione* (quod tuum eſt ſcitum) intelligentis, *quia* (inquit) *non minus manus imponit, qui vngendo imponit* (quæ tua quoque & ipſa ratio eſt) hoc inquam gloſſemate deſcripto Sirmondus; *Quid* (inquit) *potuit fingi abſurdius? Quaſi non diſparia, & diuerſa hæc duo ſemper habita ſint, vt docui, non modo tum, cum alterum,* (ſcilicet chriſmatio) *in baptiſmo, alterum* (nimirum manus impoſitio) *in confirmatione agebatur; ſed prius etiam cum Epiſcopus vtrumque poſt baptiſmum ipſe conferebat, vt alterum alteri viam muniret; aut quaſi ridiculum non ſit impoſitionem manus in frontis vnctione quærere; cum in verticis vnctione, quod multò veriſimilius foret, manuum impoſitionem nemo vſquam ſomniarit.* Hæc ille. Itaque, vt vnde profecta eſt, eò redeat oratio, cum & rationibus claris, & Sirmondi, viri inter aduerſarios merito ſuo celeberrimi, teſtimonio probatum ſit *chriſmationem in fronte* manus impoſitionem neque eſſe, neque niſi abſurdiſſimè dici poſſe; & ex iis quæ paulò ante diximus conſtet neque Epiſcopi *versùs confirmatos manuum extenſioni*, id *nominis* conuenire; jam patet nullam eſſe, in hodiernâ Romanorum confirmatione *manuum impoſitionem*. Vndè porrò conſequitur nihil in eius vſum atque commodum ex duobus illis Actuum locis poſſe confici; in quibus Apoſtoli *manus impoſuiſſe* baptizatis dicuntur, quod non fit in Romanâ confirmatione; *chriſmaſſe*, quod in eâ fit, neque dicuntur, neque vel leuiſſimo indicio ſignificantur. Sed etſi Bellarmino id, quod tantoperè cupit, quodque Sirmondus ipſe abſurdiſſimum eſſe judicat, donauero, frontis nimirum chriſmationem iſtis ſolennem & eſſe, & dici poſſe aliquam *manuum impoſitionem*; ne ſic quidem cauſam promouebit. Nam vt ſuæ Confirmationis *medium*, ſiue *organum ſenſibile* ex illis Actuum locis legitimè demonſtret; omninò, vt quiuis videt, neceſſe eſt Latinam manuum impoſitionem eiuſdem eſſe generis, ordinis, ac naturæ cum eâ, quam Lucas iſtic ab Apoſtolis factam narrat. Alioqui fallax & ſophiſtica erit tota eius demonſtratio, in vocabulo ambiguo pueriliter ludens; & ex propria, verique nominis *manuum impoſitione* aliam neſcio quam colligens, hactenus apud homines & Iudæos, & Chriſtianos inauditam; nihil cum illâ, præter nudi vocabulo ſonum commune habentem. *Manus*, inquis, *imponebant Apoſtoli.* Atqui Epiſcopi noſtri manus quoque imponunt. Nam confirmandorum frontem pollice conſignant chriſmate tincto. Dic mihi bonâ fide; Siccine etiam Apoſtolos *manus impoſuiſſe* cenſes? ita ſcilicet vt Lucas, cùm eos manus impoſuiſſe narrat, non id ſignificet, quod omnes hactenus crediderant, puras manus, nullaque imbutas pinguedine expanſas in eorum vertice,

* l. 2. c. 119.

Antirrh. c. 7. p. 58.

tice, ſtatuiſſe, ac tenuiſſe dum precibus ſuis iis benedicerent; ſed, quod vos his vocibus ſignificari etiam poſſe contenditis, oleô quodam balſamatô crucem in eorum frontibus pollicis ductu ſignaſſe? Si negas te id cenſere, de tua demonſtratione actum eſt; Quis enim non videt nihil id, quod feciſſe dicuntur Apoſtoli, cum eô, quod vos facitis, commune habere, vt ab illô ad hoc argumentari liceat? Si verò ais, tuum erat id, quod ais, probare, quodque probè noſti neque à nobis, neque ab vllis qui retrò fuerunt, Chriſtianis admitti. Nam neque in primis, neque in mediis, neque in vltimis Chriſtianiſmi temporibus, quemquam reperies, qui quod ait Lucas Apoſtolos *manus impoſuiſſe* id interpretetur *oleô balſamato in fronte ſignaſſe pollicis in crucis figuram ducti actu, & miniſteriô*; quod veſtri gloſſematis portentum eſt omnibus hactenùs inuiſum & inauditum. En quò tandem Bellarminiana demonſtratio rediit; Illa verò confirmationem clarè, atque euidenter ex Luca conficit; ſed ita tamen ſi concedas Lucam quo loco ait *manus impoſuiſſe Apoſtolos*, eô ſignificare *Apoſtolos homines baptizatos chriſmate conſignaſſe*; hoc eſt, ſi id ipſum, quod probare cupit, ei conceſſeris. Si concedere abnuis, nihil efficiet. Obſecro tuam fidem; Nonne & Deo & hominibus palam illudunt, qui ſic agunt? Neque verò hic Gregorij inuerecundiam moror, qui etiamſi concedatur ſuam *chriſmationem* neque à Luca per *impoſitionem manuum* ſignificatam, neque ab Apoſtolis, cum Spiritum Sanctum traderent, adhibitam, aut vſurpatam; pertendit tamen *ſui ſacramenti aſſertionem rectè ex ipſis illis Lucæ locis probari*; *hoc ipsô* (inquit) *quòd & expreſsè aliquid ibi continetur propriè ſpectans ad hoc ſacramentum, nempè effectus; & traditio Eccleſiaſtica (ſecundum quam Scriptura intelligi debet) docet conſequenter ibi inſinuari totam reliquam rationem huius ſacramenti, ſiue illa vti debuerint Apoſtoli, ſiue alij deinde ſucceſſores Apoſtolorum.* Quid iſtis hominibus facias, qui ex Scripturâ *rectè* haberi volunt, etiam id, quod in ipsâ confitentur minimè haberi? quaſi oleum in pumice tametſi nullum eſſe nobiſcum fateantur, poſſe tamen id ex pumice copioſum ac lucidum haberi pertendant? Quod verò de *effectu* huius Sacramenti obgannit Gregorius, nemo dubitat, quin, quod ait Lucas, *Spiritum ſanctum acceperint quibus impoſitæ ſunt ab Apoſtolis manus.* Hinc vt idem Spiritus iis quoque detur, quos nunc Latini chriſmant, nè ſi rumpatur quidem Gregorius, effecerit. Neque, vt hoc indè conſequatur, vlla Eccleſiæ traditio præſtare poteſt; quæ, quid Eccleſia credat, inſtituat, ſequatur docet; rerum naturas, veraſque ac æternas ratiocinationum leges non mutat; neque ſiquid ex alio non ſequitur, efficit, vt ſequatur, vel contra. Sed de *traditione Eccleſiaſtica* diſſerere eſt ab hoc locô alienum; in quô diſputamus, an iſti ſuum ſacramentum, non ex *traditione*, ſed ex *Scriptura*, quod ſe facturos

T. 4. in Thom. diſp. 5. q. 1. puncto 1. p. 643. col. 1. b.

profeſſi

profeſſi erant, demonſtrent. De *traditione* ſuô poſteà locô dicemus; quò cum peruentum fuerit, apparebit, vt ſpero, Latinam chriſmationem nullos apud Lucam veteres vel inueniſſe, vel ſomniaſſe. Sed vt omnis iſtius frangatur impudentia, libet hic obſeruare Bellarminum alibi diſertiſſimè docere non poſſe ex Scripturis ſolidè, ac euidenter *probari ſacramentum vllum propriè dictum, niſi cuius demonſtratur in Scriptura ſymbolum externum.* Cum igitur fateatur Gregorius ſuæ confirmationis externum ſymbolum, hoc eſt chriſmationem, in iſtis Lucæ locis minimè demonſtrari; profectò ſi vera docuit pater Bellarminus, omninò mentitus eſt pater Gregorius, dum hoc ſuum ſacramentum rectè ex iiſdem Lucæ locis aſſeri pertendit. L. de ſacram. Ord. in c. 9. §. Reſpondeo.

Capvt VII.

Soluuntur ac confutantur duo alia pro chriſmatione argumenta, alterum ex 2. Cor. 1. 21. alterum ex 1. Ioan. 2. 27. ducta.

Sed antequam hinc diſcedo, expendenda ſunt duo alia noui Teſtamenti loca, ex quibus & Bellarminus, & alij argumentantur Apoſtolos neophytos ſuos chriſmaſſe. Prior locus eſt Pauli; *Qui* (inquit) *confirmat nos vobiſcum in Chriſtô, & qui vnxit nos, Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. Verba ipſa* (inquit Bellarminus) *ſatis apertè ſignificant* Apoſtolum de ſacramentô confirmationis loqui. *Nam inprimis verbum* confirmat *proprium eſt huius ſacramenti, in quô robur datur. Deinde* vnxit nos *vel refertur ad ipſam vnctionem externam, vel ſi referatur ad internam, fit alluſio ad externam: Ideò enim interna illa illuſtratio & operatio Spiritus Sancti dicitur* vnctio, *quia per vnctionem externam dari, & ſignificari ſolet. Illud autem* ſignauit nos *referri poteſt, tum ad internam obſignationem per characterem; tum ad externum ſignaculum crucis, quod in hoc ſacramento in fronte imprimitur. Denique illud* dedit pignus Spiritus in cordibus, *apertiſſimè deſignat effectum principalem huius ſacramenti, qui eſt donum caritatis.* Hæc Bellarminus. Ægidius Coninck etiam, quàm iſte, timidiùs agit. Præfatus enim *Patres ſatis obſcure ſemper fuiſſe de forma Confirmationis locutos, nec eam vnquam expreſſè tradidiſſe, ne myſteria noſtra infidelibus patefacerent,* tandem ait eam *tamen Apoſtolum hoc loco inſinuare.* Nam & Tridentinis & iſtis omnibus familiare eſſe cœpit *inſinuandi* vocabulum, quotiès de iis locis agunt, in quibus non quidem rem ipſam de qua quæritur, inueniunt; ſed aliqua tamen ejus veſtigia, obſcura licet & tenuia, nec omninò qualia ipſi optant, vel deprehendunt,

De Conf. c. 8. §. Prima. 2. Cor. 1. 21.

De Conf. art. 4. num. 69.

vel certè, quod optantibus ſolenne eſt, deprehendere ſe putant, atque imaginantur. Sed quouſque iſti nos ludent, & vaniſſima ſuæ mentis ſomnia pro certis ex Scripturâ demonſtrationibus obtrudent? Quid Paulus dicat, quid ſignificet, clarum eſt; neque ad id intelligendum vllô iſtorum vel oleô vel balſamô opus eſt; Vult nimirum Deum auctorem eſſe ejus firmitatis, quâ & ipſe, & cæteri fideles in Domino Chriſto perſtant immoti; eundemque illum Deum *vnxiſſe nos*, Spiritu nimirum Sancto, quem ideo Ioannes *vnctionem Dei, & à Deô acceptam* vocat; quin & *obſignaſſe nos*; quo? *Spiritu* nempe (quod diſertè ait alibi Paulus) *promiſſionis ſancto*. Cætera clara, diuinum illum Spiritum in corda noſtra à Domino effuſum, datum nobis eſſe in *pignus*, vel, vt græca habent, in *arrhabonèm*. Is enim Spiritus, quōd ait alibi Apoſtolus, *arrhabo eſt hereditatis noſtræ*; Nempe & illius pars eſt, & pro toto, quod olim cernēmus, nunc Sponſor eſt. Hæc clara ſunt, & apud omnes confeſſa. Deum autem, quod iſti hinc argumentantur, inſtituiſſe, vt oleo & balſamo in crucem chriſmentur eorum frontes, quibus illa Spiritus ſui dona largiturus eſt, vel hanc eſſe iſtius chriſmatis vim, vt dona ſpiritus conciliet, vel tale quid denique factitaſſe Apōſtolos; neque dicit hic, neque innuit Paulus. Verba eius ad ritum iſtūm ita à vobis conſtitutum vt nunc eſt, poſſe torqueri fateor. Sed id ingenij veſtri eſt; Paulinæ mentis non fuit. Denique, vt res procedat, primum omnium ſupponendum eſt hoc veſtrum ſacramentum fuiſſe & à Paulo, & à cæteris illius temporis Chriſtianis factitatum. Nunc autem, cum id ſacramentum hinc demonſtrare inſtituatis, turpe eſt & ineruditum id à vobis ſupponi, quod erat probandum. Et quæ hoc vitio laborat argumentatio, hoc eſt quæ id ipſum ſupponit quod probare inſtituit, ea verò non demonſtratio, ſed caſſum & inutile ſophiſma eſt. Ex his apparet nihili eſſe, quæcunque Bellarminus attulit. *Confirmare* (inquit) *proprium eſt huius ſacramenti*. Apud vos inquam; qui hoc ſacramentum ita appellatis; Non apud Paulum, cui ignotum fuit. *Confirmandi* vocabulum illi frequens; vt cum *Euangelium apud Corinthios confirmatum*, & mox *eos à Chriſto confirmatum iri vſque in finem ſinè crimine* ait; & cum Coloſſenſes hortatur, vt *confirmati fide*, vel vt habent græca, *in fide, ſicut acceperunt Chriſtum, in ipſo ambulent*; & cùm alibi *ſalutem* ait *à Dominô enarrari cœptam, ab ejus auditoribus in nos eſſe confirmatam, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus*; item *gratia confirmari cor, non eſcis, id verò optimum eſſe*; Hæc omnia, vt quiuis videt, nihil ad veſtrum ſacramentum. Ergo neque hoc, quod nunc aſſertis, eò torquere nos quicquam cogit. *Vnctionem* verò, quæ apud eum ſequitur, nos internam, quæ fit per Spiritum intelligimus; & ita dici propter ſimilitudinem cum

1. Ioan. 2. 27.
Eph. 1. 13.
Eph. 1. 14.
1. Cor. 1. 6. 8.
Col. 2. 7.
Heb. 2. 3. 4. & 13. 9.

externâ

externâ confitemur; ſed non veſtra, quæ tum nondum fuit. Quanam ergo, inquis? Iudaïca, inquam; quam Reges, & ſacerdotes olim in eâ gente accepiſſe notum eſt. Eadem ratione hîc *vngi* dicimur, qua caput noſtrum *vnctum* canit auctore Apoſtolo Pſaltes. Chriſtum verò nullo balſamo, nullo oliuarum oleo à Patre inunctum, vel vos ipſi confitemini. Ergo & nos eodem oleô, quô ille vnctus fuit, vnctos hîc dici, atque intelligi conſentaneum eſt; alio certe, nihil neceſſe eſt. Sed illud (inquit) *obſignauit nos*, poteſt referri *vel ad characterem, vel ad ſignum crucis*. Sed qualis (inquam) iſta demonſtratio eſt, quæ ex dubiis procedit? & pro principiis adhibet, ea quæ *poſſunt eſſe*? non autem neceſſariò ſunt? Tibi verò, ô bone, vt Pauli verbum vel ad characterem, vel ad crucis ſignum tuum referre queas, inprimis demonſtrandum eſt vtrumque illi & cognitum & probatum fuiſſe; id enim nos quidem, vt noſti, nequaquam concedimus. Sed adeò ineptum eſt tuum hoc argumentum, vt etiamſi hoc ipſum (quod falſiſſimum eſt) verum eſſe conſtaret, nè hoc quidem ipſum prohiberet, quominùs Paulina vox de obſignatione *per Spiritum promiſſionis ſanctum*, ipſô auctore Paulô caperetur. Apage ergo characterem illum tuum, cruciſque inſcriptum pinguedine ſignaculum. Nos Paulo credere verius eſt, hoc ſignaculum ad diuinum Spiritus Paracleti in ſuis opus referenti, qui Domini & crucem, & reſurrectionem in eorum non fronte, ſed corde, manſuris in æternum lineamentis, non balſamô, vel oleô, ſed cæleſti luce pingit. Hoc verum, hoc vnum, apud Paulum quidem certè, occurrit Chriſtianorum ſignaculum. Denique *illud* (inquit) dedit pignus Spiritus in cordibus veſtris *apertiſſimè deſignat effectum principalem huius ſacramenti*; quem vos (inquam) effectum veſtri ſacramenti eſſe ſomniatis; Paulus neque hîc, neque vſpiam alibi ei tribuit; Quomodo, qui ne *ſacramentum* quidem illud vnquam memorauit, vel ſciuit? Atque hæc Bellarminus. Coninck hoc dilemmate Apoſtolum cogit inuitum teſtimonium ſacramento ſuo dicere. *Is* (inquit) *vel hic per verbum* vnxit *vult ſignificare Chriſtianos omnes corporaliter vngi; vel vult ſignificare internam vnctionem gratiæ diuinæ nos corroborantis*. Hoc vult, inquam, non illud, quod planè ſtultum eſt, & ridiculum. Ergo (inquit Coninck) *indè ſequetur ex teſtimonio Scripturæ infuſionem gratiæ metaphoricè rectè dici vnctionem, & conſequenter externam vnctionem cum illâ habere aliquam analogiam, ac ſimilitudinem, atque ita per eam rectè internam vnctionem ſignificari; quorum vtrumque ipſi negant*. Nos-ne? Tu verò

Νήπιος εἶ ὦ ξεῖνε,

qui, quos refellendos ſuſcepiſti, eorum dogma, & ſenſus ignoras. Nos negamus Spiritus gratiam cordibus fidelium infuſam rectè per

Pſ. 44. (heb. 45.) 7. Heb. 1. 9.

metaphoram dici *vnctionem?* & internæ cum externa eſſe ſimilitudinem, & hac illam rectè ſignificari? Imò verò omnia fatemur, & affirmamus. Illud vnum negamus, externam illam vnctionem, è quâ ducta eſt Apoſtoli metaphora veſtram fuiſſe; aut vllorum omninò illius æui Chriſtianorum, quos non aliô oleô, quàm ſpirituali & diuinô vnctos fuiſſe ſcimus. Fuiſſe eorum tunc temporis externam aliquam vnctionem ſacram & myſticam, qualem veſtram eſſe defenditis, non hinc, non ex vllô aliô vel Pauli, vel cujuſquam diuini ſcriptoris teſtimoniô conficies. Vndè ergo, inquis, & ex quâ externa vnctione ducta eſt metaphora, ſi non eſt à noſtrâ? Quaſi verò quoties diuini ſcriptores rerum corporalium vocabula ad res ſpirituales metaphoricè ſignificandas transferunt, totiès neceſſe ſit extitiſſe ex illis conſtituta in Eccleſiâ Chriſtianâ ſacramenta! Ait Paulus,
Gal.3:27. Rom.13.14. *quicumque in Chriſtô baptizati ſumus, Chriſtum nos induiſſe*; & vrget nos alibi, vt *induamus Dominum Ieſum Chriſtum.* Omnes fatentur metaphoram eſſe, quâ re corporali, indumento ſcilicet, rem ſpiritualem, Chriſti in nobis gratiam, ſignificauit Apoſtolus; neque quiſquam negat, quin ſit vnius ad alteram certa analogia. Ergo-ne hinc tuo exemplo Coninck, ſacramentum aliquod *veſtiarium*, vt tu ex vnctione *olearium*, effingam? Certè par vtrobique, vt vides, jus eſt. Neque ſi hoc tibi aſſumis, illud mihi debes negare. At ſtultus eſſes tamen ſi non negares, cum nullum eſſe apud Chriſtianos ex veſte aliqua externa & corporea conſtans ſacramentum, certiſſimum apud omnes ſit. Ergo neque tibi ex hac Pauli *vnctione*, cujus eadem eſt ratio, *olearium* vt elicias ſacramentum, jus vel poteſtas vlla eſt. Quid ſiquis ad tuum exemplum *lac* noſtris ſacramentis inſerere velit, quod & hujus rei nomine rem gratiamque ſpiritualem à Petro ſignificatam legat, quo loco nos ille jubet *rationabile ſine dolo lac concupiſcere*; tu-ne id
1.Pet.2.2. patiare? Non, vt opinor, qui nullum noris apud Romam tuam *lactis* ſacramentum. Atqui non tibi magis *oleum* ex Paulo elicere, quàm iſti *lac* ex Petrô emulgere licet. Sed nimis craſſum eſt ſcilicet putare nullam ex Scripturæ metaphoris aliundè, quàm ex Eccleſiæ Chriſtianæ ſacramentis ductam eſſe; quâ tu ineptiâ laboraſſe videris; ad eam certe neceſſariò ducit argumentum tuum. Fateor Apoſtolos interdum ad noſtra ſacramenta alluſiſſe; vt Paulum, vbi ait *nos omnes*
1.Cor.12.13. 1.Cor.10.17. *in vno ſpiritu potatos eſſe*; & alibi *nos omnes vnum panem eſſe*, ad euchariſtiæ, vt patet, noſtræ ritum reſpiciens. Eandem eſſe omnium metaphoricè ab illis dictorum rationem, nemo ſanus dixerit. Multa à Mo-
1.Cor.5.6. Col.2.17. Phil.3.3. Gal 4.28 31. 1.Petr.2.9. 1.Cor.5.7.8. ſaïcæ reipublicæ, Eccleſiæque rebus ducta ſunt; appoſitè ſanè & diuinè; quod iſta vetera noſtrorum figuræ eſſent, ac typi; quod ipſe Paulus non ſemel monet. Inde illa; *Nos ſumus circumciſio*; *promiſſionis, non carnis, liberæ, non ancillæ filij*; *genus electum, regale ſacerdotium.* Et

illa;

illa; *Eſtote noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Epulemur non in fermento veteri, ſed in azymis ſinceritatis.* Alia ſunt de hoc genere pænè innumerabilia, ex veteris Teſtamenti rebus ſumpta. In hoc ordine eſt hoc quod allatum eſt Pauli, *Deus vnxit nos*, de Moſaïcis, vt dixi, vnctionibus tranſlatum. Concedam ergo illam *vnctionem*, de quâ hæc Paulina manauit, fuiſſe externam; fuiſſe in Eccleſiâ; fuiſſe internæ & ſpiritualis typum; ſed in Eccleſia veteri, quæ vmbrarum & figurarum locus erat, non noua, quæ corporis & veritatis ſedes; fuiſſe typum, ſed veterem; Chriſti adeò repræſentatione abolitum; non novum à Dominô inſtitutum; fuiſſe denique (ſi hoc quoque vult Coninck) *ſacramentum*, ſed Moſaïcum; non Chriſtianum. Cætera, quæ diuini ſcriptores, neque de noſtris, neque de Iudaïcis ſacris, ſed vel è mediâ hominum vitâ, vel ex rerum natura, quæ & ipſa quædam eſt gratiæ, ſi non imago, certè vmbra, plurima paſſim tranſtulerunt, omnibus confeſſa mitto; quale illud eſt de lacte è Petrô, de veſte è Paulo nuper à nobis commemoratum; Vnde liquet nihil iſtorum argumento ſtultius, vel craſſius fingi poſſe, qui quod Paulus *vnctionem*, rem & in Iſraële olim, & in hominum vita ſemper familiarem, ad gratiam ſpiritualem ſignificandam tranſtulit, concludunt aliquod fuiſſe in Eccleſiâ Chriſtianâ ex vnctione externâ conſtans ſacramentum; quaſi ſcilicet nulla fuerit vel in Iſraele, vel in reliquô mundô externa *vnctio*, è qua Paulus tropum hunc ſuum ducere potuerit.

Eadem alterius loci ratio, quem Bellarminus è Ioanne perperam quoque huc trahit; *Et vos* (inquit Apoſtolus) *vnctionem, quam accepiſtis ab eô, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos; ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Vnctionem* vocat Spiritum ſanctum, quô in Domino inuncti ſumus. Res clara eſt. Nam & *manere in nobis*, & *docere nos de omnibus*, quod huic, de qua loquitur, *vnctioni* tribuit, vtrumque quidem Spiritui Sancto, fidelium & hoſpiti conſtantiſſimo, & doctori vnico, apprimè conuenit; neutrum oleo balſamato fronti neophytorum illito congruit; quod ſtatim defluit, non *manet*; neque *docere*, vel diſcere quicquam poteſt, res ſcilicet muta, vitæ ſenſuſque iuxta expers. Cæterum, an quod nunc quærimus, aliqua fuerit Ioannis æuo externa fidelium baptizatorum in fronte chriſmatio, ab ipsô & aliis Apoſtolis factitata, quâ diuina hæc Spiritus Sancti gratia & ſignificaretur, & daretur; non hinc magis, quàm ex aliis Scripturæ locis haberi poteſt. Neque quicquam affert Bellarminus, quod id demonſtret. Tantùm quoſdam Patres, quod & in ſuperiori locô fecit, nominat, veluti hæc loca ad chriſmationem referentes; de quorum ſententia, & teſtimoniis ſuo poſtea ordine ac loco dicemus; vbi ad 1. Ioan. 2. 27.

alteram diſputationis partem de Eccleſiæ veteris fide, ac ritu ventum erit. Nunc ſatis eſt breuiter monere non ſiquid è Scriptura Patres ad eos ritus retulerint, atq; accommodauerint, qui ſuis temporibus erant in Eccleſiæ vſu, eô effici vt eoſdem diuinis quoque ſcriptoribus cognitos, ac vſitatos fuiſſe cenſendum ſit. Idemque dictum volo ad ea Scripturæ loca, quæ ſuprà Soto dicebat ab Auguſtinô, & Ambroſio de chriſmate interpretata. Nimirum eo quidem teſtantur chriſma ſuô ſæculô in vſu ſacro fuiſſe, quod nemo negat; (neque enim ſi nullum fuiſſet, eò diuinas Scripturæ voces accommodaſſent, vel, vt ſimpliciùs dicam, detorſiſſent) Scriptoris ſacri tempore idem jam in vſu fuiſſe, vel ejus mentem eò reſpexiſſe, dum illa litteris mandaret, quæ iſtuc Patres referunt; falſum eſt, & ab omni veri ſpecie alienum. Verbi gratiâ, quis Dauidem cum illa ſcriberet, *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron,* putet in animo habuiſſe externum iſtorum chriſma; vel Paulum, cùm ait, *caritatem Dei diffuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*; & iterum alibi, *Spiritu ſancto ſignati eſtis*? Iſta quidem nullus nobis Auguſtinus, nullus Ambroſius ita intelligenda perſuaſerit; quæ quid velint vel ipſi aduerſarij vident, nimirum Aaronis vnguento adumbratum fuiſſe Spiritum; quo Chriſtus primùm, noſtrum caput, affatim, ac copioſiſſimè, nos ex eo poſtea, pro ſuâ quiſque menſurâ, vncti ſumus; non autem iſtorum chriſma quod cùm in Chriſtô, ipſis fatentibus, non fuerit, neque ſanè ex eô *deſcendiſſe* commodè dici poſſet. Illa verò Pauli de *caritate in cordibus noſtris per Spiritum diffuſâ*, & de *Spiritu, quo in Domino conſignati ſumus*; quid faciunt ad oleum iſtorum balſamatum? Iſta quidem Patres, ſi eò retulerunt, id per aliquam alluſionem inſtituerunt, in quô genere quantum illi ſibi indulgere ſoleant, norunt, qui eorum ſcripta legerunt; non quod hunc verum, ac proprium, ſcriptorique ipſi intellectum, & animo ejus obuerſatum ſenſum putarent. Illa certè, & alia eiuſdem generis fortaſſe non pauca in quibus Patres itidem luſerunt, nè ipſi quidem aduerſarij in hac diſputatione adhibent; & Soto diſertè tria illa quæ adduxerat, fatetur *non vſque adeò rem demonſtrare.* Sed & illa duo Pauli, Ioanniſque loca, quos Bellarminus afferenda cenſuit, ad hanc rem minus efficacia eſſe; ipſe eo fatetur, quod ad alteram è veteribus Eccleſiæ ſcriptoribus probationem hac breuiter peracta tranſiens; *Secundo* (inquit) *probatur, & quidem efficaciùs ex communi conſenſu Pontificum, Conciliorum, & Patrum.* Atque hæc omninò ſunt, quæ aduerſarij, ex Scripturis in hac controuerſiâ afferunt. Abſit enim vt iis tribuam, quæ Clingſus neſcio quis ſuperioris ſæculi malè ferſatus Theologus in hâc cauſſa pro ſuâ ex chriſmate vnctione è Moyſis Exodo recitat, vt eam fuiſſe diuinitus inſtitutam probet; juſſum fuiſſe à Deo Moyſem facere vnctionem

Pſ. 132 (heb. 133.) 2.
Rom. 5. 5.
Eph. 1. 13.

De Conf. c. 8. §. Secundò.

In ſumm. doctr. Chriſt. titulo 97.

Exod. 30.
Exod. 29.

olei,

olei, & tabernaculum, ac menſam, cæteraque vtenſilia vngere; & Aaronem item ejuſque filios vnctos fuiſſe; & Saulem poſteà, atque Dauidem vnctione quoque fuiſſe à Samuele in regiam dignitatem initiatos, ac, vt ſic dicam, inauguratos. Hæc enim ad veteris Teſtamenti cultum, Domini Chriſti morte abrogatum, atque abolitum pertinere, omnes vident; non ad noſtrum, qui totus in Spiritu & veritate ſitus, pauciſſimos, eoſdemque ſimpliciſſimos ac facillimos ritus religioſos continet. Sed neque ſane ex paulò eruditioribus aduerſariis quiſquam iſta Clingiana attulit. Cum ergo ex iis ipſis, quæ cum aliquâ veri ſpecie adducere ſe poſſe putant, nihil omninò eſſe demonſtratum ſit quod vllam ad hoc concludendum vim habeat, quod cupiunt; nunc quidem conſtat non poſſe ex Scripturis vllâ ratione demonſtrari hoc ipſorum è chriſmate ſacramentum vel à Chriſto Domino inſtitutum, vel ab ejus Apoſtolis factitatum fuiſſe. 1. Reg. 9. & 16.

CAPVT VIII.

Nullum ex Scripturâ extrui poſſe Confirmationis proprium Sacramentum. Ac primò nullam eſſe factam tali alicui ſacramento promiſſionem. Ne promiſſum quidem datumque Apoſtolis ſpiritum planè eundem eſſe cum eo, qui Confirmationis ſacramento conferri fingitur.

NVnc excluſa, atque rejectâ illa hodierna Latinorum ex oleo & balſamo vnctione, vt totus hic locus planè, penituſque diſcuſſus, ac repurgatus maneat, ſecundò videndum eſt, num ex Scripturis probari poſſit inſtitutum aliquod illius generis ſacramentum, qualé ſomniant aduerſarij, non quidem *chriſmate*, quod nullum in diuinis litteris reperiri oſtendimus, ſed, quæ olim fuit Canoniſtarum veterum ſententia, *manuum impoſitione* veluti legitimô ſuô ſigno, ac ſymbolo conſtans. Nam tametſi aduerſarij nullum huiuſmodi agnoſcant, Canoniſtarumque opinionem, qui id defendebant, velut erroris atque hæreſeos plenam, (quod ſuprà me dixiſſe memini) haud ſegniter proſcribant; eorum tamen præcipua, ac ferè vnica ex Scripturis argumentatio ei, quod ipſi refutant, ſacramento tota militat; nullum aliud vel edens, vel probans huius ſacramenti *medium* ſiue *ſignum* præter *impoſitionem manuum*. Itaque iſta eorum ratiocinatio, licet à ſuo ſcopo aberret (qui hic erat, ſcilicet, chriſmationem hodiernam probare) tamen ſi quam vim reuerà habeat; confirmatiuum illud Canoniſtarum ex impoſitione manuum ſacramentum conſtituet, Ac tametſi nos, qui contrà vnum aduerſariorum dogma, de Latina

 con-

confirmatione, vel ea hodie à Romanæ communionis hominibus defenditur, ſcribere inſtituerimus, hoc eorum errore ſemel profligato ſatis honeſtam cauſam habere videamur, cur alteram illàm cum Canoniſtis concertationem omittamus, cum eorum ſententia jampridem ab aduerſariis, quos nunc oppugnamus, deſerta, ac repudiata fuerit; tamen, quod hominis ingenui ſit nihil diſſimulare, & apertè quid in religione ſequatur, profiteri, nullumque pro illuſtranda verbi diuini veritate laborem, aut certamen ſubterfugere; age, nunc expendamus, num allata ab aduerſariis argumentatio ex Scripturis conficiat aliquod eſſe *impoſitionis manuum* ſacramentum à Domino Chriſto inſtitutum, atque ſuis traditum. Nam ſi res ita haberet, eſſet quidem grauiſſimum aduerſariorum peccatum, quod abdicatô ſignô à Chriſto inſtituto aliud ipſi in eius locum temere, atque arrogantèr ſubſtituiſſent; ſed neque leuis eſſe videretur culpa noſtra, qui planè de mediô ſublatô toto hoc Confirmationis ſacramento, Chriſti inſtitutum (hoc eſt manuum impoſitionem) vnà cum iſtorum inuento (id eſt chriſmate) abjeciſſemus, &, quod eſt in Euangelio, *colligentes zizania ſimul cum eis ipſum quoque triticum eradicaſſemus.* Sed abſit à nobis ea impietas. Nihil eſt ſanè à noſtris hominibus hac in parte ſecus commiſſum. Etſi enim illa *manuum* à Canoniſtis defenſa *impoſitio* majorem aliquanto habeat veri ſpeciem, quàm hodiernum aduerſariorum chriſma, quod illius Scriptura meminerit, de hoc ne vnum quidem verbum fecerit; tamen ſiquis mentem paulò acriùs intendat, facilè animaduertet nè illam quidem à Chriſto in Scripturis pro vniuerſali & perpetuô religionis noſtræ ſacramentô fuiſſe vſquam inſtitutam. Quod vt poſſit conſtare expendendæ erunt ſingulæ Bellarminiani argumenti partes. Is enim, vt anteà diximus, cum poſuiſſet tria in omni vero ac propriô ſacramentô requiri, diuinam promiſſionem, ſymbolum ſiue ſignum ſenſibile, ac mandatum; aggreſſus eſt demonſtrare nihil iſtorum eſſe quod non in Confirmationis ſacramentô inueniri, atque ex Scripturis probari poſſit. Ego de re ipſa non contendo. Ordinem, quô hæc tria proponit aduerſarius, denoto. Nam ratio rei poſcebat, vt primô locô mandatum Domini de vſu ſymboli præcederet; tum ſequeretur promiſſio; quià hæc ad ſacramenti effectum pertinet; rem autem ipſam conſtitui neceſſe eſt, antequam de ejus effectu quæras; vt naturæ ordinem ſequaris, apud quam res prius ſunt, quàm quicquam efficiant. Sed quia Chriſti mandatum, quod proferret, de hoc ſuô ſacramento nullum Bellarminus habuit, vafrè à promiſſione incepit, vt lector occupato promiſſi Spiritus ſpecie animo facilius admitteret quas poſtremo loco ſubjicit de mandato ſuſpiciones ſuas. Videamus tamen ſiquid ſit his ſuis artibus confecturus. *Ac promiſſio quidem* (inquit) *&*

Matth.13.29.

De Conf.c.2. §.Ac promiſſio.

certè

certè ampliſſima habetur Ioan.14. vbi Dominus promittit Spiritum Paracletum, qui conſoletur in omnibus aduerſis. Item cap. 15. vbi promittit eundem Spiritum Sanctum, qui faciat diſcipulos fortes, atque intrepidos in teſtificatione veritatis. Et c.16. vt arguat mundum de peccatò, de iuſtitiá, & de iudicio, id eſt qui det robur Apoſtolis ad arguendam infidelitatem hominum, & teſtificandam Chriſti iuſtitiam, & annunciandum Principem huius mundi iam eſſe iudicatum. Item Lucæ vltimo, Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. *Denique Actorum* 1. Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes, &c. *Hanc certe diuinam eſſe promiſſionem, & in Scripturis haberi, & ea promitti hominibus iam baptizatis, & iuſtis gratiam ampliorem Spiritus Sancti, quâ fiant fortes, in confeſſione fidei, nullo modo negari poteſt.* Atque hæc quidem Bellarminus, quæ profectò mirifica ſunt. Quis enim iſtum, cùm diuinam, quæ in hoc ſacramento requiritur, promiſſionem ex diuinis litteris ſe exhibiturum denuntiabat, non putauerat allaturum aliquam, quæ ad hoc ipſum ſacramentum pertineret, hoc eſt quæ omnibus id ritè, atque legitimè ſuſcepturis gratiam eam, quam repræſentare atque exhibere dicitur, diuinitùs datum iri promitteret? Atqui quæcunque iſte affert loca, nihil huiuſmodi tinniunt; nihil omninò neque de manuum impoſitione, neque de iis, qui eam ſuſcepturi eſſent, loquuntur. Tantum in genere ſignificant Chriſtum iis (quicumque tandem illi ſint, de quibus ſermo eſt) Spiritum Sanctum daturum. An ſimpliciter daturus ſit, an verò adhibito aliquo ſigno collaturus, an denique hoc ipſo proprie ſigno (id eſt manuum impoſitione) nihil plane dicunt. Si is eſſet Chriſtus, qui ſuis Spiritus Sancti gratiam ſine alicuius Sacramenti interuentu, atque miniſterio dare vel non poſſet, vel certè nollet vnquam; concluderem equidem ex his, quibuſcumque Spiritum promittit ſuum, eos donum non aliter accepturos, quam per aliquod ſacramentum; non tamen id ſacramentum quod, qualeve futurum eſſet, hinc certo colligerem; niſi & hoc quoque pariter conſtitutum eſſet, nullum, quo Spiritus Sanctus credentibus detur, aliud eſſe ſacramentum præter hoc vel illud. Nunc cum eam eſſe Chriſti & bonitatem & potentiam omnes fateantur, vt Spiritus Sancti dona ſuis ſæpe vel oratione poſcentibus, vel intenſo rerum diuinarum, præcipuèque ſanctimoniæ ſtudio inuitantibus, vel etiam in periculo verſantibus vltro neque rogatus, largiatur ſine vllius ſacramenti interuentu; adhæc cum alia eſſe certo conſtet ſacramenta, quorum interuentu hæc ipſa, quæ iſtic memorantur, Spiritus Sancti dona ſuis à Chriſto diſpenſari ſoleant; clarum eſt ex iſtis ab aduerſario allatis Domini promiſſionibus nequaquam concludi vllum fore in Eccleſia ſacramentum, quo promiſſus ab eo Spiritus credentibus donetur; multò verò

etiam

etiam minus id ſacramentum, ſi quod futurum eſt, impoſitionem manuum fore. Iſte itaque lectoribus ſuis imponit dum promiſſiones in hoc Confirmationis ſacramento propriè requiſitas daturum ſe è Scripturis profeſſus, pro iis generales, ac ſolutas, nullique ſacramento aſtrictas attulit. Nam promiſſionem in baptiſmo verbi gratia
Ioan.7.38.39. vel in ſacra Cœna requiſitam nemo hanc eſſe dixerit; *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*; id eſt, vt interpretatur Euangeliſta, Spiritum ſanctum accepturus eſt; Hæc enim, quamquam ſint ampliſſima, atque magnificentiſſima, nihil tamen propriè de baptiſmô ſignificant. Sed baptiſmalis promiſſio ſi quæratur, hæc verbi
Marc.16.16. gratia rectè afferetur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.*
1.Cor.10.16.17. De Euchariſtiâ, iſta; *Panis quem frangimus, participatio corporis Domini eſt*; *Calix benedictionis, cui benedicimus, communicatio ſanguinis Chriſti eſt*; & ſiquæ ſunt aliæ ſimiles; in quibus vides Domini gratiam, non in genere, ſed in ſpecie hoc vel illo ſigno ritè ac legitimè vtentibus promitti. Aliquid horum ſimile de Confirmatione afferendum erat, in quô eius ſigno ritè vtentes, hoc eſt manus impoſitione, aliquam gratiam accepturi propriè dicerentur. Nihil huiuſmodi præſtitit, neque ſane præſtare potuit aduerſarius; Fruſtrà ergo & falsò allatam à ſe promiſſionem in hoc ſacramento requiſitam, eamque ampliſſimam, gloriatur. Quod vt manifeſtius fiat, ſingula, quæ ille adduxit, teſtimonia videamus. Certè, vt hinc incipiam, duo vltima ex Lucæ vltimo & Actuum primo plane ſunt ab hoc negotio aliena; idque duas ob cauſſas; quarum prior eſt, quod quæ his continetur Domini promiſſio, ea non quorumvis fidelium communis (vt eam eſſe decet, quæ ad ſacramentum aliquod totius Eccleſiæ commune pertinet) ſed certorum duntaxat, eorumque paucorum propria ac peculiaris eſt; Apoſtolorum ſcilicet, & diſcipulorum ſi forte, qui cum iis illo tempore verſabantur; vt Euangeliſtæ in vtroque loco verba clariſſimè docent. In priori enim Chriſtus Apoſtolos ſic alloquitur; *Ego*
Luc.24.49. *mittam promiſſum Patris mei in vos*; *Vos autem ſedete in ciuitate* (Hieroſolymam, vt patet, intelligit) *quo ad vſque induamini virtute ex alto.*
Act.1.4.5. In poſteriori verò eodem planè modo, Dominus *conueſcens* Apoſtolis *præcepit eis* (inquit) *ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis*, inquit, *per os meum, quia Ioannes quidem baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies.* Promiſſio & præceptum ad eoſdem pertinent. Præceptum autem ad ſolos Apoſtolos pertinere clarum eſt, quos Hieroſolymis Spiritum Sanctum accipere neceſſe fuit. Cæterorum fidelium neminem in illa *ciuitate ſedere* jubet Dominus, vel ab eâ diſcedere vetat. Ergo hic quidem his ſolis, neque aliis virtutem illam cæleſtem promittit. Altera ratio eſt inde petita, quod promiſſa hic à
Chriſto

Chriſto gratia, nulla *manuum impoſitione* Apoſtolis data eſt. Hanc enim promiſſionem ipſo Pentecoſtes die à Domino expunctam fuiſſe notum & confeſſum eſt; Paracleto in linguis igneis cœlitùs repræſentato. Itaque nihil hæc quidem promiſſio ad Confirmationis ſacramentum; quæ & particularis fuit, & ſine manuum impoſitione præſtita eſt; cum illius ſacramenti promiſſio & vniuerſalis ex hypotheſi ſit, & manuum impoſitionem neceſſariò requirat. In cæteris locis Dominus Apoſtolos ob proximum ipſius diſceſſum mœſtos ita conſolatur; *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum; Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere*; Item, *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me; & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Denique, *Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judiciô.* Clara omnia; Nimirum Apoſtolis ſtupendum illum Spiritus Sancti aduentum, qui paulò poſt eius aſcenſionem cœlitùs eos inundauit, promittit; cuius ſcilicet lumen ipſis ad obeundum impoſitum à Chriſtô munus planè neceſſarium fuit. Quid hæc ad Confirmationis ſacramentum? Si eius propria eſt hæc Domini promiſſio, apparet id nullâ impoſitione peragi debere. Notum enim eſt abſque hac Chriſtum Apoſtolis præſtitiſſe, quod promiſerat. Quod ſi ad hanc expungendam promiſſionem aliquô ſignô, & ſymbolô opus fuit, conſtat non aliud fuiſſe adhibitum præter linguas igneas. Cùm ergo hæc promiſſio non per aliquam manuum impoſitionem, ſed per linguarum ignearum ſenſibiles ſpecies impleta ſit; ea profectò à promiſſione in hoc ſacramentô requiſita aliena eſt, quæ plane contrà quàm illa, non linguis igneis in confirmando ſedentibus, ſed manu ei impoſitâ repræſentatur, atque præſtatur; vt Canoniſtæ quidem volebant. Neque quicquam valet, quod objicit Coninck illas nuper memoratas Chriſti promiſſiones ad omnes omninò fideles, non autem ad ſolos Apoſtolos pertinere; eò quod promiſſus illis Spiritus dicitur *in æternum cum ipſis manſurus.* Id enim in Apoſtolis, qui jam pridem mortui ſunt, impletum non fuiſſe. Itaque promiſſionem ad cæteros omnes fideles poſt Apoſtolorum mortem futuros neceſſariò extendendam eſſe, in quibus ſcilicet Spiritus in æternum manſurus eſt. Sed hæc non cogunt. Primò enim etiam cum Apoſtolis manſurum in æternum Spiritum Sanctum & ex Scripturæ & ex communi humani ſermonis vſu rectiſſimè dici poterat; vt ſignificaretur (quod reuerâ impletum eſt) nunquam ab iis diſceſſurum Spiritum, neque apud eos aliquot annis futurum, vt fuerat Chriſtus; neque in eos, vt olim in Prophetas, per interualla ventu-

Ioan. 14. 16.

Ioan. 15. 26. 27.

Ioan. 16. 7. 8.

Art. 1. dub. 2. § 5.

rum, ſed jugiter apud eos, ac conſtanter manſurum, quoad vixerint. Hoc enim eſſe apud Hebræos לעולם *εἰς αἰῶνα*, & notant hic eruditi, & vulgo apud omnes in confeſſo eſt. Quale illud eſſe apud
Deuter. 15. 17. Moyſem omnes agnoſcunt de ſeruô Hebræo *δουλεύσει αὐτῷ* לעולם *εἰς αἰῶνα, & ſeruiet ei* [hero] *vſque in æternum*; hoc eſt quandiù viuet. Cætera eiuſdem modi quæ in Scripturis paſſim occurrunt, nihil neceſſe eſt afferre. Sed & in communi ſermone obuia eſt hæc locutio; vt vel ex illo optimi poëtæ verſu videre eſt,

Seruiet æternùm qui paruo neſciet vti.

Poſſem, ſi liberet argutari, & illud reſpondere etiam proprie ſumptô vocabulo, potuiſſe rectè & verè dici *manſurum cum Apoſtolis Spiritum Sanctum in æternum*; qui ſcilicet etiam hodiè, licet carne mortuis, Spiritu tamen apud Dominum viuentibus, adeſt, & in ſæcula ſæculorum aderit. Sed nihil opus eſt eò confugere. Recta eſt, quam dedimus, interpretatio. Itaque illud manet, quod & tota Chriſti oratio, & omnes rei circumſtantiæ clamant, has Chriſti promiſſiones ad Apoſtolos propriè pertinere; & ad Spiritum in eos die Pentecoſtes effuſum referri; fruſtrà adeò, & inſcitè ad omnes qui ſunt, & futuri ſunt, fideles trahi. Quæ non ita diſputo, quaſi negem vel Chriſtum ſuis poſt illa tempora Spiritum ſuum donauiſſe, donaturumque ad fines ſæculi, vel id ex diuinô ejus apud Ioannem ſermone colligi poſſe; ſed quod maximum ſit diſcrimen inter ea Spiritus dona, quibus in illis initiis inſtructi ſunt, & locupletati Apoſtoli, & alia, quæ cæteri fideles quotidiè accipiunt. Primò enim ſi rem ipſam ſpectes, qui Apoſtolis datus eſt Spiritus, is ſpiritus fuit *prophetiæ*, qui apud hebræos רוח הקדש *spiritus ſanctitatis*, & שכינה *κατασκήνωσις habitatio* dicebatur. Cum enim ea myſteria, quæ prædicaturi erant Apoſtoli, nondum cuiquam vel mortali vel Angelo patefacta eſſent, neque, quod ait Paulus, vllus ea vel oculis, vel auribus vſurpaſſet, vel animi cogitatione percepiſſet; neceſſe fuit illa primis illis Miniſtris reuelari, atque ob oculos tanquam in clariſſima quadam luce conſtitui. Prima quidem eorum rudimenta Chriſtus in terris antè & poſt reſurrectionem verſans Apoſtolis aperuerat; Ipſum, vt ſic dicam, diuinæ illius ſapientiæ corpus nondum retexerat; & apparet ex ipſorum ad Chriſtum ſermonibus, non iis modò, quos ante eius mortem, ſed & iis quos poſt reſurrectionem, & ſub ipſum adeo aſcenſionis Dominicæ punctum habuerunt, ignotum ad hæc tempora illis fuiſſe ingens illud Euangelicæ veritatis arcanum de Eccleſiæ in ſpiritualem, ac diuinum ſtatum reformatione; hæſiſſeque adhuc in eorum animis craſſas & pueriles Iudæorum de mundano Meſſiæ in Iſraële regno imaginationes. Quô fit, vt Chriſtus plenam rerum diuinarum reuelationem ad Spiritus Paracleti aduentum differat; *Adhuc*
Ioan. 16. 12. (inquit)

(inquit) *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, DOCEBIT vos omnem VERITATEM.* Ergo neceſſe fuit Spiritum illis dari, qui non modo mentis oculos iis retegeret, ſed etiam ipſas rerum diuinarum ſpecies ex Patris, Chriſtique ſinu, in quô hactenus, vt ſic dicam, abſconditæ delituerant, deprompatas eorum animis in purâ luce, abſque vllo ænigmate, clarè videndos objiceret; quod & ipſe Dominus ſignificauit, dum poſt illa, quæ nuper recitauimus verba, continenter de illô Spiritu, quem Apoſtolis promittebat, ſubjicit; *non enim loquetur à ſemetipsô; ſed quæcumque audiet loquetur; & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Ille me glorificabit, quia de MEO accipiet, & annunciabit vobis.* Ioan. 16.13.14.
Spiritum, vt vides, Prophetiæ clare deſcribit; qui ventura, planeque incognita reuelat; omninoque, vt ex dictis apparet, eô ipsô ſpiritu Apoſtolis opus fuit. Atque hanc ipſam Spiritus reuelationem ad Apoſtolatum fuiſſe neceſſariam, vel ex eô patet, quod Paulum Dominus, cum ipſum ad id munus allegeret, *myſterium pietatis*, licet jam hominibus patefactum, noluit tamen ab vllo mortali diſcere, ſed ab ipſo Paracleto Spiritu hauſtum, percipere, & ex ipsô fonte, perindè ac cæteros Apoſtolos, bibere. Cæterorum fidelium diſpar omninò ratio eſt. Cùm enim ea, quæ ſunt ad ſalutem creditu, cognituque neceſſaria, jam abundè reuelata fuerint, eaque ipſa nobis à Domini miniſtris euangelizantibus proponantur; omnes vident nihil nobis eſſe neceſſarium illum Apoſtolis datum prophetiæ ſpiritum, qui res ipſas, earumque ſpecies promat, & ſenſibus noſtris objiciat; Eo tantum nobis ſpiritu opus eſt, quem Paulus πνεῦμα πίστεως & πνεῦμα σοφίας, *Spiritum fidei*, & *Spiritum ſapientiæ* vocat; cuiuſque vim, atque efficientiam egregiè his verbis deſcribit, *Deus* (inquit Epheſios compellans) *det vobis ſpiritum ſapientiæ, & reuelationis in agnitione ejus, ILLVMINATOS OCVLOS cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius.* Nimirum is Spiritus nihil quidem noui extra ea quæ ſunt jam Eccleſiæ patefacta, reuelat; ſed efficit tamen, vt iſta, quæ & Apoſtolis olim primum patefacta, & nobis nunc vel in Scriptura legentibus, vel in prædicatione audientibus objiciuntur, admittamus, atque verâ fide complectamur. Eſt enim ea mentis humanæ cæcitas, vt quantumuis clarè fulgeat objecta nobis à Chriſti ſeruis Euangelij veritas, eam tamen neque admiſſuri in animos, neque retenturi conſtanter ſimus, niſi Spiritus Dei interioris cordis noſtri oculos aperiret; quod de Lydiâ purpuraria diſerte eſt à Luca obſeruatum; *Eius* (inquit) *Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Spiritus ipſas rerum ſpecies non reuelauit, vel objecit mulieri; ſed effecit tantum *apertô* ejus *corde*, vt à Paulô oblatas, obiectaſque, & ob oculos ei conſtitutas, fide verâ ſuſciperet, atque admitteret. Fateor

1. Cor. 4. 13. & Eph. 1. 17.

Eph. 1. 17.

Act. 16. 14.

vtriuſque reuelationis, & illius quæ Apoſtolis primum, & huius, quæ poſtea fidelibus donata eſt, eundem eſſe auctorem Spiritum; diuerſiſſima tamen eſſe vtriuſque dona omnes vident. Eô fit, cum Spiritus à ſuis in nobis donis atque effectis cenſeatur, vt illa quidem prior Apoſtolorum propria gratia *Spiritus prophetiæ*; hæc verò cæterorum fidelium communis, *Spiritus ſapientiæ*, vel *intelligentiæ* rectè
1.Cor.12.4. (niſi fallor) dici diſtinctionis gratiâ poſſit; iuxta illud Pauli, *Diuiſiones gratiarum ſunt; idem autem Spiritus*. Iam ſi rei modum ſpectes, quis non videt quantùm intercedat diſcriminis inter communem cæterorum fidelium gratiam; & eam, quam largiſſimè ſuis Apoſtolis initiô admenſus eſt Dominus? Meritò ſanè. Nam illorum quidem munus tantum, tamque difficile fuit, vt hæc communis ordinariaque Spiritûs menſura ad id adminiſtrandum, atque exſequendum ſatis futura non fuerit. Erat enim illis omnis mundi ſtatus immutandus, hinc quidem Iudæorum lex abroganda, & ipſius Dei mandato inſtituti, longaque multorum ſæculorum canitie venerabiles ritus abolendi; illinc verò dira, atque inueterata, penituſque cæterorum populorum animis inolita idololatriæ ſuperſtitio profliganda; Tum peregrina, & hactenus terris incognita, atque inuſitata ſapientia apud omnes longè lateque propaganda erat, per infeſtos, omnique niſu repugnantes Principum, & populorum, doctorum, atque indoctorum, omnium denique humani generis ordinum cuneos; quo opere nullum vnquam à mundi conditu maius, atque diuinius vlli homines vel aggreſſi ſunt ipſi, vel à Deo impoſitum ſuſcepere. Ac ſi benè rem repules præ hoc exiguum, ac pænè nihili fuit, quantumvis alioqui per ſe ingens, atque admirabile, Moyſi ipſius miniſterium. Quos in talem prouinciam mittebat Dominus Apoſtolos, eos decuit nouâ & inuſitatâ Spiritus copia inſtrui; clariſſima, & certiſſima myſteriorum omnium Euangelicorum notitiâ non imbui modò, ſed & totos perfundi; cæleſti quadam ſapientiâ, ac non jam heroïcâ, ſed Angelicâ fortitudine muniri, ſanctitate, miraculis, omni denique Spiritualium donorum genere ornari. Hæc illis Chriſtus omnia hoc loco pollicetur, dum Spiritum Paracletum promittit. Et paulò poſt pleniſſimè promiſſionem expunxit, quô die cœleſti igne baptizatos in viros nouos, planè cœleſtes, ac diuinos, transformauit. Nulli cæterorum fidelium tale, tantumque opus commiſſum eſt; nulla adeò ſimilis Spiritus menſura vel promiſſa, vel data. Huc denique ipſa adminiſtratæ rei ratio, quædamque (vt ſic dicam) dignitas, ac pompa pertinet; quâ Euangelij primordia ſanciri atque conſtitui neceſſe fuit. Itaque promiſſam illam vim Spiritus Apoſtoli, non in angulô, vel hoc aut illô temerè locô, ſed Hieroſolymis, maximâ ac celeberrimâ ciuitate, totiuſque Iudaïcæ religionis arce, cœleſtibus

jampri-

jampridem vaticiniis huic officio dedicatâ, ac deſtinatâ; neque item quouis tempore, ſed ipſo Pentecoſtes ſanctiſſimo die, in confertiſſimâ hominum multitudine, ac veluti quodam totius hominum generis theatro; quod ad feſti ſolennitatem vndique confluxiſſent *viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt*. Act. 2. 5. Tum & illa, quàm ſtupenda, quod ipſa primum domus, in quâ conſederant, illapſo repente de cœlo ſonitu immugiit, & veluti hoſpitis ingreſſuri majeſtatem expa- Act. 2. 4. 11. uefcens, cohorruit. Quid illos dicam ſanctiſſimos in linguas diuiſos, atque compoſitos ignes, in ſingulis Apoſtolis magnô omnium miraculô ſedentes? Quid illam denique, in quam omnes extemplo erumpunt, multiplicem, ac non vnius coloris neque ſpeciei orationem, cum homines idiotas, & extra Galilæam ſuam nihil hactenùs ſonantes varij diuerſarum, imò pæne omnium gentium viri ſuâ quiſque linguâ *magnalia Dei* loquentes repente audirent? Hæc ita tum fieri, & ad Euangelij dignitatem decuit, & ad fidem noſtram neceſſe fuit; quò talibus miraculis fundatum Euangelium, tamque auguſtis initijs conſtitutum, fœliciter creſceret, ſenſimque per orbem totum propagaretur. De nobis alia omnia; quibus rebus extraordinariis opus non eſt, jam ſatis confirmatâ Apoſtolicæ prædicationis fide. Atque ex his quidem jam ſatis (niſi fallor) conſtat, quàm inepta, ac inſcita ſit aduerſariorum omnis iſta ratiocinatio, qui promiſſum Apoſtolis, iiſque ſolis datum illum *prophetiæ* (vt diximus) *Spiritum* cum ordinario fidelium *ſapientiæ* atque *intelligentiæ ſpiritu* temerè confundunt, illiuſque promiſſionem ab huius donatione non diſcernunt; nullaque adeò ratione concludunt debere huius proprium eſſe ſacramentum, quod illius ſingulare fuerit ſignum; effuſæ nimirum in Apoſtolos, quô die promiſſus Spiritus datus eſt, diuiſæ atque effictæ in linguas flammæ.

CAPVT IX.

Datum ab Apoſtolis per manus impoſitionem Spiritum Act. 8. & 19. fuiſſe proprie Spiritum chariſmatum gratis datorum, ſiue miraculoſorum, & extraordinariorum. Soluuntur contra allata à Bellarmino ſex argumenta.

SEd & ex his conſtare poteſt, eos pariter hallucinari cùm datum ab Apoſtolis Spiritum cum eô Spiritu permiſcent, quô ſinguli fideles in fide jam confirmantur; & ex *manuum impoſitione*, quam adhibuiſſe aliquotiès Apoſtolos, cum Spiritum illum darent, legimus, imperitè

ac perperàm colligunt ordinarij Epiſcoporum muneris eſſe, vt manus ſingulis fidelibus eodem modô imponant, quo ipſis concilient, ac tradant eum, quo in fide confirmantur, Spiritum; Nam & hic Spiritus non paucis initio fidelibus datus, licet minus copioſus, minuſque illuſtris, ejuſdem tamen generis, atque ordinis cum eo fuit, quem ipſi Apoſtoli diuino illo Pentecoſtes die cœlitùs miſſum acceperant; eodemque pertinuit, ad conſtituendam ſcilicet ac ſanciendam in ipſis principiis Euangelij veritatem ac fidem. Quod vt demonſtretur, nunc diſcutienda veniunt, quæ aduerſarij *de ſignô*, ſecundo Confirmationis ſuæ membrô, afferunt; *Iam verò*, inquit Bellarminus, *medium, ſeu organum, ſiue ſignum ſenſibile conſtans ex rebus, & verbis, quibus applicetur illa promiſsio, fuit manum impòſitio cum oratione. Nam Apoſtoli quidem ſingulari miraculo receperunt illam gratiam promiſſam ſine vllô mediô, ſeu ſacramento, in die Pentecoſtes, vt notum eſt ex Act.2. At verò cæteri recipiebant eandem illam gratiam miniſteriô Apoſtolorum per illud medium, vt patet Act.*8. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. *Et quod hòc medium ſit medium, quo applicatur promiſsio facta de mittendo Spiritu S. patet ex effectu; Nam cuicunque baptizato Apoſtoli manus imponebant veniebat ſuper eum Spiritus Sanctus. Denique, quod iſtud donum, quod dabatur tunc omnibus baptizatis per manum impoſitionem, fuerit illud ipſum, quod promiſſum fuit Apoſtolis, patet ex teſtimoniô S. Petri, qui Act. 2. concionabatur populo, & promittebat idem donum, quod ipſe acceperat, ſi crederent, & baptizarentur, & allegabat Ioelem, qui prædixerat donum illud effundendum non ſuper Apoſtolos tantùm, ſed ſuper omnem carnem. Idem etiam Petrus Act.*11. *teſtabatur Cornelium, & ejus comites accepiſſe idem donum, quod acceperunt Apoſtoli in Pentecoſte. Nihil* (inquit) *diſcreuit inter nos, & illos. Et tamen Scriptura nuſquam meminit alterius medij ſeu ſigni ſenſibilis, quo daretur donum illud, niſi manus impoſitionis cum oratione* Hæc ille, quæ non ſecus ac ſuperiora, totidem ſunt ſcopæ diſſolutæ. Apoſtoli manus quibuſdam fidelibus impoſuerunt; & quibus impoſuerunt, ij acceperunt Spiritum ſanctum; & id donum Spiritus, quod iſti acceperunt, idem illud erat, quod promiſſum à Chriſto fuerat Apoſtolis; Ergo impoſitio manuum & oratio eſt medium, ſiue organum ſenſibile cujuſdam ſacramenti in Eccleſia Chriſtiana perpetui, ad confirmandos fidelium animos contra perſecutionem. Mirer, ſiquis ex iſtis ita diſſipatis rectum, ac legitimum argumentum confecerit, ad id quod volunt aduerſarij concludendum efficax. Ego ad ſingula reſpondebo. Ac vt inde incipiam, ſi donum baptizatis per manuum impoſitionem tunc temporis collatum, illud ipſum fuit, quod Apoſtolis apud Ioannem promiſſum à Chriſto erat (vt ponit hic Bellarminus) profectò clarum eſt aliud fuiſſe id donum, quam quod iſti nunc in

De Confirm. c.1. §. Iam verò.

Confir-

Confirmationis ſacramento dari contendunt. Eſt enim omnium ſacramentorum effectus gratia aliqua ordinaria, ac in Eccleſia perpetua; vt omnes fatentur; Nempe nullum eſt propriè dictum ſacramentum, quod ordinarium ac perpetuum in Eccleſiâ eſſe non debeat; perpetuumque adeò, atque ordinarium habere effectum. Fuiſſe autem Spiritum illum Apoſtolis à Chriſto promiſſum, & poſtea Pentecoſtes die collatum, gratiam planè extraordinariam, non perpetuam in Eccleſiâ futuram, ſed initio tanti operis miniſtris ad conſtituendam veritatis Euangelicæ fidem extra ordinem conceſſam, nuper fusè oſtendimus. Cùm itaque eandem cum iſtâ gratiam eſſe velit aduerſarius, quæ Act. 8. data eſt fidelibus per *manuum impoſitionem*; neceſſariò confitendum eſt hanc à Confirmationis ſacramentô alienam eſſe; in quô omnes concedunt non extraordinariam, neque pro tempore duntaxat gratiam dari, ſed ordinariam & perpetuam. Ego quidem non puto planè eandem fuiſſe vtrorumque id eſt & Apoſtolorum,& eorum, quibus ipſi manus imponebant, gratiam; Nam quæ Apoſtolis data eſt, ſummus fuit, ac ſingularis Spiritus eius gradus, quem *Prophetiæ Spiritum* diximus; omnibus ferè ſpiritualibus ornamentis cumulatus; luce veritatis eximia, prædictionum, ac ſanationum dono, & aliis ſimilibus. Quibus verò manus imponebant Apoſtoli, eorum non aliud ſane præter quam linguarum donum fuiſſe legimus. Sed tametſi hæc iſtorum gratia non plane eadem, quæ Apoſtolorum fuit; eiuſdem tamen generis, atque ordinis fuit. Nam & ipſa pertinebat ad ſpiritualem illam cœleſtium donorum, vt ſic dicam pompam, quam naſcentis Eccleſiæ primordiis neceſſariam fuiſſe diximus. Neque ſanè aliud ſuadent allatæ ab aduerſario rationes. *Petrus* (inquit), *concionabatur populo, & promittebat idem donum, quod ipſe acceperat, ſi crederent, & baptizabantur, & allegabat Ioëlem, qui prædixerat donum illud effundendum, non ſuper Apoſtolos tantum, ſed ſuper omnem carnem.* Primò ſi vellem eſſe contenſioſus, obſeruarem Petrum Iudæis quidem remiſſionem peccatorum, & Spiritum S. promiſiſſe ſi pœnitentiam agerent, & baptizarentur; *impoſitionis* verò *manuum* nequaquam meminiſſe, quam tamen non minùs, quàm baptiſmum memorari decebat, ſi ea fuiſſet perpetuum ac neceſſarium, eiuſdemque cum baptiſmo ordinis ſacramentum. Hæc enim ſunt Apoſtoli clariſſima in eam rem, quam dixi, verba; *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum; & accipietis donum Spiritus Sancti.* Act. 2. 38. Sed ad alterum illud, quod ſecundô locô poſuit aduerſarius, obſeruarem Ioëlis allatum à Petro locum propriè eò ſpectare, vt defendatur, atque confirmetur deſcenſus Spiritus Sancti in Apoſtolos; ſic enim Petrus; *Non ſicut vos æſtimatis, hi* (ſcilicet Apoſtoli) *ebrij ſunt, cum ſit* Act. 2. 16. 17.

hora

hora diei tertia; ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioël; Et erit in nouiſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ; & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt; Et quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt. Cæterum facile concedo, quod ait Bellarminus, id genus dona non ſolis Apoſtolis, ſed plæriſque fere omnibus data tunc temporis fuiſſe. Quis enim id neget, quod & à Ioële diſertiſſimè prædictum erat, & à ſcriptoribus noui Teſtamenti clariſſimè deſcriptum eſt? Nam neque in ſolos Apoſtolos, ſed & in reliquos omnes vnà cum Apoſtolis in eadem domô verſantes diſcipulos deſcendiſſe die

Act.2. Pentecoſtes Paracletum veriſimillimum videtur, & eos, qui poſtea crediderunt, miraculoſa itidem Spiritus dona accepiſſe in Actis legi-

Act.19.6. mus; vt hos, quos attulit aduerſarius, Samaritanos, & illos diſcipulos, quos alibi narrat Lucas à Paulo Epheſi inuentos. Eodemque etiam pertinet, quod hic Bellarminus tertiô locô ex iiſdem Actis poſuit in Cornelium & in ejus familiares, ſimul atque Euangelium à

Act.10.44.46. Petrô audiuiſſent, & cum fide excepiſſent, *cecidiſſe ſtatìm Spiritum Sanctum, ita vt linguis loquerentur & magnificarent Deum.* Sed quid opus eſt pluribus? Dominus Chriſtus id ipſe paulò antequàm in cœlos aſcenderet ita futurum iis verbis prædixerat, quibus nulla alia

Marc.16.17.18. poſſunt vel clariora, vel diſertiora dici; *Signa* (inquit) *eos qui crediderint, hæc ſequentur; In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis; ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Hoc ſi vel vnum extaret Domini dictum, ſatis eſſet, vt pro certô, atque indubitatô ſtatueremus, rem ita vt prædixerat impletam fuiſſe, & plurimos ac ferè omnes Apoſtolicæ prædicationi credentes illa iſtic à Chriſto commemorata Spiritus dona accepiſſe. Sed rem oraculo ad amuſſim reſpondiſſe & quæ in Actibus, & in Epiſtolis Apoſtolorum, & quæ in vetuſtiſſimis Eccleſiæ Chriſtianæ poſt Apoſtolos monumentis, legimus, certam fidem faciunt. Lege Paulinæ ad Corinthios prioris epiſtolæ caput duodecimum; non dubitabis, quin miraculoſa iſta ſpiritus chariſmata fuerint illo tempore apud Chriſtianos vulgaria, ac familiaria. Neque nos cum dicimus illum Spiritum, ſiue illa Spiritus dona rem eſſe *extraordinariam*, eo negamus fuiſſe ea Apoſtolicis, imò & Apoſtolorum proximis temporibus *ordinaria*, hoc eſt ſolennia, & ex ordine tum obtinente paſſiua, ac vulgaria, & apud omnes ferè Chriſtianorum cœtus familiaria. Tantùm ſignificamus non fuiſſe eiuſmodi, quæ perpetuò in Eccleſia ad fines ſæculi manerent; perinde vt fidei, ac charitatis, & ſanctificationis dona. Cuius diſcriminis clara eſt, & apud omnes confeſſa ratio. Nimirum iſta miraculoſa ad conſtituendam

quidem apud alienos, hoc eſt apud infideles, religionis Chriſtianæ fidem; vtiliſſima atque efficaciſſima erant, ac propemodum neceſſaria; conſtitutâ verò ſemel fide, Euangeliſque veritate firmatâ, nullum amplius, certè non neceſſarium vſum apud credentes habent; quô factum eſt, vt Paulus de linguarum chariſmate, quod huius eſt generis, ſcripſerit *id ſignum eſſe non fidelibus, ſed infidelibus*; eſt autem & cæterorum ejuſdem generis eadem ratio. 1.Cor.14.22. Fidei verò, ſpei, charitatis, & ſanctificationis dona planè aliter habent; quæ ſunt ſcilicet ad conſequendam ſalutem à Chriſtô partam omnibus modis neceſſaria, quibuſque ipſa illa ſalus ita continetur, vt abſque his nemo ad eam vel aſpirare queat. Itaque Eccleſia, neque dum conſtituitur, neque vbi jam conſtituta eſt, huius ordinis donis vnquam carere poteſt; quod & Paulus innuit, quô locô præſentis vitæ ſtatum cum futurô contendens, ait nunc *hæc tria manere fidem, ſpem, & caritatem*. 1.Cor.13.13. Ergo horum reſpectu, quæ perpetua ſunt, & in omni Eccleſiæ ſiue conſtituendæ, ſiue jam conſtitutæ tempore, neceſſaria, illa altera miraculoſa Spiritus chariſmata extraordinaria eſſe dicimus, in illô naſcentis apud infideles Eccleſiæ ordinaria, atque apud omnes ferè credentes obuia: ex Dei ſapienter omnia gubernantis conſiliô ac munere fuiſſe confitemur. Duo tamen hic, quæ veriſſima eſſe nemo, vt puto, negauerit, obſeruanda ſunt; quorum prius, etiam à Grotio in Marcum obſeruatum; In Marc.16.17. hoc eſt, non omnibus credentibus omnia huius generis dona conceſſa eſſe; ſed ita à Deo diſpenſata, vt nemo, vel certè rariſſimus crederet, cui non aliquod huiuſmodi cœleſte munus datum fuerit; Quæ Pauli ipſius doctrina eſt; *Diuiſiones* (inquit) *gratiarum ſunt; & diuiſiones miniſtrationum ſunt, & diuiſiones operationum*; 1.Cor.12.4.5.6. quæ mox deducit fuſius; Ibid.8.9.10. *Alij quidem* (inquit) *per Spiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alij gratia ſanitatum in vnô Spiritu; alij operatio virtutum; alij prophetia; alij diſcretio Spirituum; alij genera linguarum; alij interpretatio ſermonum*. Alterum hic obſeruandum, quod jam ſuprà attigimus, illud eſt, quod tametſi paſſiua hæc & communis fidelium illis temporibus gratia ejuſdem, cum Apoſtolicâ generis atque ordinis fuerit, non fuit tamen ejuſdem cum eâ gradus; ſic vt nemo fuerit quantumvis ornatus, atque inſtructus his præſidijs, cuius chariſmata infra Apoſtolicorum donorum excellentiam non ſubſiderent. Nam, vt cætera, quæ in ſuperioribus notaui, nunc mittam, neminem certè fuiſſe legimus, ad cuius benedictionem credentibus ſtatim datum, ac repræſentatum fuerit, extemploque eruperit, miraculoſum linguarum donum. Id de ſolis Apoſtolis tradidit Lucas. Act.8.17.&19.6. Atque ita clariſſimè conſtituta eſt, atque confirmata allata à nobis in ſuperioribus ratio; qua datum ab Apoſtolis Act.8. Samaritanis fidelibus Spiritum

nihil ad confirmationem aduerſariorum pertinere ex eô argumentati ſumus, quod illa quidem gratia extraordinaria eſſet; huius ſi qua eſt, ordinariam eſſe neceſſe ſit; quam nempe volunt ſacramentum Eccleſiæ eſſe ordinarium ac perpetuum. Atque in hoc, vt ſic dicam, cardine tota eorum nobiſcum de hoc argumentô diſputatio verſatur. Facile enim vident ſi *Spiritus* ille, qui ab Apoſtolis datus eô locô narratur, extraordinarius, ac miraculoſus fuerit, de ſuô illô Confirmationis ſacramento actum eſſe. Itaque id, tametſi per ſe ſatis ex Scripturis clarum, atque obuium, negant tamen illi vehementer, & quæſitis vndique argumentis, atque rationibus præcipuô conatu impugnant. *Nam inprimis* (inquit Bellarminus) *dona illa gratis data* (ita ex vſu ſcholæ appellat Spiritus Sancti miraculoſa, & extraordinaria chariſmata) *non dicuntur in Scripturâ ſimpliciter Spiritus Sanctus; nec dicitur Spiritus Sanctus habitare in eo, in quo non ſunt niſi illa dona; quin potius è contrario* Spiritus Sanctus effugiet fictum, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Sap.1. *Dona autem illa gratis data, etiam in peccatoribus interdum inueniuntur; vt patet Matth.7. At per manus impoſitionem Apoſtolorum dabatur ipſe Spiritus Sanctus, Act.8. & 19. Non igitur ſolum dona illa gratis data.* Hæc ille; in quibus obſeruandum illa ejus poſtrema verba *ab Apoſtolis dabatur ipſe Spiritus Sanctus Act.8. & 19.* eſſe obſcura, & ambiguè dicta. Omninò enim dum ſic loquitur ſignificare videtur Apoſtolos quidem *ipſum Spiritum Sanctum* dediſſe (hoc eſt ejus vel perſonam, vel eſſentiam) ordinarios verò miniſtros ſola Spiritus Sancti chariſmata, non autem ipſum Spiritum dare. Atque ille, ni fallor, concedit non ab Apoſtolis magis, quam à cæteris miniſtris datam fuiſſe Spiritus Sancti ſiue perſonam, ſiue eſſentiam, & ab vtriſque item, non ipſum hoc ſenſu Spiritum, ſed ejus duntaxat chariſmata. Sed hoc vult ſcilicet Actorum octauo dici Spiritum datum fuiſſe ab Apoſtolis; non autem dici duntaxat, Spiritus hæc vel illa dona data ab iis fuiſſe; quod ſanè verum eſt; Illic enim hæc ipſa verba leguntur; *Orauerunt* (Apoſtoli) *pro ipſis, vt acciperent Spiritum Sanctum.* Tum, *Nondum enim in quemquam illorum venerat*; Item; *Tunc accipiebant Spiritum Sanctum*; Mox denique, *Cùm vidiſſet Simon, quòd per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus.* In his omnibus fateor, *Spiritus Sancti* nomen nudè poſitum eſſe, nuſpiam dictum eſſe *dona gratis data*; quod ait Bellarminus; vel, vt Paulus alibi loquitur, *gratia charismata*, vel *Spiritus chariſmata.* Inde effici nego, vt *Spiritus* nomine ita poſito etiam illa chariſmata, ſiue *dona gratis data*, ſignificata hoc loco non fuerint. Cùm enim in hujuſmodi locutionibus Spiritus nomen metonymicè ſumatur non pro ipſa Spiritus perſonâ, ſed pro ejus in homine effectu, nulla ratio eſt, cur etiam huius generis chariſmata *Spiritus* nomine dici non poſſint, quæ omnes

L. de Confirm. c. 2. §. Sed etiam.

Act.8.15.16.17.18.

1.Cor.12.4.5.

nes

nes conſitentur Spiritus Sancti effecta eſſe. Nihil eſt in veteri Teſtamentô vſitatius, quàm eô nomine ſignificari prophetandi donum; *Spiritus Domini irruit in me, & dixit mihi, loquere. Spiritus Dei induit Zachariam.* Ac ne quis, cavilletur, etiam vbi de Saule ſermo eſt, *factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini.* Quin & hoc vſque adeò apud Hebræos vulgare eſt, vt רוח הקדש *Spiritum ſanctitatis*, ſiue *Spiritum Sanctum* non aliter ferè quam de dono Prophetiæ vſurpent; qualiter verbi gratia vſi ſunt in celeberrimo illo Gemaræ dicto, *quinque res in templo ſecundo defuerunt, quæ ſunt Arca, propitiatorium, & Cherubim ignis;* ושכינה *& præſentia majeſtatis Dei,* ורוח הקדש *& Spiritus Sanctus; & Vrim & Thummim. Arca, propitiatorium, & Cherubim rem vnam dicunt;* quô locô *Spiritum Sanctum* prophetiæ donum dici quod ſub priore templo viguerat, ſub poſteriore defecit, & omnes fatentur, & certum eſt, & ipſa denique Gemara docet, continenter his dictis addens, *Neque fuit Spiritus Sanctus in Prophetis ab annô ſecundô Vacij, & deinceps.* Cum autem *Spiritum illum* Iudæi vnà cum cæteris gentis ſuæ inſignibus à Meſſia reſtitutum iri crederent, atque ſperarent, eô fit vt non abſurdè exiſtimare quis poſſit ad hanc eorum ſpem reſpexiſſe, & Dominum Chriſtum, cum Spiritus Sancti magnam quandam, & inexhauſtam vim, atque copiam ſuis paſſim promittit; & Petrum, cum in Actis illa, de quibus diximus, ſane magnifica, ex Ioële recitat, *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem;* Et paulò poſt de Spiritu in ſe ſuoſque collegas à Dominô Chriſtô effusô dicit *Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus S. acceptâ à Patre, effudit hunc, quem vos videtis & auditis.* Nimirum ſignificat eos abundè nunc impletum cernere, quod ſub Meſſiâ futurum ſperabant; *Spiritum illum Sanctum,* quem ab eô expectabant, vberrimè à ſuo Ieſu nunc repræſentari; vt nihil ſit, quod dubitent, quin iſte verus ſit Meſſias, qui adeò magnificè & promiſſiones cœleſtes expungat, & ſpem fidemque Iſraëlis impleat; Atque his rationibus adductus vir doctiſſimus Ludouicus de Dieu ὁ μακαρίτης eò refert phraſes iſtas, *Spiritus S. nondum erat. Ne audiuimus quidem an Spiritus S. ſit.* & hoc ipſo de quô agimus locô; *nondum in quemquam eorum venerat Spiritus S. Intelligitur* (inquit) *Spiritus iſte Propheticus, qui ab initio templi ſecundi defecerat inter Iudæos; jam autem & longè vberiùs reſtituebatur per Ieſum Chriſtum.* Hactenus ille. Cum ergo *prophetiæ donum gratia* ſit *gratis data,* cumque pateat id apud Hebræos, quorum ſermone & phraſibus vſi ſunt noui Teſtamenti ſcriptores, *Spiritum Sanctum,* & in Scripturis, quod idem eſt, *Spiritum Domini* dici; nemo jam non videt falsò ac perperam ſumpſiſſe aduerſarium *dona gratis data* non dici ſimpliciter in Scripturis *Spiritum Sanctum;* falsò adeò & nullâ ratione concluſiſſe non ſola *dona gratis data* eos, quibus ab Apoſtolis

Ezech. 11. 5. 2. Par. 18. 20. 1. Reg. (heb. Samuel) 19. 23.

In fine Gem. in Ioma.

Ioan. 7. 38. 39.

Act. 2. 17.

Act. 2. 33.

Animaduerſ. in Act. 8. 16. Ioan. 7. 39. Act. 19. 2. Act. 8. 16.

poſtolis manus imponebantur, accepiſſe, ex eo quod illos *Spiritum Sanctum accepiſſe* Scribit Lucas. Quamquam & hoc ipſum, quod volunt aduerſarij, aliquo ſenſu de iis, qui dona iſta accipiebant, nullô cauſſæ noſtræ damnô, concedere poſſimus. Cum enim hæc dona, vtpote miraculoſa, & ſuopte ingeniô, & ex Dei ea conferentis animô atque conſiliô, doctrinæ Euangelicæ veritatem, ac diuinitatem arguerent, ac probarent; haud equidem negauerim quibus conferebantur, eos iſtis veluti totidem euidentiſſimis argumentis in fide Euangelij magis, magiſque fuiſſe confirmatos; verum, vt omnes vident, ex conſequenti, & à poſteriori, vt Scholæ loquuntur, ex quô minimè ſequitur ea per ſe aliud fuiſſe, quam *dona, gratis data*. Illud fateor, ſiqui ex ſuſcipientibus eſſent hypocritæ, aliter iis ceſſiſſe donum, neque hunc vſum præſtitiſſe; verum id per accidens præter rei ingenium & dantis conſilium accidiſſe. Iam quod addit Bellarminus *Spiritum S.* non dici *habitare in eo, in quo non ſunt niſi illa dona gratis data*; id, inquam, ad hanc cauſam non pertinet, cum Lucas, de cujus oratione quæritur, dixerit iſtos, de quibus verba facit, *Spiritum Sanctum accepiſſe*; *in illis habitaſſe* Spiritum, nuſquam ſcripſerit. Cum enim *habitare* ex Scripturæ vſu ſit *conſtanter ad finem vſque permanere*, concedimus, qui *ſola dona gratis data* acceperunt, in iis Spiritum S. minimè (hoc ſanè ſenſu) *habitare*; in quibus ſcilicet non manet ad exitum, ſed plærumque citò exareſcit, ac deficit. Ioan. 14. 16. Cum Apoſtolis *manſurus*, & quidem *in æternum* dicitur apud Ioannem. Neque mirum; cum illi non ſola dona *gratis data*, ſed etiam *gratum facientia* haberent. Neque his quæ diximus, repugnat auctor libri Sapientiæ, ſed aduerſarius, qui eum citat, multipliciter peccat. Primò, quod etiamſi illius ea eſſet, quam ipſe fingit, ſententia, ne ſic quidem quicquam rectum & legitimum colligeret. *Spiritus Sanctus* (inquit) *effugiet fictum, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Ergo, inquam, nulla *dona gratis data* peccatores vnquam à Spiritu accipiunt. Quem enim effugit Spiritus, ei nulla ex ſuis donis largitur. At ipſe aduerſarius contendit, & ex Matth. 7. ſanè rectiſſimè probat *dona illa gratis data etiam in peccatoribus interdum inueniri*. Ergo ejus argumentum plus concludit, quàm neceſſe erat; Rem enim, quam ipſe falſam eſſe, & quidem hoc ipſo loco, apertè confitetur, concludit; eoque neceſſe eſt, vt ſuum ipſius argumentum vitioſum ac ſophiſticum eſſe agnoſcat. Alterum ejus in hoc loco peccatum eſt, quod verba illius ſcriptoris inuertit, & aliter citat, quam apud eum habentur. Auctor ita ſcripſit, Sap. 1. 4. *In malevolam* (κακότεχνον) *animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Bellarminus citauerat, quaſi ſcriptum eſſet, *Spiritus non habitabit in corpore, &c.* At aliud eſt *Spiritus Sanctus* ſimpliciter, aliud *ſapientia*. Sapientia enim hoc loco ex vſu ſcripturæ eſt (defi-

(definiente Eſtio) *verum diuinarum notitia affectuoſa*; vel (vt idem ex Auguſtino ait) *pietas*. Huiuſmodi autem *ſapientia* donum eſt *gratum faciens*; vt vbicunque ipſa eſt, ibi aliud eſſe neceſſe ſit quam *dona gratis data*. De Spiritu, aliter res habet, qui cum vtrumque donorum genus complectatur; vbicumque vno aliquo ſuo effectu eſt, ibidem nihil neceſſe eſt & cæteris ſuis donis adeſſe. Tum hæc in libro Sapientiæ ſequuntur; *Spiritus enim Sanctus disciplinæ* παιδείας *effugiet fictum*. Bellarminus vafrè *Spiritum Sanctum* ſimpliciter dixit; quià ſic dici ad rem eius intererat; qui ſcilicet defendit quidem *dona gratis data* non ſolere dici *ſimpliciter Spiritum Sanctum*; non negat verò dici *Spiritum Sanctum* cum aliquô adjunctô, vt verbi gratià *Spiritum prophetiæ*, *ſpiritum linguarum*, *diſcretionis*, *miraculorum*, &c. Cum ergo hic, qui apud hunc Scriptorem legitur, *Spiritus* non ſit *ſimpliciter* Spiritus Sanctus, ſed *Spiritus Sanctus* παιδείας *diſciplinæ*, apparet eum nihil ad rem Bellarmini facere. *Spiritus* autem ille *Sanctus diſciplinæ* eſt (interprete Emanuele Sa) *ſpiritus ſancta diſciplinæ*; vel (ſi Tirinum & ipſum quoque Ieſuitam audire mauis) *eſt Spiritus Dei tradens inſtar magiſtri diſciplinam*, *ſeu inſtructionem ſapientiæ*. Ipſe ille denique ſpiritus eſt, qui mox verſu ſequenti *Spiritus ſapientiæ* dicitur, id eſt homines ad pietatem formans, atque effingens; quem quidem Spiritum nemo negauerit ab iis alienum eſſe, qui nulla præter *gratis data* dona habent; cum ipſe ſuis illis nominibus *dona gratum facientia* neceſſariò complectatur. Poſtremò, etiamſi hoc locô *Spiritus ſanctus* ſimpliciter, nullo alio adjecto, diceretur, nihil tamen id Bellarmini cauſam juuaret. Eo enim probaretur quidem (quod nemo negat) Spiritum ſanctificantem, & *gratiam* eam, quæ *gratum* facit in nobis operantem, *Spiritum Sanctum* ſimpliciter aliquando dici; non probaretur, quod nos negamus, nunquam eodem nomine Spiritum *gratiæ gratis datæ* ſignificari. Denique in hoc Bellarminus cum multis aliis peccat, quod *fictum* eo loco pro homine ficto, ſiue hypocrita accipit. At fictum iſtic eſſe *id quod fictum eſt*, vt ait Tirinus, non autem *eum, qui fictus eſt*, docent primum Græca; quæ ſic in omnibus codicibus leguntur, ἅγιον γὰρ πνεῦμα παιδείας φεύξεται δόλον. *Sanctus enim diſciplinæ Spiritus fugit dolum*. Tum idem poſtulant verba in altera verſus parte ſequentia, καὶ ἀπαναστήσεται ἀπὸ λογισμῶν ἀσυνέτων, & *abſiſtet à cogitationibus*, ſiue *ratiocinationibus inſanis*, ſiue *imprudentibus*; quales ſunt ſcilicet, prauæ ac doloſæ. Idem eſt in priore parte φεύξεται, *fugiet*, quod in poſteriori ἀπαναστήσεται, *abſiſtet*, vel, vt Latinus, *auferet ſe*. Idem quoque illic *fictum*, quod hic *cogitationes imprudentes*. Illic ergo *fictum*, non hominem ipſum, ſed *animum*, ſiue *conſilium* intelligit. Vide jam quanta noſter diſputator in tantulô ſpatio peccarit, quamque procul à propoſito aberret! Sed, fac tamen locum de *homine ficto*

intelligendum. Plana erit ſententia, Spiritum, quos doloſo, aoyt Scriptura loquitur, duplici corde eſſe videt, eos fugere, & ab iis abſiſtere. Vnde concludas licet, Spiritum dona ſua iis auferre, qui non purè neque ſincerè, & bona fide agunt; (quod quis negat?) non concludas nulla vnquam iis dona, nulla chariſmata dediſſe. Nimirum iſti initio aliquem pietatis guſtum habent; ad Euangelij vocem concurrunt; nomen in credentibus profitentur ſuum; & credunt ſanè, verum imperfectâ; & (vt Scholæ noſtræ loquuntur) *hiſtoricâ* tantum *fide*. Tum indulta iis promiſcue vna cum veris firmiſque credentibus aliqua ex Spiritus *donis gratis datis*. Mox doloſè reſiliunt; & vel cruce offenſi, vel vitiorum libidinibus fracti, peſſimâ fide Chriſtianiſmô defunguntur; quod iis accidit, qui in parabola Euangelicâ *πρόσκαιροι temporarij* dicuntur. Hoc verò demum temporis articulo ingratos animos deſerit Spiritus, & quæ primum donauerat ornamenta, paulatim ea deripit; iuſtoque judicio ſuis chariſmatis ſpoliat, qui iis rectè ac legitimè vti noluerunt. Sed hæc quidem de primo Bellarmini ſophiſmate plus ſatis. Alterum ſequitur; *Id dabatur* (inquit) *per manus impoſitionem; quod promiſerat Dominus Ioa. 14. 15. 16. & Luca vltimô, vt ſupra oſtendimus. At quod promiſit Dominus non erat donum linguarum, aut curationum (id enim fuit additamentum quoddam) ſed gratia roborans & confirmans in fide*. Reſpondeo nihil eſſe ſani in totô hoc argumentô. Nam ex iis quæ ſuprà diximus, patet neque idem omninò eſſe, quod apud Ioannem promittitur cum eô, quod dabant Apoſtoli; neque illic quæ promittuntur iiſdem promitti, quibus hæc ab Apoſtolis collata ſunt; neque denique id, quod Apoſtolis apud Ioannem promittitur, ordinarium eſſe *Spiritus donum*, ſiue *gratiam* ſimpliciter *gratum facientem*, niſi forte, quis Spiritum prophetiæ, qui iſtic diſertiſſimè promittitur, *ordinarium donum* cenſeat. Itaque multò verius ac validius ſupra ex eô, quod hîc repetit aduerſarius, *id ipſum datum ab Apoſtolis, quod iis promiſſum erat*, concluſi extraordinaria fuiſſe, quæ dederunt. Sed & ſe ipſum contradictione implicat aduerſarius. Nam ponit & quod dabatur ab Apoſtolis, id apud Ioannem promiſſum fuiſſe, & negat idem *linguarum donum* apud Ioannem promiſſum eſſe; quod ſi vtrumque verum eſt, non poteſt non eſſe falſum, quod & Euangeliſta tamen narrat, & ipſe aduerſarius fateri cogitur, *linguarum donum* fuiſſe ab Apoſtolis datum. Ego verò confiteor quidem non fuiſſe proprie, diſerteque hoc doni genus apud Ioannem expreſſum. Eo fieri, vt promiſſum non fuerit, nego. Nimirum continebatur eô Spiritus genere ac nomine, quem Christus Apoſtolis pollicetur. Et ſanè videmus Dominum, vbi die dicta promiſſum expunxit, in primis Apoſtolos eâ linguarum facultate ornaſſe. Id tantum hoc locô meminiſſe oportet, quod ſuprà obſer-

obſeruandum monuimus, non fuiſſe ſingulis data omnia, ſed ex omnibus aliqua. Denique *gratiam* ab Apoſtolis *datam* ego facilè conceſſerim *fuiſſe roborantem, & confirmantem in fide*; Si modò eô ſenſu ſumas, quô paulò ante explicauimus, nimirum vt gratia fuiſſe intelligatur, quæ per ſe, & ex ſuô ingeniô, & ſane ex Dei auctoris, atque miniſtrorum, ſiue Apoſtolorum conſilio, ad Euangelij veritatem demonſtrandam pertinebat. Quis enim tam ſtupendum donum vel aliis, vel etiam, quod multo magis afficit, ſibi ipſi dari videns; non eô ſollicitetur credere & illum cujus iſti miniſtri erant; verum eſſe Deum, & quam illi prædicabant doctrinam, veram eſſe, & auctore tantô dignam? Furere profectò, vel certè diabolica quadam nequitia ac malignitate laborare eos oportuit, quibus argumento adeo claro, atque euidenti perſuaderi non potuit Chriſtianiſmi noſtri diuinitas; vt quibus tale chariſma donatum erat, iis nulla (vt videtur) inuidia ſit dicere *datam fuiſſe* (quod ait aduerſarius) *gratiam roborantem, & confirmantem in fide*; multò ſiquid judico, rectius, atque veriùs, quam iſti de ſuis chriſmâtis idem dicere ſolent; quos quid *corroborare, atque confirmare* poſſit, in totô iſtorum quantumvis longô, ac laciniosô myſterio, nihil equidem video; nihil merum, vt puto, vel alij, vel ipſi etiam aduerſarij vident. Tertio ſic agit aduerſarius; *Dona illa non erant communia omnibus, vt patet ex* Rom.12. & 1.Cor.12. *Numquid omnes prophetant? numquid omnes loquuntur linguis? At Spiritus Sanctus per manus impoſitionem dabatur omnibus, vt apertè colligitur ex locis notatis Act.8. & 19.* Reſpondeo primò hoc argumentum plus concludere, quam decet; adeoque vitioſum eſſe. Id enim, ſi vt inſtituere cœpit aduerſarius, legitimè peragatur, concludet iſta dona, gratis ſcilicet data, non fuiſſe data per Apoſtolicam manuum impoſitionem; quod liquido falſum eſſe, ne Bellarminus quidem negauerit. Ille primo hoc ponit, *Nulla dona gratis data erant communia omnibus.* Aſſume jam, quod vt legitimè inſtituatur ratiocinatio, eſt neceſſariò aſſumendum; Atqui dona omnia per manus impoſitionem ab Apoſtolis data erant omnibus communia; Inde fit, vt vides, hæc concluſio; Ergo nulla dona ab Apoſtolis per impoſitionem manuum data, erant dona gratis data. Concluſio eſt euidenter falſa; Datum enim fuiſſe ab Apoſtolis *linguarum* donum conſtat ex Actis; quod omnes in donorum gratis datorum cenſu locant. Ergo ſophiſticum eſt, & vitioſum argumentum. Signa autem (id eſt Syncategoremata *omnis, & nullus*) quæ ego addidi, omiſit aduerſarius, ea inquam ſi detraxeris, jacebit tota ratiocinatio, iners, & ad hanc cauſam inutilis. Iam verò, vt ſigillatim ad ſingula reſpondeam, dona illa gratis data (hoc eſt linguarum, curationum, prophetiæ, &c. dona) fateor non ita fuiſſe omnibus communia, vt ea ſinguli omnia habe-

rent; quod allata ex Paulo duo loca demonſtrant, vt eſt ejus verba legentibus perſpicuum; Non fuiſſe ea omnibus ita communia, vt ex iis aliquod ſinguli haberent, nego; negat mecum Grotius. Idque me verè meritoque negare, facile intelligi poteſt; tum ex ipſo illo Pauli 1.Cor. 12. capite, tum ex Chriſti apud Marcum teſtimonio; quod vtrumque ſuprà deſcripſimus, & expendimus; nequid de Ioëlis allatis à Petro verbis dicam, in quibus diſerte promittit Dominus *ſe de Spiritu ſuo effuſurum ſuper omnem carnem*; *ſeruorum* ſcilicet *ſuorum*, vt ex iis, quæ continuò apud Prophetam ſequuntur, optimè (vt ego quidem judico) interpretatur Grotius; *Super ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.* Itaque rari omnino in illis naſcentis Eccleſiæ primordiis erant, qui non aliquô ex iſtis Dei muneribus ornati eſſent. Id tantum intererat, quod aliis vel plura, vel præſtantiora, aliis vel pauciora, vel minus illuſtria donabantur; aliis ſtatim à ſuſceptô baptiſmô, quibuſdam etiam antè, nonnullis nonniſi vel paulò, vel etiam longè poſt baptiſmum conferebantur; iſta variè Domino pro ſua illa πολυποικίλῳ ſapientia diſpenſante; ſic tamen vt, quod dixi, nemo fere abiret indonatus. Iam quod addit aduerſarius *omnibus datum fuiſſe Spiritum ſanctum per Apoſtolicam manus impoſitionem*, concedo, ſi intelligit, quibus illi manus impoſuerunt, eorum fuiſſe neminem, cui Spiritum S. non conferrent. Sin vult, quod omninò velle videtur, neminem tum fuiſſe fidelium in totô orbe, cui non Apoſtoli manus imponerent; id verò nego. Neque ſane probabile eſt. Ait quidem Bellarminus id *apertè colligi* ex Act. 8. & 19. Ego verò id iſtic ne leuiſſimè quidem innui contendo. Quid enim aliud narrat ibi Lucas; niſi Petrum & Ioannem quidem Samaritanis credentibus, Paulum verò quibuſdam Epheſi diſcipulis manus impoſuiſſe? Indè, quî colligi poſſit, & omnibus omninò credentibus manus impoſuiſſe Apoſtolos, non equidem video. Bellarminus certè demonſtrare debuerat; cum ſciret in diſputationibus nulli ſimpliciter affirmanti credi. Quod ſi me roges, quo ergo ſacramento illa ſpiritus chariſmata extraordinaria, quæ penè omnes credentes tunc temporis accepiſſe concedo, ſingulos accepiſſe putem; reſpondeo nullo ſacramento accepiſſe; ſed ex vnô Dei beneplacitô, & cariſſimi Filij promiſſione; qui horum *ſignorum* facultatem, non baptizatos, non manus impoſitione obumbratos, non aliquo ſacramento dedicatos, ſed credentes accepturos prædicit; *Signa autem* (inquit) *eos, qui crediderint, hæc ſequentur; in nomine meo demonia ejicient*, &c. Itaque magnam animaduertere licet in his diuerſitatem. Aliis data iſta fuerunt, etiam ante baptiſmum, ſimul atque crediderunt, vt Cornelio & toti eius familiæ. Aliis data poſt baptiſmum; Sed in linguis igneis, quæ nullum fuerunt propriè dictum ſacra-

In Marc. 6. 17. 18.

Marc. 16. 17. 18. Ioël. 2. 28. Act. 2. 17.

In Marc 16. 17. Ioël. 2. 29. Act. 2. 18.

Marc. 16. 17.

Sacramentum; quod iis contigit, qui vnà cum Apoſtoſis Spiritum Sanctum ipsô Pentecoſtes die acceperunt. Aliis data ad Apoſtolicam benedictionem, ſiue manuum impoſitionem, quæ neque ipſa vllum ſacramentum fuit; vt Samaritanis, & diſcipulis illis Epheſiis. Hæc diſertè commemorata ſunt, vt ex paucis exemplis pateat quanta fuerit illius diſpenſationis diuerſitas; quæ & ipſa rei admirabilitatem non parum auxit. Sed & aliis modis, aliiſque temporum articulis data hæc dona fuiſſe tametſi ſcriptum non ſit, ex his tamen quæ ſcripta ſunt, facile (vt mihi quidem videtur) intelligemus. Pergit Bellarminus; *Quartò* (inquit) *Apoſtolus ad Hebr. 6. numerat impoſitionem manus* Hebr. 6. 2.
cum baptiſmô, cum fide, cum pœnitentiâ, cum aliis rebus, quæ pertinent ad ſalutem; imò etiam ad fundamenta religionis, vt ibidem Apoſtolus dicit. At certè loqui linguis, & prophetare, non pertinet ad ſalutem, multò minus ad fundamenta religionis. Hæc ille. Difficile, ni fallor, fuerit ex iſtis conficere non fuiſſe extraordinaria Spiritus dona, quæ Apoſtolos Act. 8. & 19. contuliſſe legimus. Certè ſi vrgeatur argumentatio, vix aliud dabit, niſi hoc vnum, donum linguarum impoſitionem manuum non fuiſſe, quod ad fundamenta Chriſtianæ religionis hæc ſcilicet pertineat, illud verò non pertineat; vt optimè eſt à præſtantiſſimô noſtro Cameriô obſeruatum. Huc accedit, quod illam *manuum* L. 4. de Sacram. c. 10. §. 40.
impoſitionem, de quâ Paulus in hoc ad Hebræos locô, ex ipſis aduerſariis alii ad *Confirmationem* pertinere negent, eamque ad catechumenorum, & energumenorum benedictionem referunt, vt Salmero, & In loc.
Iuſtinianus; alij ad Confirmationem referunt quidem; ſed ita tamen, vt eam etiam *manuum impoſitionem*, intelligi velint, quâ infirmi à Chriſtô curabantur, miraculaque fiebant; quod ſequitur Thomas. Ex priori ſententiâ, nihil omnino iſtic habet Bellarminus, quod agat. Ex poſteriori, non habet, quô ſigna & miracula hinc excludat; neque adeò *linguarum*, vel prophetiæ donum, quod vtrumque miraculoſum fuit. Neque verò valet, quod ait ab Apoſtolo iſtam manuum impoſitionem inter Chriſtianæ religionis fundamenta cenſeri. Si ita res habet, nihil eſt quod hic vel ſuam Confirmationem quærat, quæ religionis Chriſtianæ *fundamentum* adeo non eſt, vt neque ad ſalutem neceſſaria ſit, neque quemquam vel *ſub veniali* obliget; teſtibus, quos ſuprà edidimus, aduerſariis. Θεμέλιον καταβάλλειν *fundamentum jacere*, idem hic eſt Apoſtolo, quod proximo ſuprà capite fuerat διδάσκειν τίνα τὰ ϛοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ, *docere, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei*; vt locum vtrumque inter ſe comparanti liquebit. Heb. 5. 12.
Illa verò verbi diuini ϛοιχεῖα *elementa*, ſiue *fundamenta* ea omnia ſunt, quæ catechumenis ad eos religione Chriſtianâ commodiſſimè imbuendos, proponi ſolebant; quô in numero erant, non ſola abſolutè, ſimpliciterque ſiue *ex præcepto*, ſiue *ex*

medio ad ſalutem neceſſaria, ſed etiam alia multa, quæ ad fidem Euangelij animos præparabant. Itaque licet *linguarum*, vel *prophetiæ donum*, neque ad ſalutem, neque ad fundamenta religionis propriè dicta pertineat; nihil tamen vetat, quin locum inter iſta (vt ſic dicam) initialia & elementaria ea quoque habere potuerit; ſiue de eâ intelligas, quâ in ordinandis miniſtris, ſiue de eâ, quâ in curandis infirmis, ſiue etiam de eâ, quâ in conferendis miraculoſis donis vtebantur vel Apoſtoli, vel Apoſtolici; ſiue (quod ego quidem malim) de omnibus vniuerſim & in genere accipias. Nihil enim iſtorum fuit, quod non aliquid conferret ad excitandam, atque confirmandam in catechumenorum animis veritatis euangelicæ fidem. Nam illud habebant omnes, quod ſigna, eaque profectò haud ſpernenda continerent; quæ non poterant aliundè, quàm à cœleſti aliquâ ac diuinâ vi proficiſci. Itaque Apoſtolus in hac ipſâ epiſtola *varias virtutes*, quo nomine haud dubie & ἰάματα curationes comprehendit, &
Hebr. 2. 5. 4. *Spiritus Sancti diſtributiones* inter eà recenſet, quibus confirmata eſt ſalutaris Ieſu Chriſti Domini noſtri doctrina. Cum ergo ad vtrumque illud opus Apoſtoli *impoſitione manuum* ſæpe vterentur; Bellarminus profectò, niſi facinus Catechetâ indignum putet ſuis audientibus ea tradere, quæ ad confirmandam ſalutarem doctrinam pertinent, neque debet, neque poteſt etiam iſtam de datis per Apoſtolicam manuum impoſitionem prophetiæ, aut linguarum donis, commemorationem, ab his elementaribus Pauli ſermonibus excludere. Quintò ſic agit Bellarminus; *Si nihil* (inquit) *aliud conferebat Spiritus Sanctus datus per manuum impoſitionem, niſi dona illa miraculorum; certè nunquam Apoſtoli primarij Petrus & Ioannes ex Hieruſalem in Samariam deſcendiſſent, vt manum imponerent. Nam ſatis multa miracula operabatur Philippus in Samaria, vt non eſſent ibi neceſſarij alij, qui miracula facerent.* Sed primò vnde didicit aduerſarius nullam aliam mittendorum Apoſtolorum cauſam fuiſſe, niſi hanc vnam, vt dona miraculoſa credentibus impertirentur? Certe Lucas hoc iſtic opus ab iis editum narrat; aliam aliquam miſſionis cauſſam fuiſſe, non
Act. 8. 14. negat; ſimpliciter præfatus *Apoſtolos, qui Hieroſolymis erant, cum audiſſent, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſiſſe ad eos Petrum & Ioannem.* Conſilij occaſionem dicit; cauſam, & finem proprium non dicit. Sed magnam omninò fuiſſe cauſam apparet, quæ tales viros, hoc eſt non Apoſtolos modo, ſed primarios, imò facile principes Apoſtolos, & quidem vnum ex his totius collegij (ſi aduerſariis credimus) caput, atque Monarcham, impulit relicta Hieroſolyma, vna hactenus, tunc & præcipua Eccleſiæ ſede, in Samariam excurrere. Neque difficultatem exhauſeris, ſi dixeris, quod aduerſarij cantillant, ideo neceſſe fuiſſe iſtos mitti, quod hoc ſacramentum nemo præter

Apoſto-

Apoſtolos miniſtrare poſſet. Nam neque iſtos videmus, quicquid de huius ſui ſacramenti præſtantia atque vtilitate ſentiant, vel vnum de tam multis quibus abundant Epiſcopis, in quaſdam ex iis regionibus mittere, in quibus receptum ſuum Euangelium audiunt; vt in Sinas, verbi gratia, aut in Britannicas nobis vicinas inſulas. Cur Samaritanis hoc (quod vocant) ſacramento non æque carere licuit, quam noſtris hodie Sinenſibus, aut Britannis? Sed eſto. Neceſſe fuerit Samaritanos ob neſcioquam occultam & ignotam rationem, hoc ſacramentum accipere: Eſto & hoc verum, quod placet aduerſariis, nemini niſi Apoſtolo, id adminiſtrare tum temporis licuiſſe. Ratio hæc conficiet, mittendum fuiſſe Apoſtolum; Petrum mittendum, hoc eſt Regem de ſolio, de regia, de iis locis, in quibus eius præſentia maximè erat neceſſaria, præter dignitatem auellendum fuiſſe, non conficiet. Ioanni alius de gregariis Apoſtolis collega facile addi potuit. Ergo vel aduerſario inprimis confitendum eſt, aliam fuiſſe præter huius quicquid eſt ritus, mittendi Petri rationem; quæ ſi alia fuit, & quidem idonea, vides jam de Petri & Ioannis miſſione in neutram quæſtionis noſtræ partem præiudicari vel poſſe, vel debere; vanum adeo eſſe quintum Bellarmini hinc ductum argumentum. Nimirum ſuam rationem habuit virorum tantorum miſſio; quæ ſi mihi ignota ſit, non ideo nulla fuit. Imò fuiſſe aliquam demonſtratum eſt. Quod ſi coniecturis locus in re obſcura dandus eſt, ego quidem putauerim ideo potiſſimum hos viros ad eam prouinciam delectos, quod prima hæc Chriſto extra genuinam Iudæorum gentem ſurgeret Eccleſia; quam imbui ac dedicari, conſtituique manu, ac lingua Apoſtolica è re, & ipſius, & cæterorum Chriſtianorum eſſet; ne nouellam, & in alieno (vt ſic dicam) ſolo conſitam Domini vineam ob vilitatem operarij, Iudæi, & Iudaïci homines vel ſpernerent, vel calumniarentur. Sanctius vel eandem, vel certè ſimilem huius Apoſtolorum miſſionis cauſſam adfert; *Quia res erat magna* (inquit) *conuerſam eſſe ciuitatem Iſraëlitici quondam regni, & nunc ciuitatum multarum caput, res viſa eſt digna, quam ſummus Paſtor Petrus cognoſceret, remque Chriſtianam apud Samaritas ita conſtitueret, vt diuturnus eſſet fructus, qui tunc primum ex agro Samaritano oſtendebatur.* Ab hoc non abludit, quod dici poſſe ſcribit Eſtius *Apoſtolos fuiſſe miſſos honoris cauſſâ, vtque per eos magis ſolidarentur in fide Samaritani neophyti.* Et ſimile eſt, quod commentantur Menochius & Tirinus, ambo Ieſuiticæ ſocietatis ſodales, *miſſum potius fuiſſe Petrum, quàm alium, tum vt quaſi Paſtor Eccleſiæ, in eam recipiat gentem exteram; tum vt quaſi caput omnium Samaritas vniat Iudæis, à quibus ante implacabili ſchiſmate diſſidebant.* Quid, ſi ille omnium conſcius, quô Apoſtolorum conſilia regebantur, Spiritus Simoni Satanæ primogenito, apud miſeros

In act. 8.14. num. 10.

In act. 8.14.

In act. 8.14.

Samaritanos graſſanti, ne ſuos neophytos vaſtaret, maturè opponi voluit ſui gregis fortiſſimos? Diaboli Simoni, ſuum Simonem? Tartareo præconi cœleſte Ioannis tonitru? Sed hactenus quidem fas nobis fuerit conjecturis indulgere. Enimverò fac nihil omnino iſtorum fuiſſe; fac nullam aliam cauſam habuiſſe Apoſtolos cur in Samariam venirent, niſi vt Spiritum illum miraculoſum fidelibus traderent; Tibi-ne Bellarmine, id vſque adeò vile, ac nihili eſſe videtur, vt Apoſtolos rem vel ſuô miniſterio indignam, vel Domini ſui rebus non ſatis vtilem feciſſe judices, ſi ea ſola de cauſſa, Hieroſolymâ Samariam venerint? Ego vero longe aliter ſentio. Quid enim vmqnam apud homines maius, aut diuinius ab orbe condito viſum, vel auditum eſt, quam hoc, vt ſi cui homuncioni, rudi, atque imperito, & omnium rerum ignaro manus imponat alius æque mortalis, in illum è cœlo nouus repente illabatur Spiritus, & ſtatim eius animum totum ſic immutet, vt ignotas ante linguas planiſſimè vſurpet, & ſublimia, ac diuina myſteria expeditiſſimè peregrinis vocibus eloquatur? Itaque & cætera quidem jam à Philippo edita Samariæ ſigna ſtupens admiratus erat Simon Magus; Hoc verò vbi vidit, totus extra ſe raptus, tantæque rei deſiderio inflammatus, prorupit, oblataque, quod hactenus non fecerat, pecunia tantum donum redimere voluit; quaſi cætera quidem Philippo non vſque adeò inuideret; hoc vnum tanti faceret, vt etiam auri, hoc eſt rei animo ſuo longe omnium cariſſimæ, iactura redimi dignum putaret. Et hoc tantum eſt, vt non dubitem, quin ipſe tuus Papa, Bellarmine, ſi eam haberet facultatem, Vaticanam, Tarpeiamque rupes, quibus alioqui totus, loci dignitate captus, affixus hæret, libenter ad aliquot menſes derelicturus ſit, & Heluetiam verbi gratiâ, & Galliam peragraturus, tum ad ſuos nouo iſto & inaudito miraculo in Romani myſterij fide confirmandos; tum ad exteros, qui eius iugum aſpernantur, vel lucrandos, vel certe terrendos & conuincendos. Quid ergo abſurdi eſt, ſi principes Apoſtolos Hieroſolyma, cui illi multo minus, quam veſter Pontifex ſuæ Romæ, affixi erant, ad tempus relicta, Samariam vſque excurriſſe putemus ad confirmandam atque amplificandam hoc tam raro, tamque inuſitato ſigno Chriſti ſui Eccleſiam apud alienam à Dei fœdere gentem tum primum natam? Certe nemo non videt & ad Dei, Chriſtique gloriam ac veritatem, & ad hominum fidem, ac ſalutem pertinuiſſe, nequid inter hanc, & priorem ex Iudæis collectam Eccleſiam intereſſet; Diſcrimen autem inter vtramque notabile futurum erat, ſi quod hæc acceperat miraculoſi Spiritus donum, illa eius expers remanſiſſet. Sic enim confirmatus eſſet noxius, quo tum omnes ferè laborabant, error de effixo vni Iudæorum genti Meſſia, Meſſiæque fœdere; Quo vt plane, penituſque Petrum Apoſtolum liberaret

Act. 8. 18. 19.

Domi-

Dominus, non aliô poſteà vſus eſt, quam hoc ipſo documento; Nimirum & in Gentiles ipſos Spiritum illum linguarum, & Prophetiæ ſuum immiſit; eo clariſſime oſtendens *nihil ſe inter eos, & Iudæos diſcernere*; vt optimè id Petrus intellexit; ex eo hoc ipſum argumentans, quod & illis *Spiritum Sanctum dediſſet*. Vnde patet eius, quod tu Bellarmine, objicis ſolutio, *ſatis multa* (inquis) *miracula operabatur Philippus in Samaria, vt non eſſent ibi neceſſarij alij, qui miracula facerent*. Philippus alia fateor, Samariæ miracula fecerat; hoc non fecerat. Dæmoniacos (quod narrat Lucas) liberauerat, *paralyticos & claudos curauerat*. Spiritum illum *linguarum*, & *prophetiæ* nemini dederat. Neque hunc, præter Apoſtolos, quemquam alium dediſſe in Scriptura legimus. Si cauſſam quæris, illud mihi veriſimillimum videtur, quod eſt à Grotio allatum, *voluiſſe Deum ordinarie non contingere baptizatis dona illa admiranda, niſi per Apoſtolos, vt ea ratione principibus Miniſtris, quos teſtes ſuos elegerat, auctoritatem quammaximam conciliaret*. Ad cætera ergo præſtanda alios, præter Philippum, quod tu ais, *neceſſarios non fuiſſe* concedo; Ad hoc, quod longe maximum fuit, *neceſſarios* fuiſſe Apoſtolos liquet; quod non Philippus, non alius, præter Apoſtolos, edidiſſe cognoſcitur; τοῦτο γὰρ τὸ δῶρον (inquit Chryſoſtomus) μόνων τῶν δώδεκα ἦν. *Hoc enim donum ſolorum duodecim erat*. Et Philippus quidem & alij diſcipuli δύναμιν ἔλαβον ποιεῖν σημεῖα, οὐχὶ δὲ καὶ πνεῦμα διδόναι ἑτέροις· ἄρα τοῦτο ἦν τῶν ἀποστόλων ἐξαίρετον. *Virtutem acceperant* (inquit) *faciendi ſigna, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum. Igitur hoc erat Apoſtolorum eximium, & ſingulare*. Vltimum ſupereſt tuorum argumentorum ſextum; *Idem* (inquis) *oſtendunt exempla, quæ aduerſarij proferunt de vmbra Petri, & ſudario Pauli*. Quid, inquam, illa oſtendunt? Certe; ſi quod tu agendum ſumpſiſti oſtendunt, hocvtique oſtendunt, *falſum eſſe quod nos dicimus, illam Apoſtolicam manuum impoſitionem*, Act. 8. & 19. memoratam *non dediſſe niſi dona quædam loquendi linguis, & miraculorum* (hoc enim ipſum eſt, quod huic diſputationi probandum tute præfixiſti.) Hoc verò, quomodo quæſo iſta Petri vmbra, ſudariaque illa Pauli oſtendunt? *quia* (inquis) *nuſquam legimus per ea inſtrumenta datum eſſe Spiritum Sanctum, ſed tantum temporalem ſanitatem*. Ego verò nego ex hoc illud ſequi. Quæ enim, quæſo te, eſt inter iſta connexio, vt quia Apoſtoli per vmbram, & ſudaria nuſpiam leguntur Spiritum Sanctum tradidiſſe; ideò neceſſe ſit nos negare Spiritum Sanctum per manus impoſitionem ab illis traditum, donum linguarum, & prophetiæ fuiſſe? Iſta omnes vident non cohærere; & immane eſſe inter ea interiectum ſpatium; quod tibi omnino complendum fuit, ſiquid efficere velles, & demonſtrandum, hoc ex illo neceſſariò ſequi. An illud fortaſsè vis, Spiritum linguarum eiuſdem

Act. 10.

Act. 15. 8.

Act. 8. 7. 8.

In Act. 8. 15.

In Act. hom. 18. T. 3. in N.T. p. 170. b.c.

cum ſanitate generis eſſe (vtrumque enim ad dona gratis data pertinere) eoque communi eodemque vtrumque mediô ab Apoſtolis dari debuiſſe; proindeque quo ſanitatem datam medio legimus, hoc eſt, vmbra & ſudariis, eodem ſpiritum linguarum dari decuiſſe? vel qua manuum impoſitione Spiritum datum conſtat, eadem quoque ſanitatem reſtitui oportuiſſe? Hæc quidem ratio, ſi, quod videtur, tua iſta eſt, nihil contra nos concludit. Primo, quod ad chariſmata huius generis danda nullum Apoſtoli certum, ſtatumque medium; ſed aliud, atque aliud, interdum etiam nullum vſurparunt. Corporis enim Valetudines adhibita interdum vnctione ex oleo[1], interdum manuum impoſitione[2]: aliquando ſine vllo ſigno[3] curarunt. Ita Spiritus prophetiæ modò à Domino ipſo in linguis igneis; [4] modo impoſitis Apoſtolorum manibus [5], modo poſt nudam prædicationem [6], nullo vſurpato externo ſigno, credentibus datus eſt. In tanta diuerſitate clarum eſt nihil certi poſſe ſtatui de horum chariſmatum ſignis, ſiue ſymbolis externis. Secundò, Huc etiam & illud accedit, quod ſi propriè loqui velimus, neque *vmbra* Petri [7], neque *ſudaria* vel *ſemicinctia* Pauli [8] corpore contacta, ſymbola fuerunt ab Apoſtolis in curationibus vſurpata. Homines quodam veluti, ſanctô quidem illô & ſalutari fidei furtô, has curationes ab iis potius rapiebant, quam accipiebant, Deo qui nullis mediis aſtrictus tenetur, ſimplicem, ſed veram & ardentem iſtorum pietatem benedictione ſua ſic proſequente, vt magna inde rediret ad ſeruos ſuos commendatio. Apoſtoli verò quotiès hoc opus ipſi adminiſtrarunt legitimè, vt ſic dicam, & ſolenniter, vel verbô ſolô vſi ſunt, vt cum Petrus claudum curauit[9], vel impoſitione manuum, vt in Actis, cum Ananias Paulum cæcitate[10], Paulus vero Publium [11] febri liberauit, vel oleô, vt apud Marcum in Euangeliô, vbi Apoſtoli à Dominô Ieſu miſſi dicuntur *multos agros oleo vnxiſſe, & ſanaſſe.* Vnde patet, cùm *vmbra & ſudaria* neque ſint, neque verò dici poſſint ſolennia, ac legitima media gratiæ gratis datæ, nullâ ratione colligi Spiritum illum, de quo Act.8. ſi chariſma huius generis fuit, ipſum quoque debuiſſe aliquando, per *vmbram, & ſudaria* conferri. Multò verius hinc confeceris, cùm *gratiæ* illæ *gratis datæ* ſæpè ab Apoſtolis, vt ex his liquet, per *impoſitionem manuum* datæ fuerint, fuiſſe & huius generis gratiam Spiritum illum, qui Act.8. eodem inſtrumentô ſiue ſignô datus legitur; ſi vlla quidem eſt, quod hic ſupponit aduerſarius, à ſignis ad gratiæ per ea collatæ genus vera ac ſolida conſequentia. Sic ergo depulſis omnibus aduerſariorum obiectiunculis, quæ re verâ nihil aliud ſunt, quàm vel inanes paralogiſmi, vel fallacia ſophiſmata, nunc conſtat nihil valere præcipuum eorum argumentum, quo Confirmationis ſacramentum indè concludebant, quod Act.8. leguntur ij Spiritum Sanctum

[1] Marc.6.13.
[2] Act.28.8.
[3] Act.3.7.8.
[4] Act.2.3.4.
[5] Act.8.17.
[6] Act.10.44.
[7] Act.5.15.
[8] Act.19.12.
[9] Act.3.3.4.
[10] Act.9.17.
[11] Act.28.8.

ctum accepiſſe, quibus Apoſtoli manus impoſuerant; firmamque adhuc & inconcuſſam ſtare noſtram illam eius ſolutionem, quâ reſpondimus *Spiritus Sancti* nomine eô locô ſignificari linguarum, vel prophetiæ miraculoſum donum.

CAPVT X.

Spiritum ab Apoſtolis per manus impoſitionem datum ſignificare chariſmata extraordinaria, prophetiæ, & linguarum, &c. probatur ſeptem rationibus.

AC tametſi aduerſariorum objectiones disjeciſſe ad eas partes, quas in hac diſputatione ſuſtinemus, ſatis ſit; tamen vt res tota clarior fiat ac certior, hic velut ἐκ περιουσίας rationes aliquas colligemus, quibus id ipſum, quod diximus, & obiter jam non ſemel probauimus, abundè confirmatur; nempe *Spiritus Sancti* nomine in illô Lucæ locô *extraordinaria Spiritus dona*, puta linguarum, & prophetiæ ſignificari, quæ vulgò in Scholis *gratiæ* dicuntur *gratis data*. Mitto, quod ſuprà ſatis exſecuti ſumus; cùm aduerſarius ipſe ſtatuat datum ab Apoſtolis Spiritum ejuſdem generis atque ordinis cum eô fuiſſe, quem ipſi feſtô Pentecoſtes die acceperant, euidenter hinc confici, Spiritum illum Prophetiæ, & linguarum donum fuiſſe; quod Apoſtolos ſcilicet eô die accepiſſe & per ſe conſtat, & nos fusè demonſtrauimus. Neque illud repeto, quod ſuprà me quoque dixiſſe memini, cùm Spiritum, quem à Meſſia vulgò dandum Iſraëlis ſpes erat, *prophetiæ Spiritum* & Iudæi intelligerent, & non obſcurè Scripturæ ſignificauerint, omninò eſſe conſentaneum de eô accipi dona, quæ ſacri Scriptores à noſtrô Ieſu paſſim effuſa in illis naſcentis regni ſui initiis narrant. Sed præter has tertia ſit hæc ratio; quod cùm credentes eum ab Apoſtolis Petrô & Ioanne Spiritum acceperint, quo ad eorum vſque aduentum caruerant; omninò eos neceſſe eſt Spiritum vel prophetiæ vel linguarum, vel huius generis miraculoſum ab Apoſtolis accepiſſe; qui ſcilicet à Philippô baptizati jam antequàm illi veniſſent, Spiritum fidei, & ſanctificationis habuerant. Clara ſunt Lucæ verba; *Nondum in quemquam illorum venerat Spiritus Sanctus; ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu.* Vides baptizatos jàm fuiſſe. Qui verè baptizati ſunt, illi Chriſti ſunt; qui verò Chriſti ſunt, illi Spiritum Chriſti habent. *Siquis enim* (inquit Paulus) *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Conſentiunt aduerſarij. Ergo Samaritani illi à Philippô tincti jam ante Petri aduentum Spiritum San-

Act. 8. 16.

Rom. 8. 9.

Sanctum habebant; adeoque acceperant. Lucas autem quemquam eorum accepiſſe negat. Ergo neceſſe eſt, vt hæc inter ſe concilientur, fateri habuiſſe eos jam vnius generis Spiritum (hoc eſt ſpiritus dona) nondum habuiſſe alterius; habuiſſe ſcilicet *gratiam gratum facientem*, quæ in baptiſmô, quem acceperant, datur; nondum habuiſſe *gratiam gratis datam*; eamque adeò ab Apoſtolis per manuum impoſitionem accepiſſe. Eam enim certum eſt ab Apoſtolis iſtos accepiſſe gratiam, quam nondum anteà acceperant. Neque eſt, quod dicas habuiſſe eos vnum Spiritus ſanctificantis gradum; alterum auctiorem accepiſſe, habuiſſe à Philippô gratiam *iuſtificantem*; ab Apoſtolis, *confirmantem*. Nam qui Spiritum Chriſti habet gratum facientem in aliquo, & quidem memorabili gradu, vt is eſt qui in baptiſmô datur, de eô nonniſi falsò & abſurdè dici poteſt, quod eum *Spiritum non acceperit*; quod de iſtis Lucas diſertè; *Nondum* (inquit) *in quemquam illorum venerat Spiritus Sanctus.* Itaque hæc aliter ſtare non poſſunt, niſi concedamus, quod res eſt, eam *gratiam*, quam hic *Spiritus* nomine ſignificat Lucas, alterius generis fuiſſe quàm quæ in baptiſmô accipitur; hoc eſt, non, vt hanc, *gratiam* fuiſſe *gratum facientem*; ſed, quod diximus, *gratis datam.* Non fuit enim alterius generis, ſi & ipſa quoque gratia *gratum faciens* fuit; quod volunt aduerſarij. Nam quod aiunt tametſi eiuſdem ambæ generis eſſent, illam tamen, quæ per impoſitionem manuum data eſt, hoc habuiſſe ab altera, quæ in baptiſmo confertur, diuerſum, quod *confirmauerit*; id inquam, & gratis, & falsò dicitur. Quis enim ſi non iſtorum placita, ſed rem ipſam ſpectemus, quis inquam non videt, tam quæ in baptiſmô dantur Spiritus dona *confirmare* animum in Euangelicâ fide, quam quæ in Confirmatione dantur, vt iſti fingunt? Datur in baptiſmô, etiam iſtis confitentibus, Chriſtus, quem illic induimus; datur omnium peccatorum venia; datur adoptio, & ius filiorum; datur Spiritus ſanctificans, & conſolans; datur certa beatæ immortalitatis ſpes; Iſta ſcilicet Chriſtiani militis animum non confirmant? Nugæ. Imò, ſi verum amamus, nihil eſt, quod potentiùs, quam iſta, credentium in vocatione animos confirmet. Fruſtrà ergo ſua nobis inuenta cantillant. Res ipſa clamat iſtis donis baptiſmatibus verè confirmari Chriſtianos; nihil adeò vetare, quin ea in *gratiæ confirmantis* nomine, & cenſu habeamus. Cæterum non eſt hæc mea vel ſententia, vel ratio. Vtraque eſt Chryſoſtomi, & qui Chryſoſtomum hìc, vt alias ſæpe ſequitur, Oecumenij; πῶς οὖν φησι (inquit illle) πνεῦμα οὐκ ἔλαβον οὗτοι; πνεῦμα ἔλαβον, τὸ τῆς ἀφέσεως· τὸ δὲ τῶν σημείων οὔπω ἦσαν λαβόντες. *Quomodo, inquit, Spiritum ſanctum illi non receperant? Spiritum acceperant remiſſionis; Spiritum autem* SIGNORVM *nondum receperant.* Oecumenius hæc ipſa Chryſoſtomi verba deſcribit. Itaque paulò poſt Spiritum,

Hom. 18. in Act. T. 3. in N. T. p. 169. d.

ritum, quem dediſſe Philippum negat, eum τὸ τῶν σημείων πνεῦμα, *Spiritum ſignorum*, id eſt miraculoſum, vocat; eumque dare id Apoſtolorum cum ſuô Chryſoſtomo ἐξαίρετον *præcipuum* fuiſſe ſcribit. IV. Idem ex eô etiam confirmatur, quod Lucas de huius, quem ab Apoſtolis Samaritani acceperunt, Spiritus effuſione & donatione loquens, verbô ἐπιπίπτειν *illabi*, vel *irruere* ad eam ſignificandam vſus eſt. οὔπω γὰρ ἦν ἐπ' οὐδενὶ αὐτῶν ἐπιπεπτωκός. *Nondum enim in eorum quemquam irruerat, inciderat*, vel *illapſus erat* Spiritus Sanctus. Ἐπιπίπτειν eſt in hac re idem, quod Hebräicum נָפַל *naphal*, quod & LXX. ἐπιπίπτειν, vt hic Lucas, reddunt; interdum ſimpliciter πίπτειν. vt apud Ezechielem ἔπεσεν ἐπ' ἐμὲ πνεῦμα Κυρίου. In Hebræo eſt נָפַל *naphal cecidit*, vel *ruit in me Spiritus Domini*. Eodem ſenſu dictum eſt de Saule וַתְּהִי עָלָיו גַּם הוּא רוּחַ אֱלֹהִים ἐγενήθη ἐπ' αὐτῷ πνεῦμα θεοῦ. *Factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini*; eaque locutio in hoc negotio Scripturis eſt familiaris. Iam in omnibus Dei litteris, nuſquàm, quod meminerim, Spiritus ſanctificantis donatio his verbis ſignificata eſt; vt is ſcilicet, in eos, quibus datur, ἐπιπεσεῖν, vel ἐμπεσεῖν, *cecidiſſe*, vel *ruiſſe* dicatur. Hæc verba *Spiritus prophetici* ſunt in Scripturis propria; qui, vt ex his duobus, quæ adduximus locis, & aliis non paucis patet, cum aduenire & conferri alicui diuinitus ſignificatur, ferè ſemper dicitur *in eum incidere, irruere, & illabi*. Neque huius rei obſcura ei erit ratio, qui obſeruarit quod ſit vtriuſque Spiritus ingenium, quove modô eos, quibus datur, afficiat. Cum ergo hic, de quô Lucas agit, Spiritus huiuſmodi ſit, qui in eos, quibus datur, ἐπιπίπτειν *cadere*, & *ruere* dicatur; quod eſt in Scripturis, non ſanctificantis & ordinarij, ſed *prophetici* & *extraordinarij* proprium; nemo non videt eum huius, non illius censûs fuiſſe; hoc eſt donum linguarum, vel aliud miraculoſum, quod nos volumus; non *gratiam gratum facientem*, quod nullâ ratione contendunt aduerſarij. Atque hanc eſſe vocabuli Græci vim, ipſe quoque, quantumvis Ieſuita, Menochius animaduertiſſe videtur, dum in illa verba Latini interpretis, *in quemquam illorum venerat* (Spiritus ſcilicet) ita ſcribit; οὐκ ἦν ἐπιπεπτωκὸς, *non erat lapſus, ſcilicet per viſibile ſignum*. V. Quò & illud accedit, quod Spiritus iſte non fuerit à Philippo datus; imò neque ab eô dari potuerit, vt Chryſoſtomus, & Oecumenius, & plærique omnes tam veteres, quam recentes interpretes conſentiunt. Cur autem ab ordinariô, eoque in paucis excellenti, Chriſti ſeruo dari non potuerit ordinarium Spiritus donum, ratio nulla idonea fingi poteſt. Quæcumque enim ordinaria eſt, & perpetua & neceſſaria fidelibus gratia, eam abſurdiſſimum eſt ab ordinario miniſtro dari non poſſe. Et quæ aduerſarij garriunt de Epiſcopi & presbyteri diſcrimine, ea neque vera ſunt, neque ad hanc rem appoſita. Non ſunt inquàm, vera. Nullum

In act. 8. 15.16. p. 71. B.D. 79. A.

Act. 8. 9.

Ezech. 11.5.

1. Reg. (Hebr. Sam.) 19. 23.

In Act. 8. 16.

enim cernitur in omni nouo inſtrumento huius diſcriminis veſtigium; quin-imo nullum adhuc tum fuiſſe & liquidò ex Scripturis apparet, & jampridem eſt ab Hieronymo, & aliis Patribus non modò obſeruatum, ſed etiam demonſtratum. Tum etiamſi, quod abſurdiſſimum eſt, fingeretur aliquid iam tunc fuiſſe inter Epiſcopum, & presbyterum diſcriminis; ſatis eſt, quod Philippus, quiſquis de cæterô fuit, is certe miniſter fuit, cui & prædicare verbum Dei, & baptizare per muneris ſui rationem ius, & fas fuit. Hæc enim ei ſi facere licuit; cur non & cætera, quorum eadem omninò ratio (ex aduerſariorum quidem hypotheſi fuit) miniſtrare licuerit? Certè ſi ſenſibilem ritum, ſiue cærimoniam ſpectes, cum Ananias eiuſdem cum Philippo cenſus, atque ordinis miniſter, *manus impoſuiſſe* legatur; Stultum eſt imaginari non idem & Philippo collegæ licuiſſe. Sin rem ipſam intuearis; quidni *Spiritum* eum baptizatis dare potuerit, quem jam in baptiſmo contulerat? Nulla, vt vides, neque à re ipſa, neque à rei ſymbolo ratio eſt, cur iſtos Philippo *confirmare* æque ac *baptizare* jus, poteſtaſque non fuerit; ſi *confirmatio* quidem id vere eſt, quod iſti docent. At non potuiſſe Philippum Spiritum illum, quem dederunt aduenientes Apoſtoli, Samaritanis dare & res ipſa loquitur, & pæne omnes confitentur. Ergo neceſſe eſt *Spiritum* illum alterius omninò ordinis fuiſſe, quàm eum quem & Philippus, & cæteri omnes ordinarij Miniſtri dant; fuiſſe ſcilicet illud τὸ τῶν σημείων πνεῦμα *ſignorum* ſiue *miraculorum Spiritum*, quem Chryſoſtomus, & cæteri fere omnes putant à ſolis Apoſtolis datum fuiſſe. Extraordinarium, & ſingulare *chariſma* extraordinariorum & ſingularium Miniſtrorum eſſe vt fuit, plane erat conſentaneum. Ordinarium, quale hoc fuiſſe volunt aduerſarij, non fuiſſe ordinariorum Miniſtrorum, abſurdum & inſcitum eſt. VI. Idem ex eô clariſſimè deprehenditur, quod hic ab Apoſtolis datus Spiritus Simonem vehementer commouit; vt potiundæ mirabilis huius facultatis deſideriô inflammatus pecuniam, quâ eam redimeret, Apoſtolis obtulerit. At ſi nihil aliud actum eſſet quàm quod in iſto aduerſariorum ſacramentô fieri vulgo videmus, non ita affectus eſſet Simon; imò ne intellexiſſet quidem, an vllum qui Apoſtolicis manibus obumbrati erant, Spiritum reuerâ accepiſſent. Is enim Spiritus, quem iſti ſe tradere putant, ita placidus eſt, ac taciturnus, vt vocem nullam mittat, nullum ſonum edat, ac ne tinniat quidem, vel muſſet, ex quo tu judicare poſſis, an ſit in eorum, qui eum accepiſſe dicuntur, pectora verè illapſus. Apoſtolici huius planè aliud fuiſſe ingenium indè animaduertis, quod eum etiam homo profanus, & impuriſſimus Simon, ſenſit tamen & agnouit omnibus iis eſſe datum, quibus à Petro & Ioanne manus erant impoſitæ,
Act. 8.18. *Cum vidiſſet autem Simon* (iquit Lucas) *quià per impoſitionem manus*

Apoſto-

Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam. Obſecro te, quo modô hoc *vidit*, ſi iſte Spiritus, æque ac tuus, in vnô corde latuit? ſi æque mutus, atque obſcurus fuit? Si huiuſmodi denique, qui vnus ſui ſibi conſcius, totumque ſe intus continens, non vocem ediderit, non vultum oſtenderit, non lucem, non fumum, nihil denique foras emiſerit? Illum Simon, inquit, *vidit dari. Videre* autem non potuit, niſi aliquô ſigno emicantem, ac prorumpentem, niſi aliquâ foràs emiſſâ voce vim ſuam prodentem. At hic quidem Spiritus alius eſſe non poteſt, niſi vel prophetiæ, vel linguarum, vel huius generis ſignorum Spiritus. Ergo hunc ipſum, quod nos affirmamus, fuiſſe neceſſe eſt datum ab Apoſtolis Spiritum. Et hoc etiam vidit, atque obſeruauit ad iſta Lucæ verba Chryſoſtomus; οὐκ ἂν οὕτως εἶπεν (inquit) εἰ μὴ αἰσθητόν τι ἐγίνετο. τοῦτο καὶ Παῦλος ἐποίησεν, ὅτε ταῖς γλώσσαις ἐλάλουν. *Non ſic dixiſſet, niſi & ſenſibile quiddam factum eſſet. Hoc & Paulus fecit, quandò linguis loquebantur.* Idem quoque notauit Oecumenius; ἔστι δὲ συνιδεῖν (inquit) ὅτι ἐν τῇ δόσει τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ αἰσθητόν τι ἐγίνετο παράδοξον· καὶ γὰρ ὁ Σίμων οὐκ ἂν προσῆλθεν αὐτοῖς, εἰ μὴ τοῦτο ἐθεάσατο. *Licet autem intelligere quod in datione Spiritûs Sancti ſenſibile quippiam admirandum contingebat. Neque enim alioqui Simon ad petendum acceſſiſſet; niſi hoc conſpexiſſet.* Sed quid veteres memoro? Notarunt ex ipſis aduerſariis multi. Caietanus; *Accipiebant Spiritum Sanctum] proculdubio* (inquit) *in effectu ſenſibili. Per baptiſmum acceperant ipſum in effectu ſolius gratiæ internæ. Accepiſſe autem eos Spiritum Sanctum in effectu ſenſibili (puta locutione linguarum) teſtantur ſubjuncta, quod Simon, qui fuerat Magus, viderit Spiritum S. datum per impoſitionem manuum.* Sanctius Ieſuita; *Agitur hic* (inquit) *de Spiritus Sancti aduentu ſecundum externam aliquam, & aſpectabilem formam; quaque ſplendenti illuſtraret igne, & donum conferret linguarum. Nam ſecundùm internum effectum datum eſſe in baptiſmô dubitari non poteſt. Quod Simonem mouit, hominem vaniſſimum, & humanæ laudis ſitientiſſimum, vt oblatâ pecuniâ impertiri ſibi talem ab Apoſtolis facultatem cuperet.* Eſtius; *Quomodo hoc videbat* (Simon) *niſi quia viſibili ſignô locutionis linguarum, vel aliô ſimili, foris oſtendebatur id, quod Spiritus Sanctus operabatur interiùs?* Menochius, ad illa Lucæ verba, *Orauerunt pro ipſis] vt ſcilicet* (inquit) *ipſi congruè ſe diſponerent ad ſacramentum Confirmationis; vtque ſuper eos viſibiliter deſcenderet Spiritus Sanctus.* Denique (nam hi quidem ſatis ſunt) Tirinus confitetur tunc temporis ſolitum fuiſſe Spiritum, cùm ab Apoſtolis per manuum impoſitionem dabatur, *ſigno fere aliquo viſibili linguarum, vel ignis* gratiam ſuam *prodere.* VII. Poſtremò rem totam ſic illuſtrat alter Lucæ huius parallelus in hoc ipſô Actuum librô locus, vt dubitare de eâ quemquam, niſi ſtupidum, & amentem, ſit nefas. Narrat de duodecim quibuſdam diſcipulis Epheſi à Paulô

Vb. ſupr. p. 170. C.

Vb. ſupr. p. 78. C.

In act. 8. 17. 18.

In act. 8. 16. n. 11.

In act. 8. 18.

In Act. 8. 15.

Act. 19. 5. 6. conuentis; *His auditis* (inquit) *baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu. Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* His quidem datum fuiſſe liquet linguarum & prophetiæ Spiritum; id eſt *gratiam gratis datam*; quod Lucas ipſe docet; Venit, inquit, *ſuper eos Spiritus Sanctus*; Hoc vbi dixit, nè hæreres, neve ambigeres. quale cuiuſve generis eſſet id cœleſtis Spiritus chariſma, ſtatim à præſenti & extemporaneô ejus effectu ipſum demonſtrat; cum ait *& loquebantur linguis*, id eſt ex familiari Scripturæ vſu, *ita vt loquerentur linguis*, &c. Iam non eſt ovum ouo ſimilius, quàm huic ſuperior Lucæ locus. Nam & in iſtô Petrus & Ioannes, perindè vt hic Paulus, hominibus baptizatis *manus imponunt*; & quibus imponunt, in eos vtrobique *venit Spiritus Sanctus*. Nè ergo dubitaueris rem in vtroque locô eandem agi; eandem manuum impoſitionem; eundem eſſe Spiritum. Hic autem *Spiritum venire* prophetiæ, & linguarum, apertiſſimum eſt & apud omnes confeſſum. Ergo & illic acceptum à Samaritanis Spiritum *prophetiæ* quoque & *linguarum* fuiſſe neceſſe eſt. Atque ex his, quæ nuper diſputauimus, liquet; certum eſſe primos illos fideles per Apoſtolicam benedictionem, ſiue *manuum impoſitionem* dona linguarum, prophetiæ, & ſimilia chariſmata accepiſſe, quæ *gratiæ gratis data* nomine ſignificari ſolent; (quod nè ipſi quidem aduerſarij negare poſſunt) incertum verò eſſe, an vllam *gratiam gratum facientem* per ſe, ac directè & immediatè acceperint; cùm Scripturæ neque id vſpiam dicant, vel huiuſmodi manuum impoſitionem ſuſcipientibus promittant, neque verò quicquam contineant, ex quô id euidenter & neceſſariò confici poſſit. Fateor tamen per huiuſmodi dona miraculosè ab Apoſtolis in illis initiis extrà ordinem conſtitutæ poſteà Eccleſiæ, collata, & ipſos ſuſcipientes, & cæteros etiam fideles fuiſſe haud mediocriter in fide confirmatos; quod in huiuſmodi chariſmatis clariſſimè expreſſa reluceret diuina Domini Chriſti & potentia, & bonitas; cuius nullum omninò eſt argumentum, quod non ſuapte natura aptum ſit aliquod fidei noſtræ robur dare, atque conciliare. Quin imò ſi penitiùs res excutiatur, apparebit ſtupenda illa donorum cœleſtium in homines credentes per Apoſtolorum miniſterium effuſione non hos ſolùm, vel iſtos, ſed vniuerſam Eccleſiam mirabiliter fuiſſe conſtitutam, auctam, atque confirmatam, etiamque hodie augeri, ac confirmari. Nam prӕterquàm quod niſi illa ita facta eſſent, ægrè coaluiſſet diuina illa Chriſtianorum ſocietas, & ſacra reſpublica, à quâ nos ſalutarem Euangelicæ doctrinæ theſaurum accepimus; nemo noſtrum eſt ſeorſim, qui ſi in rem ipſam, vt eſt à diuinis ſcriptoribus tradita, & in omnes eius circumſtantias, euentuſque eam conſecutos, intueatur; tum etiam omnem illorum temporum ſtatum expendat, & vtraque

cum

cum iis conferat, quæ ex proximorum deinde ſæculorum monumentis teſtata, ac comperta habentur; non ſtatim ſit deprehenſurus clariſſimam eorum veritatem, quæ à Luca nobis de hoc ingenti Apoſtolorum miraculô narrantur; quique ex huius argumenti ſedulâ conſideratione non ſit multò, quam antea fide, & pietate in Deum & Chriſtum confirmatior, atque auctior futurus. Paulus quidem, quod iam alibi monui, illa Spiritus mirabiliter in homines effuſa chariſmata inter cætera teſtimonia recenſet, quibus eſt confirmata ſalutaris doctrinæ veritas. Neque enim obſcurum eſt hanc ipſam Apoſtolico miniſteriô, vt ſic dicam, ſparſam in credentes donorum ſpiritualium multitudinem atque varietatem ab eô intelligi, quô locô *Spiritus Sancti diſtributiones* his verbis memorat; *Hæc* (inquit) *ſalus, cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & SPIRITVS SANCTI DISTRIBVTIONIBVS ſecundum ſuam voluntatem.* Idemque alibi ſummam illam, atque inenarrabilem Domini Chriſti in ſuos munificentiam vrget, ac prædicat; ex qua ſcilicet vnicuique *noſtrum* (inquit) *data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti*; quò etiam refert inſigne illud Prophetæ vaticinium; *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem; dedit dona hominibus.* In priori verò ad Corinthios epiſtola fuſiſſimè totum hoc argumentum pertractat; de his Chriſti donis, rectoque eorum vſu diuinè, vt ſolet, præcipiens. Igitur dicatur ſanè hic Apoſtolorum actus & eorum qui tum degebant fidelium, & omnium etiam noſtrûm, qui poſt illa tempora viximus, vniuerſæque adeò Eccleſiæ *Confirmatio*, hoc inquam ſenſu; Non modo non repugnabimus, ſed vltrò fauebimus, omneſque pro virili cohortabimur, vt Apoſtolicas illas manus, Chriſtumque in iis operantem ſuſpiciant, ac tam magnifica, tamque euidenti Euangelicæ veritatis demonſtratione magis magiſque in fide, ac pietate confirmentur. Vt aliquid ſimile ab aliis miniſtris exſpectemus, vel ab eorum pollice ſalutem noſtram petamus; Chriſtus, vnus diſciplinæ cœleſtis Magiſter, neque præceptô, neque promiſſô vllô, vel nos, vel cæteros fideles vſquam compellit.

Heb. 2. 3. 4.

Eph. 4. 7. 8. & ſeqq.

1. Cor. 12. tot.

CAPVT XI.

Etiamſi donetur gratiam aliquam gratum facientem ab Apoſtolis per manus impoſitionem collatam fuiſſe non ideo fieri, vt ea manus impoſitio ſacramentum fuerit. De ritu manus impoſitionis סמיכה *tam ſub veteri, quàm ſub nouo teſtamentô. Ea non ſacramentum propriè dictum, ſed purationis cuiuſdam adiunctum eſt.*

ATque hæc quidem, vt videtur, ſatis ſunt de re, quam Apoſtoli neophytis Samaritanis contulerunt; quæ quàm à perpetuô, ordinarioque Eccleſiæ ſacramento aliena ſit, omnes intelligunt. Quid ſi (quod ex Scripturâ oſtendimus non poſſe demonſtrari) id illis donauero, etiam aliquid *gratiæ gratum* facientis ab Apoſtolis fuiſſe ſuis illis neophytis per manuum impoſitionem collatum; an ideò hoc, quicquid eſt, *ſacramentum* fuiſſe probauerint? Minimè verò. Neque enim verè, proprieque ſacramentale ſignum ſtatim eſt, quicquid, & ſenſibile eſt, & gratiam aliquam conciliat. Oratio externus, & ſenſibilis actus eſt; & quanta ſint ejus effecta, omnes ſciunt; & confitentur, etiam peccatorum remiſſionem, etiam ſpiritum ſanctificantem per eam dari; neque tamen apud vllos Chriſtianos pro verô, proprieque dictô ſacramentô habetur. Aduerſarij crucis ſignô, & aquæ ſuæ benedictæ (quas res ſenſibiles eſſe nemo neſcit) multa, magnaque tribuunt; etiam iis peccata, ſaltem venialia expungi fabulantur; neutrum tamen inter ſua ſacramenta cenſent. Quid de illis dicam tum multis cærimoniis, quibus ſimpliciſſimum baptiſmi ritum tantum non obruerunt? Baptizandi primò frontem, ac pectus crucibus terunt; Eum exſufflant, & conſpuunt; oleô ſacrô in pectore & ſcapulis linunt, ſale condiunt. Iam tinctum, chriſmate, ſed in vertice, inungunt, cereô accensô donant; olim etiam candidâ induebant, & lacte denique, ac melle (vt Tertulliani verbô vtar) *infantabant*. Nihil tamen iſtorum, vel externum & ſenſibile negant, vel ſacramentum verè, ac propriè dictum eſſe defendunt. Ipſa illâ, de quâ quæritur, *manuum impoſitione*, ſed à preſbyteris datâ, catechumenos *ſanctificari* ex Auguſtinô recitant; quod, quî fieri poſſit ſinè aliquâ gratiâ gratum faciente, capi non poteſt. Eam tamen catechumenis datam *manuum impoſitionem* ſacramentum eſſe abnuunt. In hoc ipsô, pro quô nunc certant, Confirmationis ſacramento, neque alapa, quam in maxillam infringunt, neque quâ frontem vinciunt, faſcia, myſterij, adeoque & gratiæ expertes ſunt. Neutram tamen vel ſacramentum per ſe integrum,

Bell. l. de bapt. c. 25.

Ibid. c. 27.

Bell. l. de bapt. c. 25. §. Decima.

grum, vel huius ipſius, in quô cernuntur; partem vel eſſentialem, vel integrantem (vt ſcholæ loquuntur) cenſent. Ipſam veri nominis, *manuum impoſitionem* (id eſt à chariſmatione diſtinctam) olim & ab Apoſtolis, & à Patribus in hac ipsâ Confirmatione vſurpatam & Eſtius, & Gregorius à Valentiâ confitentur; ſacramentum iidem vel eſſentialem, aut integrantem ſacramenti partem fuiſſe negant; idemque antè Bellarmini & Becani ineptiſſimas argutias, omnes, credo, iſtarum partium Theologi ſentiebant. Sed iſtos quidem mittamus; quorum tota ferè religio externis, ſenſibilibuſque ſignis, ac ſymbolicis & myſticis ritibus ſcatet; quod genus ipſi *ſacramentalia* quidem vocant; ſed quæ eo ipſo nomine à veris ſacramentis ſecernunt; Quò maior cenſenda eſt ipſorum inuerecundia, qui cùm tam multa agnoſcant & ſenſibilia, & ad gratiam aliquateriùs efficacia, neque tamen ſacramenta; nihilo ſeciùs confirmationem (vt ipſi quidem nominant) ab Apoſtolis olim datam verum, ac proprium fuiſſe ſacramentum, inde colligunt, quod quæ in eâ dandâ vſurpata fuit *manuum impoſitio* externus, & in corporis ſenſus incurrens actus fuerit. Sed illos, inquam, mittamus, & ad Scripturas redeamus: Nonne ipſa hæc *manuum impoſitio* à Chriſtô in pueros vſurpata legitur? Nonne cum aliquâ ad gratiam efficacia? Quis enim diuinam Domini manum, ac benedictionem gratiæ expertem fuiſſe putauerit? Neque, ſi gratiam pueris aliquam ab eô datam conceſſeris; aliam potes datam fingere, quam ex eô genere, quod vos *gratiam gratum facientem* vocatis. Atqui & Soto, & Conink ſupra negabant eam Dominicæ *manus impoſitionem* vllum fuiſſe ſacramentum; & Romanorum hodiè eadem eſt ad vnum omnium ſententia. Nulla ergo ratio eſt, cur Apoſtolicam, omninò eiuſdem generis, ſacramentum fuiſſe, vel tu pertendas, vel ego concedam; tametſi, quod nullis hactenùs ſophiſmatis conficere potuiſti, id tibi donauero, per eam datum eſſe aliquid gratiæ gratum facientis. Verum, quo res tota clarius, ac liquidius intelligatur, nunc de actu, quo vſi narrantur Apoſtoli, dum dona illa, quæcumque de cætero fuerint, certe ſpiritualia, contulerunt, paulo accuratius dicendum eſt. Lucas ait *eos manus* neophytis illis *impoſuiſſe*; *Tunc* (inquit de Petrô & Ioanne loquens) *imponebant manus ſuper illos*. Et in alterô itidem locô, Paulum ait duodecim illis diſcipulis, quos Epheſi conuenit, *manus impoſuiſſe*. Hanc igitur *manuum impoſitionem* aduerſarijs quamquam inuiti, ex veterum Canoniſtarum repudiatâ alibi à ſe ipſis ſententia, ſacramenti huius materiam, ac ſignum externum, ſiue ſenſibile fuiſſe defendunt. Nimirum neceſſitas, quâ nullum potentius telum eſt, eos iſtuc confugere compulit. Cum enim decretum animô haberent ſuum hoc ſacramentum, vel certè aliquam eius ſpeciem, ex Scriptura omnibus modis per fas, nefaſque elicere; viderent autem

Act 8.17.

Act 19.6.

ſine

ſine ſigno ſenſibili ne ſpeciem quidem ſacramenti vllam eſſe, coacti ſunt *impoſitionem manuum*, licet antea reiectam arripere; quod in omnibus Scripturis nihil in totô hoc negotiô aliud occurreret, quod aliquam ſigni naturam præ ſe ferret. Sed eſt ſcilicet *peſſima*, quod vulgò apud nos dici ſolet, *conſultrix* neceſſitas. Nam ſi rem propiùs inſpexeris, facilè perſpicies *impoſitionem manuum* non minus à veri, proprièque dicti ſacramenti materiâ, quam gratiam gratis datam ab eiuſdem effectu, eſſe alienam. Suprà ex Maldonatô, Tirinô, & Grotiô obſeruauimus hunc *imponendæ manus* ritum apud Iudæorum gentem in benedictionibus paulò grauioribus iam à vetuſtiſſimis temporibus fuiſſe ſolennem. Sanctius in hunc ipſum, de quô nunc agimus, Actuum locum idem quoque fusè obſeruat. Quod quàm verum ſit, partim ex diuinis Scripturis, partim ex Iudæorum ipſorum libris, atque commentariis, patet. Primò enim Scriptura narrat ipſum Patriarcham Iacobum, cùm duobus ex Ioſepho nepotibus ſuis Ephraïmo, & Manaſſe in ſupremis benediceret, manus extendiſſe & vtrique
Gen.48.14. impoſuiſſe, ita vt *manum dexteram poſuerit ſuper illius caput; ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe.* Secutis temporibus eadem teſtatur Deum, cum Moyſi præciperet, vt Ioſuam inauguraret in Iſraëlitici populi
Num.27.18. 19. ducem, inter cætera huius quoque ritus meminiſſe; *Tolle Ioſue* (inquit) *filium Nun, virum in quo eſt Spiritus, & PONE MANVM tuam ſuper eum, qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote, & omni multitudine.* Mox ſubjicit, vt Moyſes, quæcumque juſſus erat, ſummâ fide ſit executus;
Num.27.23. & hoc inter alia notat; *Impoſitis capiti eius* (Ioſuæ) *manibus, cuncta replicauit, quæ mandauerat Dominus.* Vnde illa ſunt in Deuteronomio Ioſue verò filius Nun, repletus eſt Spiritu *ſapientiæ, quia Moyſis poſuit*
Deut.34.9. *ſuper eum manus ſuas.* In Hebræo eſt, סמך את ידיו עליו *manus ſuas*
† In Act.8.17. *ei impoſuerat.* Ad hunc quoque ritum & Sanctius †, & Maldonatus *
*In Matth.9 18. & Grotius referunt illa Syri Naamanis de Eliſæo verba; *Putabam quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret*
4.(Heb.2.) reg.5.11. *manu ſuâ locum lepræ, & curaret me.* Quod enim ait *tangeret manu ſuâ locum lepræ*, de *impoſitione manuum* accipiunt; indeque colligunt Mal-
Maldon.in Marc.7.32. donatus & Sanctius, ſanctis apud Iudæos viris ſolenne jam iſtis temporibus fuiſſe, vt quos inſigni aliquo beneficio per orationes ſuas affecturi erant, iis manus imponerent. Sed & huc, tametſi diuerſa ratione, pertinere Sanctius iudicauit, quæ in Veteri inſtrumento de impoſita victimis & reis capitis damnatis manu legimus. De victimis,
Leu.1.4. clara ſunt, quæ ille ex Leuiticô & Numeris & Exodo indicauit; *Po-*
Num.8.12. *net manum ſuper caput hoſtiæ* (qui eam ſcilicet Domino offert) *& acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens.* Item; *Leuitæ ponent manus ſuas ſuper capita boum, è quibus vnum facies pro peccatô, & alterum*
Exod.29.15. *in holocauſtum Domini, vt depreceris pro eis.* Item, *Vnum quoque arietem ſumes,*

ſumes, ſuper cuius caput ponent Aaron, & filij eius manus. Quibus addi poterat illud è Paralipomenis diſertiſſimum; *Applicuerunt hircos pro peccatô coràm rege, & vniuersâ multitudine, IMPOSVERVNTQVE manus ſuper eos, & immolauerunt ipſos, ſacerdotes.* Simili de causâ factum putat Sanctius, vt teſtes manus ei imponerent, quem ſuo teſtimonio morti deſtinabant; quod de Suſannæ calumniatoribus in Danielis apocryphis ſcriptum eſt; *Conſurgentes autem duo presbyteri in mediô populi, poſuerunt manus ſuas ſuper caput eius*; Suſannam dicit. 2.Par. 29.23. Dan.13.34.

Iam ex eô, quod nos ſecundô locô recitauimus, Moyſi Ioſuam manuum ſuarum impoſitione in Iſraëlis ducem conſecrantis exemplô, manauit, vt apud illam gentem in omni ferè ſacra, ciuilique ad publicum aliquod munus, ſiue etiam ad ſimplicem dignitatem (vt nos nunc loquimur) ordinatione, manus impoſitio vſurparetur. Verè obſeruauit Grotius Senatorum, archiſynagogorum, & ſeniorum Synagogæ munia eô ritu collata. Et Sanctius id ſolenne fuiſſe fatetur ad hominem alicui muneri, aut initiandum, aut deſignandum. Vulgatiſſimum eſt apud Hebræos impoſitione manuum creatos, ſiue ad dignitatem promotos fuiſſe tam iudices, quàm Doctores, ſiue Magiſtros, & Rabbinos. Quò ſpectat, quod doctiſſimus Buxtorfius refert de quodam R. Iehudâ ben Babæ הסומך, id eſt χειροθετὴ, ſiue *Promotore, quod niſi is fuiſſet, ſublata eſſent, iudicia criminalia ex Iſraële*; Quia ſcilicet ea non aliter, quam per סמוכים id eſt viros, quibus manus eſſent impoſitæ, exercebantur. Refert quoque Galatinus ex R. Iſmaële domum iudicij LXXI. judicum סב הדריות *id eſt conuentus judicum ordinariorum per manuum impoſitionem fuiſſe*, in quâ idem ait *quinque fuiſſe neceſſarios.* Majemon verò apud Buxtorfium, tradit, *qui facultatem promouendi accepiſſet non potuiſſe illud facere niſi adhibitis duobus teſtibus*; quod *promotio non poſſet peragi à paucioribus quam à tribus.* Sed vtraque ſanè ſententia ſuos habet in Talmude auctores, vt legere eſt in codice Sanhedrim. *Impoſitio manuum ſeniorum à tribus* (inquiunt) *peragitur, ſententia R. Simeonis, R. Iehuda quinos aſſignat.* In Matth. 19. 13. In lec. Chald. Talmud. Rabb. voce סמך De ate relig. Chriſt l.4.c.5. p.199.C. c.1 § 1. Semicat Zechenem.

Quia verò illa manuum impoſitio Hebraïce dicitur סמיכת ידים & סמך ידים eſt *manus imponere*; quod ille ritus in promouendis ad ſuas dignitates judicibus & Rabbinis vſurparetur, eô inquam factum eſt, vt metonymice ipſa *promotio*, ſiue (vt loquimur) *creatio & ordinatio ad huiuſmodi munera*, ſimpliciter dicta ſit סְמִיכָה, vel, quod idem eſt סְמִיכוּת id eſt *impoſitio*, ידים ſcilicet, ſiue *manuum*; quod nomen Hebræi ſupprimunt; Græci expreſſerunt, qui χειροθεσία vocant. Sic verbum סָמַךְ, quod propriè eſt in hoc negotio *manus imponere*, per eundem tropum vſurpant, pro *ordinare*, ſiue *promouere*, & *creare aliquem in magiſtratum, vel in Rabbinum*; vt eſt apud eundem

Buxtorſium. Et ordinatorem, ſiue Promotorem itidem הסומך: *haſſomec τὸν χειροθέτην*, id eſt, *manus impoſitorem*; ordinatum verò, ſiue promotum הסמיך *haſſamuc*, vocant. De hac autem Iudáica *ſemica*, id eſt χειροθεσία, ſiue promotione videat, qui volet, Buxtorfium multa obſeruantem locô laudatô, & ipſum, ex quô illa deſumpſit, Majemonem. Ex primo verò Moyſi à nobis ſuprà adducto loco de Iacobô nepotibus benedicente, patet hunc quoque ritum ſolennem apud illam gentem fuiſſe in puerorum benedictionibus; vt iis ſcilicet qui ex officio, vel affectu benè precaretur, manus quoque imponeret. Grotius quidem (quod jam ſuprà à nobis alibi obſeruatum eſt) citatô illô Geneſeos locô, *Exinde* (inquit) *Hebrais ſemper obſeruatum, vt ad eos, qui ſanctimonia præſtare cæteris crederentur, pueros deferrent ipſorum precibus Deo commendandos διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως*. Et *hunc morem hodieque apud ipſos manere* ait. Fuiſſe certè, quô tempore Dominus Ieſus in terris verſabatur, liquidò oſtendit, quod in Euangeliô de pueris ei oblatis legimus; *Tunc* (inquit Matthæus) *oblati ſunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret*. Vides qui offerebant, petiuiſſe ipſos, vt Chriſtus *manus eis imponeret*; quod non erant facturi, niſi mos fuiſſet in eâ gente notus, & vulgaris, vt paruuli virorum inſignium precibus & manu benedicerentur. Sed & ex eadem Euangelica hiſtoriâ diſcere eſt ſolenne item fuiſſe Dei ſeruis id, quod Sanctium ex Naamanis verbis collegiſſe ſupra diximus, vt quibus per ſuas preces diuinum aliquod beneficium, ſiue aliquam liberationem impetrare cupiebant, iis manus itidem ſuas imponerent. Notauit ad Marcum Maldonatus; *Manus ſurdo à Chriſto* (inquit) *imponi poſtulabant, aut quod ſcirent eum manuum impoſitione alios ægrotos multos curauiſſe, ſuprà, & infrà, & apud Matthæum, & Lucam; aut quia vetus erat Prophetarum, & ſanctorum virorum conſuetudo, vt impoſitis ſanarent manibus; quod ne Gentiles quidem ignorabant, vt Naaman ille Syrus indicio eſt, &c. Hac ducti conſuetudine alij etiam idem vt faceret Chriſtum rogarunt ſuprà & apud Matthæum, & infrà*. Hæc ille. Sane, niſi apud eos hic vſus obtinuiſſet, Iudæi, qui Chriſtum rogabant, vt ſuos infirmos curaret, petituri non erant, vt manus iis imponeret. Sic enim apud Marcum, qui hominem quemdam ſurdum, & mutum curari à Domino cupiebant, eum tantùm deprecantur, *vt imponat illi manum*; ſignô apud gentem ſuam familiari ſanationem, quæ erat eius effectus, metonymicè ſignificantes. Nam cui manus à Dominô imponi precantur, ei integram valetudinem à Domino reſtitui expetunt. Ita Iaïrus vnus de archiſynagogis filiam, cuius vita deplorata erat, enixè Domino commendans; *Veni* (inquit) *impone manum ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuat*. Idem apud Matthæum, *Domine* (inquit) *filia mea modo defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet*. Eodem Maldonatus

In ſtatut de Synedr.c.4.

In Matth.19. 13.

Matth.19.13.

In Marc.7.32.

Marc.7.32.

Marc.5.23.

Matth.9.18.

tus refert loca, in quibus Chriſtum precantur vt ſuos infirmos tangat; vt apud Marcum; *adducunt ei cæcum* (inquit) *& rogabant eum, vt illum tangeret.* Meritò. Nam quod Matthæus *impoſitionem manuum* diſertè dixerat, dum pueros Chriſto oblatos narrat; hoc Lucas rem eandem ſcribens, *tangendi* vocabulô, licet minus clarô, ac diſertô dixit; *Afferebant,* (inquit) *ad illum infantes, vt eos tangeret.* Atque ex his videre eſt, quàm longè, lateque apud Iudæos patuerit *impoſitionis manuum* vſus, in benedictionibus perſonarum, in ordinationibus, munerumque collationibus, in victimarum, ac reorum deuotionibus, in beneficiorum denique Dei ſingularium donationibus. De ritus ipſius ratione, non vna eſt eruditorum ſententia. Grotius putat *manuum impoſitionem propriè deſignare efficaciam diuinæ potentiæ.* Nam (inquit) χεῖρα ἐκτεῖναι *de Deo eum in ſenſum vſurpatur Act. 14. 30. Ideo quia per preces diuina potentia pro altero inuocabatur, vſitata erat cum precibus manuum impoſitio.* Hæc ille. Vera quidem ſunt, quæ de illa phraſi dicit ἐκτεῖναι χεῖρα. Sed extendere *manum* aliud eſt, quam *imponere*; huius autem hoc loeô, non illius ratio quæritur. Sanctius aliter; ac primò obſeruat *manus impoſitionem à ſuperiori plerumque fieri, atque à poteſtate, quæ inferiorem hominem alicui muneri aut initiat, aut deſignat, aut illi aliquod beneficium aut optat, aut impertit.* Tum notat *per* manum *poteſtatem ſignificari*; vnde illa *ſub manu alicuius eſſe, in manum venire,* in jure Romanô de vxore, quæ *in viri poteſtatem venit,* & *ſeruum manumitti*, cum heri poteſtate abſoluitur. Iam addit, qui muneri alicui initiantur, eos aliorum commodis & miniſterio quodammodô mancipari, & quodammodo ſui juris amplius non eſſe; Qui ad aram, vel ad mortem deſtinantur, eos etiam euidentiùs alienæ poteſtati ſubijci, ſuâ eximi. Hæc ſubtiliter, atque ingenioſè Sanctius, vt ſolet. Quæ vereor, vt ſatis ad rem ſubiectam congruant. Nam ſi hæc eſſet ritus ratio, non videtur *manus imponenda* fuiſſe iis, quibus ex more imponebatur; ſed ij potius alteri alicui in manum, aut ſub manum tradendi, vt in matrimoniis ex jure Romanô fieri ſolebat. Tum difficile eſt videre quem iſta ratio locum in benedictionibus, & beneficiis habere potuerit. Cuius enim in poteſtatem tradebantur, aut liberi à parente benedicente, aut ægroti à Propheta eos morbo liberante? Fortaſſe verius, certè ſimplicius fuerit dicere, hoc ritu deſignatum modò fuiſſe eum, cui precatio, totaque actio fiebat, neque aliud *manu impoſita* ſignificatum fuiſſe, quam in huius propriè caput, vel quæri benedictionem, beneficium, aut munus, de quo preces fiebant, vel arceſſi mortem, de quâ conteſtabantur; Nam quicunque manus imponebant Deum vel expreſsè vel tacitè precabantur; qui benedicebat vt in puerum ſuæ bonitatis munera effunderet; qui ægrotum curabat, vt fugatô morbô vires, ac valetudinem

Marc 8. 22.

Matth 19. 13.

Luc. 18. 15.

In Matth 9. 17.

In Act. 8. 17. N. 15.

immitteret; qui muneri præficiebat, vt dona ad id gerendum neceſſaria conferret; qui victimam offerebat, vt mortem, quæ in eius caput ſtatim erat incubitura, acceptam haberet; qui denique reum vel ſuo teſtimonio, vel ſuo miniſterio ad mortem ducebat, vt quam commeritus erat pœnam, eam ille capite ſuo lueret. Itaque hoc ritu id tantùm ſignificatum videtur preces, quas vt plurimum vel pro ſe ipſis, vel pro multis in communi facere ſolent qui precantur, nunc propriè ac ſingulariter pro iſtô, cui manus imponebantur, fieri, huius caput Deo ſiſti, vel tegendum doniſque & benedictione ornandum ac coronandum, vel certè morti, ac pœnis ſubjiciendum. Vtcunque ſit (neque enim eſt, quod eâ de re magnoperè laboremus) conſtat hunc ritum apud Iudæos plurimum vſitatum fuiſſe, eundemque & antiquiſſimum, & partim ipſo Dei in Ioſuæ ordinatione, & in victimis præcepto, partim ſanctorum exemplis, atque vſu probatum ac commendatum. Sed & illud communi omnium conſenſu receptum eſt *illam manuum impoſitionem precum*, (vt ait Grotius) quoddam *fuiſſe ſymbolum*; diuinæque potentiæ *inuocationem indicaſſe*. Eius certè raro in Scripturis ſinè oratione mentio fit; vel ſi non diſertè memoratur oratio, ita tamen res ſcribitur, vt facilè ſit perſpicere eam ſinè precibus tranſactam non fuiſſe; vt nihil aliud hic ritus fuiſſe videatur, quam ſacratum precum adiunctum quoddam certis rebus, cauſiſque ſolenne. Vndè illud Auguſtini veriſſimè profecto, ſapientiſſimèque dictum; *Quid eſt* (inquit) *aliud manus impoſitio, niſi oratio ſuper hominem*? Sed neque illud quiſquam negat, hunc ritum apud Iudæos ſimplicem fuiſſe cærimoniam; nullum adeò in communibus, ac perpetuis religionis Iudaïcæ ſacramentis habuiſſe locum. Iam cum hoc fuerit *impoſitionis manuum* apud Iſraëlem ſolennis ingenium, Dominus Chriſtus, eiusque Apoſtoli rem, velut bonam, ac legitimam vſurparunt, & quidem eodem modô & ex iiſdem cauſis, & ad eoſdem fines, quibus ea adhiberi apud Iudæos conſueuerat. Chriſtus, quod jam diximus, pueris oblatis *manus impoſuit*; & quidem, quod monet Marcus, *vt eis benediceret*, quo verbo ex perpetuô ſcripturæ vſu, precatio continetur, εὐλογεῖν enim eſt benè precari; cum homines ab hominibus benedicti dicuntur; Omnia, vt vides, planè ex vſu Iudaïco. Sed & iis Chriſtus, quos beneficiô aliquo diuino proſequebatur, ex eodem quoque more *manus imponebat*. Ita apud Marcum *infirmos* Nazarenos *impoſitis manibus curat*; & cæco, quem illuminauit, manus impoſuiſſe dicitur. Sic & apud Lucam Capharneunte *ſingulis infirmis manus imponens curabat eos*; & mulierem à Spiritu infirmitatis iam octodecim annos inſeſſam liberaturus, *impoſuit illi manus; & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum*. Apoſtolos, & cæteros diſcipulos, rem apud Dei populum iam olim ſolennem, & à Domino ſuo vſurpatam, nihil.

In Matth. 9. 18. Et in Matth. 19. 13.

L. 3. de bapt. c. 16.

Matth. 19. 15. Marc. 16. 16.

Marc. 6. 5. & 8. 23.

Luc. 4. 40.

Luc. 13. 13.

nihil mirum eſt in iiſdem cauſis, & ad eoſdem fines adhibuiſſe. Illi itaque & quos morbis, ſiue infirmitatibus curabant, iis ſæpe manus imponebant, quod & futurum prædixerat Chriſtus, *Qui crediderint* (inquit) *ſuper agros manus imponent, & benè habebunt.* Sic Ananias Paulo poſt viſionem diuinam cæco, oculorum vſum reſtituit; *Imponens ei manus* (inquit Lucas) *dixit, Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas, vt videas, & implearis Spiritu Sancto; & confeſtim ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamæ & viſum recepit.* Diuinitùſque eundem paulò antè in ecſtaſi ſibi oblatum viderat *introeuntem* Paulus, *& imponentem ſibi manus, vt viſum reciperet.* Ita ipſe poſteà Paulus Publij Melitenſis inſulæ Principis viri patrem *febribus & dyſenteriâ vexatum, cum oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſaluauit.* Neque iidem hunc ritum, vel in benedictionibus, vel in ordinationibus omiſerunt, in quibus apud Iudæos quoque ſolennem fuiſſe ſuprà demonſtrauimus. In benedictionibus quidem; vt cùm Paulum & Barnabam ex Spiritus Sancti monitu *ſegregatos,* quo Domino eos commendarent, *ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt.* In ordinationibus verò idem quoque ab illis factitatum docet, quibus locis memorat gratiam Timotheo collatam, *per manuum impoſitionem, & ſuam, & presbyterij*; item vbi eum monet, nè *manus citò cuiquam imponat*; tametſi ſint, qui poſtremum hunc locum de peccatorum pœnitentiâ functorum reconciliatione, ſiue abſolutione capere malint, quam & ipſam *manuum impoſitione* peractam fuiſſe jam ab antiquiſſimis Chriſtianiſmi temporibus conſtat. Præter hæc, Apoſtolos ex duobus illis, de quibus nunc quærimus Lucæ locis diſcimus *manus* quibuſdam ex iis quoque *impoſuiſſe,* quibus Spiritum Sanctum conferebant; his quidem meritò, & ex veteris quoque vſus ratione; Nimirum olim quoque id Iudæis ſolenne fuiſſe diximus, vt *manus* iis *imponerent,* quibus magnum aliquod, ac diuinum beneficium impetrare à Domino volebant; vt planè conſentaneum fuerit Apoſtolos *manus* iis *imponere,* quibus Spiritum Sanctum, quô nullum eſt maius, vel diuinius donum, cœlitus impetrabant. Hæc omninò fuit huius ritus, id eſt *impoſitionis manuum,* tum apud Iudæos primum, tum apud Chriſtum Dominum, eiuſque primos diſcipulos, vtrobique planè eadem ratio. Atque ex his iam liquidò cernere eſt, quàm craſſa ſit, atque inuerecunda iſtorum temeritas; qui nobis ex ſimpliciſſimô hoc ritu intricatiſſimum neſcio quod ſacramentum moliuntur. Ac ipſi quidem fatentur illam *manuum impoſitionem,* quotiès apud Iudæos ſiue in *benedictionibus* ſiue in liberationibus, & *beneficiis* diuinis, ſiue vel in magiſtratuum, vel in Rabbinorum promotionibus fiebat, annos pænè bis mille, nullum fuiſſe ſacramentum; neque illô item tempore, quô vel à Chriſtô, vel

Marc. 16. 18.
Act. 9. 17.
Ibid. verſ. 12.
Act. 28. 8.
Act. 13. 3.
2. Tim. 1. 6.
1. Tim. 4. 14.
1. Tim. 5. 22.

ab eius Apoſtolis & diſcipulis ante aſcenſionem Dominicam in cœlos facta eſt, *ſacramentum* fuiſſe volunt. Sed nè poſt euectum quidem in cœlos Chriſtum, *ſacramenti* nomine eam dignantur, quæ vel ab Ananiâ ad illuminandum Paulum, vel ab ipsô Paulô ad Publij patrem morbo liberandum, vel ab aliis ſi fortè ſeu Apoſtolis, ſeu diſcipulis, ad ſimiles valetudinum cauſſas adhibita eſt. Eam demùm *ſacramentum* eſſe affirmant, quæ vel ad Spiritum dandum, vel ad presbyterij munus conferendum, ab Apoſtolis vſurpata eſt. Sed quæ iſta eſt rogo te, tam ſubita, tamque mirabilis mutatio? vt quæ ſimplex ritus, & tamdiù antehac fuerat, & nunc etiam alibi eſſe perſeuerat, *ſacramentum* repentè euaſerit, ſed in duabus duntaxat his cauſis? Atqui nullum planè cernitur inter veterem, & hanc diſcrimen. Nihil deceſſit, nihil acceſſit. Eadem eſt vbique *manuum impoſitio*; eædem cauſæ; iidem fines. Dic, quo iure, quâ auctoritate, quô Chriſti mandato, quo Apoſtolorum præcepto, qua denique ratione facta ſit mutatio? Illi verò nihil omninò afferre poſſunt, præter tralatitias illas Conciliorum neſcioquot nuperorum conſtitutiones, hoc eſt, vt ſimpliciter dicam, præter meram ſuam, ſuorumque libidinem. Petrus & Ioannes Samaritanis; Paulus duodecim diſcipulis *manus impoſuerunt*; & illi acceperunt Spiritum Sanctum. Sacramentum (inquit) iſta manuum impoſitio fuit. Cur verò, mi homo, *ſacramentum* fuiſſe imaginabor, quod in omnibus retrò Scripturis multùm quidem eſt, nuſquàm tamen, te ipſo fatente, ſacramentum eſt? Nam neque quam Iacob, neque quam Moyſes, neque quam vel Prophetarum, vel Magiſtrorum Iſraëlis vllus fecerunt, neque quam ipſe Dominus Chriſtus, neque quam eius Apoſtoli ad hoc vſque temporis punctum vſurparunt, *manuum impoſitionem*, ſacramentum fuiſſe ſomnias. Imò nè eam quidem omnem, quam poſthac fecerunt Apoſtoli, *ſacramenti* nomine donas. Quæ iſta eſt vertigo, vt quam in tam multis aliis & temporibus & locis, *ſacramentum* nullum eſſe concedis, hoc vno in loco repente immutatus *ſacramentum* eſſe clames, atque deieres, & omnibus modis contendas? Quid ergo eſt (inquis) ſi *ſacramentum* non eſt? Id ipſum, inquam, eſt, quod hactenus fuit, quodque in poſterum ſemper erit; Neque enim quicquam accidit, quod eius naturam immutaret, vel cur eam id eſſe, quod antehac fuit, pœnitere debeat. Fuit anteà, vt eſt fusè demonſtratum, orationis ſuper hominem aut benedicendum, aut diuinô aliquo beneficiô afficiendum, aut ad aliquod munus promouendum, adiunctum ſolenne; quô ei qui manu impoſitâ tangitur, atque obumbratur, id quod poſcitur, propriè parari atque impetrari ſignificatur. Ita tu ipſe, ita omnes tui in cæteris accipitis. Ergo inquam, & hic quoque idem fuit. Precationis quâ Apoſtoli Spiritum Sanctum in eos, quibus benedicebant,

euoca-

euocarunt, *impoſitio manuum*, adiunctum ſolenne fuit. Nam & oraſſe tum Apoſtolos Lucas diſertè teſtatur; *Cùm veniſſent* (inquit) *ORAVERVNT pro ipſis, vt acciperent Spiritum Sanctum*. Et Paulum idem feciſſe, cum duodecim diſcipulis Spiritum impetrauit, etſi non dicat diſertè Lucas, nemo tamen dubitat. Et profectò id ſatis dixit, qui *manum* iis *impoſuiſſe*, Paulum dixit; quod cùm in huiuſmodi cauſſis nulla fieret ſine oratione *manuum impoſitio*, huius, vt adiuncti perpetui nomine orationem ipſam metonymicè contineri, planum ſit. Iam illud Spiritus donum, quod iſtis fuit Apoſtolorum prece & miniſterio collatum, diuinum eſſe, & quidem eximium, ac omni naturali bonô admirabilius, omnes confitentur Chriſtiani. Sed & quod dixi, ſolennem hunc Apoſtolis fuiſſe ex Iſraëlis, imò & Chriſti ipſius diſciplinâ, vſum, vt cùm diuina beneficia hominibus impertiri vellent, orationi *manuum impoſitionem* iungerent, neque vos negatis, & res eſt ex ſuperioribus manifeſta; in quibus eos vidimus *manus ægrotis* vel *infirmis*, quos erant diuinô munere curaturi, aliquotiès impoſuiſſe. Sed (inquis) Apoſtoli *gratiam gratis datam* ægrotis illis; *gratum facientem*, Samaritanis conferebant. Primò nihil habes (quod ſuprà oſtendimus) vndè his potiùs, quàm illis *gratiam gratum* facientem collatam ab Apoſtolis fuiſſe euincas. Secundò hos quoque Spiritum *linguarum*, vel *Prophetiæ* accepiſſe, clarum eſt, quod æquè ac corporis curatio, *gratia* fuit *gratis data*. Neque tu negas. Ergo vel huius causâ adhiberi potuit *manuum impoſitio*. Tertiò denique fac *gratiam gratum facientem* collatam eſſe; & quidem vnam; cur nefas fuerit Apoſtolis precationi, quâ hanc Samaritanis conciliabant, eandem, quam in cæteris Dei donis impetrandis, *manuum impoſitionem*, hoc eſt ſimplicem, ac minimè ſacramentalem, adiungere? Adiungi ea ſolebat, cum alicui diuinum beneficium conferebatur; item cum benedicebant ſolenniter. *Gratia gratum faciens* Dei magnum munus eſt; & cauſa erat, cur Apoſtoli hominibus ex gente ſpuriâ, & alienâ primum conuerſis benedicerent. Ergo inquam, ratio euidens fuit, cur orationi ſuper iſtis factæ vſitatam *manuum impoſitionem* (quæ ſacramentum nullum erat) adiungerent. Nunquam ne Apoſtoli ſine ſacramentô conciliabant fidelibus *gratiam gratum facientem*? Paulus ecce pro Theſſalonicenſibus ita precatur; *Ipſe autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, conſoletur corda veſtra, & confirmet in omni opere, & ſermone bono*. Ipſam illam gratiam *confirmantem* Theſſalonicenſibus poſcit, quam tu fictitij huius veſtri ſacramenti propriam eſſe vis; neque dubitamus, quin impetrauerit. Ergo & hanc ſua prece, abſque vllo ſacramento, fidelibus interdum conciliauit. Fingamus igitur gratiam (quod tu gratis ponis) fuiſſe eandem, quam Apoſtoli Samaritanis

Act. 8. 15.

Act. 19. 6.

2. Theſſ. 2. 16, 17.

titanis

ritanis contulerunt. Clarum eſt nullam eſſe cauſſam, cur hanc potius Apoſtolorum ſuper Samaritanis quàm illam Pauli ſuper Theſſalonicenſibus, benedictionem, ſacramentum fuiſſe ſtatuamus. Nam hæc quidem ipſa per ſe oratio, ſacramentum nullum eſt; & *manuum impoſitio* ſimplex eſt orationis ſignum, ſiue adiunctum; quæ eius, cui adiungitur, naturam, non facit, neque mutat, ſed ſequitur. Planè vt *extenſio manuum*, vel *conuerſio ad Orientem*, vel *genuum flexio*; quæ, cùm & ipſa quoque orationis eſſent adiuncta ſolennia, nemo tamen ſanæ mentis, *ſacramentis* verè, ac propriè dictis accenſuit. Si Lucas factam ſuper Samaritanis orationem narrans dixiſſet Apoſtolos *genua poſuiſſe* (id enim eos inter precandum aliquando feciſſe ſcimus) vel ſe in pedes erexiſſe ac ſtetiſſe (quomodo precari ſolent miniſtri in publicis liturgiis) non propterea credo, contenderes vel illam *genuflexionem*, vel illum ſtandi actum, *ſacramentum* Chriſtianorum eſſe propriè dictum, ſolenne, ac perpetuum. Cur ergo, quod ij *manus impoſuiſſe* fidelibus dicuntur, *ſacramentum* fuiſſe vis? Par eſt enim, atque eadem vtriuſque actûs ratio; planèque geminum alterius cum alterô ingenium. Nam tam *manus imponere*, quàm *genua ponere* vtrumque orationis adiunctum, ac ſignum, ſed ſimplex, & (vt vos loquimini) *cærimonia* fuit; hoc vnô diſcrimine, quod illud orationis ſuper *hominem* (vt ait Auguſtinus) hoc cuiuſvis eſſet; illud magis inſigne, minuſque, vt ſic dicam, ordinarium, & in certis tantum, ac definitis cauſis vſurpatum; hoc frequentius, imò quotidianum & aſſiduum. De cætero, idem vtrumque; certus nimirum in precando actus; vterque ſenſibilis, vterque aliquid ſignificans, vterque ei, cui adiungebatur, orationi conſentaneus. Cùm ergo *manuum impoſitio* neque anteà, neque alibi ſacramentum vllum (propriè quidem dictum) fuerit, ſed ſimplex, ac mera *cærimonia*; in quibuſdam pro aliis hominibus orationibus vſitata; cumque nihil ſit, quod immutatam eius in hac occaſione & cauſsâ naturam fuiſſe demonſtret; concluſum eſto, neque hoc certè in locô, cùm Apoſtoli Samaritanis *manus impoſuerunt* ſcilicet, *ſacramentum* fuiſſe; planèque eſſe ridiculos, qui hoc magnô quidem conatu, cæterum nullâ ratione contendunt.

Act 9.40.& 20.36.& 21.5.

CAPVT

Capvt XII.

Tribus argumentis oſtenditur manus impoſitionem neque huius (Confirmationis ſcilicet) nec cuiuſquam alterius Chriſtianorum ſacramenti, ſacrum ſignum & ſymbolum, ſiue materiam eſſe, vel eſſe poſſe. Refelluntur Bellarmini cauillationes.

ID verò eò arctiùs tenendum eſt, quod cum rationes nullæ ſint quæ *manus impoſitionem* ſacramentum eſſe vincant, ſunt & quidem graues, quæ non eſſe demonſtrant. Ac inprimis hæc, quod nullum ea de re Chriſti mandatum extet, quod in omni Eccleſiæ propriè dicto ſacramentô planè penituſque neceſſarium eſſe vel ipſi aduerſarij confitentur. Ego quidem fateor Dominum Chriſtum ritus à Iudæis mutuatum fuiſſe, quique per ſe nulla propriè ſacramenta apud iſtos erant, eos in ſui populi ſacramenta inſtituiſſe. Nam & panem guſtare, & calicem libare, & aquâ vel mergi vel aſpergi, inter Iudaïcæ religionis ritus fuiſſe olim, etiam ante Chriſtum in terris natum, ex ritualibus gentis libris conſtat, & nunc conſentiunt plærique omnes eruditi. Sed & hos ritus, in ſuam diſciplinam traduxiſſe Dominum, & mutatâ priſtinâ, quæ eorum hactenùs apud Iudæos fuerat, formâ, cauſſaque ac fine, in ſuæ religionis ſacramenta reformaſſe, & ex omnibus Euangeliis, & ex Paulo, aliiſque diuinis ſcriptoribus luculentiſſimè diſcimus. Iſtic enim, vt notum eſt, legimus Chriſtum Apoſtolis exſertè præcepiſſe, vt diſcentes in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti tingerent; mandaſſe item, vt *panem fractum*, ac benedictum, & calicem pariter ſacrum, in ſui pro nobis fracti corporis, ſanguiniſque pro nobis itidem effuſi memoriam quô modô ac ritu ipſe monſtrauerat, veſcentes, bibenteſque celebrarent ad ſuum vſque aduentum; vt plurima mittam Apoſtolicis paſſim litteris de vtriuſque inſtituti vi, naturâ, ratione, atque effectis inſperſa. Siquid ergo ſimile de *manuum impoſitione* apud Iudæos quoque ſolenni, & quidem antiquiore, ſtatuere voluiſſet Dominus, eumque ritum in ſui populi ſacramentum immutare; dubitandum non eſt, quin pro ſuâ ſapientia Apoſtolos ea de re docturus fuerit; mandaturuſque, vt eum ritum obſeruarent; eoque diſcipulos vel initiarent, vel confirmarent; quin nouæ rei cauſſas, fineſque fuerit iis demonſtraturus; ac vt ex uno verbo diuino quod in baptiſmô ac Euchariſtiâ fecerat; idem quoque in hoc, fecerat. Neque ſi hæc Dominus ita inſtituiſſet, dubitandum quoque eſt, quin ea vel Euangeliſtæ, vel cæteri ſcriptores diuini, ea-

N dem

dem in his narrandis, atque explicandis diligentiâ vſuri fuerint, quâ in exſequendis duobus aliis ſacramentis vſi eſſe noſcuntur. Atqui nihil iſtorum apparet. In omnibus eorum commentariis nè vnum quidem μὴ de inſtitutô, præceptô, commendatô, à Chriſtô Dominô noſtrô hoc Confirmationis (vt appellant) ſacramentô occurrit. Ergo quicquid de cætero ſit iſta *manuum impoſitio*, certè noui populi *ſacramentum* propriè dictum non eſt, quæ Chriſti mandatô, atque inſtitutione caret, abſque quâ nullum huiuſmodi ſacramentum vel eſt, vel eſſe poteſt. Neque quicquam valet inepta illa, ac tantùm non ridicula Bellarmini cauillatio; *Nunquam* (inquit) *Apoſtoli ita ordinariè, ac ſecurè impoſuiſſent omnibus baptizatis manus, vt veniret ſuper eos Spiritus Sanctus, niſi Dominus hoc eis mandaſſet. Quemadmodum etiam hic in terris cum famulus aliquid agit, quod non poteſt niſi iuſſu Domini, & non eſt ſtultus; omnes intelligunt eum habere mandatum, etiamſi is non dicat ſe habere mandatum; vt ſi lictores capiant magnum aliquem virum in mediô forô; aut ſi viatores indicant ſenatoribus tali die habendum ſenatum.* Primò quod ait Apoſtolos *ordinariè ac ſecurè omnibus baptizatis manus impoſuiſſe, vt Spiritus Sanctus ſuper eos veniret*; id inquam, vnde habet? Lucas quidem ſemel id feciſſe Petrum & Ioannem vnà; ſemel item Paulum narrat. An quoties aliquis baptizaretur toties illi baptizato manus imponerent; ſi non ſemper, an ſaltem ſæpiſſimè; imò an aliàs vnquàm, præter duo iſta narrata loca, fecerint; neque dicit Lucas, neque tu vel ex eo, vel ex diuinô aliô ſcriptore probaueris. Non ſemper, neque paſſim feciſſe, multò mihi videtur veriſimilius, & rei ipſius naturæ conuenientius. Neque aliud docet Pauli indicatus ad Hebræos locus; in quô nè apud aduerſarios quidem adhuc conſtat de hac, quæ nunc agitur, confirmatiuâ manuum impoſitione locutum eſſe Apoſtolum, vt ſuprà diximus. Sed Bellarmino donemus ſolennem, ac ordinariam fuiſſe Apoſtolis hanc manuum impoſitionem. Indè ne quæſo rectè ac validè concluſeris propriè ac nominatim mandaſſe Chriſtum, vt ea tanquam certus ſacramenti perpetui ritus apud ſuum populum celebraretur, eoque locô, numerô, ac nomine cenſeretur? Nihil minus. Oraſſe Apoſtolos *poſitis genibus*, æquè imò ſæpiùs apud Lucam legimus, quàm hoc *impoſitu aliquis* confirmando *manibus orâſſe*. Illud enim tribus locis; hoc duobus tantùm occurrit. Ideo ne dixeris Apoſtolos proprium à Dominô, ac (vt loquimur) ſpeciale mandatum habuiſſe, vt hoc ritu orarent, eumque veluti verum ac proprium ſacramentum celebrarent? Non, inquis. Erat enim hic vſus vulgaris apud omnem Dei populum; vt de eô Chriſtum aliquid propriè ac ſpecialiter ſuis mandaſſe, nihil plane neceſſe ſit. Illum iſti precandi ritum à publicô, eoque ſanè decorô gentis ſuæ vſu habuerunt; non à ſolo, ac propriâ

L. de Cõfirm. c.2.§. Reſtat.

Act.8 & 19.

Hebr.6.2.

Act.9.40 & 20.36. & 21.5.

priâ Domini diſciplinâ; vt ridiculum ſit eum in ſacramentum ideò transformare, quod ab Apoſtolis fuerit vſurpatus. Ego verò de *impoſitione manuum* eadem omnia reſpondeo. Si nouum fuiſſet, & retrò apud Dei populum inſolens, atque inuſitatum, vt ſerui Dei, quibus diuinum aliquod munus prece ſuâ conferrent, iis manus inter precandum imponerent; tu ſanè meritò colligeres ex Apoſtolorum factô, viros ſapientiſſimos, atque religioſiſſimos ita à Magiſtrô facere iuſſos; neque abſque disertô eius mandatô rem nouam, ac peregrinam inuecturos fuiſſe. Qualiter ſi eos panem, vinumque in Dominici corporis & ſanguinis memoriam eô ritu, quo hæc apud Chriſtianos legitimè fiunt, celebraſſe, vel aquâ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizaſſe, noſceres; inde etiamſi Chriſti mandata nunquam audiuiſſes, meritò tamen colligeres mandatum Chriſti his de rebus accepiſſe illos aliquod; quæ cum apud omnem retrò Dei populum incognitæ, atque inuſitatæ fuerint, non potuerunt profectò niſi vnius Chriſti mandato, atque auctoritate in noui populi ſacramenta inſtitui. Nunc verò de *impoſitione manuum*, alia omnia. Nam ritum fuiſſe in omni Dei populô, & vetuſtiſſimum, & celeberrimum, & in iis, quibus aliquid muneris diuinitùs impertiendum erat, ſolennem ac vſitatum; & ab ipsô Chriſtô non ſemel talibus in cauſis vſurpatum, palàm eſt, & nuper à nobis demonſtratum; vt nihil neceſſe fuerit Apoſtolos quò eum ipſi quoque vſurparent, diſertum ac proprium Domini præceptum habere; quem ſcilicet ex mediô, communique ſui populi more ſumere licebat. Atque hinc liquet quam non ſint ad hanc rem appoſita Bellarmini de lictore, & viatore exempla. Fateor intelligi famulum frugi domini ſui mandatum habere, ſi quod ille agit, huiuſmodi eſt, quod ei ſinè diſertô, ac ſpeciali heri mandato aggredi non liceat; qualia ſunt quæ Bellarminus attulit; neque enim vel lictori in ciuem manus inijcere, eumque vincire, vel viatori ſenatum in certam diem indicere licet abſque diſertô, ſpecialique Magiſtratus mandatô. At vbi famulus ea facit, quæ vel ex communi omnium hominum jure, vel ex eius ciuitatis, aut familiæ in quâ degit, moribus facere ei licet; profectò ſtultus (niſi ego fallor) fuerit ſiquis inde argumentetur, eum diſertum ac ſpeciale hac de re à dominô ſuô mandatum accepiſſe. Iam verò huius eſt, non autem illius generis, iſta, de quâ quæritur, manuum impoſitio; quam ſcilicet Apoſtolis ex communi Iſraëlis jure, ex ipſius Domini ſui exemplis, ſumere, atque proinde vſurpare licuit; vt planè puerile ſit ex eô, quod vſurparunt, vaticinari illos diſertum de eâ ſic vſurpandâ, ſpecialeque à Domino mandatum accepiſſe. Sed hæc ſcilicet, vt alias ſæpè, ſolennis eſt aduerſarij deliratio, vt, quod demonſtrandum ſuſcepit, id primò & antè omnia ſupponat, eſſeque nutu ſuô, non ratione vllâ, jubeat; ex hoc

deinde ita ſuppoſitâ omnes ſuas probationes inſtituat. Hic verbi gratiâ apud Lucam legit Apoſtolos *manus Samaritanis impoſuiſſe*. Supponit primò de more, id quod erat non ſupponendum, ſed claris euidentibuſque rationibus probandum, nimirum iſtam Apoſtolicam manuum impoſitionem, ipſum illud fuiſſe Confirmationis ſacramentum quod nunc Roma defendit. Hoc ita ſuppoſitô facilè poſtea fuit homini ingenioſo illud ab omnibus conceſſum aſſumere, ſacramenta ſinè diſerto ac ſpeciali Domini mandato ne Apoſtolis quidem licuiſſe in Eccleſiam inuehere, vel in eâ exercere. Vnde nemo non videt ſequi de illâ ipsâ manuum impoſitione Domini fuiſſe aliquod diſertum & ſpeciale ad Apoſtolos mandatum. Sed contrà eos quidem valeat Bellarminianum argumentum, qui concedunt hunc Confirmationis Romanæ ritum verè, proprieque dictum eſſe ſacramentum; Nos, qui negamus, qui demonſtrationem eius rei ex Scriptura poſcimus, nè leuiter quidem perſtringit. Itaque cum ex his liqueat nullum fuiſſe Domini nouum, diſertum, ac ſpeciale de manuum impoſitione mandatum, omninò conſequens eſt, vt nunc quoque eodem locô, numerô, ac nomine habeatur, quô apud Dei populum, vndè ſumpſerunt eam Apoſtoli, antehac habita, cenſitaque fuerat; pro orationis ſcilicet ſuper hominem factæ ſigno, atque ſymbolo; ſimplicique adeo (vt loquuntur) cærimonia.

II. Sed idem inde quoque deprehendere licet, quod ab eius materiæ ingeniô, quam in aliis Chriſti ſacramentis aſſumptam eſſe videmus, hæc *manuum impoſitio* planè aliena eſt, nihilque cum eâ habet ſimile. Hic enim, vt quivis intelligit, ipſius miniſtri *manus* ſacramenti quod confert, ſignum eſſe finguntur; quod abſurdum, atque ridiculum; certè à veris Chriſti inſtitutis alienum eſt. Nam neque in baptiſmi, neque in Euchariſtiæ ſacramentis miniſtrorum vel manus vel aliquod aliud membrum, materiæ vicem tenet; ſed elementum extra miniſtri perſonam, aliundè aſſumptum; illic quidem, vt notum eſt, aqua; hic verò panis, & vinum. Atque ita ſanè concinna, & appoſita eſt totius rei ratio, vt aliud ſit ſcilicet, quod ſignificat; aliud quod ſignificatur; alius denique qui rem totam miniſtrat; & per ſignum gratiam ſignificatam confert. In iſtorum verò *manuum impoſitione* omnia abſurda, & à ſacramenti naturâ alienâ; in quo vnius hominis manus eadem eſt & ſignum, & ſigni miniſtra; idem adeò & miniſtrans & miniſtratum; quod nemo ineptum eſſe, & à Domini Chriſti ſapientiâ plurimum abeſſe negauerit. Vidit abſurditatem Aurelius, & Sirmondo obiecit, Confirmationis ſacramentum in manus impoſitione conſtituenti; *Conſignationi chriſma* (inquit) *manus impoſitioni aliam* (materiam) *aſsignas, quam non nominas. Fortaſsis manus ipſas Epiſcopales dicere erubuiſti. Nec enim aliam manuum impoſitionis materiam*

Orthod. part. 1. c. 8. pag. 73. cxii.

eſſen-

eſſentialem fingere poteſt. Hæc ille; liquido docens non poſſe *Epiſcopi manus* ſacramenti partem, id eſt *materiam* remotam, ſine pudenda, ac (vt loquitur) *erubeſcenda* abſurditate ſtatui.

III. Denique & illud manuum impoſitio à Sacramenti Chriſtiani ingenio alienum habuit, quod ea ritus fuerit pluribus rebus communis. Nam ſacramenta, verè & abſque controuerſiâ à Chriſto inſtituta ſuam ſingula propriam materiam habent; baptiſmus aquæ vel intinctionem, vel aſperſionem; euchariſtia panis eſum, & calicis libationem. Neque hi actus in vllô aliô religionis vel ſacramento vel negotio adhibiti cernuntur. Nam ex Chriſti inſtituto miniſter neque niſi cum baptizat, aqua vel tingit, vel aſpergit quemquam; neque niſi cum euchariſtiam facit, panem veſcendum, & calicem libandum porrigit. Idque Dei ſapientiâ dignum eſt; quæ vt rebus in naturâ propriam ſingulis materiam dedit, ita & in religione ſacramentis ſua ſingulis elementa propria ac peculiaria inſtituit. Hoc quoque nobiſcum ſentit Aurelius, & ex eo contrà Sirmondi de veteribus ſententiam æquè argumentatur; *Si manuum impoſitio* (inquit) *ſit materia eſſentialis ſacramenti Ordinis, ſequitur eſſe non poſſe confirmationis, nè duorum ſacramentorum ſit eadem eſſentialis materia; quod eſt inauditum.* Iam verò *manus impoſitionem* plurium aliorum præter Confirmationem rituum materiam & fuiſſe olim, & nunc etiam apud Latinos eſſe manifeſtum eſt, ſi & prima, & conſecuta Eccleſiæ tempora inſpicias. Nam in ipſis quidem initiis Apoſtoli *manus*, vt ex ſuperioribus liquet, *imponebant*, & ægrotis atque inualidis, quos per donum *ἰαμάτων* ſanabant, & fidelibus, quibus prophetiæ vel linguarum donum impertiebantur, & miniſtris, quos Dei gratiæ extrà ordinem commendabant, & iis, quos ad ſacrum & Eccleſiaſticum miniſterium promouebant, & (quod nonnulli etiam volunt) peccatoribus abſtentis, cum eos legitimâ pœnitentiâ functos in communionem Chriſtianæ ſocietatis redintegrabant. Quis non videt, quàm ineptum, quamque abſonum ſit vnum, idemque *manus impoſitionis* ſignum hic, & iſtic ſacramentum eſſe, in aliis non eſſe ſacramentum? Hoc verò vel vnum certo & euidenti argumento eſt, non ex rei ipſius naturâ, neque ex Chriſti, qui (vt eſt ſapientiſſimus) nihil contra eius rationes inſtituit, ſed ex merâ improuidorum hominum libidine, effictum atque excuſum eſſe, quicquid eſt huius ſacramenti. Quod ſi ad inferiora deſcendas, & veteris Eccleſiæ mores ſpectes, reperies etiam ad alia traductum eſſe imponendarum manuum ritum. Nam præter ſuperiora, etiam in coniugum benedictione hoc ritu vſos fuiſſe veteres, ex Æthiopum etiam hodiernô more credibile eſt; quod eſt à Grotiô obſeruatum. Manus quidem & baptizatis, & reconciliandis, & ægrotis, & ordinandis impoſuiſſe, clarum confeſſumque apud omnes

Orth. part. 2 c. 8. pag. 573.

Ep. 198. ad Gall. p. 434. & ep 146. p 399.

eſt. Vnde & illud quod diximus euidentiſſimè confirmatur, fuiſſe ſcilicet hunc manuum impoſitionis ritum orationis ſuper hominem ex certis magiſque momentoſis cauſſis fundendæ adiunctum & ſignum; ex quô neceſſariò ſequitur, cùm nullum ſit ipſa oratio propriè dictum ſacramentum, neque certè manuum impoſitionem, quæ tota per ſe ad orationem refertur, ac (vt ſcitè verèque dixit Auguſtinus) nihil, ſi benè reputes, aliud eſt, quam oratio, ſacramentum, nonniſi abſurdiſſimè cenſeri poſſe. Sed hominum inſcitiâ quoſlibet ritus temerè nulloque diſcrimine pro ſacramentis habentium, factum eſt tandem craſſo, ac pudendo errore, & magnâ diuinæ diſciplinæ perturbatione, vt ex his quinque manuum impoſitionibus totidem fierent Eccleſiæ Chriſtianæ ſacramenta; Nimirum Confirmationis, quod baptizatis; Pœnitentiæ, quod peccatoribus exomologeſi purgatis; Ordinis, quod in miniſterium Eccleſiaſticum euehendis; Matrimonij, quod coniugibus in nuptiale fœdus conuenientibus; Extremæ denique vnctionis, quod ægrotis manus imponi viderent; quod & ſagaciter odoratus, & verè non vnô in locô ſcripſit vir eruditiſſimus Grotius. *Ex vnâ* (inquit) *hac non imperatâ ſed vſitatâ Iudæis, Chriſtianiſque cærimonia* (manuum autem impoſitionem intelligit) *extitere illa quæ dicuntur, ſacramenta Confirmationis, Ordinationis, Pœnitentiæ, Extremæ vnctionis, imò & Matrimonij.* Errorem, licet craſſum, tamen, quod eum veterum minimè intellectæ voces conſtituere viderentur, homines importuni Scholaſtici, arguti quidem illi & in ſpinis acuendis, atque conuoluendis ingenioſi, ſed omnis diuinæ, humanæque ſapientiæ, hoc eſt & Scripturæ, & antiquitatis Eccleſiaſticæ oppidò rudes, atque ignari, tandem diſputationibus ſuis diu exagitatum firmauere; & hanc diſciplinæ noſtræ partem, ſicut reliquam ferè omnem Chriſtianam religionem, ex ingeniô ſuô effinxêre. At ſenſiſſe quidem illi videntur veramque hanc, quam in iſtô ſacramentô notauimus, abſurditatem, quod *impoſitio* ſcilicet *manuum*, nuda miniſtri actio, eaque plurium rituum communis, parum apta, conſentaneaque eſſet ſacramenti materia. Itaque paulatim eam ex hoc ſuô ſacramentô omnem penitus eiecerunt; & eius locô chriſmationem, aliundè ſumptam, ſubſtituerunt; rem & per ſe à miniſtrô diuerſam, & vni huic ritui affixam. Hanc immutati ſigni rationem & vidit & tradidit Tapperus; in hoc vnô ex cauſæ ſuæ ſtudiô deceptus, quod mutationem, non Scholaſticis, & ſuæ Eccleſiæ, quod verum erat, ſed ipſis Apoſtolis, nullâ ratione tribuit. *Apoſtoli* (inquit) *primò vel ſuô ſpiritu Apoſtolicô, vel Chriſti ſuggeſtione vtebantur manuum impoſitione, tanquam huius ſacramenti materia.* Tum; *Quando lingua, vel cætera miracula ceſſarunt, oportebat ob CONFVSAM, INCERTAM, & INDISTINCTAM manus impoſitionis ſignificationem, propriam & determi-*

natum

Ep. 146. ad Gall. p. 399.

Am. 12.

natum ſignum inſtitui, atque aſſumi. Ad varios namque effectus Apoſtoli manus imponebant. Atque hæc ille; mutationis, cauſam quidem veram narrans; auctores, falſos edens. Non enim Apoſtoli, quod iſte temerè ſomniat, ſed Eccleſiæ Romanæ homines, mutarunt; qui eandem quoque ob cauſam & cæteris illis ſuis quatuor ſacramentis noua aliunde elementa, mirifica quidem illa, & inepta pleraque atque abſurda, cæterum & à miniſtro, & inter ſe diuerſa, deſtinarunt, ac decreuerunt; pœnitentiæ quippe pœnitentis ipſius actus contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem; extremæ vnctioni, oleum ab Epiſcopô benedictum; ordinationi calicem & patinam, vel Euangeliorum volumen; matrimonio coniugum corpora, & verba conſenſum exprimentia, materiam aſſignarunt. *Impoſitionem manuum*, qui vnus olim fuit iſtorum actuum ritus, ex omnibus eiecerunt; niſi quod eam Bellarminus & alii nonnulli in *ordinatione*, vt eſſentialis materiæ partem neceſſariò retinendam putant. Sed de illis hic quidem non eſt dicendi locus. Satis eſt, quod ex ipſo aduerſariorum iudicio conſtat non eſſe manuum impoſitionem, idoneam ac congruam huius, de quô nunc diſputamus, confirmatiui ſacramenti materiam. Si enim eſt, cur eam abdicarunt, atque hinc eiecerunt? Non jam quæro, quô jure iis fuerit ritum (quod ipſi quidem aiunt) Domini mandatô inſtitutum, & Apoſtolis præceptum, atque traditum, expungere, & alium nouum, & in Dei litteris inauditum, chriſmationem ſcilicet, in eius locum ſubſtituere; quæ ſanè [illegible] eſt, ac minimè ferenda temeritas. Illud vnum vrgeo, quod quæcumque tandem eorum in hoc negotiô poteſtas, atque auctoritas fuerit, certò quem ritum repudiauerunt, eum non fuiſſe idoneum exiſtimarunt. Nempe id, quod diximus, viderunt, communem multorum Eccleſiaſticorum actuum ritum, ſacramento, cuius propria, ac ſua debet eſſe materia, non conuenire; & abſurdum item eſſe, vt Epiſcopi manus eadem & miniſtret & miniſtretur; quod neceſſariò fieret, ſi ea remota ſacramenti huius materia eſſet; vt eſt certè, ſiquidem ſit Epiſcopalium manuum impoſitio huius ſacramenti ſymbolum, ac ſignum ſenſibile.

De Ord. c. 9.

Atque ex his quidem [illegible] jam, ni fallor, manifeſtum eſt, *manuum impoſitionem* ſimplicem ritum, ſiue cærimoniam fuiſſe, apud Iudæos precibus certi generis adiungi ſolitam; ab Apoſtolis ex gentis ſuæ vſu, Dominique ipſius, non quidem præceptô vllô, ſed tamen exemplô, adeoque liberè, tametſi congruè, ac ſapienter, in benedictionibus ſpiritualibus impertiendis, perindè ac in aliis quibuſdam precationibus, vſurpatam; à ſacramenti autem Confirmatiui ratione & nomine alienam, tum quod neque diuina promiſſio; neque ſenſibile ſignum, neque Domini Chriſti mandatum. (quæ in huiuſmodi

Sacra-

Sacramento ipſe Bellarminus fatetur neceſſariò requiri) de hac manuum impoſitione vlla in ſacris litteris extant; tum etiam, quod & dotes per eam ab Apoſtolis donata Spiritus fuerit prophetiæ, vel linguarum, cùm iſti ſuæ Confirmationi gratiam duntaxat gratum facientem tribuant, & ritus ipſe à legitimæ, & ſolennis ſacramentorum materiæ ingeniô abhorreat. Vnde & illud ſequitur ne Canoniſtarum quidem veterum veram fuiſſe opinionem, qui hac manuum impoſitione Confirmationem ſuam verè ac propriè contineri cenſebant; adeoque nullum planè eſſe ex diuinis quidem litteris, verum ac propriè dictum Confirmationis ſacramentum; quod, ſi aliquod eſſet, vel *chriſmatio*, vel certè *manuum impoſitio* eſſet; quorum cùm neutrum ex Scripturâ demonſtrari oſtenderimus, relinquitur nullum ex eâ poſſe conſtitui Confirmationis ſacramentum, aduerſarioſque, præterquàm quod ridiculi ſunt, dum quæ de *impoſitione manuum* in diuinis litteris legimus, ea ineptè, ac inuerecundè ad ſuam Chriſmationem torquent, inſuper fruſtrà & in caſſum laboraſſe; qui ne illam quidem nihil ad ſe ſanè pertinentem *manuum impoſitionem* ſacramentum verum vel eſſe, vel fuiſſe probarunt; ſed inſignem, ac planè ſingularem præ cæteris omnibus eſſe Gregorij Valentiani hoc in loco impudentiam, qui in tantâ rerum luce ſcribere tamen non dubitauit, nos niſi concedamus Confirmationis ſacramentum rectè, ac legitimè ab ipſis ex Scripturis eſſe probatum, *coactum iri fateri nè Baptiſmum quidem, & Eucharistiam poſſe ex Scripturâ rectè probari*; quaſi ſcilicet iſtorum Confirmatio non minùs clarè ac euidenter in diuinis litteris tradita ſit, quam duo illa apud omnes Chriſtianos recepta ſacramenta; quô quid dici poſſit & à vero, & à pudore magis alienum, nihil equidem video.

T. 4 in Tho. d. 5. q. 1. p. 1.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Proponitur altera quæſtio, de veteris Eccleſiæ Chriſtianæ circa hoc argumentum ſenſu & vſu. Nuperæ Sirmondi cum P. Aureliô de ea concertationes. Ordo dicendorum. An Apoſtolicis temporibus in vſu fuerit Latinorum Chriſmatio? Rejiciuntur allata ab aduerſariis apocrypha; Clementis Conſtitutiones & Epiſtolæ. Item Dionyſij Areopagitæ opus de Eccleſ. Hierarchia. Ea opera ſpuria eſſe ac falſi tituli. Soluitur ac Explicatur objectus ab iiſdem Clementis Alexandrini ex Euſebio locus. Diluuntur pauca alia à P. Aurelio in eandem rem allata.

ITA explicatis iis, quæ aduerſarij fruſtra ex ſcripturis afferunt ad conſtituendum ſuæ confirmationis ſacramentum; nunc ſupereſt vt inueſtigemus quis fuerit veteris poſt Apoſtolos Eccleſiæ ſenſus atque vſus; de quô ipsô non ita dudum acerrimè inter ſe conflixerunt duo celeberrimi ex Romana ambo communione Scriptores; Petrus Aurelius (quem vulgo putant Ioannem Vergerium Hauranium fuiſſe, ſancti Sigiranni alias Cygiranni, vulgo S[t]. *Cyran* in Biturigibus Abbatem ſub falſo hoc nomine latentem) & Iacobus Sirmondus ex primariis Ieſuiticæ Societatis Patribus. Hic enim, vt ab illo ſollicitatam Arauſicani cuiuſdam Canonis emendationem ſuam vindicaret, duos Antirrheticos libellos emiſit, inquibus, vt erat candidus & ingenuus multa de antiquitatis in hoc argumentô ſcitis, placitiſque agnouit; quæ Aurelius Anæretico, & Orthodoxo editis verboſiſſimè confutauit; neque modò falſa, ſed & hæretica eſſe magnô ſtrepitu, magnâ aduerſarij inuidiâ contendit. Ea ipſe breui indice in ipsô vltimi operis, id eſt Orthodoxi, limine complexus eſt; quæ hic magna ex parte deſcribere operæ pretium videtur. Ille itaque Sirmondum

ait defendere. [P. Aurel. Orthod p. 498. Sirm. Antirrh. 2. p. 60. 64.] I. *Patres verticis vnctionem in Baptiſmo à miniſtris, & frontis in confirmatione ab Epiſcopis fieri ſolitam, vnam eandemque habuiſſe & eiuſdem efficientia.* [Ibid. p. 23. 55. 56. 58.] II. *Frontis Chriſmationi non tribuiſſe veteres ſpiritum Sanctum; ſed hunc effectum proprium eſſe putaſſe manus impoſitionis.* [Anthirrh. 1 p. 63.] III. *Chriſmationis Epiſcopalis, quæ in Confirmationis Sacramentô adhibetur iterationem innoxiam ſeu non præiudicantem Patribus viſam.* [Anthirrh. 1. p. 69. 70.] IV. *In ea Chriſmatione ſitum non fuiſſe olim ſacramentũ Confirmationis, Sed in ſolâ manuum impoſitione.* [Ant. 1 p. 42. 45. 46.] V. *eaque ſolâ ſine Chriſmatione adminiſtratum pluribus ſæculis fuiſſe hoc ſacramentum.* [Anthirr. 2. p. 19. 26. 46.] VI. *Eam Chriſmationem Confirmationis Sacramento ab Eccleſiâ adiectam ornatus ſolemnioriſque pompæ gratiâ.* [Ant. 2 p 63.] VII. *Vnctionem, quæ nunc fit in fronte, ad baptiſmi cærimonias olim pertinuiſſe.* [Ant. 1 p. 26. 76.] X. *Poſterioribus ſæculis aliam quam antea Confirmationis materiam,* [Ant 2. p. 63.] *aliam formam eſſe cœpiſſè.* [Ant 1. p. 64.] XI. *Formam verborum, quâ nunc in illô ſacramentô vtuntur,* Signo te, & confirmo te, *non antiquiſſimam videri.* [Antirr. 2. p. 65.] XIII. *Eam, (quippe quæ enuntiationis abſolutæ ſpeciem præfert) à veteri alienam eſſe, quam Cyprianus & Auguſtinus orationem fuiſſe teſtentur.* [Ant. 1. p 17. 28. 29. 38.] XV. XVI. *Chriſmationem frontis commiſſam olim vulgo, tum presbyteris, tum ipſis etiam diaconis ab Epiſcopis fuiſſe.* [Antirrh 1. p. 66.] XIX. *Et perpetuum apud Græcos fuiſſe, vt presbyteri eam frontis Chriſmationem, quæ apud Latinos Epiſcopalis dicitur, peragerent.* [Ant. 2. p. 74.] XXIII. *Apud veteres diſtinctas à ſe inuicem fuiſſe Chriſmationem, & manus impoſitionem.* Hæc ſunt præcipua de veterum in hoc argumentô ſenſu, atque vſu capita; de quibus Sirmondus, & Aurelius grauiter inter ſe diſſentiunt, videat, qui volet, vtriuſque acerrima in iis libellis, quos nominauimus, certamina. Ex quibus hoc in primis apparet, quàm infirma atque incerta ſit tota aduerſariorum de hoc ſuô ſacramentô ex veterum ſcriptis ducta demonſtratio. Nam cùm clara, & aperta atque confeſſa eſſe deceat ea, ex quibus omnis legitima inſtituitur demonſtratio; veterum, ex quô illi nunc argumentantur, ſenſum atque vſum ita obſcurum, ac dubium eſſe hinc apparet, vt non modò nos, quibuſcum certant, ſed ne ipſi quidem de eo inter ſe conſentiant. Scio Aurelium magnis clamoribus hanc cauſſam ſic agere, quaſi Sirmondus, & à perſpicuâ veterum ſententiâ per ſummam imperitiam, atque ignorantiam diſceſſerit, & damnatam in hodierna Romæ communione doctrinam ſequatur. Sed ille quærat, quibus perſuadeat, vel Sirmondum in Patrum ſcriptis hoſpitem, & infantem eſſe quem nos ex plurimis, & quidem laudatiſſimis eius operibus ſcimus in omni Eccleſiaſtica antiquitate, atque eruditione verſatiſſimum eſſe; vel Ieſuitam ea ſequi, quæ in Romana communione noxia, & intolerabilia iudicata ſint: Non abnuo Aurelio fauere Gallicanum Clerum, cuius ſumptibus excuſa ſunt illius opera. Sed cum in illis partibus non aliæ leges pro publicis, atque totius Eccleſiæ communibus habeantur, quam quæ ſunt à Romano Epiſcopo vel latæ, vel con-

firmatæ;

firmatæ; apparet Sirmondi opiniones, quamdiu nullum de iis iudicium Vrbicus Epiſcopus tulerit (nondum autem vllum tulit) pro damnatis, & à Romana communione alienis haberi non poſſe; quicumque in eas ſit vel Sorbonæ, vel Cleri Gallicani animus. Sanè, ſi (quod plærique cenſent) Aurelius verè Sanſigiranus eſt, notum eſt eius, quam Sirmondi de religione ſententias, multo plures habere in Romanis partibus aduerſarios, multoque maiori inuidia vulgo flagrare. Sed & illud ſecundò ex hoc duorum eruditiſſimorum virorum conflictu non obſcurè, vt ego quidem iudico, cernitur, inane ac nullum eſſe totum hoc Romanæ Confirmationis ſacramentum. Nam ſi verum eſt (vt eſt ſane veriſſimum) quod Aurelius tantoperè non vnô locô contendit, *immobiles eſſe ſacramentorum eſſentias*, Eccleſiamque nihil in eas poteſtatis accepiſſe, & quæ olim eorum cærimoniæ fuerunt, nullius auctoritate in eorum partes conuerti poſſe; patet hunc Confirmationis, quam vocant, ritum, toties, vt docet, Sirmondus, immutatum; ad hæc in ea Chriſmatione nunc poſitum, quæ olim nuda fuit baptiſmi, & quidem à veteribus inventa, atque addita cærimonia, quod idem Ieſuita tuetur, verum, ac legitimum Eccleſiæ Chriſtianæ ſacramentum eſſe non poſſe. Sed ex ſequentibus conſtabit vtrius verior ſit Sirmondine, an Aurelij de antiquitatis vſu ſententia. Nos certè eô alacrius in indagandô veterum ſenſu verſari par eſt, quod tantorum virorum tantum ea de re certamen fatetur non eſſe in rem Romanam liquida antiquitatis de hac cauſſâ iudicia. Itaque vt res tota facilius pernoſcatur, ipſum temporum ordinem ſequemur; ac primô locô de iis patribus diſputabimus, qui primis tribus Chriſtianiſmi ſæculis floruerunt. Tria inde proxime conſecuta ſæcula luſtrabimus; cætera deinceps, in quibus maior facta eſſe mutatio videtur, quam breuiſſimè fieri poterit exſequemur; id inprimis præfati nos quidem concedere apud veteres ſolennem fuiſſe aliquam baptizatorum vnctionem; tantùm negare, quod affirmant aduerſarij, eam vel ab Apoſtolorum temporibus cœpiſſe, vel eô locô ac numero habitam fuiſſe, quo nunc ſuam Latini cenſent, cui veri ac propriè dicti Sacramenti nomen tribuunt. Illi verò vt prius illud probent, nempè baptizatorum conſignationem, ſiue Chriſmationem ab ipſis Apoſtolorum temporibus cœpiſſe; primò afferunt Clementis conſtitutiones, & Epiſtolam quartam, deinde Dionyſij Areopagitæ locum ex libro de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ. Ego reſpondeo in locis laudatis fieri conſignationis & vnctionis mentionem; libros, vnde laudantur, verè Clementis, vel Dionyſij eſſe nego. Ac Conſtitutiones quidem proprio opere demonſtrauimus ante quartum Chriſtianiſmi ſæculum neque cognitas, neque ſane ſcriptas fuiſſe; apud Latinos verò, ex quô innotuerunt, pro apocryphis ſemper fuiſſe habitas. Itaque nihil eſt, quod in earum auctoritate refellendâ immoremur.

Orthod. 573. 574.

mur. Loca, in quibus vnctionis mentionem faciunt, cum ad quarti ſæculi, quô conſcriptæ videntur, auctores ventum erit, diligenter expendemus. Epiſtolam verò eiuſdem Clementis quartam cum cæteris primorum Vrbis ad Siricium vſque Epiſcoporum decretalibus antè annum Domini 830. toti Chriſtiano orbi incognitas, ſpurias, & ipſô illô nonô ſæculô à malè feriatô neſcio quô impoſtore conſarcinatas, atque editas fuiſſe inuictis, tum rationibus, tum teſtimoniis ſic probatum dedit Clariſſ. Dauid Blondellus noſter, vt hactenus, nemo aduerſariorum quicquam contrà emiſerit. Hanc verò quartam, quæ ad Iulium, & Iulianum inſcribitur, præter communia falſitatis argumenta, planè ſpuriam & apocrypham eſſe, vel id ſatis oſtendit, quod exceptô exordiô, & pauculis ab impoſtore additis, (ex quibus eſt ille de confirmatione ab aduerſariis obiectus locus) cætera tota deſumpta eſt ex impuriſſimô & apud omnes apocryphô Recognitionum volumine. Itaque & huius loci examen in ſæculum Chriſtianiſmi nonum quo & hæc, & cæteræ Vrbicorum Pontificum ſimiles Epiſtolæ editæ ſunt, differemus. Dionyſij denique nomen præferentia opera falſa, ſpuriaque eſſe, jampridem ex ipſis aduerſariis olfecerunt, & Valla.[a] & Eraſmus[b]; dubia & incerta Caietanus.[c]; Quin & ipſe Bellarminus hos Dionyſij libros inter eas Scripturas numerat, quæ ſunt apud nonnullos dubiæ & ſuppoſitiæ, Baronius verò fatetur multos dubitaſſe, an Dionyſij ſit ipſe ille de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ commentarius, qui nunc pro chriſmate affertur. Petauius quidem ex Ieſuiticô hodiè ſodalitiô celeberrimus Theologus ſatis oſtendit, quid de illô ſcriptore ſentiat, dum in auctorum indice, quos in opere de Theologicis dogmatibus edidit, ſic eum recenſet; *Dionyſius* (inquit) *cui cognomen Areopagitæ vulgo tribuitur*. Cur *vulgo* id ei nominis *tribui* diceret, ſi verè Areopagitam putaret? Sed & in alio, de Pœnitentiâ publicâ aduerſus Antonium Arnaldum Gallicè ſcriptô opere, veterem pœnitentiæ publicæ tertiô quartoque ſæculis ſolennem diſciplinam, cum & apud hunc Dionyſium capite de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ decimo-ſexto intelligi ac deſcribi velit, & tamen Apoſtolicis temporibus obtinuiſſe idem alibi neget; nemo non videt eum ſenſiſſe Hierarchiæ illius ſcriptorem poſt Apoſtolica tempora vixiſſe, non adeò Areopagitam Dionyſium fuiſſe, Pauli (vt notum eſt) diſcipulum. Denique & totis Chriſtianiſmi prioribus quinque ſæculis planè ignotus fuit hic Scriptor; & cùm An. D. 532. quædam ex eô teſtimonia Acephali hæretici Catholicis in quadam diſputatione obieciſſent; Hypatius Catholicus velut dubia & incerta refutauit; *Illa teſtimonia quæ vos Dionyſij Areopagitæ dicitis, vndè* (inquit) *poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? Si enim eius erant, non potuiſſent latere B. Cyrillum; Quid autem de B. Cyrillô dico, quando & B. Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet eius fuiſſe, ante omnia*

opere de Epiſtol. &c.

a in act. 17.
b ep præfixa paraſgraſi in 1. Cor.
l. de conf. . 7.
§. Iam verò.
e D. 53 §. 15.

Ind. 1 Tom.

a part l. 1. c. 16. [illegible]
1. part c. 8. p. 218. 221. & 3. part l. 5. c. 9. p. 15.

Ep. Ioann. Maronitæ Epiſco. T. 3. Concil. p. 855. col. 2. D.

omnia in Nicano. Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet aduerſus Arij diuerſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, vnde nunc poſſitis oſtendere quia illius ſunt, neſcio. Hæc ille de Pſeudo-Dionyſio; quem in ſexti ſæculi initia quibus primum innoteſcere coepit reijciemus.

Ita ſemotis ab hac diſputatione dubiis & incertæ fidei auctoribus, jam quæ ex veris afferuntur, videamus. Primum huius generis teſtimonium aduerſarij ex Clemente Alexandrinô laudant; qui ſecundo Chriſtianiſmi ſæculô exeunte, in viuis fuit. *Is* (inquit Bellarminus.) *teſte Euſebiô. l. 3. hiſt. c. 17. ſecundùm verſionem Chriſtophorſoni, refert hiſtoriam juuenis cujuſdam à S. Ioanne commendati curæ ac diligentiæ Epiſcopi nuper creati; ac inter alia ſic loquitur; Qui* (Epiſcopus) *eum Baptiſmi ſacramentô illuminauit, poſtea verò ſigillô Domini* Chriſtoph. addit. *id eſt ſacramento confirmationis tanquam perfectâ, & tutâ eius animi cuſtodiâ obſignauit. Vbi apertè loquitur de ſacramentô confirmationis, quod eſt ſigillum Dominicum in fronte impreſſum, & cuſtodiam præbens per gratiam, quam confert.* Hæc ille. Eadem cæteri, quorum nemo ferè eſt qui hunc locum non adduxerit. Ego verò reſpondeo, Chriſtophorſonum ſanè de ſacramento confirmationis apertè loqui; quod ſcilicet disertè nominat (tametſi illa eius verba, *id eſt ſacramento Confirmationis,* pudore deterritus omiſerit Bellarminus) Clementem ipſum, nihil huiuſmodi ſcripſiſſe. Hæc enim eius extant apud Euſebium verba; ὁ δὲ πρεσβύτερος ἀναλαβὼν οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον ἔτρεφε, συνεῖχεν, ἔθαλπε, τὸ τελευταῖον ἐφώτισε· καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας, καὶ παραφυλακῆς, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου, id eſt; *presbyter verò adoleſcentem ſibi traditum domum ſuam recipiens educauit, continuit, fouit, ad extremum baptizauit, poſtea verò de ampliori curâ & obſeruatione remiſit, quaſi qui perfectam ipſi cuſtodiam addidiſſet, ſiue adhibuiſſet Domini ſcilicet ſigillum.* Sic planè Ruffinus, annis ante nos 1200. & quod excurrit, locum tametſi paulò vt ſolet, liberius in eundem tamen ſenſum reddiderat; *Tum verò presbyter in domum ſuam adoleſcentem ſuſcepit commendatum, & cum omni diligentiâ enutrit, amplectitur, fouet, ad vltimum etiam baptiſmi gratiam tradit. poſt hæc jam velut confidens gratiæ qua fuerat communitus, paulò indulgentiùs juuenem habere cœpit.* Atque hæc quidem verus Clemens; ex quibus videre eſt, quanta fuerit Chriſtophorſoni in eô locô interpretando perfidia; qui Clementi hæc verba, *id eſt ſacramento Confirmationis*, quæ neque in Græcis Euſebij, neque in Latinis Ruffini leguntur, de ſuô impudentiſſimè affingere auſus eſt. Atque ex hoc obiter diſce cæteros Romanæ communionis interpretes. Sed neque leuis eſt Bellarmini vel oſcitantia, vel quod verius videtur, inuerecundia, qui hac Chriſtophorſoni, hominis ſui, fraude atque impoſturâ in rem ſuam nimium

l. de Confirm. 5. § Secundò.

apud Euſeb. l. 3. hiſt. c. 23. edit. gr.

profectò vel ſecure, vel audacter abuſus eſt. *Apertè* (inquit) *loquitur Clemens de ſacramentô Confirmationis.* Fateor inquam) ſi verùm, ac verè Domino inſtitutum Confirmationis ſacramentum intelligis; baptiſmum nimirum; quod verbo ἐφώτισε Græcis in eâ re familiari, expreſſit, ſin de tuâ Chriſmatione capis, (vt certè capis) nihil de eâ Clemens; nedum vt apertè de eâ loquutus ſit. At (inquit) id, de quô loquitur, & quo velut perfectâ cuſtodiâ munitum adoleſcentem narrat, id τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου *Domini ſigillum*, vel *ſignaculum* vocat. Fateor; ſed eo nomine Chriſti baptiſmum quem ab adoleſcente ſuſceptum dixerat, intelligi aio; tuam Chriſmationem, de quâ verbum nullum fecerat, intelligi nego. Nimirum bonus ille presbyter adoleſcente ſemel tinctô, atque initiato, putauit non eſſe poſt hac ſibi diligentius in eô cuſtodiendo laborandum; quod in hoc ſanctiſſimo, quô Domino Chriſtô conſecratus, & ab eô conſignatus erat; myſteriô ſatis ipſi præſidij ad omnem hoſtium vim amoliendam datum eſſe exiſtimaret. Sic intellexit Ruffinus; *poſt hac* (inquit) *velut confidens gratia, qua fuerat communitus, paulò indulgentiùs iuuenem habere cœpit.* Cui nam *gratia confidebat?* Quâ (inquit) *fuerat communitus.* Fuiſſe autem communitum non Chriſmate (quod hic nullum apparet,) ſed baptiſmô dixerat. Quin imò vt id ſignificaret Ruffinus, non baptiſmum, ſed baptiſmi gratiam dixerat; *Ad vltimum* (inquit) *baptiſmi gratiam tradit*; vt quod addit continenter, *Poſt hæc jam velut confidens gratia,* non de aliâ, quam de baptiſmi gratiâ poſſit intelligi. Et ſanè baptiſmus Domini σφραγὶς *ſigillum*, vel *ſignaculum* multò rectiùs, quàm Chriſma dicitur. Illum enim à Dominô inſtitutum ad oues ſuas obſignandas patet ex omnibus Euangeliis; De hoc, nihil tale vſpiam legitur. Baptiſmo verò *ſignaculi*, ſiue *ſigilli* nomen conuenire, & Paulus ſatis docet, & vetus Eccleſia loquitur. Paulus quidem, qui cum circumciſionem, quâ Moſaicæ legi vetus initiabatur populus, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πί-
Rom. 4. 11. στεως *ſignaculum iuſtitiæ fidei* vocat; quantò magis id nominis dandum putauerit baptiſmo, quô Dominico Euangelio initiatur nouus populus? Eccleſia vetus hanc Pauli auctoritatem & nomenclaturam
Herm. Paſt. l. 3. ſimil. 9. Bell. Patr. T. 1. p. 39. c. Clem. Strom. l. 2. p. 379. ſecuta, baptiſmum ſignaculum paſſim vocat. Hermas in apocrypho quidem, ſed tamen vetuſtiſſimo Paſtoris volumine, cum negaſſet quemquam in regnum Chriſti intrare niſi eius ſigillo ſignatum, *Illud autem ſigillum* (inquit) *aqua eſt*; baptiſmum vt omnes vident, intel-
Ibi. l. 2. p. 363 d. Ecl. 5. p. 583. 26. ligens. Clemens ipſe noſter & quidem hunc Hermæ locum nominatim citans, baptiſmum vocat σφραγῖδα κηρύγματος *prædicationis ſigillum*, & qui baptiſmo carent eos dicit τὴν σφραγῖδα ταύτην μὴ ἔχειν *non habere hoc ſignaculum*; & alibi μακαρίαν σφραγῖδα *beatum ſigillum*, appellat, &
l. de ſpectac. c. 24. τῆς σφραγῖδος μυστήριον *ſigilli myſterium* dicit pro baptiſmi myſterio. Tertullianus, ipſius Clementis æqualis, baptiſmum *ſignaculum fidei*

diſertè

diſerte appellat; & alibi eodem ſenſu *obſignationem eſſe* dicit *fidei & pœnitentiæ*. Origenes vero Tertulliano aliquanto junior, etiam apud Chriſtianorum vulgus familiare fuiſſe tradit, dicere, *Ille & ille non accepit ſignaculum, Ille & ille ſignaculum habet*; baptiſmum ſcilicet ſignificantes. Euſebius quidem, à quo obiectum ab aduerſariis & locum Clementis habemus; non ſemel ita loquitur. Nam Baſilidem, cùm à Chriſtianis baptiſmum ſtatim accepiſſe vellet ſignificare, dixit hos illi τῆς ἐν Κυρίῳ σφραγῖδος μεταδοῦναι, *ſigillum quod in Domino eſt, tradidiſſe*, vel, vt ipſe Chriſtophorſonus, hic quidem interpres non infidus, reddit, *ſigillum in Domino ei impertiuiſſe*; Alibi Conſtantinum ab Epiſcopis ſacrum baptiſma his verbis poſcentem inducit; ὥρα καὶ ἡμᾶς ἀπολαῦσαι τῆς ἀθανατοποιοῦ σφραγῖδος. *Tempus eſt, vt & nos ſigillo fruamur, quo immortales efficimur*. Et mox ipſe hunc vnum ex Imperatoribus Romanis fuiſſe dicit, θείας σφραγῖδος ἀξιούμενον, *diuino ſigillo honoratum*, id eſt vnum, quem Chriſtiano baptiſmo ornare Deus eſſet dignatus. Quid, quod Gregorius Nazianzenus, Græcus æque ac Clemens, docet σφραγῖδος vocabulum vnum eſſe ex vulgaribus apud Chriſtianos baptiſmi, quæ multa recenſet, nominibus? χρίσμα, φώτισμα &c. σφραγῖδα. *Baptiſmum nominamus vnctionem, illuminationem, ſignaculum* & rationem, cur *ſignaculum* dicamus, hanc addit, σφραγῖδα δὲ ὡς συντήρησιν, καὶ τῆς δεσποτείας σημείωσιν; *ſignaculum, quod ſit cuſtodia, & dominationis ſignificatio*. Itaque cùm de Baptiſmô in obiectô locô verba faciat Clemens, cumque σφραγὶς vnum ſit ex baptiſmi nominibus in Eccleſiâ Græcâ vſitatis; apparet additum ab eô σφραγῖδος hoc eſt *ſignaculi Dominici* nomen ad ipſum baptiſmum pertinere; & non modò non apertum, quod ait Bellarminus, ſed nè probabile quidem eſſe, vt aliò referatur. Clementis certè locum nihil eſſe, quod cogat de confirmatione Romanâ accipere diſertè fatetur Petrus ipſe Aurelius, pertinaciſſimus alioqui eius defenſor, aduerſus Loemelium Ieſuitam *in ſpongia ſua* illa Clementis verba obijcientem ita ſcribens; *ſi de confirmatione* (inquit) *omninò ſermonem eſſe negem, quô pactô probabit ſpongia? Euſebius enim tantum ait Epiſcopum illum remiſiſſe aliquantùm de priore ſollicitudine*, τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσαντα τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου, *hoc eſt, cùm ei perfectum præſidium impoſuiſſet ſignaculum Domini. Quod æque de baptiſmô intelligi fatebuntur quicunque illum etiam ſignaculum, ſeu characterem Chriſti vocari à Patribus meminerint, præcipuè cùm Euſebius præcedentibus* verbis quid Epiſcopus feciſſet exponens, nihil dicat niſi τὸ λοιπὸν ἐφώτισε, *id eſt denique cum illuminauit, ſiue baptizauit*. In margine verò libri auctores, quibus probat baptiſmum veteribus *Domini ſignaculum* ſeu *characterem* appellatum fuiſſe; edit, & citat Auguſtinum Epiſtolâ 50. ad Bonifacium, & l. 2. contra Epiſtolam Parmeniani c. 13. & Ambroſium in Pſalmum 50. Ergo vel Aureliô iudice,

de pœnit. c. 6.

Orig. in Ezech. hom 13. Tom. 1 p. 660. Euſeb Hiſt. l. 6. c. 5. fol. 60. a.

id de Vit. Conſt. l. 4. fol. 155. a.

Ibid. f. 155. b.

Orat. in ſanct. lau. p. 638.

Reſponſ. ad Propoſ. 3. p 52. 1.

dice, nihil neceſſe eſt locum Clementis de confirmationis ſacramento interpretari. Sed & præter hoc, quod iſte concedit, verba Clementis neceſſariò poſtulant, vt de baptiſmô intelligatur. Particula enim ὡς ab Aureliô omiſſa, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας, *velut ei impoſito, ſeu additô perfectô præſidiô*, oſtendit id, quod fecerat presbyter rationem fuiſſe, cur de priſtinâ in adoleſcentem curâ ac ſollicitudine remiſerit. Putabat ſcilicet ſe, quod hominem illuminaſſet, ſiue baptizaſſet, eô ipſius in poſterum præſidiô atque incolumitati ſatìs ſuperque conſuluiſſe. Non poſſunt hæc aliô quàm ad præcedentia referri; nihil autem præceſſit niſi quod presbyter hominem ἐφώτισε *illuminauerat*, id eſt Ruffinô interprete, *baptiſmi ei gratiam tradiderat*. Ergo *ſignaculum illud Domini*, quô ſe perfectô præſidiô adoleſcentem communiuiſſe exiſtimabat, aliud quam baptiſmus eſſe non poteſt; niſi φωτίζειν de Chriſmatione vel de aliâ re quàm de baptiſmô præter omnem Eccleſiaſtici apud Græcos ſermonis vſum, aduerſarius (quod longe abſurdiſſimum ac ſtultiſſimum eſt) accipiendum eſſe contendat. Concluſum ergò eſto nihil habere hunc Clementis locum, quô Ioannis Apoſtoli temporibus vſitatam fuiſſe in Eccleſia Chriſmationem probetur. Quæ non ita tamen diſputamus, quaſi Clementis Alexandrini æuo; hoc eſt an. D. 193. & 200. vſitatum apud Chriſtianos fuiſſe negemus homines baptizatos vngere: hoc vnum contendimus, Clementem nihil huiuſmodi de Ioannis temporibus affirmaſſe, &, ſi quid tale narraſſet, non dubitaremus, quin ea quæ ſuô tempore factitari cerneret, ea imprudens (quod multis in aliis rebus contigit) Apoſtolicis quoque hominibus tribuiſſet. Sed nihil neceſſe eſt eô venire, cum vel ipsô Aureliô iudice, nihil nos cogere poſſit, vt Clementis verba de Confirmatione, non de ſolo baptiſmo interpretemur. Quod enim & ipſe, & ſi benè memini, Menardus quoque objiciunt *perfecti præſidij* voces confirmationi potius, quam baptiſmo ex Patrum ſtilo conuenire, id inquam & inutile & falſum eſt. Falſum. Nam vel ex Gregorij loco, quem nuper laudauimus, apparet baptiſmum Patres σωτήριον *præſidium, ac cuſtodiam* eſſe putaſſe; & id omnes Dei litteræ ſatis confirmant; neque ſine baptiſmi contumeliâ negari poteſt. Sed & illud inutile eſt. Quæcumque enim fuerit aliorum Patrum de baptiſmô vel ſententia, vel oratio; Clemens quidem certè eum hoc locô *perfecti præſidij* vocibus intelligit; docetque eum non quidem recte ac proprie *perfectum* eſſe *præſidium*; ſed illum tamen, de quo narrat, presbyterum ita exiſtimaſſe ait, quod adoleſcentem baptizaſſet eô ſe perfectô præſidiô ipſum communiuiſſe. Iſta enim velit nolit Aurelius non aliô quam ad baptiſmum (de quô vno ſcilicet verba facta fuerant) referri poſſe clarum, atque apertum eſt. Nihil ergo proximis Apoſtolorum

In Sacram. Gregor. p. 14.

iorum temporibus occurrit quod vſitatam jam tam fuiſſe Latinorum confirmationem ſuadeat.

Sed Aurelius quædam colligit in quibus Patres videntur teſtari ſe ſenſiſſe Chriſma ab ipſis Apoſtolis inſtitutum fuiſſe. Pacianus; *lavacri, & Chriſmatis poteſtas maiorum longe chariſmatum, ad Epiſcopos inde* (id eſt ab Apoſtolis) *deſcendit.* Et paulò poſt; *Ergo nec Chriſma nec baptiſmus nec criminum remiſſio nec innouatio corporis ſanctæ poteſtati Epiſcopi indulta eſt; quia nihil propria vſurpatione mandatum eſt, totumque id Apoſtolico jure defluxit.* Reſpondeo cum Patres ſibi interdum permittant maiorum ſtatuta pro legibus Apoſtolicis habere, vt ex Hieronymô diſcimus; nihil mirum futurum eſſe ſi qui Chriſma quod traditô à maioribus more apud ſuas Eccleſias in vſu eſſe videbant, ab Apoſtolis inſtitutum putaſſent, vel dixiſſent. Sed ne id quidem dicit Pacianus. Poteſtatem Chriſmatis ab Apoſtolis ad Epiſcopos veniſſe dicit: ipſum Chriſma non dicit. Nimirum, quod poſtea intelligemus, erat illo tempore Chriſma vnus ex baptiſmi ſolennibus ritibus. Qui ergo ipſius baptiſmi poteſtatem ab Apoſtolis acceperant Epiſcopi, eorum quoque omnium quæ ex Eccleſiæ vſu ad baptiſmum pertinebant, adeoque & Chriſmatis poteſtatem ab eodem fonte accepiſſe meritò cenſebantur. Ipſos in baptiſmô ſolennes ritus omnes ab Apoſtolis fluxiſſe, neque ait Pacianus, neque ſanè verum eſt. Sed & pſeudo-Dionyſium Areopagitam citat Aurelius; cuius, quod is (vt ſupra demonſtraui) impoſtor ſit, nulla eſt hac in re auctoritas. Ille verò, qui viri Apoſtolici Dionyſij perſonam aſſumpſerat, vt dramati ſeruiret, & hunc, & alios omnes, quos recenſet ritus, neceſſariò coactus eſt Apoſtolis, quorum erat Dionyſius diſcipulus, attribuere Auctor ſermonis de vnctione apud Cyprianum, cum ſit recentiſſimus, & poſt an. D. 1150. vixerit (is enim eſt Arnoldus Bonæ Vallis Abbas, vt poſtea dicemus) non debuit ab Aureliô inter veteres Patres cenſeri. Ille verò ſi Apoſtolicum inſtitutum chriſma eſſe putauit, à Pſeudo-Dionyſiô, qui vltimis illis ſæculis pro verô Dionyſiô ab omnibus habebatur, deceptus putauit. Quamquam quod ille Chriſma ad diuinam inſtitutionem refert, id, vt eius locum inſpicienti apparet, nihil aliud ſignificat, niſi à Deô olim ſub veteri teſtamento inſtitutum fuiſſe, vt ſacerdotes & reges vngerentur; vnde poſteà Chriſtiani ſuam vnctionem ſumpſerunt, vt mox ex Tertullianô audiemus. Denique quod Innocentius primus conſignandi jus ſolius Epiſcopi eſſe ex eô probat, quod Apoſtoli ſoli manus impoſuerint, id efficit vt Innocentius ſuæ iſtius conſignationis adminiſtrandæ eandem eſſe rationem putauerit, quæ erat manus impoſitionis; non efficit, vt ipſum Chriſma quo fiebat conſignatio, ab Apoſtolis vel inſtitutum vel vſurpatum fuiſſe crediderit, quod nos negamus. Neque ex veteribus plura in hanc rem affert Aurelius.

Orthod. par. v. c. 5 p. 554. ep. 1 ad ſymp.

Hier. ep. 28 ad Lucin. T. 1. f. 65. L.

Ep. 1.

CAPVT II.

Non fuiſſe ab Apoſtolis traditam aut vſurpatam baptizatorum Chriſmationem; probatur 4. argumentis, & teſtimoniis Tertulliani, Cornelij R.E. Valafridi, Amalarij & quorumdam veterum Scholaſticorum.

NOs vero in partem, quam tuemur, contrariam longe & plura & efficaciora habemus tum argumenta, tum etiam teſtimonia. Mitto quam in priori diſputationis parte expoſui, inuictam demonſtrationem ex diuinæ ſcripturæ ſilentio petitam; quæ cum omnia ad ſalutem factu, vel creditu neceſſaria abundè contineat, nihil tamen tradit de iſto chriſmatis ſacramento. Tantum addo eô validius cenſendum hoc argumentum, quod Arcudius confitetur debere in ſacris litteris extare quæcumque vera ſunt Chriſtianæ religionis ſacramenta, idque præclarô hoc Cyrilli Hieroſolymitani teſtimoniô, confirmat, δεῖ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν. *Nam diuinorum ſanctorumque fidei myſteriorum, ſiue* (vt ille reddit) *ſacramentorum nihil nè minimum quidem abſque diuinis ſcripturis tradi debet.* Pugnat quidem Arcudius ſuum confirmationis ſacramentum in ſcripturâ extare; ſed iis telis quæ nos omnia ſupra confregimus; vt veriſſimum id eſſe conſtet, quod ab Hieremiâ G.P. Patriarchâ ingenue conceſſum iſte fruſtra reprehendit, nimirum ὅτι τὸ τοῦ θείου μύρου μυστήριον οὐκ ἐμφέρεται ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ; *quod diuini vnguenti myſterium non extat in ſacris litteris.* Atque hinc porrò ex ſuperiori Cyrilli, & Arcudij conceſſione (nullum eſſe ſcilicet ſacramentum abſque diuinis ſcripturis traditum) clariſſimè conſequitur Latinæ confirmationis ſacramentum neque à Chriſtô Dominô inſtitutum, neque ab Apoſtolis celebratum eſſe. Quod ſi Baſilius idem illud quod Arcudius & Cyrillus de ſacramentis ſenſit, (& ſenſiſſe, idem veriſimillimum eſt) negari non poteſt, quin & ipſe quoque vnctionem cenſuerit neque à Domino inſtitutam, neque ab Apoſtolis traditam; de quâ ſcilicet diſertè negat vllum extare λόγον γεγραμμένον verbum ſcriptum. Quod enim cauillatur Arcudius ἐλαίῳ χρίειν *vnctionem ex oleô* Baſilio iſtic eſſe vnctionem baptizandorum ex oleô ſimplici, non baptizatorum ex oleô balſamato; id inquam fruſtra eſt. Notum enim eſt ἔλαιον Græcis, oleum Latinis ſæpè vſurpari de ipſo chriſmate, etiam tum cum oleô balſamum miſceri cœpit; quod Hugo Menardus & diſertè obſeruat, & iubet ita accipere olei nomen apud omnes Patres, qui ante Sylueſtrum locuti ſunt de hac vnctione. Tum & illud clarum eſt in

[Margin notes: l. 2. de Sacr. c. 2. extr. Catech. 4. — cenſura Vitchib. c. 7. — l. de Spir. S. c. 17. vb. ſup. l. c. 5. p. 65. — in Sacram. Gregor. p. 144.]

in ſcripturâ noui teſtamenti chriſmatis ex balſamô & oleô confecti mentionem multô etiam minus occurrere, quam olei, vt ſi (quod fatetur Arcudius) vnctionem ex oleô ἄγραφον eſſe putauit Baſilius, multò magis ἄγραφον quoque cenſuiſſe vnctionem ex Chriſmate exiſtimandus ſit. II. Sed & hinc ignotum Apoſtolis fuiſſe Latinæ confirmationis ſacramentum patet, quod id Epiſcopi ſupra presbyterum in Eccleſiaſticô miniſterio eminentiam neceſſario ſupponit; quam neſciuiſſe Apoſtolos ex omni nouo teſtamento & liquet, & eſt ab Hieronymo jampridem luculentiſſimè demonſtratum. Cum enim omnes diuinæ litteræ eundem Apoſtolis fuiſſe presbyterum & Epiſcopum doceant, non alio inter hæc diſcrimine, niſi quod prius vocabulum ab ætate, alterum ab officio ductum ſit; fieri non poteſt vt aliquod Epiſcopi proprium ſacramentum agnouerint Apoſtoli; eandemque fuiſſe neceſſe eſt & Hieronymi, & Auguſtini, & Chryſoſtomi, & eorum omnium Patrum ſententiam, qui eadem cum Hieronymo docuerunt; quos ad quadraginta quatuor recenſet & vindicat eruditiſſimus Blondellus in ſuâ Hieronymi Apologiâ. Qui enim eundem Apoſtolicis temporibus fuiſſe putant Epiſcopum, & presbyterum, eos neceſſe eſt, ſi quod Epiſcoporum proprium ac ſingulare eſſe putarunt ſacramentum, id exiſtimaſſe Apoſtolorum æuo nondum extitiſſe, ſed à poſteris inuentum poſt diuiſum à presbyteratu Epiſcopatum fuiſſe. Eam verò ſententiam diſertè poſuit, atque aſſeruit Ratramnus Corbeienſis, noni ſæculi ſcriptor, loco ab ipſo Petro Aurelio Laudato *Eccleſiaſtici viri* (inquit) *ſtatuerunt, vt frontes baptizatorum non à presbyteris, ſed ab Epiſcopis chriſmate ſanctô linirentur, vt per eos Spiritus ſancti gratia conferretur.* Vides vt hoc Epiſcopale ſacramentum, non ab Apoſtolis, ſed à viris Eccleſiaſticis, id eſt Patribus ſtatutum fuiſſe ſcribat. III. Præterea nullam ab Apoſtolis traditam fuiſſe ſacramentalem vnctionem inde quoque certiſſimè deprehenditur, quod Chriſtiani qui primo ſæculo & ſecundo pœnè toto vixerunt, eâ caruerunt; quam haud dubiè factitaſſent ſi qua eſſet ab Apoſtolis tradita. Caruiſſe autem eos iſto vnctionis ſacramento hinc noſcitur; quod eius planè nulla occurrat mentio in veris & indubitatis quæ ſatis multa extant illorum temporum monumentis. Verbi gratiâ, extat genuina Clementis ad Corinthios ante primi ſæculi finem data Epiſtola. Extant Iuſtini, Athenagoræ, Theophili, Tatiani, Irenæi opuſcula non pauca, omnia poſt 150. ante 197. Domini annum edita. Profectò non eſt veriſimile hos omnes Patres nullam eius vnctionis mentionem in tam multis facturos fuiſſe, ſi quidem ipſa jam tum in Eccleſiâ pro vero, ac legitimô & à Chriſtô Dominô inſtitutô omnium baptizatorum ſacramento habita eſſet. Nam iſti ſanè vel omnes, vel plærique & baptiſmi, & Euchariſtiæ, quæ vera eſſe ſacramenta nemo dubitat,

in tit 1. & ep. 85. ad Euagr. & ep. 83. ad Oceam.

Sect. 2.

l. 4. contr. oppoſita Græc. xx. Orthod. p. 561.

luculentiſſime meminerunt. Cur qui meminerunt, Confirmationem tacuerint, nulla ratio dici poteſt, niſi hæc vna, quod ſcilicet nullus tum huiuſmodi ritus eodem cum iſtis cenſu apud Eccleſiam haberetur. Sed heus tu, inquis, cur negas Iuſtinum vnctionis huius meminiſſe, qui Bellarminô auctore, ac teſte, ſcribit *per actu myſterii baptiſmi conſignari fideles ſacrô vnguentô*. Scio inquam, Bellarminum Iuſtino hæc ex libro de Orthodoxorum quæſtionibus tribuere. Sed hæc magna eſt Bellarmini inuerecundia, qui alibi, vbi ex profeſsô de Iuſtini veris operibus diſputat, non tantùm confitetur, ſed etiam pluribus argumentis docet ac probat librum iſtum, non à Iuſtinô ſed ab aliô incertô auctore ſcriptum eſſe, qui diu poſt Iuſtini, imò poſt ipſius etiam Origenis mortem, vixit. Scio & ab eodem Bellarmino alibi ad ſuum quoque Chriſma, torqueri illa Theophili Antiocheni verbá; *ἡμεῖς τούτου εἵνεκεν καλούμεθα χριστιανοὶ ὅτι χριόμεθα ἔλαιον θεοῦ. Nos ideo Chriſtiani vocamur, quod Dei oleô vngimur.* Sed nihil nos cogit *oleum Dei* de externâ vnctione intelligere. Multò veriùs eſt de diuinô ſeu myſticô oleô, id eſt ſpiritu ſanctô accipi; quô vere omnes inungimur, & à quô verè Chriſtiani dicimur; Qualiter verbis proximè præcedentibus dicebat Theophilus *aërem & terram, quæ ſub cælô eſt, lumine & ſpiritu inungi. Dei oleum* dicit appoſitè ad oleum hominum; vt ſi oleum gratiæ oppoſitè ad oleum naturæ dixiſſet. IV. Sed imprimis obſeruandus eſt inſignis Iuſtini locus; in quô baptiſmi adminiſtrationem accuratè deſcribens, vnctionis nullus meminit; quam etiam aduerſarij,* licet ſacramentum à baptiſmô diſtinctum eſſe putent, confitentur tamen apud veteres ſemper fuiſſe vnà cum baptiſmô adminiſtratam; & ita rem habuiſſe ſatis ex ſequentibus conſtabit. Iuſtinus ergo (quem ferunt Romæ a. D. 163. à Ruſticô præſide ſecuri propter fidem percuſſum nobiliſſimum martyrium feciſſe) in alterâ pro Chriſtianis Apologiâ baptiſmi noſtri ritum, ac myſterium pluribus enarrans, neque vnctionis, neque manus impoſitionis, neque cæterorum, quæ apud poſteriores vſurpata fuiſſe legimus, vſpiam meminit; ſed rem totam ſolâ intinctione in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti ex Chriſti inſtitutô peractam ſic exſequitur. *ὃν τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ, καινοποιηθέντες διὰ τοῦ χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα ὅπως μὴ τοῦτο παραλιπόντες δόξωμεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει. ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ᾽ ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. ἔπειτα ἄγονται ὑφ᾽ ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται. ἐπ᾽ ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν ὕδατι, τότε λουτρὸν ποιοῦνται.* quô verò modô Deo, quoque nos dicauerimus per Chriſtum

renouati

l. de confirm. c. 5 §. Iuſt.

l de Script. Eccl in Iuſtin.

de confirm. c. 8. §. Tertiò probatur.

l. 1. ad autol. Bibl. patr græcolat. T. 1. p. 110. E.

* vid. Bell. de Conf. c. 7 §. quod autem. & Aurelium Orthod p. 539. 540.

apol. 2. longè vltra med p 73 lin. 14.

renouati jam exponemus; ne ſi hoc prætereamus maligne quicquam & diſſimulanter agere hac oratione videamur. Quicumque perſuaſi fuerint, & crediderint vera eſſe, quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac viuere ſe ita poſſe receperint, orare jeiunantes, & petere à Deô priorum peccatorum remiſſionem docentur, nobis cum illis vna & orantibus & jeiunantibus; Deinde eô adducuntur à nobis, vbi aqua eſt, atque eô regenerationis modô quo ipſi regenerati ſumus regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum parentis & Domini Dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti in aqua tum lauantur. Et poſt alia plura; Καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων· καὶ ἐπ' ὀνόματος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ἐπ' ὀνόματος πνεύματος ἁγίου, ὃ διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ κατὰ τὸν Ἰησοῦν πάντα, ὁ φωτιζόμενος λούεται. p. 74. b. 5. *Vocatur verò lauacrum hoc illuminatio, quod eorum, qui hæc diſcunt mentes illuminentur. In nomine autem etiam Ieſu Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato* (de Patris nomine paulo ante dixerat) *atque in nomine ſpiritus ſancti qui per ſacros vates prænuntiauit res Chriſti omnes, abluitur is qui illuminatur.* Hæc ille; in quibus vides etiam tum ſincerè ſeruatam Apoſtolicam huius ritus ſimplicitatem, neque præter eam quæ in Actis narratur ac deſcribitur baptiſmi adminiſtrationem, quicquam addi, niſi precationes & jejunia tum ipſius baptizandi, tum totius pro eô cœtus; quæ & rei ipſi & Apoſtolicæ diſciplinæ vehementer congruunt; nedum vt à priſtinâ formâ abludant. Nihil autem tacuiſſe Iuſtinum eorum quæ tum in baptiſmi adminiſtratione alicuius momenti eſſe putabantur, præter ſummum viri candorem ipſiuſque orationis ſatis diù in hoc argumentô verſantis rationem, fidem facit ipſa illa, quâ hunc ſermonem ingrediens vtitur, conteſtatio, qua ſe rem totam diligenter ideò explicaturum profitetur, *ne ſi eam prætereat, maligne quicquam & diſſimulanter agere videatur.* Cùm ergo hæc ita præfatus, nihil tamen de vnctione, ac manus impoſitione, nihil de cæteris quæ poſteà apud Chriſtianos occurrunt, baptiſmi cærimoniis adjecerit; omninò pro certô atque indubitatô ſtatuendum videtur nihil adhuc iſtorum rituum apud Chriſtianos Iuſtini temporibus in baptiſmô factitatum fuiſſe. Quæ vero in baptiſmo non fuit vnctio, illa nuſquam alibi in omni eorum cultu fuit; Neque enim (vt mox audiemus) alibi quam in baptiſmô, ſtatim poſt merſionem fiebat primis illis ſeculis, quibus in vſum eſſe cœpit. VII. Huc accedunt & Patrum, & ipſorum etiam aduerſariorum teſtimonia. Ex Patribus quidem Tertullianus vnctionem, quam primus omnium memorat, *de priſtina diſciplina eſſe* ait, qua *vngi oleô de cornu in Sacerdotium ſolebant, ex quô Aaron à Moyſe vnctus eſt.* Id verò & ab Apoſtolorum more, & à ſacramentorum noſtrorum ingeniô alienum. Apoſtoli quidem Moſaicos ritus abrogarunt; nedum vt iis quemquam ſuorum ob- de bapt. c. 7.

ſtringerent. Sacramenta verò Chriſtiana. Cui vnquam fando auditum de Moſaïcâ diſciplinâ aſſumpta fuiſſe? Ergo hæc vnctio neque ab Apoſtolis, neque in Chriſtianorum ſacramentum inſtituta ſed à viris Eccleſiæ ad ornandum baptiſmum ex Moſaïco penu de prompta, & vſurpata, vt alia non pauca. Hæc Tertulliani mens. Idem & diu poſtea Valafridi Strabonis, non indiligentis ſcriptoris, animus fuit, vbi de baptiſmi ritibus verba faciens, *& eius gradatim per temporum augmenta in maius celebrationem creuiſſe profitetur*; *Addiderunt* (inquit) *alij Chriſmatis vnctionem; quam ex veteri ſumptam conſuetudine, nemo qui dubitet*. Vides, vt & *additam eſſe Chriſmatis vnctionem* ſtatuat, & *ex veteri*, id eſt Moſaica *conſuetudine* ſumptam ex communi & indubitatâ ſui ſæculi ſententiâ affirmet? Cornelius vrbis Romæ Epiſcopus, qui poſt Tertulliani mortem annis non amplius, quàm triginta tribus floruit, de conſignatione Epiſcopali, & cæteris baptiſmi ritibus loquens, ὧν χρὴ, (inquit) *μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, quorum participem fieri oportet ſecundùm canonem Eccleſiæ*. Non ergo Apoſtoli, ſed Eccleſiæ hunc morem, vt & alios congeneres, poſuerant. Amalarius Fortunatus *Apoſtoli* (inquit) *hac arte*, (id eſt olei) *vtebantur in redintegratione infirmorum*; *Apoſtolici viri in conſignatione neophytorum*. Ergo non eſt iſto quidem auctore, ab Apoſtolis neophytorum ex oleô conſignatio. Itaque in iis quæ apud eundem ſequuntur; vel mendam eſſe neceſſe eſt, vel *Apoſtolicam conſuetudinem* dici pro ſedis Romanæ more; quod Amalarij ſæculô, id eſt nonô, non eſt ſinè exemplô. Sic enim ille paulo poſt verba à nobis deſcripta pergit; *Vnde patet ab ipſis Apoſtolis hunc ſancta Eccleſiæ morem eſſe traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleô Pontificali benedictione conſecratô. De eô oleô, quod infunditur ſuper neophytos, non tale quid legimus, ſed tenemus Apoſtolicam conſuetudinem, & auctoritatem ſuam accepimus à Romanâ Eccleſia, quam pro lege tenere oportet.* VI. Ex ipſorum aduerſariorum ſinu, non paucos, habemus huius veritatis teſtes. Nam & Alexander Alenſis & Ioannes à Vitriacô Cardinalis (quod ſuprà diximus) circà a.D.1245. docuerunt Chriſmationem ab Eccleſiâ inſtitutam fuiſſe; & Guillelmus Antiſſiodorenſis hanc velut nonnullorum ſcholæ Doctorum ſententiam refert; & Bonauentura eam quoque ſecutus eſt. Aureolus a.D.1340. ait *Eccleſiam oleum & Balſamum inſtituiſſe ſigna communia pro omni tempore*. Quô & illa Canoniſtarum ab eo commemorata ſententia redit, negantium à Chriſtô traditum vel ab Apoſtolis præceptum fuiſſe; vt ex Chriſmate fieret confirmatio; ſed id fuiſſe ſtatutum in antiquis Conciliis.

de rebus Eccl. c.26.

apud Euſeb l 6.c.43. (lat. 33.) hiſt. Eccl. l.1.de offic. Eccleſ.c.12.E. ibid.p.326.a.

part.4 q 9. hiſt. occi.c 37. l.4.tr.9. in 4. d.7. q 1 & 2.

in 4. d.7.q. art vn.p.63. in 4.d. 7.q p. [illegible]ol.2.F.

CAPVT

Capvt III.

Vnctionem, & manus impoſitionem carimonias baptiſmi fuiſſe; poſt a. D. 160. inuentas, & vſurpari cœptas; vtramque ex V. T. ritibus ductam.

Atque ita non ex diuinis modò noui teſtamenti libris (quod vnum argumentum abundè ſufficiebat) ſed ex ſcriptoribus quoque Eccleſiaſticis, & ex ipſa apud Iuſtinum expreſſa Chriſtianorum ſecundi ſæculi praxi, ac denique ex Patrum, & ipſorum etiam aduerſariorum teſtimoniis demonſtratum eſt non fuiſſe vnctionem baptizatorum vel à Chriſtô Dominô inſtitutam, vel ab Apoſtolis traditam. Nunc ſequitur, vt inueſtigemus quô tempore, quaque ratione, & quibus de cauſſis ea fuerit in religionis Chriſtianæ cultum inuecta. Non fuiſſe ante annum Domini 150. apud Eccleſias receptam ſupra deſcriptus Iuſtini locus teſtatur; fuiſſe ante tertij ſæculi initia (id eſt ante a. D. 201.) docebit paulo poſt afferendum Tertulliani teſtimonium. Itaque neceſſe eſt, vt breuiſſimô illô quadraginta circiter annorum ſpatio, quod inter Iuſtini, & Tertulliani ſcriptionem interceſſit, vnctionem & inuentam, & à Chriſtianis ſi non omnibus, certè quibuſdam in vſum receptam, poſteà ad plures indeque ad omnes manaſſe; vt ex tertij quartique ſæculi ſcriptoribus intelligetur. Cur autem & quibus de cauſſis hæc vnctio, & cum eâ coniuncta manus impoſitio inter Chriſtianos ritus introducta fuerit, nos quidem ita ſentimus. Religionem Chriſtianam pauciſſimis, iiſque ſimpliciſſimis ritibus ab initio inſtructam fuiſſe, & diuini ſcripturæ ſanctæ libri docent, in quibus non alia à Chriſtô Dominô præcepta, atque inſtituta legimus ſacramenta, quàm baptiſmum, aquâ, Euchariſtiam pane & vinô conſtantem; & ipſe diſciplinæ genius perſuadet quæ Dei cultum ab externis ad interiora, à corpore ad animum reuocans, totum in vera aduersùs Deum pietate, aduersùs homines fide, iuſtitia, atque honeſtate, vnô verbô in ſumma morum innocentia conſtituit. Sed & idem nobiſcum obſeruant, ac fatentur Chriſtiani pleríque omnis ferè memoriæ, etiam ſequioris ſcriptores; è quibus, vt alios mittam, Valafridus Strabo, vir noni ſæculi, ingenuè profitetur *creſcente apud nos proceſſu temporum religionis honore, inſtitutionum Eccleſiaſticarum vſque ad plenitudinem decus creuiſſe.* De cæteris, quæ non ſunt huius inſtituti, nihil nunc dicam. Baptiſmi quidem, quod ait Strabo, *gradatim per temporum augmenta in maius celebrationem creuiſſe,* clarum eſt. Nam qui, vt ex Noui inſtrumenti litteris cernitur, ſimplici aqua vel

de reb. Eccl. c. 16. T. 10. Bibl. PP. p. 672. D.

vel merſione, vel aſperſione, in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti factâ ab initiô conſtabat, is poſteà tam multis ritibus atque cærimoniis, non vno ſtatim momentô, ſed variis pro hominum ingeniô & captu temporibus paulatim adiectis auctus atque ornatus eſt, vt aquæ aſperſio quâ vna ex Chriſti inſtituto totum myſterium continetur, exigua fit illius pompæ ac molis pars, qua nunc apud aduerſarios celebratur. Quandò, & à quibus ſingula adiecta ſint, difficile eſt in tanta rerum antiquarum obſcuritate accuratè, ac (vt loquuntur) præciſè definire. Mutationem certe factam omnes ſentiunt. Ac Valafridus quidem Strabo optimè vidit illam ipſam Chriſmationem, de quâ diſputare inſtituimus, *poſt Apoſtolos ab aliis additam; ab aliis exorciſmos; ab aliis conſecrationem fontis; ab aliis ſalis, vel ſaliuæ infuſionem; ab aliis catechumenorum ordinabilem inſtructionem; ab aliis ſcrutinia diligentiſſimè ad totum myſterium præparationis inſtituta; ſed & multa denique alia, quæ* (inquit) *& exemplis diuinorum actuum, vel dictorum inuenta, & congruentiſſimis ſpiritualium profectuum ſignificationibus plena noſcuntur.* Hæc ille; cætera quidem rectè ac verè, ſed in duobus falſus; vnô quod illâ rituum additione non deteriorem, ſed meliorem ac perfectiorem cultum Chriſtianorum euaſiſſe putat: quaſi non optimus ac perfectiſſimus eſſet ab initiô traditus à Domini Apoſtolis; alterô, quod primis temporibus baptiſmum impoſitione manuum confirmari ſolitum ex Apoſtolorum apud Samariam factô (cuius longè aliam rationem fuiſſe ſuprà ex Actis demonſtrauimus) ſui ſæculi more ac præiudicio abreptus, hariolatur.

Atque hæc de Strabone. Maturè autem cœpiſſe apud Chriſtianos illa ad baptiſmalem à Chriſtô & Apoſtolis traditam ſimpliciſſimam initiationem additamenta certa indè fides eſt, quod Tertullianus, qui ſecundô exeunte Chriſtianiſmi ſæculô floruit, & ad annum tertij decimum ſeptimum vitam produxit, præter vnam illam ſiue lotionem ſiue tinctionem, aut merſionem, quâ totum baptiſmi ſanctiſſimum myſterium & apud diuinas Scripturas, & apud ipſum etiam Iuſtinum conſtare videmus, alia quædam velut apud Chriſtianos in eius ſacramenti adminiſtratione ſuo jam tempore vſitata refert; quæ ipſe monet *ſine vllius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrocinio vindicari*; hoc eſt nullo ſcripturæ præceptô, ſed ex vſu tantum ſinè litteris traditô obſeruari; qualia hæc recenſet. *Aquam* (inquit) *adituri* (ducebantur enim in locum vbi eſſet aqua, quod ex Iuſtinô nuper audiuimus.) *Sed & aliquantò prius in Eccleſiâ ſub antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius. De hinc ter mergitamur; amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Euangeliô determinauit. Indè ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus; exque eâ die lauacro quotidiano per totam hebdamadem*

l. de Cor. mil. c. 3.

dem abſtinemus. Harum & aliarum conſimilium diſciplinarum, ſi legem (inquit) *expoſtules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi pratendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. Rationem traditioni & conſuetudini, & fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquô qui perſpexerit, diſces.* Hæc ille; quorum quædam etiam alibi repetit, vt quod baptizandi Diabolo & pompæ & Angelis eius renunciabant, iterum habet in librô de ſpectaculis; *Cùm aquam ingreſſi* (inquit) *Chriſtianam fidem in legis ſua verba profitemur, renuntiaſſe nos diabolo, & pompa, & Angelis eius ore noſtrô conteſtamur.* Ita quod hic de trinâ merſione idem in opere contrà Praxeam memorat explicatiùs; *Nam* (inquit) *nec ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur.* Vt ex his liquet, ad purum & ſimplicem baptiſmi ritum qualis & à Christô præcipitur, & ab Apoſtolis adminiſtratur in noui Teſtamenti libris, qualiſque ab ipſo Iuſtinô paulò ante annum D.163. deſcribitur, Tertulliani temporibus jam acceſſerant quatuor cærimoniæ; 1. Solemnis conceptaque & apud antiſtitem, & apud ipſam aquam conteſtatio de *nunciô miſſô Diabolo, & pompa, & Angelis eius.* 2. trina merſatio, ſiue intinctio in aquam baptiſmalem, prima ad Patris, ſecunda ad Filij, tertia ad ſpiritus ſancti nomen. 3ª. Lactis & mellis prægustatio. 4ª. Ex die ſuſcepti baptiſmi ad exactam hebdomadem à communi lauacro abſtinentia. Ad hos ritus alios ſecutis temporibus adiectos eſſe ex perpetuâ ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſerie & patet, & res apud omnes in confeſſô eſt, vt eos in primis, quos nuper Valafridus affirmabat ab aliis, aliiſque ſubindè inſtitutos; vt *exorciſmos,* ſiue adiurationes dæmonum certis precibus factas, vt recedant ab homine baptizandô, quod ex Cyprianô, Cyrillô, Auguſtinô, Leone, Pſeudo-Dionyſiô jam quintô, quartô, tertioque ſæculis in baptiſmô factitatum fuiſſe diſcimus; vt *conſecrationem frontis* iiſdem fere quoque temporibus vſitatam; & ſalis guſtum, catechumenorum ſacramentum, vt eſt apud Auguſtinum, & nares, aureſque ſaliua tactas, cum his ex Euangeliô verbis, *Epheta,* id eſt adaperire, Pſeu-d'Ambroſio in libro de ſacramentis memoratas; & moroſiſſimam ſeptem (vt vocant) ſcrutiniorum diſciplinam, quâ perſonant rituales Gregoriani Sacramentarij, Ordinis Romani, Alcuini, Amalarij, Rabani, & Aliorum libri. His addenda, quæ omiſit Valafridus, ſignum crucis in fronte, & in pectore baptizandi multipliciter, modò à presbyteris, modò ab aliis clericis repetitum; exſufflatio, quam non tacuit Auguſtinus; oſculum pacis cuius videtur meminiſſe Cyprianus; cereus accenſus, quem ex Gregoriô Nazianzenô & Auguſtinô repetit Bellarminus; & veſtis candida, quam neophyti à Sabbatô totam hebdomadem geſtabant; cuius extat mentio & apud Ambroſium, & apud Auguſtinum, & apud Pſeudo-Dionyſium. Hos ergo omnes ritus baptiſmo poſt Iuſtini tempora

Margin notes: ibid.c.4. — c.4 p.8. — c.26.p.619. — l.1.c.2. — l 4.contr. Iul. c.1. — l. de bapt.c. 27.§. Tertia.

poræ alij, atque alij, quod ait Valafridus, diuerſis, tametſi trium vel quatuor, aut quinque ad ſummum ſæculorum ſpatio concluſis temporibus addiderunt. Quâ cauſsâ ad hæc inſtituenda impulſi fuerint, & quam in iis rationem ſecuti ſint, non eſt obſcurum. Cauſſa quidem, quæ eos mouit non alia fuiſſe videtur, quàm vel innata, vel certè communiſſima hominum vanitas, diuini inſtituti ſimplicitatem faſtidientium. Nam, vt in hoc ipsô argumentô ſcitè ait idem ille Tertullianus, *Nihil adeo eſt quod tam obduret mentes hominum, quàm ſimplicitas diuinorum operum, quæ in actu videtur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur*; *vt hic quoque* (id eſt in baptiſmô) *quoniam tantâ ſimplicitate, ſinè pompâ, ſinè apparatu nouo aliquô, denique ſinè ſumptu homo in aquâ demiſſus, & inter pauca verba tinctus, non multò vel nihilò mundior reſurgit, eò incredibilis exiſtimetur conſecutio æternitatis. Mentior, ſi non è contrario idolorum ſolemnia vel arcana* (id eſt myſteria) *de ſuggeſtu & apparatu, deque ſumptu fidem & auctoritatem ſibi extruunt.* Hæc Tertullianus & elegantiſſimè, vt ſolet, & quod præcipuum eſt, veriſſimè. Atqui hoc quidem hominum de Domini Chriſti myſteriô judicium contemni decebat, quod iniquum ſit, & ſtultum, quod ipſum quoque non minus venuſtè quàm præcedentia, ſignificat Tertullianus continenter exclamans, *Prò miſera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates ſuas, ſimplicitatem & poteſtatem!* Vnde vt omnes vident, conſequens eſt myſteria ſimplicitate, planè contrà quàm ſentiunt homines, commendari; pompa, ſuggeſtu & apparatu ſuſpecta reddi, ſi res ex verô penſetur; vt baptiſmi ſimplicitas diuinæ inſtitutionis fidem non modò, non quatere, aut labefactare (quod per hominum ſtultitiam accidit) ſed etiam extruere, atque confirmare apud rectè æſtimantes debuerit. Sed huic tamen, quamquàm iniquo & ſtulto hominum faſtidio ſubueniendum exiſtimarunt vetuſtiſſimi illi Chriſtiani, & ornatum, quem homines deſiderant, & pompam, quâ gaudent, noſtris myſteriis addendam ad eorum animos conciliandos omneſque iis eripiendas etiam iniquas & iniuſtas cauſſas minus præclarè de diuinis rebus ſentiendi. Itaque baptiſmum illô, quô primitus carebat, cærimoniarum ſuggeſtu, & apparatu nonnihil inſtruxerunt; mox alij paulo etiam liberalius, gliſcente incœpti dulcedine, adornarunt; ac tandem (quid ni enim fateamur, quod res eſt?) obruerunt; vt ſanctiſſimum ac ſimpliciſſimum Dei myſterium inutili humanorum inuentorum mole oppreſſum gemat; &, veluti profanorum arcanorum æmulum, de ſuggeſtus, & apparatus ſui pompa fidem & auctoritatem ſibi emendicare magis videatur, quàm à genuina inſtitutione præſtare. Specta quæſo, quò res deuenerit. In vnam huius ſacramenti adminiſtrationem congeſtæ ſunt apud Latinorum Eccleſiam duæ, & viginti cærimoniæ; & quidem plæræque operoſiſſimæ; quas Bellarminus optimâ

l. de bapt. c. 2.

optimâ fide omnes recenſet; in ſuas ſingulas claſſes (quæ tres ſunt) accuratè diſtributas, duodecim quidem ante baptiſmum, quinque in ipſo baptiſmo, totidem, quæ baptiſmum ſequuntur. Ergo quod dicere cœperam eo, vt baptiſmo ritus aliquot adderent, adducti ſunt veteres earum rerum auctores, quod ſuam huic myſterio ſimplicitatem fraudi eſſe apud homines vanis aſſuetos viderent; vt ſcilicet his ornamentis, & ab exterorum contemptu, & à domeſticorum faſtidio ſaluberrimum Domini inſtitutum vindicaretur. Animus (quis neget?) probus fuit, diuinæ gloriæ, humanæ ſalutis cupidus; Conſilium (quod nobis ex euentu veritatem doctis bonâ cum maiorum veniâ dicere liceat) parùm prudens. Vtcumque ſit, hanc iis mentem, hunc animum fuiſſe, & res ipſa loquitur, & omnes (quod reor) conſentiunt. Valafridus quidem id religionis honori, & decori datum ſignificat; & creuiſſe per hæc additamenta Chriſtianiſmi dignitatem. Ac ne in aliorum judiciis conquirendis fruſtra tempus teram Tridentinus Catechiſmus (qui omnium inſtar eſt) idem ſentit. Docet enim finem, *cuius cauſſa cærimoniæ iſtæ baptiſmales inſtitutæ ſunt, hunc fuiſſe, vt ita ſacramentum maiori cum religione, ac ſanctitate adminiſtraretur, ac veluti ante oculos ponerentur præclara illa & eximia dona, quæ in eô continentur, & in animos fidelium immenſa Dei beneficia magis imprimerentur.* Hæc itaque additarum baptiſmo cærimoniarum veteribus earum auctoribus cauſſa fuit. Ratio, quæ fuerit, res ipſæ docent, quæ ſi benè reputes, omnes huiuſmodi ſunt; vt ad vnum aliquod ex iis effectis, quæ nos per Chriſti baptiſmum conſequi diuini ſcriptores teſtantur, ſingulæ pertineant. Baptiſmô ſanè rite ac vere ſuſcepto homines relictis Diaboli partibus in Dei familiam ac diſciplinam concedere, veterem Adamum exuere, Chriſtum induere, in nouam vitam de priſtinæ ignorantiæ, ac nequitiæ tumulo reſurgere, & apertiſſima eſt ſcripturarum doctrina, & vnanimis omnium Chriſtianorum fides. Atqui eò omninò perſpicuéque referuntur cærimoniæ baptiſmi omnes. Sed & illud obſeruandum eſt eos actus ad diuina hæc baptiſmi effecta repræſentanda à veteribus ſumptos & ſacramenti adminiſtrationi additos fuiſſe, non quoſvis temerè, & vnde libet, ſed eos potiſſimum qui Eccleſiæ noti, & in aliqua ſacrarum ſcripturarum parte celebrati, vel certè ſignificati eſſent. Indè exorciſmi, notiſſimi & apud Iudæos prius, & mox apud Chriſtianos, vſus ad depellendos ex corporibus humanis diabolos. Inde lactis, & mellis guſtatio ad infantiam, in quam ex baptiſmo naſcimur, ſignificandam; quod & mel ſcilicet propheta Chriſti ipſius infantiæ alimentum deputauerat, & nobis Petrus veluti recens genitis, *lac rationabile ſine dolo concupiſcendum* dixerat. Ita quod nos Paulus baptiſmo Chriſtum induere ſcripſerat, inſtitutum, vt baptizatus candida veſte ornaretur. Cæterorum eadem

l. de bapt. c. 15. 16. & 7.

de bapt. p. 123.

Iſ. 7. 15. 1. petr. 2. 2.

eſt ratio. Ergo in hoc cærimoniarum ad baptiſmi ornatum additarum cenſu fuiſſe defendimus duos illos quoque vnctionis, & manus impoſitionis ritus, de quibus hanc diſputationem inſtituimus; quoſque à Tertulliano itidem, ſed in aliô opere inter baptiſmi ſacra memoratos mox audiemus; vt jam eius æuo ad ſanctiſſimum ex primâ institutione baptiſmi ritum ſex cærimonias adiunctas in vſu fuiſſe manifeſtum ſit; quatuor illas, quas ex eius de coronâ opuſculo repetitas nuper exhibuimus; & præter eas, vnctionem & manus impoſitionem. Vnctionem ipſe ex Moſaico cultu aſſumptam ad ſignificandum myſticum fidelium in Dominô Chriſto Sacerdotium docet. Nos enim per baptiſmum Chriſto inſeri, & concorporari; adeoque Sacerdotalis, quæ in eô, vt in fonte reſidet, dignitatis conſortes fieri, Rom. 6. 4. 5. hæc (vt alia mittam) ex ſacris litteris ſatis ſuperque docent, *Conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem. Et complantati facti ſumus* 1. Cor. 12. 12. 13. *ſimilitudini mortu eius; ſimul & reſurrectionis erimus. In vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus*; idque corpus Chriſtum eſſe ex verApoc. 1. 6. & 5. 10. 1. Petr. 2. 9. ſu præcedenti apparet. *Chriſtus nos fecit Sacerdotes Deo & Patri ſuo. Vos genus electum, regale ſacerdotium.* Vt hanc ſacerdotij dignitatem nobis per Chriſti baptiſmum conferri oſtenderent, placuit baptizatos inExod 30. 30. l. de iure regio heb. c. . ungi; ritu ex Moyſi diſciplinâ repetitô, in quâ ſacerdotes vnctione, vt ex Exodo notum eſt, inaugurabantur. Quô locô obſeruandum eſt, quod Schikardus docet tradere Hebræorum Magiſtros, ſic factam fuiſſe illam Iudaici ſacerdotis vnctionem, vt oleum eius capiti primo affunderetur; indè illineretur ſuper oculos in formam Græcæ litte2. 17. ra *chi*, hoc modo X. Verba Maymonidis hæc refert השמן על ראשו
את צק הכהן את מושחין עד כ' כזה יוונית כי כמין עיניו גבי על ממנו
ומסך. *Quomodo vngebant ſacerdotem; Affundebat oleum capiti eius, & illinebat inde ſuper oculos, ad ſpeciem chi Græci taliter* X. hic enim apponenda figura τοῦ X. græcaſſici, quod eſt in Hebræô Codice omiſſum; vt monet Schickardus qui & obiter emendat locum R. Dauid Kimhi ad Pſ. 133. qui frontem ſacerdotis oleo ad inſtar *caph* græci illitam fuiſſe ſcribit; quod & per ſe abſurdum, & à Moymonide, & Talmude alienum eſt; in quibus conſtanter habetur in formam τοῦ χι. non autem τοῦ κάπ. ea efformatam fuiſſe illam frontis Pontificalis lituram. Ex quibus liquet pæne eandem fuiſſe illam veterem Moſaici ſacerdotis vnctionem cum eâ, quam poſtea factitarunt in fronte Chriſtiani. Vtraque enim in crucis formam ducebatur; hoc tantum diſcrimine, quod Iudaïca decuſſatam, Chriſtianica rectam crucem referret. Sed & initio affuſum vertici oleum apud Chriſtianos, æquè ac apud Iudæos, crediderim; ex quo deinde frons conſignaretur; Poſteà duas diuerſi generis vnctiones ex duabus vnius partibus à ſe

diuulſis factas; vt in ſequentibus audiemus. Atque hæc quidem vetuſtiſſimæ, adeoque primæ Chriſtianorum vnctionis ratio fuiſſe videtur; *Manus* vero *impoſitionis* etiam facilior, atque expeditior eſt. Cum enim hunc ritum Apoſtolis familiarem fuiſſe, & pro ſanctioris cujuſdam benedictionis adiuncto vſurpatum, ad inuocandam Dei opem, & homines alicui eius operi conſecrandos (vt eſt in ſuperioribus à nobis demonſtratum) cumque item ab ipſo Iacobo Patriarcha in benedicendis nepotibus (quod diſertè hic retulit Tertullianus, factitatum cum legerent; putarunt & baptiſmum, & plæraque alia Eccleſiaſtica miniſteria non poſſe melius, ac decentius concludi, ac veluti obſignari, quam miniſtri manus impoſitione, & oratione, quâ ſpiritus baptiſmo in Chriſtum noſtro & promiſſus, & planè neceſſarius aduocaretur. Neque enim erat manus impoſitio vel baptiſmi, vel (ſi ita placet) Chriſmationis propria ac peculiaris. Erat illa plærorumque Eccleſiaſticorum actuum communis; eâque, vt ait Albaſpinæus; omnia pœne Epiſcoporum munia, atque officia celebrabantur; vt *baptiſmus, confirmatio, exorciſmi, abſolutio, ordinatio, pœnitentia, pax, orationes, precationes, curationes, benedictiones*; & cætera quæ ab Epiſcopis adminiſtrabantur. Binius certe ſex enumerat *manus impoſitiones, curatiuam, ordinatiuam, cærimonialem antè baptiſmum, reconciliatiuam, deprecatiuam, & confirmatiuam.* Qui ergo in tam multis religionis partibus manus impoſitionem adhibebant Patres, eos mirum non eſt, eandem quoque in ritibus baptiſmum conſequentibus vſurpauiſſe. Mirandus potius Binij ſtupor, qui ex illis manuum impoſitionibus quas enumerat, hanc vltimam ſolam ſacramentum eſſe vult. Nam cum eadem ſit cum cæteris, cur eam potius ſacramentum, quam cæteras putat? Tum ſi ſacramentum eſt, cur in latina hodie confirmatione nulla eſt? Sed Binium mitto; ad Patres redeo, apud quos & vnctionem, & manus impoſitionem fuiſſe in vſu confiteor; ſed ita vt neutra ſacramentum eſſet proprie dictum; eſſet vtraque baptiſmi cærimonia. Neque nos ſoli in ea ſententia ſumus. Idem fere eſt de re hac tota Hugonis Grotij Iudicium, viri & eruditiſſimi, & in Romanas partes vltimis vitæ ſuæ annis vehementer propenſi. *Baptiſmo* (inquit) *acceſſerunt ſecundo & deinceps ſæculis multa rerum imagines ad loca quædam ſacrarum litterarum alludentes; vt mos fuit veterum, non verbis tantum, ſed & ſignis conſpicuis, loqui; vt lactis, & mellis guſtatio; aliaque paſſim obuia. Sed maximè placuit talibus ſignis oſtendere quæ corpore ægrotantibus exhibuerat Chriſtus beneficia, iis paria in animo præſtari ab ipſo credentibus, & fidem profitentibus aperiri oculos mentis, pateſieri aures, morbos auferri, ſatanæ potentiam infringi. Hinc exorciſmi, hinc ephphatha, hinc inſpiratio; hinc & oleum Chriſto & Apoſtolis eius, eorumque adiutoribus circa corporis morbos vſitatum; vt Mar-*

obſeruat. 5. in Optat. p. 12. & iterum Not. in Opt. p. 162. Not. ad Ep. Melch. T. 1. Conc. p. 255.

in epiſt. ad Gall. ep. 146. ad Cordeſium & vide Ep. 158.

cus & Iacobus teſtes ſunt. Non ſatis id viſum poſteris; niſi & fragrantiori quadam vnctione oſtenderent Chriſtianos à Deo lectos & Reges & ſacerdotes. Hæc Grotius; quorum diſſimilia non ſunt, quæ nouiſſimus Cypriani editor, Rigaltius, Vir Clariſſ. tradit; *Apoſtolos tinctionis & tinguendi formulæ ſimplicitatem conſeruaſſe, vt ipſorum acta declarant; at Chriſtianos æui proxime ſequentis addidiſſe pluſcula, idque fateri Tertullianum librô de corona*; cuius locum exhibet à nobis ſupra recitatum. Mox de vnctione eiuſdem Tertulliani ætate jam baptiſmo adhibita; *Hoc vero* (inquit) *mandatum à Domino, aut ab Apoſtolis factitatum fuiſſe non legimus. Sed paulò poſt exceſſum Apoſtolorum Chriſtiani faciles multa de Iudaicis obſeruationibus, nondum obliterata retinuerunt.* Quibus paulò poſt ſubijcit poſteà inuectas *plures vnctiones, & diſtingui cœpiſſe eam, quæ in fronte fiebat, ab alia quam in vertice fieri placuit. hanc permiſſam presbyteris, aliam Epiſcopis reſeruatam perficientibus, & conſummantibus myſteria.* Hæc ille; vnctionem & à Chriſtô Apoſtoliſve eſſe negans, & baptiſmi additamentum ab Eccleſiaſticis viris inuentum eſſe affirmans; illud vnum minus rectè, quod eam paulò poſt Apoſtolorum dormitionem inuectam cenſet, quæ Iuſtini æuo, id eſt 50. annis poſt Apoſtolos omnes mortuos, nondum emerſerat. Ipſi aduerſarij de iis, quas baptiſmi cærimonias vocant, & à ſacramentis legitimis diligenter ſemouent, nobiſcum fatentur ad ſignificandum, non autem ad efficiendum (ex *opere* quidem, vt loquuntur, *operato*) pertinere. Catechiſmus Tridentinus: *Ritus & cærimoniæ* (inquit) *imaginem & ſignificationem earum rerum præ ſe ferunt, quæ in ſacramento geruntur.* In hoc verô à nobis diſſentiunt, quod quam nos à Patribus pro baptiſmi cærimoniâ habitam fuiſſe putamus vnctionem, eam illi verum ac legitimum ſacramentum veteribus fuiſſe, perinde vt nunc ipſis eſt, contendunt. Sed jam tempus eſt ipſos Patres audire quid ſenſerint explicantes.

ad Ep. Cypr. 69. p. 86, 87.

p. 183.

Capvt IV.

Id ex ipſo Tertulliani loco demonſtratur, qui primus ex omnibus veris antiquitatis monumentis huius vnctionis ritus meminit. Locus à Latinorum ſacramento alienus eſſe oſtenditur, & ab aduerſariorum objectionibus vindicatur, fuſéque explicatur.

de bapt. c. 7.

Primus, vt dixi, ex iis occurrit Tertullianus, in opere de baptiſmô: de cuius lauacro exſecutus; *Exinde* (inquit) *egreſſi de lauacrô perungimur benedictâ vnctione, de priſtinâ diſciplinâ, quâ vngui oleo de cornu*

corius in ſacerdotium ſolebant: ex quô Aaron à Moyſe vnctus eſt; vnde Chriſtus dicitur à Chriſmate, quod eſt vnctio, qua Domino nomen accommodauit, facta ſpiritalis, qui à ſpiritu vnctus eſt à Deô patre, ſicut in Actis; Collecti enim ſunt verè in iſtâ ciuitate aduerſus ſanctum filium tuum, quem vnxiſti. *Sic & in nobis carnaliter currit vnctio; ſed ſpiritaliter proficit, quomodo & ipſius baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritalis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum Sanctum ſanè humano ingenio licebit ſpiritum in aquam arceſſere, & concorporationem eorum accommodatis deſuper manibus alio ſpiritu tantæ claritatis animare: Deo autem in ſuo organo non licebit per manus ſanctas ſublimitatem modulari ſpiritalem? Sed eſt hoc quoque de veteri ſacramento, quo nepotes ſuos ex Ioſeph, Ephraimem & Manaſſem, Iacob capitibus impoſitis, & intermutatis manibus benedixerit; & quidem ita tranſuerſim obliquatis in ſe, vt Chriſtum deformantes jam tunc portenderent benedictionem in Chriſtum futuram. Tunc ille ſanctiſſimus ſpiritus ſuper emundata & benedicta corpora libens à patre deſcendit, ſuper baptiſmi aquas, tanquam priſtinam ſedem recognoſcens conquieſcit, columbæ figurâ delapſus in Dominum, vt natura ſpiritus ſancti declararetur per animal ſimplicitatis & innocentiæ; quod etiam corporaliter ipſo felle carebat columba. Ideoque,* Eſtote *(inquit)* ſimplices, ſicut columbæ. *Ne hoc quidem ſine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodum enim poſt aquas diluuij, quibus iniquitas antiqua purgata eſt, poſt baptiſmum* (vt ita dixerim) *mundi, pacem cæleſtis iræ præco columba terris adnuntiauit demiſſa ex arca, & cum oleâ reuerſa; eadem diſpoſitione ſpiritalis effectus, terræ, id eſt carni noſtræ, emergenti de lauacrô, poſt vetera delicta, columba ſancti ſpiritus aduolat, pacem Dei adferens, emiſſa de cælis, vbi Eccleſia eſt arcâ figurata.* Hactenùs Tertullianus; ex cuius verbis liquere confiteor, jam tum (id eſt circa initia tertij à Chriſto nato ſæculi) apud Afros Chriſtianos, maximè Carthaginenſes, quorum erat ille ciuis, ſolemne fuiſſe, vt qui baptiſmi ſacramentô initiabantur, ij è ſacrô lauacrô egreſſi vngerentur, indeque manus iiſdem imponerentur. Neque ægrè conceſſero (tametſi id ex hoc locô neceſſariò confici non poſſit) vel eundem, vel ſimilem tum quoque fuiſſe vſum apud cæteros ſi non omnes, certè plæroſque Chriſtiani nominis homines; præſertim Latinos. Græcos enim vnxiſſe baptizatos conſtat quidem; manum verò iiſdem impoſuiſſe, ne ſecutis quidem temporibus apparet; vt ex iis locis intelligetur, quæ in reliqua deinceps diſputatione ex Græciæ ſcriptoribus afferentur. Sed qui in his Tertullianeis vnctionem, & impoſitionem manuum baptizatis collatam videmus; nullum profectò in iis Romanæ Confirmationis ſacramentum videmus; imo multa ab eâ ita aliena videmus, vt quod hic deſcribitur id aliud ab hoc, quod iſti defendunt, ſacramento fuiſſe neceſſe

ceſſe ſit. Primò, vt hinc ordiar, diſpar eſt vtriuſque rei materia. Nam balſamum, quod Romani in ſuo Chriſmate neceſſarium eſſe decernunt, nullum apud Tertullianum olet. Vero propius eſt, ex oleo ſimplici fuiſſe benedictam illam, quam memorat vnctionem. Tum Tertulliani vnctio *de priſtinâ diſciplinâ* eſt; id eſt de Moſaïcâ, vt liquet, *quâ vngui oleô de cornu in ſacerdotium ſolebant.* Chriſmatio verò Latinorum de Chriſti diſciplinâ eſſe fingitur, de eius mandatô, & Apoſtolorum vſu ſuſcepta; & ſanè inauditum eſt, vt noui populi propriè dicta ſacramenta de veteri diſciplinâ ſint. Quod verò ait alicubi Bellarminus, *dicta veterum de Iudæis pertinere ad figuram huius ſacramenti, non ad ipſam eſſentiam & veritatem*; id inquam, obiectionem noſtram non ſoluit. Fateor ſacerdotium, in quod vngebantur veteres, eius in quod Chriſtiani inaugurantur, figuram fuiſſe; externum & temporale, myſtici & æterni; adeoque & veterem vnctionem noſtræ typum fuiſſe; corporalem ſcilicet ſpiritualis; illam ex oleô, huius ex ſpiritu. Veterem vnctionem vnctionis alicuius noſtræ corporalis typum fuiſſe, abſurdum eſt. Imo ſi aliqua eſt noſtra corporalis vnctio, ea cum veteri eadem eſt; quomodo ſuam *de priſtinâ diſciplinâ* fuiſſe ait Tertullianus. Intelligit enim eam indè fuiſſe deſumptam ab Eccleſiâ; non ex noui teſtamenti à Chriſtô conditâ diſciplinâ hauſtam: manifeſteque ſignificat ipſam ritus materiam, id eſt oleum, eiuſque vſum, id eſt vnctionem (quæ vt liquet, ad ſacramenti eſſentiam pertinent, cum ſint eius pars, nempe materia) à Moyſe mutuatos eſſe Chriſtianos. Tum illud etiam falſum eſt, quod ait Bellarminus, *vnctionem Moſaicam* de qua hic Tertullianus, hodiernæ Latinorum Chriſmationis figuram fuiſſe. Illa enim vngebantur in *ſacerdotium*; hac verò in *pugiles, & athletas*, ſiue milites inungi ſe volunt; quod non pertinet ad ſacerdotium. Hodierna vnctio potius ad eam referri debet, quâ veteres in regnum vngebantur. Regis enim propriè eſt bellare & cum hoſtibus congredi. Vnctio verò Tertullianea ad Sacerdotalem pertinebat; non ad regiam. Ergo ea ab hodiernâ alia fuit. Prætereà quæ apud Tertullianum extat *manus impoſitio*, ea apud Romanos deeſt. Non enim credo, cauillabitur Bellarminus, Tertullianeam eandem eſſe cum ſuâ; quæ vt ipſe interpretatur, nihil aliud eſt quam pollice in fronte facta Chriſmatio, cùm Tertullianea manus impoſitio planè aliud ſit, quam vnctio, quæ ſcilicet poſt eam demum peractam fit. *Dehinc* (inquit) *manus imponitur.* Forma vero Romani ſacramenti, quæ his verbis conſtat, *Conſigno te ſigno crucis* &c. multo etiam minus quàm materia, apud Tertullianum occurrit. Ille enim neque in vnctione, quam memorat, vlla huiuſmodi verba adhibita fuiſſe ait; neque in eâ manus impoſitione quam ſubijcit; quam dum dicit *per benedictionem aduocare & inuitare Spiritum Sanctum*,

1. de conf. c. 9. §. Secunda obiectio.

ſtam, oratione ad Deum conſtitiſſe potiùs ſignificat, quam abſolutâ enuntiatione. Neque huius item ritus miniſterium ſolis Epiſcopis vindicat; ſed & infrà vbi de baptiſmi miniſtrô agit; *Dandi* (inquit) *habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc presbyteri, & Diaconi; non tamen ſinè Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem quô ſaluô ſalua pax eſt. alioquin etiam laïcis jus eſt.* Qui & vnctionis & manus impoſitionis ritus, vnà cum baptiſmo continenter ac vno (vt ſic dicam) ſpiritu ſuprà exſecutus erat; ſi quid in eorum miniſtris diſcriminis fuiſſe putaſſet; id hoc profectò locô nôtaſſet. Non fecit; Ergo videtur tam vtriuſque illius ritus, quam baptiſmi exercendi jus & presbyteris, & forte etiam laïcis, ſuô ſingulis locô & ordine tribuere. Iam de effectu, quid dicam? Vnctioni hoc tantum dare videtur, vt in ſacerdotium vngamur. Spiritus ſancti advocandi & inuitandi vim vni manus impoſitioni ab vnctione (vt diximus) ſejunctæ delegat; & quidem Spiritus non bellatoris, & præliatoris, qualem Latini ſuæ chriſmationi vindicant, ſed columbini; id eſt, vt ipſe interpretatur, *Spiritus ſimplicitatis & innocentiæ*, & *pacem Dei de cælo* afferentis: quæ, vt liquet, ſpiritui baptiſmali conueniunt omnia. Denique, & ipſe rei titulus à Romanô myſteriô totus abludit. Hoc enim iſti (vt notum eſt) in peculiare ac proprium ſui nominis ſacramentum ſeorſim effingunt; neque in baptiſmô, neque ſtatim poſt baptiſmum, imò neque antè Euchariſtiam participandum ac ne quidem poſt eam neceſſariò. Tertullianus verò vnctionem, & manus impoſitionem ſuas baptiſmalibus aquis pænè immergit; certè continenter, nullo interpoſito ſpatiô, adnectit. *Exinde egreſſi* (inquit) *de lauacro perungimur*, &, *dehinc manus imponitur*. Quid ſimile apud Latinos, quibus de baptiſmô emergentibus, ac nè poſteà quidem vnquàm vlla ſpiritûs inuitatrix manus imponitur? Chriſma verò illinitur quidem, ſed quod alterius eſſe volunt ab hoc, de quô nunc quærimus, ſacramentali generis? Quin & ipſe Tertulliani liber clamat hos ambos, quos commemorat, ritus, baptiſmi rem eſſe. Nam & liber de Baptiſmô inſcribitur, non de alio aliquo præterea ſacramentô: & auctor tum alia quædam, tum hæc ipſa quæ recitauimus, exſecutus, non alia ſe, quam quæ ad baptiſmum pertinent enarraſſe profitetur; *Diximus* (inquit) *quantum mediocritati noſtræ licuit, de vniuerſis, quæ baptiſmi religionem ſtruunt.* ergo & *vnctio* & *manus impoſitio*, quæ eorum, de quibus dixit, pars ſunt, ad baptiſmum pertinent. Vnctionem verò ad baptiſmum pertinentem ipſi etiam aduerſarij ſacramentum eſſe negant; cærimoniam eſſe confitentur. Denique Tertullianeam vnctionem hanc ipſam fuiſſe baptiſmalem cærimoniam (quam nunc Latini *presbyteralem* vocant) omnia docent. Vtraque de lauacrô egreſſis ſtatim datur; vtraque ad baptiſmum pertinet; quod à confirmatione Latinorum

de bapt c.17.

c.10.

rum hodiernâ alienum eſt. Illam excipit manus impoſitio; Hanc eadem quoque olim excipiebat, vt ex ordine Romano, & eiuſdem æui libris ritualibus apparet; quod infrà locô ſuô demonſtrabimus. Huc poſtremo & illud accedit, quod quem veteres Theologi presbyterali Chriſmationi vſum tribuunt, eundem Tertullianus ſuæ illi vnctioni vindicat. Nam & Theodulfus Aurelianenſis [a], & Rabanus Maurus, & ipſe etiam Ivo hanc fuiſſe presbyteralis Chriſmationis rationem tradunt, vt neophyti ea delibuti, nominis Chriſtiani cæleſtiſque ſacerdotij participes fierent: ita & Tertullianus de ſua vnctione; *perungimur* (inquit) *de priſtinâ diſciplinâ, quâ vngi oleô de cornu in ſacerdotium ſolebant*. & quæ ſequuntur. Repetit vnctionem ſuam ab oleô, quô Aaron & eius exinde poſteri vncti in ſacerdotes; ſic & Ieſum vnctum à Patre, & nos ex eô, ſed ſpiritualiter, indeque & Ieſum Chriſtum, & nos Chriſtianos dici. Ergo hæc Tertulliani vnctio eadem cum eâ quæ presbyteralis poſteà dicta inferioribus ſæculis; quæ & eodem, quô hæc, locô, id eſt ſtatim poſt lauacrum miniſtrabatur, & eiuſdem vſus erat. Quod ea nunc in cerebro non in fronte fit, id à poſterorum inſtituto eſt; Tertulliani æuô nihil ſimile occurrit; quô eam ex Moſaicæ diſciplinæ, vnde ſumpta erat, more, & in vertice & in fronte (quod nuper dicebamus) miniſtratam fuiſſe credibile eſt. Contigerunt & aliæ ſequentibus ſæculis in toto hoc vnctionis negotio mutationes, de quibus poſtea ſigillatim ſuis temporibus dicemus. Sed quæ poſt hac conſecuta ſunt, minimè prohibent, quominus illa Tertulliani vnctio ea ipſa Chriſmatio reuera fuerit, quæ nunc ſtatim poſt baptiſmalem lotionem datur; quæque *presbyteralis* à miniſtrô, *verticalis* à parte corporis in quâ fit, dici cœpit, poſtquam alia quædam ex ea ſubnata vnctio ſolis Epiſcopis attributa eſt. Atque hinc quid ſequatur, omnes vident. Cùm enim presbyteralem illam vnctionem etiam hodie Latini non ſacramentum, ſed meram baptiſmi cærimoniam eſſe confiteantur; apparet hanc, quæ eadem cum eâ eſt, vnctionem Tertullianeam fruſtrà ac ſophiſticè ad confirmationis hodiernæ chriſmationem torqueri, quæ ſacramentum propriè dictum eſſe fingitur. Neque eſt, quod obijciant, illud Tertulliani de ſuâ vnctione dictum, *In nobis carnaliter currit, ſed ſpiritaliter proficit*. Nam & hæc de Chriſmatione presbyterali æquè, ni fallor, dixeris; quæ tamen nullum (vt omnes fatentur) ſacramentum eſt. Hæc nimirum & ipſa quoque *carnaliter currit*, quæ carnis cerebro, ſiue vertici affunditur: & *ſpiritaliter proficit*, ad ſpiritalem, non carnalem profectum inſtituta. Neque enim vt puto, ad hoc chriſmat presbyter, vt caro proficiat, id eſt corporis verbi gratia, vel valetudo confirmetur, vel moles in ſuam menſuram fœliciter creſcat. Spiritalis eſt, & ad animam pertinet omnis eius vſus, & ratio. Nam & quod adumbrat, Sacer-

[a] de ord. bapt. c. 15. de in ſt. Cler. l. 1. c. 28. Serm. de Eccl. Sacr.

Sacerdotium, non carnale, vt Aaronicum, ſed ſpiritale eſt; & quem nobis præſtat vſum, is quoque ſpiritalis eſt. Nempe hac ſuâ, quam nobis obijcit, rerum ſpiritalium imagine, & mentem ad attentionem, ac fidem, & animum ad ſpem, atque gaudium ſpiritale erigit. Eô rectè dicitur *ſpiritaliter proficere*; etiam quæ cærimonia eſt; nullum autem propriè dictum ſacramentum eſt. Neque vexandum, quod Tertullianus be baptiſmô addit. Comparatio eô valet, vt intelligas tam eſſe ſpiritale id, ad quod vnctio refertur, quam id, ad quod baptiſmus: eô non valet vt illud vnctionis perinde effectum ſit, atque hoc baptiſmi eſt; vel vt vnctio ritus ſit eiuſdem generis, cuius eſt baptiſmus; hoc eſt ſacramentum. Nihil enim vetat, etiam quæ non ſunt planè eiuſdem generis, ac naturæ, ea tamen quædam inter ſe habere ſimilia. Iam neque ea, quæ de manus impoſitione habet Tertullianus quicquam aduerſariorum cauſam iuuant. Primô, quia hæc qualiacumque ſint, nihil ad eos pertinent; apud quos nulla Chriſmationem excipit manus impoſitio. Secundò quia & hanc ſuam *manus impoſitionem* Tertullianus tantùm non clamat fuiſſe baptiſmi cærimoniam, quam ſcilicet & in librô de Baptiſmô, & in mediâ adminiſtrationis baptiſmi deſcriptione inſerit, ac permiſcet. Sed eam ait (inquis) *per benedictionem aduocare & inuitare ſpiritum ſanctum.* Quid-ni, inquam? Cùm enim oratio ad Deum, præſertim ab eius miniſtrô, præſentis Eccleſiæ nomine fuſa, etiam hanc vim habeat, vt Spiritum S. aduocet & inuitet, mirandum non eſt id de ſuâ manus impoſitione dixiſſe Tertullianum; quæ nihil aliud erat, quàm oratio. Sed & ipſe ſtatim ſatis oſtendit per baptiſmum conferri ſanctum illum ſpiritum, manus impoſitione inuitatum, dum hoc myſterium machinæ hydraulicæ comparat, è quâ concorporatus arte humanâ in aquam ſpiritus, manibus deſuper incumbentibus preſſus, in clariſſimum ſonum erumpit, vel vt ille loquutus eſt, *animatur*. Idem quoque mox ſignificat, cum ait ſpiritum Sanctum in fideles deſcendentem *ſuper Baptiſmi, AQVAS, tanquam priſtinam ſedem recognoſcentem conquieſcere*. Nimirum etſi vnus, idemque baptiſmus neophytum & abluat, ſiue emundet, & infuſa cœlitùs ſpiritus luce atque gratiâ exornet; eſt tamen certus inter hos actus ordo, ſi non in temporis, certè in naturæ momentis conſtitutus, vt homo ante mundetur, quam Spiritum Sanctum apud ſe habitaturum accipiat. Prius enim parari, euerri, & purgari domum decet, quàm tantum in eam hoſpitem induci. Ad hunc ergo ordinem ſpectat quod ait Tertullianus ſpiritum *deſcendere ſuper emundata corpora*, & quod cap. 6. in ſuperioribus dure alioqui negauerat, *nos in aquis Spiritum Sanctum conſequi*. Intelligit primum hunc baptiſmi effectum eſſe, vt emundemur & ſpiritui ſancto præparemur; non eſſe, vt ſpiritum ſtatim & in primô (vt loquuntur) naturæ *inſtanti* accipiamus, qui in nos niſi

emundatos, & præparatos non ingreditur. Sed non eſt putandum eo negaſſe Tertullianum baptiſmi hanc quoque eſſe vim, & efficaciam, vt ſpiritum accipiamus, quod, niſi non modò & ſcripturæ, & Eccleſiæ, ſed & ſibi ipſi contradicat, ſtatuere non poteſt. Alibi enim aduerſus Marcionem diſputans clariſſimè docet, imo velut Chriſtianæ doctrinæ principium *præſupponit*, vt loquuntur, *baptiſmum eſſe conſecutionem Spiritus Sancti. Si conſecutio eſt ſpiritus ſancti baptiſmus ſcilicet, quomodò ſpiritum adtribuet Deus, qui animam non prius contulit.* Hunc ergo ipſum rerum ordinem oſtendebat cærimoniarum propriis baptiſmi actibus adnexarum ſeries. Ipſa lotio primo emundari hominem profitebatur; Chriſtianum, id eſt vnctum fieri, & in ſacerdotem allegi (quod ipſius per ſe baptiſmi, id eſt aquæ, ſpecies non ingerebat) adiuncta à veteribus ex oleô vnctio ſignificabat. In emundatum, & conſecratum hominem deſcendere ſpiritum ſanctum aduocans, & inuitans Miniſtri manus capiti impoſita, eiuſque comes benedictio, ſiue oratio loquebantur; Sed ita tamen, vt & conſecrationem in nouam dignitatem, & cœleſtis ſpiritus inhabitationem, non minus quam emundationem ab vna baptiſmi vi propriè profluxiſſe, atque manaſſe intelligamus. Ex his patet nihil cauſſæ eſſe, cur Tertullianeam vel manus impoſitionem vel ex oleo vnctionem aduerſarij legitimum ac propriè dictum ſacramentum olim apud Eccleſiam habitam fuiſſe affirmarent. Vtramque nudam baptiſmi cærimoniam fuiſſe verum eſt; plane eiuſdem cenſus eum illa ab eodem ſcriptore non ſemel alibi memorata mellis, ac lactis prægustatione; quam Latini, Græcique omnes ſacramentum eſſe adeo non putarunt vt eam iampridem vtrique plane penituſque antiquarint.

l. 1. contr. Marc. c. 28. p. 451. C.

Capvt V.

Expenduntur alia Tertulliani de eadem re loca, & ab aduerſariorum Strophis vindicantur.

ITa Explicato Tertulliani de vnctione, & manus impoſitione loco, qui primus in omni vera antiquitate de hoc argumentô occurrit, nihil fere ſupereſt difficultatis in aliis vel eiuſdem ſcriptoris, vel aliorum veterum ea de re dictis; quorum ſcilicet omnium vna ferè eademque eſt ratio. Excutiamus ſingula. Tertullianus idem in opere de reſurrectione, quod a. D. 209. iamdudum Montaniſta ex Baronij rationibus ſcripſit; *Scilicet* (inquit) *caro abluitur vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore*

ad a. D. 209. §. 2.
l. de reſurr. carn c. 8. p. 384.

corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera coniungit. Hoc, vt liquet, agit, ſuas eſſe & carnis in pietatis actibus partes, vt & in immortalitate ſuum ei jus vindicet contra hæreticorum inſaniam, qui reſurrecturam negabant. Itaque ſacramenta affert quorum effectus & myſteria ad animam pertinent; elementa & ſigna carne ſuſcipiuntur; imo carne ob hoc ipſum ſuſcipiuntur vt eorum myſteriô anima fruatur; vnde illud concluſit, quod paulò antè poſuerat. *Denique cùm anima Deo allegitur, Caro eſt quæ efficit, vt anima allegi poſſit.* Bellarminus Tertulliani in his recenſendis ordinem obſeruat; *Videtur* (inquit) *totum ritum breuiſſime comprehendere, id eſt vnctionem, ſignum crucis, & impoſitionem manus.* Ritum fateor, Bellarmine, his verbis, totum comprehendit; ſed baptiſmalis cærimoniæ; non verò quod tu vis, alicujus propriè dicti ſacramenti; & ritum comprehendit ſuæ cærimoniæ, non tui ſacramenti. Commemorat enim diſertè vnctionem, ſignationem, manus impoſitionem. In tuô ſacramentô vnctionem ſolam video, ſed in crucis ſignum ductam. Manus impoſitionem nullus video. Quod enim vis vnum eundemque illum actum, quo apud vos confirmant Epiſcopi, & vnctionem eſſe & ſignationem, & manus impoſitionem; nemo eſt adeo vafer præſtigiator, qui id nobis perſuadere poſſit. Vt & linere & linendo ſignare (chriſmate ſcilicet in crucem ducto) ſimul ſemelque poſſit Epiſcopus, capimus quidem & concedimus; Pollicem ſummum chriſmate tinctum per frontem ducere ſcimus ac tenemus aliud eſſe, quam manum alicui imponere. Neque vt pro eodem habeas, hoc eſt vt ludos nos facias, ſinit Tertullianus, qui eô quem nuper dimiſimus, locô, alterum ab altero diſtinxit, ſeorſumque poſuit; & poſtquam vnctionem fusè deſcripſit, *Dehinc* (inquit) *manus imponitur.* Tui vero Epiſcopi aliter. Non enim prius vngunt; dehinc manus imponunt: ſed mirabili compendio, ſi te quidem audimus, ſimul & ſemel & vngunt & manus imponunt; quaſi dicas eos ſimul eſſe & bibere; vel vno eodemque temporis punctô & ſorbere & flare. Ergo nihil ad Tertullianum tua manus impoſitio. Si, quod *caro vngitur,* illi ſacramentum eſt; quod eadem *manus impoſitione adumbratur,* alterum quoque ei ſacramentum fuiſſe neceſſe eſt. Ita hic tibi aut duo iſta confitenda ſunt ſacramenta, aut neutrum ſacramentum eſſe concedendum eſt. Illud non vis. Ergo hoc mihi concedas, velis nolis, neceſſe eſt. Quod enim addis, conjungi hæc cum baptiſmô, & Euchariſtiâ, & hoc locô, & alibi libro primo contra Marcionem, & in libro de præſcriptionibus, fateor; Eo effici, vt hæc ſacramenta quoque ſint à baptiſmo diuerſa nego. Coniunxit Tertullianus, quod cærimoniæ eſſent baptiſmales, quæ peracta lotione, neophyto ante Euchariſtiam miniſtrabantur,

l. de Conf. c. 6. §. Tertull.

 non

non quod ipſæ legitima ſeorſim à baptiſmô ſacramenta eſſent. Sed neque ex eô, quod ait Tertullianus *carnem vngi, vt anima conſecretur; carnem ſignari, vt & anima muniatur, carnem manus impoſitione adumbrari, vt & anima ſpiritu illuminetur*; colligere poſſunt vel Aurelius vnctionem, vel Sirmondus manus impoſitionem, propriè ac veri nominis ſacramentum fuiſſe. Cùm enim vna eademque ſit de vtraque locutio, profectò vel vtramque proprium per ſe ac ſeorſim ſacramentum fuiſſe confitendum eſt, vel neutram fuiſſe, hinc quidem colligi concedendum eſt. Iam verò neque manuum impoſitionem Aurelius, neque vnctionem Sirmondus verum ac propriè dictum ſacramentum fuiſſe volunt. Ergo confiteri vterque debent nequaquàm hinc confici poſſe, vt vel hæc, vel illa ſacramentum fuerit. Certè vt hic Tertullianus *carnem vngi, ſignari, manu adumbrari* ait, *vt anima conſecretur, muniatur, illuminetur*, ita quoque dixit Rabanus *baptizati hominis cerebrum ſacrô Chriſmate à presbyterô ſignari, vt regni Chriſti particeps fiat*. Et fatentur tamen tum Aurelius, tum Sirmondus illam cerebri Chriſmationem meram eſſe baptiſmi cærimoniam; non eſſe verum ac propriè dictum ſacramentum. Ergo neque illam Tertulliani vel vnctionem, vel manus impoſitionem ſacramentum ideò fuiſſe concluſerint, quod vel illam, vt anima conſecretur, vel hanc, vt illuminetur, ſuſcipi dixit Tertullianus. Nimirum ita de cærimoniis, ſymboliciſque omnibus loqui amant veteres; id ipſum iis tribuentes, non quidem quod efficiunt, ſi propriè loquendum eſt, ſed tamen, quod ſignificant atque adumbrant. Ita quod hoc ipsô in locô ait Tertullianus, *carnem ſignari, vt anima muniatur*, tametſi vt videtur) de baptiſmali ſignatione propriè dictum ſit, nullâ tamen inuidiâ de quauis ſignatione etiam extra omne ſacramentum, dicere potuit: & ſi dixiſſet, nemo opinor, tam ſtultus eſt, qui indè concluderet quodvis (vt vocant) crucis ſignum verum & propriè dictum ſacramentum eſſe. Idem alibi *infantari* dicit neophytos *per mellis lactiſque ſocietatem*. Ergo & ad præſens exemplum dicere potuit, *carnem mel & lac prægustare, vt anima infantetur*, quod ſi dixiſſet, nemo tamen inde concluderet, illam mellis lactiſque prægustationem verum fuiſſe ſacramentum; quam ſcilicet omnes vbique antiquatam vident. Itaque quatuor iſtis vocabulis *emaculari, conſecrari, muniri, illuminari*, totidem nobiliſſimos baptiſmalis myſterij effectus complexus eſt; Actus quibus illi ſignificantur in ſolemni myſterij adminiſtratione quatuor æquè verbis expreſſit, *ablui, vngi, ſignari, adumbrari*: Hos ad illos referri, ac pertinere ſignificauit; An & ab horum vi atque efficientia illi pendeant (quod nihil ad præſens argumentum pertineret) in medio reliquit. Satis ei fuit, quod ſui hoc locô inſtituti erat, vrgere, carnem, quà fas eſt, iis quoque myſteriis cohoneſtari, dum eos ipſa actus pro-

l.1. de inſtit. cler. c. 28.

l. 1. aduerſ. Marc. c. 14.

priè

priè ſuſcipit, qui repræſentatam animæ in baptiſmo ſalutem adumbrant, & ad eam rectà atque vnicè referuntur; vt quæ mediorum ad ſalutem pertinentium ſuò modo, particeps eſt, eam & ipſius ſalutis, ad quam iſta referuntur; pro ſuæ quoque naturæ ratione, conſortem aliquando futuram plane conſentaneum ſit. Idem argumentum alibi torquet in Marcionis Deum, ſalutis ſacramentis eandem illam carnem, quam à ſalute excluſurus erat, abſurde ac præpoſtere initiantem; *ſignat* (inquit) *hominem numquam apud ſe reſignatum; lauat hominem nunquam apud ſe coinquinatum, & in hoc totum ſalutis ſacramentum carnem mergit exſortem ſalutis.* Supereſt vnus apud Tertullianum locus quem, ad vnctionem quoque vulgò referunt; vbi de Diabolô diuinarum & Eccleſiaſticarum inſtitutionum æmulô; *Tingit & ipſe quoſdam* (inquit) *vtique credentes & fideles ſuos; expoſitionem delictorum de lauacro repromittit, & ſi ad huc memini, Mithra ſignat illic in frontibus milites ſuos; celebrat & panis oblationem.* Quod ait de ſignatione in fronte, accipiunt de oleô, quô de baptiſmali lauacro egreſſos, ita jam tum inunctos putant, vt vnctio duceretur in crucis figuram; quod ſi ſtat, hinc ſequetur non in ſolo vertice, aut in pectore, vt poſteà in baptiſmali Chriſmatione factum, ſed in fronte ſignatos fuiſſe illo æuô quotquot poſt baptiſmum vngebantur; vngebantur autem (vt ex libro de baptiſmo apparuit) quicumque baptizati fuerant) Nouiſſimus in Tertullianum obſeruator Rigaltia hunc quidem etiam ſenſum refert; ſed alium priori loco memorat, vt in genere de crucis *ſignaculo*, quô Chriſtianos illius ſæculi ipſe alibi Tertullianus teſtatur *frontem quacumque eos conuerſatio exerceret, triuiſſe.* Ita ergo & Mithram in Sathanæ caſtris ſuorum quoque frontes ſignaſſe, ritus Chriſtiani æmulatione. Ego, velut rem dubiam, in mediô relinquo. Hoc tantum obiter monebo, etiamſi ex hoc Tertulliani loco priori ſenſu ſumpto ſequatur tum vnctos fuiſſe in fronte poſt lauacrum neophytos, non ſequi tamen non & in vertice vnctos. Fieri enim facile poteſt, vt & in vertice & in fronte vngerentur, qualiter vnctos apud Moſaïcam diſciplinam diximus, qui in ſacerdotium conſecrabantur, ſed & ſcimus, quod poſteà docebitur, non vnam corporis partem, ſed plures à Græcis etiam hodie Chriſmari & jam olim chriſmatas fuiſſe. Sed vtrovis modô accipiatur Tertulliani locus ſiue de baptiſmali ſiue de omni conſignatione, illud quidem apparet non aliam apud hunc ſcriptorem vnctionem occurrere; quam vnam ſtatim poſt ſacram lotionem, ante manus impoſitionem, miniſtratam, & quidem (ſi vltimum hunc locum ad eam referre placet) in fronte in crucis figuram ductam; à Latinorum ſacramentô multis modis, quod ſupra oſtendimus alienam, de genere non ſacramentorum, ſed ſacramentalium vt vocant, cærimoniarum, ex veteri ſiue Moſaïca diſciplina

l. 1. contr. Marc. c. 14 p. 451.

de præſcrip. aduer hær. c. 40. p. 247.

l. de Coron. c. 111.

ſciplinâ ad Chriſtianum quod in baptiſmo aditur nomen atque ſacerdotium adumbrandum à Patribus aſſumptam.

CAPVT VI.

Reijciuntur in ſuum locum, quæ ex Pſeudo-Vrbano ab aduerſariis falſo obijciuntur. Soluuntur 2. obiecta Origenis loca.

HOc loco eſſent expendenda, quæ Bellarminus & alij, Vrbani I. Romæ Epiſcopi nomine laudant, ſi verus eorum auctor eſſet Vrbanus. Sed illa Epiſtola ex earum quoque cenſu eſt, quas octo prioribus Chriſtianiſmi ſæculis incognitas, neque ab vllo eorum temporum ſcriptore laudatas, neſcioquis de Hiſpaniâ Iſidorus Mercator circa a.D.830. collegit & diſſeminauit; paulò antè vel à ſe ipſo, vel ab aliô aliquo peſſimi furfuris artifice craſsô filô contextas & ex emendicatis hinc indè centunculis ineptiſſimè ac inſcitiſſimè conſutas. Præter communes omnium epiſtolarum Elenchos qui multi ſunt, & quidem euidentiſſimi, hæc Pſeudo-Vrbani propriis quoque ac ſingularibus argumentis falſa atque ſuppoſititia eſſe deprehenditur; his ſcilicet, primò quod data eſſe ſcribitur Antonio & Alexandro Coſſ. Septembr. 5°. (id eſt ex Baronij ſententia a.D.224.) Elagabali 4°. Calliſti Pontificis 4°. id eſt bienio antequam Vrbanus Romæ Epiſcopus eſſet ordinatus; qui (vt ex tabulis Chronologicis cum Baronio ſentientibus patet) Caſtillo ſuffectus eſt a.D.226. Octobri menſe; tum quod ab illius temporis conditione aliena de poſſeſſionibus, vt vitæ communis neceſſitate ineptiſſime philoſophatur; tertio quod fere tota ex Proſperi, Gregorij, Euſebij, ſiue Eucherij, Concilij Pariſienſis ſub Gregorio IV. & aliorum laciniis conſarcinata ſit. Quarto denique, quod *carceri tradi, & exilio perpetuæ deportationis vti, vel vri* iubet, qui *prædia Eccleſiaſtica vexarit*; quod pœnarum corporalium & ciuilium genus in Epiſcoporum poteſtate atque vſu nondum fuiſſe, quo tempore ſedebat Vrbanus, omnes ſatis vident. Blondellum noſtrum adeat qui ſingula hæc quæ ex eô delibauimus, plenius cognoſcere volet. [l. de Epiſt. decretal. p. 265.]

Ergo rejectô in veri ſui parentis ſæculum, id eſt nonum, huius ſuppoſititiæ Epiſtolæ teſtimonio; nunc ad Origenem mortuus eſt a. D.254. Veniamus, qui Tertullianum proxime ſecutus eſt. [hom. 8. in Leuitic. extr. p. 150. T.] *Donum gratia Spiritus* (inquit) *per olei imaginem deſignatur, vt non ſolum purgationem conſequi poſſit is, qui conuertitur à peccato, ſed & ſpiritu ſancto repleri; quo & recipere priorem ſtolam, & annulum poſſit, & per omnia*

recon-

reconciliatus Patri in locum filij reparari. Si locus (quod vult Bellarminus) ad eam vnctionem pertinet quæ tum in vſu erat apud Chriſtianos, apparet primo quod & ad Tertullianum diximus, eam fuiſſe ex oleo: ex Balſamo jam fuiſſe non apparet. Neque cum hoc pugnat quod homilia ſequente Chriſma dicitur. Norunt enim, qui græce ſciunt χρίσμα (ſi ea voce hic vſus eſt Origenes) vocabulum eſſe commune, non balſamum, ſed quodvis vnguentum etiam ex oleo mero ſignificans. Secundò notandum, quod ait Origenes ſpiritum, non per illud *oleum* dari; ſed *per eius imaginem deſignari*; quod planè conuenit cærimoniis, & iis ritibus, qui vulgo apud Latinorum ſcholas *ſacramentalia* dicuntur. Vult ſcilicet illa olei imagine ſignificatum fuiſſe, nos per Domini gratiam, quæ in baptiſmo confertur, non modo à peccatis purgari, ſed & Spiritum Sanctum accipere, quæ (vt liquet) nihil ad conſtituendum Confirmationis ſacramentum valent. Sed nolim hic immorari, tum quod homiliæ in Leuiticum ſuſpectæ ſint, eaſque notas circumferant quæ videntur oſtendere opus, vel non eſſe Origenis, vel certè ab interprete fuiſſe interpolatum; tum etiam quod non eſt certum an hæc eius verba de vllo Chriſtianorum oleô intelligendi ſint; an non potiùs de Leuiticô ſiue Iudaïcô, de quo in illa homilia fusè diſputat. Occurrit & in ſequenti homiliâ diſertior ad hoc noſtrum inſtitutum locus; *Omnes* (inquit) *quicumque vnguento ſacri Chriſmatis delibuti ſunt ſacerdotes effecti ſunt, ſicut & Petrus ad omnem dicit Eccleſiam,* vos autem genus electum, & regale ſacerdotium, gens ſancta. Eſt & hoc vnum de Bellarmini telis. Ego verò respondeo Origenem dicere, *quicumque vncti eſſent* (ea ſcilicet baptiſmali vnctione de quâ nuper pluribus ad Tertullianum) *eos ſacerdotes myſticos effectos eſſe*; quia nemo ſic vngebatur, qui non eſſet baptiſmo tinctus, quo Sacerdotalis dignitas nobis confertur; idque ipſam illam vnctionem ſignificaſſe. Hanc verò vnctionem proprium ſeorſim à baptiſmo ſacramentum fuiſſe nuſquam hic apud Origenem legi; imò nè hoc quidem per vnctionem illam ſacerdotium nobis conferri; quod ipſum tamen etiamſi dixiſſet Origenes, nihil eo Latinorum cauſſam juuaret; quod rebus ſymbolicis ea plærumque tribui ſolent, quæ licet ea non efficiant, oſtendunt tamen atque ſignificant. Denique quod addit Origenes *omnem Eccleſiam* huius, cuius meminit *ſacerdotij, eſſe conſortem,* id ſatis oſtendit quæ ad id pertinet, vnctio, eam à Latinô Confirmationis ſacramentô eſſe alienam; Nam per hoc ſanè neque ſacerdotium illud myſticum conferri dicitur; neque aliquid tribui, quod ſit totius Eccleſiæ commune; cum non omnes imo neque plurimi ex iis hominibus quibus conſtat Eccleſia, illud quod dicitur Confirmationis ſacramentum ſuſcipiant.

l de confirm. c. 1. §. Origenes.

vb. ſupr. hom. 9. p. 156.

Caput VII.

Explicatur 3. teſtim. quod eſt Cornelij R.E. idque ad baptiſmi ſolemnem eo ſæculo cærimoniam non autem ad hodiernum Latinæ Confirmationis ſacramentum pertinere oſtenditur.

SEquitur tertium de hoc baptiſmalis adminiſtrationis ritu teſtimonium, Cornelij Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi a.D.253. in Epiſtolâ ad Fabium Antiochenum Epiſcopum apud Euſebium. Is ergo de Nouatianô loquens ὃς, inquit βοηθούμενος ὑπὸ τῶν ἐπορκιστῶν, νόσῳ περιπεσὼν χαλεπῇ, καὶ ἀποθανεῖσθαι ὅσον οὐδέπω νομιζόμενος, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ, ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς ἔλαβεν. εἴγε χρὴ λέγειν τὸν τοιοῦτον εἰληφέναι. οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; Hæc ita reddit Chriſtophorſonus. *Qui quidem vbi exorciſtarum præſidio ſpiritu illó malô eſſet liberatus, & poſt in tam grauem morbum, vt jam ferme mori putaretur, incidiſſet, in lectô, in quô decumbebat, aquâ circumfuſus, baptiſmum accepit (ſi modo talem hominem accepiſſe dicendum ſit.) Verum morbô tandem elapſus, neque cætera,* * *quibus poſt baptiſmum ſecundum Eccleſiæ canonem imbui oportuerat, acquiſiuit* (conſecutus eſt) *neque Domini ſigilló ab Epiſcopô obſignatus fuit, quô quidem neutiquam potitus, quomodò quæſo Spiritum Sanctum adeptus eſt?* Quibus illa quoque conjungenda ſunt, quæ paulò poſt idem de eodem Nouatianô ſubtexit; ἐν ᾗ (ἐκκλησίᾳ) (inquit) πιστεύσας κατηξιώθη τοῦ πρεσβυτερίου, κατὰ χάριν τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἐπιθέντος αὐτῷ χεῖρας εἰς πρεσβυτερίου κλῆρον, ὃς διακωλυόμενος ὑπὸ παντὸς τοῦ κλήρου, ἀλλὰ καὶ λαϊκῶν πολλῶν. ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ἐν κλίνῃ διὰ νόσον περιχυθέντα, ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κλῆρον τινὰ γενέσθαι, ἠξίωσε συγχωρηθῆναι αὐτῷ τοῦτον μόνον χειροτονῆσαι. *In quâ* (Eccleſia) *poſt fidem receptam presbyteri munere donatus fuit, idque propter amorem & beneuolentiam, qua Epiſcopus qui illi manus impoſuit, eum complexus eſt* (græcè per gratiam Epiſcopi, qui ei manus imp.) *Qui quidem Epiſcopus non modo ab vniuerſo Clero, ſed etiam à multis laicis vetitus* (*quoniam minime licebat, quemquam in lectô propter morbum baptizatum, ſicut huic contigerat; in clerum aſſumi*) *magnoperè poſtulabat* (græcè, *poſtulauit*) *ſibi poteſtatem dari* (græcè, *concedi*) *huic ſoli manus in ſortem presbyterij imponendi.* Hactenus Cornelius; ex cuius narratione patet Nouatianum ex deploratæ valetudinis occaſione baptiſmum in lectô ſuſcepiſſe; (quod genus *Clinicos* veteres appellabant.) Itaque neque unctione (quod in ſolemni baptiſmo fiebat) neque manus impoſitione

hiſt. Eccl. Euſ. l.6.c 41.p.70. A.Gr.edit.

hiſt. Eccl. Euſ. l.6. c 35.p 121. A.

* gr quæ participare oportet.

vb ſupr. paulo poſt.

vb ſupr. paulo poſt.

tione fuiſſe poſt lotionem conſecratum: ſed eumdem tamen poſteà, vbi conualuiſſet, Fabiani Romæ Epiſcopi, Cornelij anteceſſoris, indulgentiâ, præter Eccleſiæ morem, & clericorum ac plebis voluntatem, ad presbyterij dignitatem euectum. Id autem Cornelij teſtimonium & Bellarminus [a], & Aurelius [b], & alij omnes aduerſarij ad ſuæ Confirmationis ſacramentum trahunt. Ego verò fateor illa *τὰ λοιπὰ, cætera poſt baptiſmum ſolemnia*, quibus caruit Nouatianus intelligi lactis & mellis prægustationem, & alias, ſi quæ tum erant in Eccleſiæ Romanæ vſu baptiſmales cærimonias; quibus cum hic à Cornelio liquido accenſeatur *τὸ σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, obſignari ab Epiſcopo*; non modo hinc non conficitur obſignationem iſtam quæcumque tandem illa fuerit, fuiſſe verum ac propriè dictum ſacramentum; ſed contrà hinc apparet eam, non veri nominis ſacramentum, ſed cærimoniam baptiſmalem fuiſſe eiuſdem cum illis cæteris cenſûs, quæ non expreſſit Cornelius. Idem etiam indè probatur quod iſtorum obſeruationem, non ad Chriſti mandatum, aut Euangelij præceptum, aut Apoſtolorum traditionem, ſed ad regulas Eccleſiaſticas refert ὧν (inquit) *χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν ἐκκλησίας κανόνα.* Nimirum quod ſuprà diximus, baptiſmi adminiſtrationem, vt eſſet auguſtior, iſtis veluti appendicibus exornauerat Eccleſia, primò vna, & altera, puta Romana, vel Africana; mox inſtitutum, cùm probabile videretur, ad plures indeque ſenſim ad omnes manauerat. Iam Eccleſiæ quidem ſi fortè eſt cærimonias inuenire & canonibus ſuis præſcribere; ſacramenta inſtituere, non eſt, nunquam fuit, nunquam erit. Ea res vnius Chriſti eſt. tertiò idem quoque oſtendit Fabiani Romæ Epiſcopi in Nouatianô ad presbyterium promouendô factum. Nam ſi illa qua iſte carebat, vnctio, non baptiſmalis, baptiſmoque cohærens cærimonia (quod nos dicimus) ſed proprium ſeorſim ſacramentum erat, qualis Latinorum eſt hodie Confirmatio; Cur Fabianus hominem, cùm eum vellet in presbyterum conſecrare, eo quo carebat ſacramentô non donauit? Quid prohibebat, quod antea omiſſum erat, id nunc conferre? maximè cum eâ ratione videatur inuidiam illam mitigaturus fuiſſe quâ apud Clerum & plebis magnam partem flagrare intelligebat ſuum illud conſilium de homine clinico in clerum prouehendo? At qui nihil ille fecit huiuſmodi, ſed precibus tantùm apud ſuos euicit, vt ſibi præter conſultum Eccleſiæ ordinem vnius Nouatiani in clerum allegendi poteſtas eſſet. Vnde nemo non videt planè aliam fuiſſe veteris iſtius obſignationis rationem ac naturam, quam quæ nunc Confirmationis eſt apud Latinos. Erat ſcilicet tum huiuſmodi iſte ritus, vt baptiſmi lotionem ſtatim ſequeretur, (quod & ex Tertullianô didicimus) ſi tum forte omiſſus fuiſſet, non putaretur neceſſario poſteà miniſtrandus; quod cærimoniæ baptiſmali conuenit;

a l de conf. c. 3 § Tertius.
b vindic p.56. & orth.p.525.

proprio ac vero per ſe ſacramento, non conuenit. Poſtremò quod Clerus & pars plebis Nouationi ordinationi interceſſit, oſtendit quidem quorum minus plenus, neque ex canone Eccleſiæ ſolemnis fuerat baptiſmus, eos à ſacris ordinibus repelli ſolitos; ſed Fabiani tamen tum Epiſcopi Romani, & Illuſtris paulò poſt Chriſti martyris, Iudicium hunc Nouatianum, ad Preſbyterium euehentis, docet non fuiſſe hanc obſignationem à Dominô in Eccleſiæ ſacramentum Inſtitutam; quæ ſi verè fuiſſet huiuſmodi, non eſt credibile tantum virum exiſtimaturum fuiſſe quemquam ad preſbyterium euehi fas eſſe, qui non eſſet eà conſecratus. Sed vir grauiſſimus rem ab Eccleſiâ, non à Dominô traditam obſeruandam quidem, neque temerè violandam cenſuit, non eâ tamen religione, aut neceſſitate; vt non poſſet aliquandò ſine crimine omitti. Atque huic eius judicio acceſſiſſe vel certè conceſſiſſe & Clerum, & plebem euentus docet. Nouatianus enim preſbyter eſt ab eô manuum impoſitione conſecratus; & id miniſterium in Eccleſiâ Romanâ aliquandiu geſſit: ita vt tandem etiam à nonnullis Fabiano per glorioſum martyrium conſummato, in Epiſcopum aſſumptus, tametſi vitio, fuerit; vndè exorta eſt eius à Corneliô, legitimô Fabiani ſucceſſore diſceſſio, longi ac tætri ſchiſmatis cauſſa. Hinc liquet parum eſſe firmum, & à cauſſæ, tametſi optimæ, ſtudiô profectum, quod Cornelius hic Nouationo obijcit; τούτου δὲ μὴ τυχὼν (nimirum τοῦ σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου) πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; Negat Spiritum S. adipiſci potuiſſe, qui non fuiſſet in baptiſmo ab Epiſcopo conſignatus; contra apertam primo vt liquet, deceſſoris ſententiam, qui Nouatianum in preſbyterium nunquam allecturus fuerat, ſi quod Cornelius hic ſtatuit, id ipſe quoque ſenſiſſet, ſpiritui ſancto neceſſariò carere, qui non fuerit ab Epiſcopo conſignatus; ſed & præter Cleri plebiſque opinionem qui de ſuâ aduersùs Nouatiani ordinationem interceſſione non videntur quicquam remiſſuri fuiſſe, ſi eum, quem allegi tandem conceſſerunt, ſpiritus ſancti conſortem fieri nunquam poſſe, quod hic arbitratur Cornelius, cenſuiſſent. Vt mittam manifeſtam rei ipſius abſurditatem. Nam ſi (quod omnes concedunt) Spiritum Sanctum conſequuntur, qui baptiſmum ſuſcipiunt; vel fatendum eſt etiam eos, qui non ſunt ab Epiſcopo conſignati, ſpiritum ſanctum interdum conſequi (quod aduerſ. Luciſer. & Hieronymus poſteà diſertiſſimè defendet) vel certe negandum eſt, quemquam verè baptizatum eſſe, niſi qui & ab Epiſcopo idem conſignatus fuerit, quod & à veteris Eccleſiæ, & ab hodiernis, præſertim Latinorum, placitis vehementer eſt alienum, apud quos innumerabiles ſunt, qui etiamſi obſignati ab Epiſcopô non fuerint, habentur tamen pro verè baptizatis. Ab eodem cauſſæ ſtudio eſt, quod Cornelius ipſum Nouatiani baptiſmum in dubium reuocat, quod is

in lecto vrgente morbo perfuſus eſſet ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ, ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς ἔλαβεν. εἴγε χρὴ λέγειν τὸν τοιοῦτον εἰληφέναι; *in eo ipſo, in quo iacebat, lecto circumfuſus, baptiſmum accepit, ſi tamen accepiſſe, qui talis eſſet, dici poteſt.* At qui etiam clinicorum, etiamſi non ſolemnem, verum tamen eſſe baptiſmum liquet, & apud omnes confeſſum eſt. Ergo in his quidem Cornelium, quod humanum eſt, non nihil ſuo ſtudio, ſuæque profecto iuſtiſſimæ in Nouatianum indignationi indulſiſſe, apparet. Quamquam non ineptè fortaſſe poſſint hæc eius verba in commodiorem ſenſum inflecti; ſi, quod ait *ſpiritum ſanctum accipere*, id pro ipſa manus impoſitione, quæ ſpiritus ſancti ſymbolica erat aduocatio, dictum interpretemur; qualiter non ſemel dictum à veteribus, *ſpiritum ſanctum tradere*, pro manus imponere. Sic enim planus, & verus erit Cornelij ſenſus; qui ſcilicet non eſſet *ab Epiſcopo conſignatus*, eum *non poſſe* (id eſt non licere ex ſolemni tunc receptoque Eccleſiæ more) manus impoſitionem ſuſcipere. Nam quod ex Tertullianô didicimus, primò inungi, tum manu antiſtitis impoſitâ adumbrari baptizatos mos erat. Ergo qui non erat vnctus, ſiue obſignatus, ei neque manus poſtea imponi fas erat. Vndè conficit Cornelius vitiô factam Nouatiani in preſbyterum ordinationem; quâ ſcilicet manus ei impoſita erat, qui non fuerat obſignatus; quod mos & canon Eccleſiæ communis abnuebat. Ad quam obiectionem nihil aliud erat, quod reſponderet Fabianus, vt ſuum ipſe factum tueretur, niſi hoc vnum, non eſſe adeò fixa & immota, quæ à ſolâ Eccleſiâ, non autem ab ipſo Dominô, conſtituta ſunt, vt ea (modo id raro & verecundè fiat) non poſſint interdum, ſi Eccleſiæ ipſius vſus requirat, omitti ac ſeponi. Quæ ſanè reſponſio id ipſum quod ſuprà diximus, præſtruit, atque affirmat, obſignationis ſcilicet poſt baptiſmalis ritum, cærimoniam eſſe ab Eccleſiâ inſtitutam, non traditum à Christo, vel ab Apoſtolis præceptum ſacramentum. Atque hæc quidem de Corneliô ſatis.

Capvt VIII.

Quartum teſtimonium, quod eſt Cypriani. Eius omnia dicta expenduntur, explicantur, & à Bellarmini, Petri Aurelij, & aliorum ſophiſmatis vindicantur. Liber de cardinalibus operibus Chriſti, non eſt Cypriani, ſed Arnoldi Bonauallenſis; ad cuius tempora rejicitur.

CVjus æqualis Cyprianus fuit, Carthaginenſis Eccleſiæ per illa tempora præſul; martyrio & ipſe a.D.258. conſummatus. Is ergo pugnans non eſſe verum baptiſmum, qui ab hæreticis confertur (qui eius fuit, & Afrorum, & aliorum complurium illius æui illuſtrium virorum error) poſtquàm datam ab hæreticis aquam eam peccata mundare non poſſe pluribus ex ſcripturis, quantum quidem in ipſo eſt, oſtendit; ex vnctione quoque & manus impoſitione ſimilia argumentari pergit in hunc modum; *Vngi quoque* (inquit) *neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, vt accepto Chriſmate, id eſt vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit. Porrò autem Eucbariſtia, & vnde baptizati vnguntur oleum, in altari ſanctificatur. Sanctificare autem non potuit olei creaturam qui nec altare habuit, nec Eccleſiam. Vnde nec vnctio ſpiritalis apud hæreticos poteſt eſſe, quando conſtet oleum ſanctificari, & Eucbariſtiam fieri apud illos omninò non poſſe.* Hæc de vnctione. Exinde & de manus impoſitione, & quidem continenter. Ad eam enim pertinent, hæc quæ ſtatim ſubijcit; *ſed & baptizato, quam precem facere poteſt Sacerdos ſacrilegus & peccator? cum ſcriptum ſit,* Deus peccatorem non audit? Sed qui eum coluerit & voluntatem eius fecerit, illum audit. *Quis autem poteſt dare, quod ipſe non habeat? aut quo modo poteſt ſpiritalia agere, qui ipſe amiſerit Spiritum Sanctum. Et idcircò baptizandus eſt, & innouandus qui ad Eccleſiam rudis venit, vt intùs per ſanctos ſanctificetur.* Hæc Cyprianus, quæ Bellarminus & alij Latini ſolenni ſecuritate pro ſuæ Confirmationis ſacramento afferunt. Ex his enim æquè ac ex Tertullianeis, patet vnctionem, & manus impoſitionem, non proprium, per ſe, ac ſeorſim ſacramentum (quod iſti volunt) ſed (quod nos ſuprà diximus) cærimoniam baptiſmi fuiſſe, eiuſque appendicem. Primo id docet ipſe quæſtionis, quam hic Cyprianus agit, Titulus. Non enim de *vnctione*, vel de *manus impoſitione*, ſed de baptiſmo ſolo erraſſe, vel cum Stephano Romæ Epiſcopo, litigaſſe dicitur; neque ex veteribus quiſquam vnquam legitur huius controuerſiæ ſtatum aliter expoſuiſſe. Ergo quas hic

ep. 71. ad Ian. & cæter. p. 138.

Bellarm. vb. ſupra. c. 6. §. 5. Cyprianus.

hic vrget *vnctionem & manus impoſitionem*, eas fuiſſe neceſſe eſt baptiſmi appendices; à quarum velut baptiſmalis adminiſtrationis partium natura, atque ingenio ad ipſum baptiſmum pro ſua ſententia argumentatur; ex iis concludens baptizandum & innouandum qui ad Eccleſiam ab hæreticis venit. Deinde ipſa diſputationis ſeries idem oſtendit. Poſtquam enim ab ipsâ lotione, quæ in baptiſmi adminiſtratione fuit, & qua propriè ſacramentum conſtat, & ab interrogatione de fide argumentatus eſt, ita progreditur; *Vngi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit*, id eſt lotus; vbi particula *quoque* vnctionem cum lotione, velut partem, vel appendicem eiuſdem baptiſmalis myſterij connectit. Quaſi dicat baptiſmum, qui ab hæreticis datur nihil valere, non ſolum lotio, ſed & vnctio ipſa, quæ Eccleſiaſtico ritu lotionem excipit, clarè demonſtrat. Itidem mox de manus impoſitione: *ſed & baptizato* (inquit) *quam precem facere poteſt ſacerdos ſacrilegus & peccator?* Hoc enim (vt & quæ ſequuntur docent) de impoſitione manuum capienda ſunt; quæ oratio eſt ſuper homine baptizatô. Ergo ex omni hoc Cyprianicæ diſputationis progreſſu patet vtramque, id eſt & vnctionem, & manus impoſitionem ad baptiſmum pertinuiſſe; adeoque ſacramentum (à cuius nomine & dignitate, baptiſmales cæremonias excludunt aduerſarij) nequaquam fuiſſe. Quô locô illud quoque tertiò obſeruandum eſt non *balſami*, ſed ſolius olei meminiſſe Cyprianum, æquè ac Tertullianum. Atqui eam, quæ ex ſimplici oleô eſt, vnctionem, nè Latini quidem inter ſacramenta cenſent. Deniqne idem quoque id euincit, quod oleô ideò inungi ait baptizatum, ut *vnctus Dei* eſſe poſſit; id eſt regij ſacerdotij compos in Chriſtô fieri; quod ad baptiſmi ipſius, non ad Confirmationis Latinæ effecta pertinet. Quod vèrò hoc effectum, quod baptiſmi propriè eſt, vnctioni tribuit, id eodem modo accipiendum eſt, quo Rabani, & Theodulfi & aliorum de baptiſmali vnctione dicta ſuperius allata exponenda ſunt; ſic nimirum vt intelligat Cyprianus baptizatum eâ vnctione vnctum Dei, non tam fieri, quam baptiſmô factum demonſtrari ac ſignificari: ex locutionum ſymbolicarum ingenio; Nam vt hic Cyprianus *baptizatum vngi* ait, *vt vnctus Dei eſſe; & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit*, ita & Rabanus, & alijaiunt eundem à presbytero in cerebro chriſmari, *vt regni Chriſti particeps fiat*. Hoc verò fatentibus aduerſariis, nihil aliud eſt, quam quod Iuo de re eadem dixit, *vt cognoſcat* (baptizatus) *ſe promotum eſſe in regium genus & ſacerdotale*; ita & illa Cypriani perinde capienda ſunt, ac ſi dixiſſet, *vt cognoſcat ſe vnctum Dei eſſe*, id eſt (quod ibidem dicit Iuo) *à Chriſti conſortio vocari ſe Chriſtianum, & Chriſti gratiam in ſe habere*. Quamquam & hæc Cyprianica fortaſſe ſimpliciter ad Eccleſiaſticorum ſacramentorum ordinem referre melius fuerit, baptizatos ideo vngi ex ſolenni

Raban. l. 1 de inſt. cler. c. 28.

Iuo ſerm. de Eccl. ſacram.

ſolenni Eccleſiæ more, vt inter Chriſtianos cenſeri, & Euchariſtiam Domini percipere poſſint, ad quam ſcilicet admitti mos non erat, niſi qui omnes illos baptiſmi ritus plenè percepiſſet. Nam *Chriſti gratiam* & Afris cæteris, & huic propriè Cypriano Euchariſtiam interdum dictam fuiſſe, norunt eruditi. Neque eſt quod quiſquam vrgeat, quod ait *neceſſe quoque eſſe vngi eum, qui baptizatus ſit*; quaſi abſurdum ſit ſcilicet meram cærimoniam neceſſariam eſſe affirmare. Quod vt intelligatur primò obſeruandum eſt, dum hic ait, *eum qui baptizatus eſt, baptizati* vocem non pro eô accipi, qui totam baptiſmi adminiſtrationem ſuſcepit, ſed propriè ac ſtrictiùs, pro eô, qui lotus eſt, quæ vna eſt & quidem præcipua ac capitalis totius myſterij pars. Hic ergo Cyprianus omnes vel certè plæraſque baptiſmalis myſterij, quæ tum ex Eccleſiæ vſu rite ac ſolenniter fiebant, partes ſibi conſiderandas proponens; primò de lotione agit, tum de interrogatione; *ſed & ipſa* (inquit) *interrogatio, quæ fit in baptiſmo teſtis eſt veritatis.* Hanc exſecutus ad vnctionem venit, *vngi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit*; id eſt vt diximus, interrogatus, & lotus. Denique in manus impoſitione deſinit; *ſed & baptizato quam precem facere poteſt ſacerdos ſacrilegus?* De ſecunda & quarta tam dicere potuit? *Eum qui baptizatur, interrogari neceſſe eſt, Credis in vitam æternam &c. Ei qui baptizatus eſt precem quoque facere ſacerdotem neceſſe eſt*; quam de tertiâ, *Vngi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit.* Intelligit ſcilicet iſta omnia in baptiſmô adminiſtrari neceſſe eſſe, vt tota eius actio rite atque ex ſolenni Eccleſiæ vſu peragatur; planè eodem ſenſu quo nuper Cornelius eius amicus, aiebat de ſimilibus, imo iiſdem, *ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα; quæ ſuſcipere, vel quorum participem fieri oportet ſecundùm Eccleſiæ regulam. Vngi neceſſe erat,* non ad ſalutem baptizati, non ad baptiſmi vel eſſentiam, vel integritatem, (quorum neutrum vel de ſua Confirmatione aduerſarij dixerint) ſed ad baptiſmalis adminiſtrationis ex Eccleſiaſticô ritu ac canone plenitudinem, vt eſſet non modò verus (ad quod vna lotio rite facta ſatis erat) ſed etiam ſolennis, ac omni ſuarum cærimoniarum pompa inſtructus & ornatus baptiſmus. Qualiter olim trinam merſionem, nunc verticalem ex Chriſmate vnctionem in baptiſmo *neceſſariam* dici poſſe do-

anarret.p. 417. 418. cet P. Aurelius; *non* (Inquit,) *ex natura rei, nec ex Dei inſtitutô, ſed ex legibus Eccleſiæ. quod vnaquaque lege id neceſſarium fiat, quod illâ præcipitur.* Et exempla ipſe colligit ſanè appoſita;

Con. Afric. c. 18. *In Conciliô* (inquit) *Carthaginenſi cum ageretur de nuntiando quotannis ab Epiſcopo Carthaginenſi die Paſcha omnibus Eccleſiis, ea de re lex his verbis concepta eſt*, Ita fiat neceſſe eſt.

Con. Brac. 1. c. 21. *Sic Concilium Bracarenſe; ſi quis quaſi contumax tranſgreditur illa* (quæ decreta erant) *neceſſe eſt, vt de ſuô degradetur officiô.*

Con. Reg. c. 3. *In Synodô Regenſi; in eâ Eccleſiâ quæ ipſi* (*Armentario*) *conceditur, miniſtros à ciuitatis*

tatis Epiſcopo neceſſe eſt ordinari. Sic & in decreto Apoſtolorum apud Lucam *neceſſaria* dicuntur, quæ illic vetantur; inter quæ tamen erant quædam & à naturâ ſuâ, & à Chriſti mandatô, libera, atque adiaphora. Ergo vel Aureliô Iudice, ex eo quod Cyprianus dixit, *neceſſe eſſe eum vngi qui baptizatus ſit,* minimè tamen ſequitur, vnctionem illam vel per ſe, vel ex Chriſti aut Apoſtolorum præceptô neceſſariam fuiſſe, vel aliunde denique, quam ex Eccleſiæ canone, more, atque vſu; eiuſmodi neceſſitas, non ſacramentorum tantùm eſt, ſed etiam ſacramentalium, ſiue cærimoniarum, pro temporibus ac locis, quibus vel conſtitutus ab Eccleſia de iis canon, vel mos & vſus ab eâ receptus viget. Alius occurrit apud Cyprianum locus, qui rem hanc totam non parùm illuſtrat, & ab aduerſariis fruſtrà ac ineptè ad ſuum inſtitutum vrgetur. Extat in Epiſtolâ ad Stephanum vrbis Epiſcopum, de hæreticorum quoque baptiſmô conſcripta; in quâ rationem reddens eius, quod ab Afris Epiſcopis in proximâ Synodo decretum fuerat, vt ab hæreticis venientes de integro baptizarentur; *eô quod* (inquit) *parum ſit eis manum imponere ad accipiendum ſpiritum ſanctum, niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum. Tunc enim demùm plenè ſanctificari & eſſe filij Dei poſſunt, ſi ſacramentô vtroque naſcantur; cùm ſcriptum ſit;* Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Idem firmat Petri auctoritate & exemplô, qui Cornelium, & Domeſticos quanquàm ſanctô ſpiritu jam plenos, baptizari tamen iuſſit, ne quicquam prætermiſſum eſſe videretur. Huius loci geminus eſt qui in Nemeſiani à Thubunis Epiſcopi apud Synodum de hæreticorum baptiſmô Cartaginenſem, ſententia legitur; *Neque* (inquit ille) *ſpiritus ſine aqua operari poteſt, neque aqua ſine ſpiritu. Male ergo quidam ſibi interpretantur, vt dicant quod per manus impoſitionem ſpiritum ſanctum accipiant, & ſic recipiantur; cum manifeſtum ſit vtroque ſacramentô debere eos renaſci in Eccleſiâ Catholicâ. Tunc quippe poterunt filij Dei eſſe.* Vtriuſque loci idem, vt vides, ſcopus: idem ſenſus; pænè eadem verba. Nemeſianus docet Afrorum in hac cauſâ aduerſarios, hoc eſt Stephanum & ſocios, homines ab hæreticis venientes, tametſi non baptizarent, manus tamen impoſitione in Eccleſiam adoptaſſe. Cyprianus idem ſignificat. Cùm enim negat ſatis eſſe manum eis imponere, eô ipſô arguit id à Stephanô & aliis ab Afris diſſentientibus factitatum. Ergo Stephanus & Romani baptizatis apud hæreticos manum in Eccleſiam venientibus imponebant; idque, præter Cypriani & Nemeſiani auctoritatem, docet Eccleſiæ Romanæ parilis ſequentibus temporibus in recipiendis hæreticis mos; vti ex iis conſtabit, quæ infra ſuis locis afferentur. Iam hinc liquet ab hodierna Latinorum cauſſa alienum eſſe hoc Cypriani, Nemeſianique teſtimonium; quô ſcilicet ſi quod in Eccleſiâ Chriſtiana præter

Act. 15. 28.

ep. 72. p. 141.

Synod. Carthag. in oper. Cypr. p. 354.

vid. Siricij ep. 1. c. 1. & Greg. M.

baptiſmum, & Euchariſtiam ſacramentum fuiſſe concluditur, id manus impoſitionem fuiſſe concluditur; quæ in Latinorum confirmatione nulla eſt; non Chriſmationem, quæ vna eorum quidem ſacramentum eſt, ſed apud Cyprianum & Nemeſianum nulla occurrit.

l. de confirm. c. 9. § eſt tamen & primò

Neque hic valet Bellarmini, Aurelijque & aliorum Stropha cauillantium, vel vnum idemque eſſe Chriſmationem, & manus impoſitionem; vel alterum certè alterius vocabulô ita comprehendi, vt vtrumque vnius nomine intelligatur. Illud prius ex Tertullianô ſatis ſupra exploſimus: & fatetur ſanè Aurelius * primis ſæculis diuerſos fuiſſe Chriſmationis & manus impoſitionis actus. Poſterius, quod ipſum tamen nullo ex tribus prioribus ſæculis exemplo probatur, etiam ſi verum eſſe donaretur, hic tamen locum habere non poſſet. Cùm enim de eâ manus impoſitione agat Cyprianus, quâ Stephanus, & Romani hæreticos in Eccleſiam ſuſcipiebant: conſtet autem manus impoſitionem quâ Eccleſia Romana hæreticos excipiebat, non fuiſſe cum vllâ chriſmatione coniunctam, ſed meram nudamque manus impoſitionem: apparet eius nomine non Chriſmationem, quæ à Stephanô nulla in hoc negotio vſurpabatur, ſed ipſam propriè manus impoſitionem & quidem ſolam hic à Cypriano & Nemeſiano intelligi. Ergo ſi hanc manuum impoſitionem, quam illi intelligunt, ex eorum verbis, verum ac propriè dictum ſacramentum fuiſſe, (quod volunt aduerſarij, concluditur; omninò neceſſe eſt grauiſſimè peccare Latinorum Eccleſiam, quæ eam ipſam, quam Cyprianus & Nemeſianus intelligunt, jampridem & in confirmationis ſacramentô, & in ipſa hæreticorum receptione, nullam vſurpant. Sunt enim, ſi hæc ſtant, antiquati atque abrogati vnius è Chriſtianis ſacramentis rei; quô ſcelere vix vllum aliud tetrius, aut in rem Chriſtianam flagitioſius admitti poteſt. Sed illi hac quidem in parte, quod metuant nihil eſt. Nam neque ipſam proprie manus impoſitionem verum ſacramentum fuiſſe (quod veteres, teſte Aureolo, olim Canoniſtæ, & nunc Sirmondus, cæteris omnibus repugnantibus Romæ Theologis, volunt) hinc vlla arte confici poteſt. Aliud vt exiſtimemus res ipſa ſuadet. Nam vt cætera nunc mittam, quæ & de ipſa manus impoſitione, & de Tertulliani teſtimoniô ſuprà diximus, vel hoc ipſum Stephani factum oſtendit non fuiſſe tum eam apud Chriſtianos in legitimô verorum ſacramentorum cenſu: ſi enim fuiſſet, quis crediderit ità amentem futurum fuiſſe Stephanum, vt quorum baptiſmum valere arbitrabatur hæreticorum, eorum nullam fuiſſe Confirmationem exiſtimaturus eſſet? Par eſt, imò eadem, vt liquet, vtriuſque in hoc negotiô, natura, & ratio. Si manus impoſitio Confirmationis ſacramentum eſt, repeti, & iterari eam non magis quam baptiſmum fas eſt. Iterauit autem eam Stephanus; non Ergo confirmationis ſacramentum, quod

* orthod. p. 563.

æque

æque ac baptiſmi vnicum eſt, fuiſſe putauit. Neque hic eſt obijciendum, quod de Nouatianis Schiſmaticis à Theodoreto proditur, eos ſuis id de quo nunc quærimus, ſacramentum, nullum contuliſſe. Primò enim Nouatianos Theodoretus *Chriſmate*, Pacianus eodem ſenſu *conſignatione Epiſcopali*, neuter *manus impoſitione*, caruiſſe aiunt. Tum ſi & hac caruiſſe fingantur; id quidem eò valebit, vt redeuntibus ad Eccleſiam Nouatianis manus rite ac legitime impoſuerit Stephanus; vt ex aliâ hæreſi venientibus imponeret, non valet. Nam fuiſſe apud complures hæreticos non manus modò impoſitionem, ſed & ipſam vnctionem in vſu, vel Marcionis ex Tertullianô exemplum probat, quem ille ait *ſuos & aqua abluiſſe, & oleò vnxiſſe, & mellis lactiſque ſocietate infantaſſe*. Atqui Stephanum, & Romanos cum eô ſentientes omnibus hæreticis ad Eccleſiam venientibus nullô diſcrimine manus impoſuiſſe, Cypriani Nemeſianique & Hieronymi aduerſus Luciferianos verba demonſtrant. Nam ſi ſolis Nouatianis manus impoſita eſſet, id velut extrà omnem hanc controuerſiam poſitum, ab vtroque omiſſum eſſet. Nunc cùm illi disertè hoc ſibi commemorandum putauerint, ac negandum id ſatis eſſe: apparet aduerſarij (id eſt Stephani) hanc fuiſſe ſententiam, nihil neceſſe eſſe baptiſmo omnes ex hæreſi venientes tingere; ſufficere, vt iis manus imponatur. Hoc verò parum eſſe contendunt duo Afri. Ergo quoſcumque Stephanus Cypriano & Afris baptizandos negabat, eoſdem manus impoſitione recipiendos concedebat. Hoc illi admittebant quidem; ſolum ſatis per ſe valere negabant, niſi & iidem baptizarentur. Neque item contra hæc valet Aurelij commentum; concedentis quidem illam manuum impoſitionem, qua hæretici recipiebantur, minimè fuiſſe ſacramentum, ſed ita tamen, vt eam quoque contendat, aliam ab ea fuiſſe, qua in Confirmatione neophytorum vtebantur. Id verò ſomnium eſt ex vna hominis cauſæ nimium ſtudentis libidine natum. Vnde enim ille hoc habet? Quis veterum dixit? Res quidem ipſa plane eadem fuit. Manus ſcilicet impoſitio. Sacerdotalis vtraque fuit. Titulum Aurelius, quod ita cauſæ ſuæ expediat, mutauit. Intelligit enim ſuam manus impoſitionem, ſi hæc ſua ſit, ſacramentum non fore. Itaque homo callidus hanc ſuam eſſe negat, quam, niſi ſacramentum eadem ſit, abdicat. Si æque veterator fuiſſet Cyprianus, poterat omnem Stephani conatum ac diſputationem ſimili ſtropha eludere; cauillando hanc lotionem, qua hæreticos ad ſe venientes tingebat, baptiſmo catechumenorum eſſe quidem per omnia ſimilem, ex iiſdem conſtare, eodem modo ac ritu fieri; non eſſe tamen baptiſmum; quod hic ſcilicet catechumenorum ſit; illa eſſet ex hæreſi conuerſorum; plane vt nunc Aurelius, qui hanc manus impoſitionem cætera omnia cum neophytorum manus impoſitione eandem, non

l. contr. Marc 1.14.

Anar p. 446. Orthop. 551. 538. 555.

alio eandem eſſe negat; niſi quod hæc neophytorum ſit; illa ab hæreſi venientium fuit. Ita res Aurelio ſuſcipientium qualitas mutat; vt vnum idemque aliud ſit atque aliud fiat, ſi à diuerſi ordinis, ac generis hominibus ſuſcipiatur. Hoc exemplo licebit & duplicem Euchariſtiam fingere, & duplicem pœnitentiam, & cætera pæne omnia duplicia, *& geminum Solem, & duplices Thebas,* quoties cauſæ laborantis diſcrimen aliquid huiuſmodi fingi poſtulabit. Quid-ni? cum & hæretici & neophyti, qui Euchariſtiam vtrique ſuſcipiunt, non minus inter ſe differant, quam qui manus impoſitione conſecrati erant? & quæ vtriſque datur Euchariſtia non magis eadem ſit, quam quæ iis miniſtratur manuum impoſitio? Sed quid alia conſector? Cyprianus & Nemeſianus ipſi loquuntur ſe eam ipſam manus impoſitionem intelligere, quæ neophytorum erat; non aliam aliquam ab ea diuerſam. Nam hic quidem aduerſarios (id eſt Stephanum & Romanos) dicere ait, hæreticos per illam, qua ab ipſis recipiebantur, *manus impoſitionem Spiritum ſanctum accipere*; & Cyprianus idem ſignificat, cum concedit *hac impoſitione manuum* homines partim *renaſci*, & ad eius effectum transfert Spiritum, quem Cornelius Centurio accepit. Iam vero ad illam ipſam, quæ neophytorum erat, manus impoſitionem hoc effectum pertinere palam eſt. Ergo hæc à Stephano hæreticis data, cum ea plane eadem vt erat, ita quoque cenſebatur. Vel ſi eandem fuiſſe, ne hoc quidem arguit; certe Aurelius fateri debet & ſe & alios Latinos falſo ac imperite vel impoſitioni manus, vel chriſmationi *ſacramenti* nomen ac dignitatem ex eo vindicare, quod per eas Spiritum S. tradi Patres dicant; quæ tamen eorum eſt ſolennis, ac palmaria, imo pæne vnica in hac tota cauſa argumentatio. Cur enim id ſic concludunt, ſi verum eſt Spiritum S. per eam manus impoſitionem ab hæreſi venientibus datum fuiſſe, quæ tamen ipſa ſacramentum minime fuerit, ſed mera duntaxat cærimonia? Multo hic quam Aurelij, melior Sirmondi fides, ex his Cypriani ac Nemeſiani dictis ingenue agnoſcentis eandem eſſe ab iis commemoratam manus impoſitionem cum illa, qua neophyti conſecrabantur. Qua autem illi hæreticos ad Eccleſiam venientes à Stephano ſuſceptos narrant, eam Aurelius & cæteri ferè Latini ſacramentum non fuiſſe confitentur; cærimoniam tantum fuiſſe concedunt. Ergo & neophytorum pariter manus impoſitio eiuſdem generis ac cenſus fuit. Hoc ipſum, quod eam Stephanus & Romanæ Eccleſiæ homines, hæreticis ad Eccleſiam venientibus impertiebantur, arguit non fuiſſe ſacramentum. Nam ſi fuiſſet, indignum ac pæne ſacrilegum foret eius ritum in ſacramentum ſcilicet à Domino dicatum ac deſtinatum, in alia transferri. Baptiſmi quidem, vt etiam Euchariſtia, proprios & à Chriſto inſtitutos ritus, qui ad alia, vbi ſacramenti naturam non retinerent, transcribere.

Antirrh. 1. c. 2. extr. p. 31.

bere aut vſurpare auſus ſit, è veteribus nemo eſt, quod ſciam: Vbicumque & quicumque *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* tincti leguntur, ii vero Chriſti ſacramento baptizati intelliguntur; & verum ſimiliter Euchariſtiæ ſacramentum feciſſe, quicumque panem & vinum Eccleſiaſtico ritu benedicta fidelibus miniſtrarunt. Itaque, ſi verum ac legitimum eiuſdem cum baptiſmo & Euchariſtia ordinis ſacramentum fuiſſet manus impoſitio neophytorum, profecto nunquam ea Stephanus, nunquam alij Patres in rebus diuerſis vſi eſſent, vbi ſacramentum non eſſet. Dei enim nomen in vanum aſſumit, eiuſque maieſtatem lædit, qui res ab eo inſtitutas alio, quam in quem ipſe finem inſtituit, torquet & vſurpat. Cum igitur & Stephanus, & Eccleſia Romana illam manus impoſitionem, non in ſola (quod neceſſe erat, ſi ſacramentum fuiſſet) neophytorum confirmatione, ſed etiam in hæreticorum receptione factitarit; concludendum eſt ritum illum ab eius Sæculi Chriſtianis, non pro aliquo vere & proprie dicto *confirmationis* (vt nunc loquuntur) ſacramento, ſed pro libera, variiſque occaſionibus, & actibus communi cærimonia habuiſſe. Obijciunt Aurelius *, Bellarminus, & alij, hæc Cypriani verba; *Tunc demum plene ſanctificari, & eſſe filij Dei poſſunt, ſi ſacramento vtroque naſcantur, cum ſcriptum ſit*; Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Sed illi nobis gladium ipſi porrigunt, quo hæc eorum cauſa iuguletur. Nam vel hæc ſola oſtendunt nihil minus hic agi, quam ipſorum Confirmationem. Si enim (quod ipſi volunt) *vtrumque illud ſacramentum*, de quo loquitur Cyprianus, *aqua eſt, & manus impoſitio*; clarum eſt neutrum iſtorum ſacramentorum Confirmationem Latinorum eſſe poſſe. De aqua, ipſi fatentur. De manus vero impoſitione nunc mitto, quod eam ipſi nullam in ſua confirmatione habent. Sola Cypriani verba inpræſentia vrgeo. Ille fideles ex *vtroque* hoc *ſacramento naſci* diſerte pronuntiat. Ex Confirmatione vero Latina nemo in Eccleſia *naſcitur*; tantum iam ante natus in fide per eam confirmari fingitur. Ergo Latinorum quidem Confirmatio neutrum eſt ex his à Cypriano ſignificatis ſacramentis; non adeo manus impoſitio, quæ duorum iſtorum ſacramentorum vnum eſt. Item; Ex quocumque ſacramento in Eccleſia *naſcimur*, id baptiſmi myſterium (Neque enim vnquam fando in Eccleſia auditum regenerationis, ſiue natiuitatis noſtræ in Chriſto aliud ſacramentum, præter baptiſmum) Vtrumque autem illud à Cypriano memoratum ſacramentum id, eſt ex quo homines in Eccleſia naſcuntur; Ergo vtrumque baptiſmi myſterium eſt. Manus autem impoſitio, quæ duorum iſtorum ſacramentorum eſt alterum, non aliter poteſt baptiſmalis myſterij pars cenſeri, & ad id pertinere, niſi vt cærimonia & appendix (non enim eius eſſe partem vel *eſſentialem*, vel *integran-*

* Orthod. part. 1. p. 536.

tem apud omnes in confeſſo eſt) Ergo illa manus impoſitio, quam hic Cyprianus intelligit, baptiſmi cærimonia, ſiue appendix quædam tantum fuit; quod nos contendimus. Eadem Nemeſianus etiam clarius docet. Nam non modo, itidem vt Cyprianus, ait *vtroque ſacramento debere eos renaſci in Eccleſia Catholica* (qui ſcilicet ex hæreticis ad eam veniunt) ſed illud præterea habet; *Neque ſpiritus ſine aqua operari poteſt, neque aqua ſine Spiritu.* Vnde manifeſtum eſt illud ex quo iſtos renaſci vult, ſacramentum, Latinam quidem Confirmationem nequaquam eſſe, *in qua ſpiritus ſine aqua operari* dicitur, ad baptiſmum vero pertinere, in quo vno ſacramento, vt omnes norunt, neque ſpiritus ſine aqua, neque aqua ſine ſpiritu operatur. Quæ vt teneantur, duo ſunt explicanda. Prius eſt, cur hæc manuum impoſitio & à Cypriano & à Nemeſiano *ſacramentum* dicatur, ſi ea baptiſmi (quod nos volumus) cærimonia tantum fuit? Sed hoc quidem nemo, vt opinor, eruditus obiecerit. Neque enim hinc ſequitur vel duo eſſe à ſe inuicem diſtincta, diuerſaque ſacramenta baptiſmum, & manus impoſitionem; neque hoc ſaltem (quod illo excluſo admittendum alicui videri poſſit) manus impoſitionem eſſe baptiſmi partem eſſentialem. Non illud inquam, ſequitur. Nam quoties in vno, eodemque myſterio plures ſunt partes à ſe inuicem per ſe diſcretæ, ſed in vnius tamen ſacramenti propriè dicti naturam coëuntes, ac compoſitæ; mos eſt Patrum, non totum modo ex iſtis conflatum myſterium *ſacramentum* appellare, ſed & ſingulas eius partes eodem nomine donare; quaſi ſcilicet plura ſint ſacramenta, quæ tamen ſi propriè loquendum eſt, vnum duntaxat ſacramentum efficiunt. Verbi gratia, Euchariſtiæ, quæ Chriſtianorum ſacramentorum alterum eſt, partes ſunt duæ panis, & calix, ſiue, vt veteres loquuntur, *corpus, & ſanguis Chriſti*; illius manducatio, huius potus. Iam Patres, non illud modo ex duabus his partibus conſtans totum myſterium, *ſacramentum* appellant, ſed duas etiam illas ex quibus conſtat partes, ſingulas, id eſt panem ſeorſum *ſacramentum*, & calicem item ſeorſum *ſacramentum* dicunt, quaſi duo ſacramenta ſint, quæ propriè vnum tantum eſſe ſacramentum omnes fatentur. Iſidorus; *Sunt ſacramenta baptiſmus & chriſma, corpus & ſanguis.* Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis; *Singulis diebus dominicis in quadrageſima, præter hos, qui excommunicati ſunt, ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt.* Concilium Cabilonenſe an. D. 813. *Pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & ſanguinis Dominici ſacramenta reconciliat*: Eccleſia ſcilicet. Sic etiam Rabanus; *Supereſt vt de reliquis duobus* ſacramentis, *id eſt corporis & ſanguinis Domini inueſtigemus.* Ordo Romanus eodem modo, & ſenſu myſteria vocauerat, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui myſteria celebranda.* Flodoardus de libris, quos

Orig. l. 6. c. de Officiis in capit. 6. 41

c. 47 T. 2. Conc. Gall.

l. 1. de inſtit. Cler. c. 31.

T. 10 Biblioth. Patr. p. 61 c.

Hincmarus Remenſis compoſuit; * *Scripſit & ad eundem Regem Carolum &c. de ſacramentis quoque corporis & ſanguinis Domini.* Ratramnus pariter ſacramenta Dominici corporis & ſanguinis non ſemel dicit. * Sic etiam Hulbertus Carnotenſis Epiſcopus tria ad ſalutem ſciru neceſſaria enarrans; *Tertium* (inquit) *in quo duo vitæ ſacramenta, id eſt Dominici corporis & ſanguinu continentur.* † Vt ergo in Euchariſtia, quæ vnum ſacramentum, vnumque myſterium propriè eſt, duo tamen ſacramenta dicuntur ob duas partes, ex quibus totum id myſterium conſtat; ſic & in baptiſmo, qui proprie ſacramentum vnum eſt, duo tamen ſacramenta conſtituit Cyprianus, ita duos illos ritus, qui in baptiſmatis adminiſtratione peragebantur, lotionem ſcilicet & manus impoſitionem ſeorſum vnumquemque conſiderans. Vt ergo corpus & ſanguis Domini, ſi ea ſeorſum vt partes ſpectes, duo ſunt ſacramenta, ſi totum, quod ex iis coniunctis conficitur myſterium, vnum ſunt ſacramentum, ita lotio & manus impoſitio, ſi ſingulas ſeorſum ſpectes, duo ſunt ritus, duo ſunt actus ſacri, duo adeo ſacramenta; ſi coniunctim, vt baptiſmi ſiue baptiſmalis adminiſtrationis partes vnitas, vnum ſunt ſacramentum. Quæ chriſmationis eſt, eadem eſt & manus impoſitionis ratio. Itaque vt hanc Cyprianus, ita illam alij à baptiſmo ſejungunt quidem, ſed ſic vt à pane Euchariſtico calicem, id eſt vt partem rei ab altera eiuſdem parte; non autem vt rem à re. Ita Iſidorus loco paulo ante allato; *Sunt ſacramenta baptiſmus & chriſma; corpus & ſanguis.* Sic etiam Rabanus, qui & ipſe nuper allatus eſt; *Sed quia* (inquit) *de duobus ſacramentis, id eſt baptiſmo & chriſmate, jam quantum nobis Dominus dedit, ſupra diſſeruimus; ſupereſt, vt de reliquis duobus, id eſt corpore & ſanguine Domini inueſtigemus.* Atque hinc factum eſt, vt baptiſmi non *ſacramentum* tantum, ſed etiam *ſacramenta* in plurali numero Patres paſſim dicant, quod alias docebimus. Sed neque hinc illud ſequitur, quod ſequi videri poſſe diximus, manus impoſitionem vere proprieque ſacramentum eſſe ipſam, vel certe veram, id eſt eſſentialem, aut integrantem baptiſmi partem; eo quod ſacramentum à Cypriano dicitur. Nam Patribus familiare eſt quemuis ritum ſacrum, & ad religionem Chriſtianam pertinentem ſacramentum dicere. Auguſtinus de Catechumenorum ſale; *Quod* (inquit) *accipiunt* catechumeni, *quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen; & ſanctius, quam cibi, quibus alimur; quoniam ſacramentum eſt.* Innocentius Romæ Epiſcopus, Auguſtini æqualis; fermentum, quod abſentibus mittitur, & ex Baronio, Binio, & aliis panis benedictus eſt, itidem cenſet inter ſacramenta. Sed & Rabanus ſaliuam, qua baptizandi nares & aures tangebantur, *ſacramentum* quoque vocat. Ita Ordo Romanus ſalem itidem vt Auguſtinus; ſacramentum dicit; *Rogamus te Deus, vt hæc creatura ſalis in nomine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalu-*

* Hiſt. Rem. l. 3. c. 11. 12. 105.
* l. 4. contr. Græc.
† Epiſt. 1. ad Adeod. T. 2. Bibl. Patr. p. 434. 4.
Orig. l. 6.
L. 1. de inſt. Cler. c. 31.
l. [illegible] de pecc. mer. & remiſſ. [illegible]
ep. 1 ad Decent.
L. 1. de inſtit. Cler c. 27.
Bibl. Patr T. 10. p. 35. C.

ſalutare ſacramentum. Denique omnes in baptiſmi adminiſtratione vſurpari ſolitos ex Eccleſiæ conſuetudine ritus *baptiſmatis ſacramenta* nominat idem Ordo Romanus; *Dilectiſſimi vobis, accepturi ſacramenta baptiſmatis, & in nouam creaturam S. Spiritus procreandi, fidem qua credentes iuſtificandi eſtis, toto corde concipite.* Sic & Theodulphus Aurelianenſis; *Sicut cætera* (inquit) *baptiſmatis ſacramenta per ſacerdotes viſibiliter fiunt, per Deum inuiſibiliter conſecrantur ita & Spiritus S. gratia per impoſitionem manuum, & miniſterium Epiſcoporum fidelibus traditur.* Hic non modo ſanos omnes baptiſmi ritus *baptiſmatis ſacramenta* appellat; ſed quod ad rem noſtram vnice pertinet, etiam manus impoſitionem cæteris iſtius generis accenſet. Eſt ergo Theodulpho teſte ac auctore, manus impoſitio ſacramentum. Sed quale? Baptiſmatis eſt, ſi eum audis, ſacramentum. Baptiſmi autem proprie quidem dictum vnum eſt duntaxat ſacramentum, lotio ſcilicet myſtica in nomine Patris, Filij, & Spiritus S. Ergo manus impoſitio *ſacramentum* & erat & dicebatur apud Patres, quod inter ſacros baptiſmi ritus locum haberet; non quod ipſa ſeorſum proprium, ac veri nominis ſacramentum per ſe eſſet. Ex quibus jam planum eſt, quo ſenſu Cyprianus hoc illi nomen dederit; quia ſcilicet adminiſtrationis baptiſmi pars erat. Sed & inde facile ſoluitur illud alterum, quod ſecundo loco explicandum eſſe diximus; cur ſcilicet Cyprianus & Nemeſianus dixerint *ex vtroque illo ſacramento* (id eſt ex duobus actibus in baptiſmi adminiſtratione ſolennibus, *lotione* ſcilicet, ac *manus impoſitione*) *renaſci* debere homines ab hæreſi in Eccleſiam venientes, ſi horum rituum alter (nempe manus impoſitio) mera ſit ac ſimplex (quod nos defendimus, baptiſmi cærimonia, non autem pars vel eſſentialis, vel certe (vt loquuntur) *integrans.* Profecto hæc proprie ac ſtricte acceptis vocabulis dici non poſſe & communis totius Eccleſiæ fides primo oſtendit, apud quam non aliunde, quam ex baptiſmali lotione renaſci homines confeſſum eſt; ideoque Chriſti baptiſmum Paulus *regenerationis lauacrum* vocauit. Sed & Cyprianus & Nemeſianus idem quoque ipſi fatentur: Hic enim & quidem hoc ipſo in loco omnem regenerantis Spiritus vim aquæ vni alligat, dum negat *Spiritum ſine aqua* in hoc myſterio operari poſſe. Cyprianus vero alibi rem eandem agens, hos & actus & effectus diſertiſſime à ſe inuicem his verbis diſtinguit, *Porro autem* (inquit) *non per manus impoſitionem quis naſcitur, quando accipit Spiritum Sanctum, ſed in baptiſmo; vt Spiritum iam natus accipiat.* Ergo non *ex vtroque ſacramento* (quod hic ait) id eſt ex lotione ſiue baptiſmo, & ex impoſitione manus, *renaſcimur,* ſi proprie loquendum eſt. Sed ex vno tantum, nempe lotione, ipſo iudice Cypriano. Quid ergo eſt? Cur hic ait, quod iſtic negat? Nempe inquam, non eſt Martyris oratio vexanda, mens attendenda, quæ clara eſt, hæc ſcilicet;

ad hoc,

[Margin notes: ibid. p. 41. b. — Ord. bapt. c. 17. — epiſt. 74. p 154. med.]

ad hoc, vt quis plene (vt ait) *ſanctificaretur*, hæreſeoſque labem omnem & vitium exponeret, non fuiſſe ſatis, imo parum fuiſſe, ſi (quod Stephanus concedebat) per manus impoſitionem renouaretur, id quoque in primis neceſſe fuiſſe, vt aqua baptiſmali ablueretur; atque ita *vtroque ſacramento* (id eſt adhibito & hoc & illo ritu, lotionis & manus impoſitionis) totus refingeretur, & ex hæretico catholicus fieret, & emundationem, quæ *lotione*, & *ſanctificationem*, quæ manus impoſitione adumbrabatur, adeptus. Natiuitatis in Chriſto noſtræ myſterium baptiſmus eſt: quem ita tum celebrari mos erat, vt initiandus primo ablueretur (quo proprie ritu baptiſmus totus continetur) mox manus impoſitione conſecraretur. Stephanus ab hæreſi redeuntibus hunc vltimum ritum impertiebatur. Cyprianus etiam priorem neceſſarium eſſe contendebat, quod eos renaſci, ſiue regenerari oporteret, vt eſſent Eccleſiæ membra; *renaſci* autem, vel *regenerari* non poſſent vno hoc manus impoſitionis ritu ſuſcepto; niſi & priorem, lotionem ſcilicet, ſuſcepiſſent. Vtrumque igitur in eorum receptione adhibendum eſſe; hoc eſt legitime baptizandos eſſe; vt ita demum vere nati in Chriſto & eſſent & dici poſſent. Cæterum vtrius ex iſtis duobus ritibus ea vis ſit, qua proprie renaſcimur, hic quidem non dicit; ſed alio loco apertiſſime, quod nuper monuimus, docet, diſertè negans nos *per manus* impoſitionem *naſci*; aiens *naſci in baptiſmo*, id eſt in ipſo baptiſmalis myſterij lauacro. Vnde neceſſario conſequitur hæc eius verba, *ſi ſacramento vtroque naſcantur*, id tantum ſignificare, quod diximus, ſi adhibito ac ſuſcepto vtroque ritu, non autem poſteriori tantum (quod volebat Stephanus) noui homines ex veteribus facti in Eccleſiam ingrediantur. Sed neque diſſimulandum eſt ſupra deſcriptum Cypriani locum etiam aliter interpretatum eſſe virum in Eccleſiaſtica antiquitate verſatiſſimum M. Antonium de Dominis, Spalatenſem antehac Archiepiſcopum, ſic nimirum, vt *ſacramentum* illud *vtrumque*, quo ille *naſci* ait conuerſos ex hæreſi, de *aqua & Spiritu Sancto* accipiatur; ſiue de ablutione aquæ & receptione Spiritus. Hæc vero expoſitio & his Nemeſiani verbis apprime congruit, *Neque Spiritus ſine aqua operari poteſt, neque aqua ſine Spiritu*, & loco ex Ioanne à Cypriano laudato, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei*; neque à ſtilo Patrum abludit, quibus familiare eſſe *ſacramenti* vocabulum *pro ipſa eſſentia, & veritate rei ſacræ vſurpare*, etiam ab ipſo Perronio Cardinale obſeruatum eſt. Atque hoc quidem ſenſu dixit Auguſtinus *oleum inuiſibile eſſe in ſacramento*; *viſibile in ſigno. Vtrumque* ergo *ſacramentum* eſt & interius, & exterius, & ſignificans, & ſignificatum; id eſt vt liquet, & aqua & ſpiritus. Quæ expoſitio ſi admittitur omnem illam pugnam tollit, quæ alioqui eſſe videtur inter hoc & illud alterum Cy-

De rep. Eccl l. 5. c. 5. §. 49. B. C.

l. 2. de Euchar. Auctore 14 p. 281.

In pſal. 41. p. 166. A. 2.

V priani

priani dictum, quod nuper attulimus, *non per manus impoſitionem quis naſcitur*, in quo apertiſſimè negat, quod in ſuperiori affirmaſſe videbatur. Ego vero lectori judicandum permitto, vtra rectior ſit ac melior interpretatio. Satis eſt quod oſtendi etiam priorem, quæ aduerſariis placet, & Cyprianeæ diſputationis inſtituto magis fortaſſe conuenit, Latinæ Confirmationis ſacramento, non modo non fauere, ſed etiam vehementer aduerſari.

Supereſt tertius apud Cyprianum in proxima ad Iubajanum epiſtola locus; quo id ſoluit, quod à Stephano & aliis aduerſariis ex actibus Apoſtolorum afferebatur, vt demonſtrarent ſatis eſſe iis, qui apud hæreticos baptizati fuerant, manus imponere, neque neceſſe eſſe, iterum eos tingere; quod ſcilicet qui à Philippo Samariæ baptizati erant, iis manum quidem ab Apoſtolis impoſitam legamus, baptiſmum iteratum non legamus. Reſpondet Cyprianus merito factum; quod is baptiſmus, quo tincti erant, fuiſſet à vero & Catholico miniſtro, id eſt à Philippo, collatus; hæreticum non eſſe verum miniſtrum, eo neque valere baptiſmum ab eo acceptum. *Iccirco* (inquit) *quia legitimum & Eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant* (Samaritani) *baptizari eos non oportebat; ſed tantummodo, quod deerat, id à Petro & Ioanne factum eſt, vt oratione pro eis habita, & manu impoſita inuocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus.* Tum ita pergit; *Quod nunc quoque* (inquit) *apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptizantur præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum S. conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Hactenus Cyprianus. Primo nihil neceſſe eſt *præpoſitos Eccleſiæ* de ſolis Epiſcopis accipere. Is titulus tam preſbyterorum, quam Epiſcoporum communis eſt; qui vtrique, ſed ſuo ſinguli loco atque ordine Eccleſiæ præerant, eiuſque *præpoſiti* erant. Celerinus quidem preſbyteros *præpoſitorum* nomine aperte intelligit epiſtola ad Lucianum, quæ extat inter Cyprianeas. *Præceperunt* (inquit) *præpoſiti tantiſper ſic eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur.* Sic etiam preſbyteri Romani apud eundem Cyprianum; *Nos* (inquiunt) *videmur præpoſiti eſſe.* Et ipſe Cyprianus preſbyteros hoc nomine haud dubie intelligit, quo loco ſcribit, *inſtructi à præpoſitis faciant omnia cum Dei timore*; & alibi item ad Pomponium, dum præpoſitos plebi opponit, *& præpoſitis* (inquit) *& plebi elaborandum eſt*; & in libro de Lapſis, cum inter ſuperioris temporis peccata recenſet *præpoſitos ſuperbo tumore contemnere.* Neque nudum & inanem titulum hunc fuiſſe, ſed preſbyteros communi cum Epiſcopis miniſterio atque conſilio Eccleſias tum rexiſſe omnes Cypriani litteræ loquuntur; quod quia non ita pridem fusè demonſtrauit clariſſ. Blondellus noſter, non eſt quod in re ab inſtituto præſenti aliena diutius immoremur. Tantum addo eodem ſenſu intelligen-

ep. 73. p. 145.

ep. 20. al 21.

Ep 3. (Rigalt. 2.) init. ep. 10. (Rig 9) ep. 62. init.

B de lapſ p. 094. cent.

Apol pro Hieron: ſect. 1. teſtim. 16.

telligendum nobis videri illum Firmiliani de re eadem locum; *Omnis poteſtas, & gratia in Eccleſia conſtituta eſt, vbi præſident maiores natu* (videtur in Græco codice ſcriptum fuiſſe οἱ πρεσβύτεροι) *qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poßident poteſtatem. Maiores natu*, ſiue τοὺς πρεσβυτέρους dicit non ſolos Epiſcopos, ſed vna quoque cum iis *presbyteros* propriè ſic dictos. Secundo etiamſi *præpoſitos* de ſolis hic Epiſcopis acceperis, non ideò tamen ſequitur presbyteris nefas fuiſſe manum baptizatis imponere. Nam quod ait Cyprianus, *qui in Eccleſia baptizantur*, id non abſolute de omnibus omnino, qui baptiſmo initiabantur, accipio (nam qui vel à presbyteris, vel ab ipſis Epiſcopis tincti erant, eos certe præpoſitis baptizatos offerri nihil neceſſe erat, quod ii vna cum baptiſmo manus quoque impoſitionem ſtatim ſuſceperant) ſed relate ad præſentem cauſam de iis, qui vel à presbyteris in Eccleſia, cum adeſſet Epiſcopus, baptizati erant (ii enim honoris cauſa manus impoſitionem ab Epiſcopo vltimùm accepiſſe, poſtquam cætera à presbytero habuiſſent videntur) vel in neceſſitate aliqua poſiti baptiſmum aut à viro laïco, aut ſi forte à diacono receperant, vt à Philippo Samaritani. Iſtos intelligit Cyprianus, quod eorum baptiſmo aliquid *defuiſſet*, ne ſolennis ac legitimus videri ac cenſeri poſſet, offerri Eccleſiæ præpoſitis conſueuiſſe, vt horum oratione, atque manus impoſitione baptiſmus ipſorum firmatus, ratus ac validus eſſet, proque vere Eccleſiaſtico cenſeretur, ipſique impetrato præpoſiti manu ac prece auctiori, & largiori Spiritûs dono conſummarentur. Sic enim interpretor vltima verba, *& ſignaculo Dominico conſummentur*, de eodem illo Spiritu, quem conſequi iſtos ait; vt his per epexegeſin additis oſtendat, quis ſit Spiritus Sancti in iſtis vſus, quod officium. Nempe eo obſignantur ac conſummantur, & totius baptiſmi coronidem, vltimamque eius veluti manum ſibi hoc præpoſiti miniſterio impoſitam accipiunt. Quod vero vult Aurelius chriſma per *Dominicum ſignaculum* ſignificari, nihil nos cogit eas voces ſic accipere; quas, vt interdum, imo ſæpe pro vnctione baptiſmalem lotionem conſequente ſumi apud Patres fateor, ita ſemper ſic ſumi nego. Notum eſt à Paulo id nominis ipſi Spiritui datum, de quo nos Cyprianum cepimus. *Credentes* (inquit) *ſignati eſtis Spiritu promißionis ſancto*. Item; *In Spiritu Sancto ſignati eſtis in diem redemptionis. Dominicum ſignaculum*, nihil veriùs eſt, quam id, quo Dominus ſuos ſignat. Suos autem ſignat Spiritu Sancto. Ergo & hunc *ſignaculum Dominicum* tum à Cypriano dici, tum à nobis intelligi, nulla ſine inuidia eſt. Idem Athanaſius ex Paulo quoque colligit χρίσμα λέγεται τὸ πνεῦμα, καὶ ἔστι σφραγίς. *Spiritus dicitur vnctio, & eſt ſignaculum*. Tum affert Ioannis locum, in quo Spiritus vnctio dicitur, & Paulinum illum modo à nobis laudatum, in quo *Spiritu ſignati* dicimur.

Orthod. Patr. t.1.pag.523.

Eph.1 13.& 4. 30.

epiſt ad Serap.

V 2 Qui-

Quibus hæc ſubjicit; *τὸ πνεῦμα χρῖσμα καὶ σφραγίς ἐστιν, ἐν ᾧ χρίει καὶ σφραγίζει ὁ Λόγος τὰ πάντα. Spiritus vnctio eſt & ſignaculum, quo Verbum omnia inungit, & ſignat.* Sic auctor de iis, qui initiantur myſteriis in operibus Ambroſij *ſignaculum*, Spiritum ipſum interpretatur; *Signaculum ſpiritale* (inquit) *Spiritus* ſapientiæ & intellectus. *Spiritale* autem *ſignaculum* & ipſe, & ſcriptor ſex librorum de ſacramentis vocant, vt ab externo, quod corporeum eſt, diſtinguant; quomodo & hic fortaſſe Cyprianus *Dominicum* dixit, vt ab eodem quoque externo, quod eſt *Eccleſiaſticum* ſecerneret. Amalarius quidem Spiritum, qui per manus impoſitionem dari dicitur, *ſignaculum* diſerte vocat, de quo illa Hieronymi deſcribit, *De quo* (inquit) *ſignaculo dicit Hieronymus; Signati autem ſumus Spiritu Dei Sancto, vt & Spiritus noſter, & anima imprimantur ſignaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & ſimilitudinem ad quam in exordio conditi ſumus. Hoc ſignaculo S. Spiritus juxta eloquium Saluatoris, Deo imprimente ſignamur.* Atque ita in auras abit, quod nobis Aurelius ex hoc Cypriani loco perſuadere conatur, apud Carthaginenſes, quorum ille Epiſcopus fuit, morem tum fuiſſe chriſmationem impoſitioni manuum ſubiungere, & huic illam velut verticem ac faſtigium addere; quod eſt, vt mihi quidem videtur, abſurdiſſimum, & ab omni hac prima, in qua nunc verſamur, antiquitate alienum. Nam contra fuiſſe Tertulliani æuo (hoc eſt vnctioni ſucceſſiſſe, non præiuiſſe manus impoſitionem) & ipſe ſupra teſtabatur Tertullianus loco, quo nullus de hoc ritu eſt apud veteres luculentior, & Aurelius hic fateri cogitur. Mutatum fuiſſe, vt quod præibat, ſequi, quod ſequebatur præire iuſſum ſit apud eandem Eccleſiam (vterque enim domo Carthaginenſis fuit) tantulo annorum minus quadraginta ſpatio, neque demonſtrat Aurelius, neque ſane quiſquam (vt puto) demonſtrauerit. Huc accedit, quod ipſe Cyprianus in loco nuper explicato eundem, quem Tertullianus, ordinem ſequitur; prius ex vnctione, quod iſtic obſeruauimus, argumentans; deinde & quidem poſtremo *ex prece ſacerdotis ſuper baptizatum facta*, hoc eſt manus impoſitione. Sed & exterorum vetuſtiorum, inquam, Patrum cum hoc ſolenne fuiſſe videatur, vt ſacra miniſteria manus impoſitione tanquam benedictione clauderent, atque obſignarent, omnino præpoſterum eſt putare chriſmationem apud eos impoſitione manus præiuiſſe. Itaque ſi non poſſet *Dominicum* illud Cypriani *ſignaculum* aliter, quam de chriſmatione accipi, ne ſic quidem concedendum putarem Eccleſiæ præpoſitos manum neophytis prius impoſuiſſe, quam eos chriſmarent. Potius dicerem Cyprianum non inuſitata etiam apud optimos auctores figura (*ὕστερον πρότερον* vocant Grammatici) id poſteriori loco commemoraſſe, quod in legitimo rerum ipſarum ordine prius gerebatur. Neque enim ſcriptores ipſum rerum, ſiue natura

c. 7

L. 3. c. 2.

De offic. Eccleſ. l. c. 27. T. 10 bibl. Patr. p. 355.

turæ ordinem perpetuo ſequuntur. Iam Cyprianus morem illum in Eccleſia ita ſolennem manus baptizandis imponendi, vt etiam, qui ſine hoc rite baptizati erant, Eccleſiæ præpoſitis manus impoſitionem conſecuturi offerrentur; morem inquam illum repetit ab Apoſtolorum exemplo. Recte quidem hactenus, quod Apoſtolorum apud Lucam factum oſtendit, & manus impoſitionem non profanam, ſed probam ac legitimam eſſe cærimoniam, eamque cum oratione, ſuper homine baptizato, ſine culpa jungi ab Eccleſiæ præpoſitis poſſe; item vt doceat Spiritus S. dona, atque incrementa ab optimo Deo miniſtrorum ſuorum precibus impetrari. Hactenus inquam, apud Eccleſiam per præpoſitos manum baptizatis imponentes, iiſque oratione ſua Spiritus incrementa impetrantes, id gerebatur, quod ab Apoſtolis factum fuerat. Si vero Spiritus ipſius dona ſpectes, ne ipſe quidem Cyprianus negaturus fuit aliud factum ab Apoſtolis; aliud à ſe & Collegis geſtum. Illi enim τὸ τῶν σημείων πνεῦμα *ſignorum Spiritum*, (quod ait Chryſoſtomus) conferebant: hi vero ordinariorum & communium donorum auctiorem menſuram. Atque hæc quidem de Cypriano. Nam quæ ex volumine de duodecim cardinalibus Chriſti operibus aſſeruntur, ea non ſunt huius loci; quod iſtius libri Cyprianum falſo atque impudenter auctorem præſcribi & oratio & titulus & ipſæ operi inſertæ ſententiæ clament. Sed & ex Latinis ipſis Eraſmus [a], Heſſelius [b], Poſſeuinus [c], Antonius Arnaldus [d], & Bellarminus [e] fatentur non eſſe Cypriani; hic etiam auctorem iſtius libri Auguſtino ſine dubio poſteriorem fuiſſe. Ego vero non dubito, quin is vere fuerit Arnoldus Bonæuallenſis Abbas, homo duodecimi ſæculi, cui & hoc opus inſcribebat codex manuſcriptus Bibliothecæ Collegij cuiuſdam Oxonienſis non ignobilis, quod *omnium animarum* dicitur, teſte Thoma Dameſio. [f] Itaque nos quæ ex illo volumine pro Latinorum chriſmate afferuntur, ſuo loco & tempore expendemus, cum ad duodecimi ſæculi ſcriptores peruenerimus, quorum iſte vnus fuit.

a in cenſura.
b L. de commun. ſub vna ſp.
c Præfat. in Appar.
d De la freq. comm. part. 1. chap. 11.
e l. 6. de amiſſ. grat. c. 2.
f tractat de ſcript. ſuppoſit. p. 12. 13.

Capvt IX.

De ſenſu & vſu Chriſtianorum quarti & deinceps ſaculi. I. quarti ſaculi teſtimonium, quod eſt Synodi Eliberitana, explicatur, & vrgetur contra nouum Latinorum dogma.

ITa decurſo trium priorum Chriſtianiſmi ſæculorum ſpatio, in quo nullum adhuc offendimus verum ac proprie dictum chriſmationis ſacramentum; nunc ſequentia ad ſeptimum ſæculum tempora videamus; in quibus multa ad priores cærimonias addita confiteor; ſed ita tamen, vt vnctionem, qua hoc ſacramentum nunc cenſetur, & ipſam quoque tandem à Latinis reiectam manus impoſitionem inter baptiſmi ritus, atque appendices hæſiſſe clarum ſit.

In eo gradu adhuc conſtitiſſe poſt quarti ſæculi initia apparet ex Synodo Eliberitana, quam a.D.305. habitam fuiſſe fama eſt. Huius Synodi canon eſt XXXVIII. *Peregre nauigantes, aut ſi in proximo Eccleſia non fuerit, poſſe fidelem, qui lauacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceßitate infirmitatis poſitum Catechumenum; ita vt, ſi ſuperuixerit, ad Epiſcopum eum perducat, vt per manus impoſitionem perfici poßit.* Alius item eſt eiuſdem Synodi canon; *Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel presbytero, aliquos baptizauerit, eos per benedictionem perficere debebit. Quod ſi ante de ſæculo receſſerit, ſub fide, qua quis crediderit, poterit eſſe iuſtus.* Garcias Loayſa aliter legit, inſerta voce *Epiſcopus,* quæ à prima editione abeſt; *Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Hæc hactenus Eliberitani Patres; ex quibus ea confirmantur, quæ ſupra & de Nouatiani baptiſmo, & nuper ad alterum Cypriani locum diximus, offerri ſcilicet Epiſcopis, vel Eccleſiæ præpoſitis ſolitos, qui in morbi, vel ex alia cauſa, & neceſſitate baptizati eſſent. Tertullianus quidem, quod obſeruauimus, vbi de baptiſmi miniſtris agit, nullum huiuſmodi diſcrimen inter eos ſtatuit, vt ſint, quibus abluere catechumenum liceat, eundem vngere, vel manus impoſitione & prece munire non liceat; ſed totius baptiſmalis myſterij adminiſtrationem preſbyteris, diaconis, imo & laicis, poſt Epiſcopos, concedit. Sed videtur & Nouatiani hiſtoria, & vltimus Cypriani locus innuere aliquid mutatum; datumque ordinis honori, vt ſolis preſbyteris vngere baptizatos, ac manum iis imponere liceret; laïcis non liceret, tametſi eos fas eſſet in neceſſitate poſitum baptiſmo abluere: Inde inſtitutum quod habet Eliberitanus canon

c 77.

non prior, quodque jam Cornelij & Cypriani tempore obtinuiſſe videtur, vt ſi quos laici in huiuſmodi rerum articulo baptizaſſent, eos, ſi ſupereſſent, ad Epiſcopum perducerent manus impoſitione perficiendos. Quæ hic aduerſarij de ſuæ Confirmationis vi ad perficiendam Chriſtiani hominis baptiſmo ſolo tincti pietatem ſuauiter garriunt, ea & vana ſunt, & etiamſi vera eſſent, ipſis quidem certe eſſent inutilia. Quid enim eos juuant veteris manus impoſitionis laudes, atque elogia, quæ nulla eſt in eorum confirmatione? Perfecerit hominem manus impoſitio, eumque Angelis parem fecerit, & ſupra Angelos ſi libet euexerit. Quid hoc ad iſtorum chriſmationem, in qua nulla exſtat, antiquæ quidem ſimilis, manus impoſitio? Bellarmini & aliorum de ſyllepſi, qua alterius nomine vtramque ſignificari volunt, ſomnia ſupra confutauimus, & hoc Eliberitanæ Synodi tempore fatetur Aurelius adhuc diſtinctos fuiſſe chriſmationis, & manus impoſitionis actus. Ergo & ipſa huius actus pars vera & integrans fuit, quem ſuo hic nomine totum, vt iſti volunt, ſignificat. Atqui hoc ſatis eſt, vt conſtet veteris huius ritus vim illam perfectiuam nihil ad iſtorum Confirmationem pertinere; à qua ſcilicet abeſt ea, quæ veteris ritus pars vel præcipua, vel certe neceſſaria fuit manus impoſitio. Neque enim hic ritus ab ea totus (quod iſti contendunt) denominaretur, niſi hæc pars illius fuiſſet neceſſaria. Sed neque eſt, quod in perficiendi vocabulo ſe nimium jactent. *Perficere* eſt vltimam manum, ac veluti culmen & faſtigium alicui rei addere; *Perfici* eſt quæ in vnoquoque genere vltima & ſumma ſunt, aſſequi. Verbum eſt in τελετῶν ſiue myſteriorum & initiationum negotio frequens; in quibus *perfici* dicuntur, qui vltimas cærimoniarum, quibus myſterium conſtat, accipiunt. Ergo qui tinctus jam eſt, is *perfici* dicitur à Patribus, cum impoſitionem manus ab Epiſcopo accipit, quod ea ex illorum temporum more vltima eſſet baptiſmi cærimonia. Qui nondum acceperat, ei ex ſolennibus Chriſtianæ initiationis ritibus aliquid deerat; quod cum ab Epiſcopo ſuſcipiebat, ita demum plane pleneque initiatus, id eſt baptizatus, cenſebatur; vt quo minus pro vero germanoque Chriſtiano ab omnibus haberetur, nihil jam intercederet. Eo enim ritu ſignificabatur hominem velut verum Chriſti membrum, in Eccleſiæ communionem ab Epiſcopo, totius Eccleſiaſticæ vnitatis fibulâ, recipi; vt nihil ei jam eorum inuideretur, quæ ſunt ciuium Eccleſiæ; non nomen, non dignitas, non precum, non oblationum commercium. Hæc autem perfectio tota (vt liquet) ad Eccleſiæ ordinem, atque diſciplinam & judicium ſpectabat; non ad interiorem animi ſtatum. Nam tametſi manus impoſitione, quæ oratio erat ſuper homine baptizato, aliquid ei conciliari ſpiritalis gratiæ crederent, Deo miniſtri ſui preces exaudiente; non eſt tamen putan-

dum ei, etiam antehac, ſi modo recta in Deum fide ac pietate eſſet, quicquam quod ſit ad ſalutem, id eſt ad veram perfectionem neceſſarium, defuiſſe. Hæc omnis perfectio adminiſtrationis baptiſmalis erat; quæ imperfecta cenſebatur, quamdiu ei aliquid eorum, quæ ſolennia erant, deerat; perfecta, cum omnibus iis ritibus, quos in ea fieri vſitatum erat, conſtabat. Hinc eſt, quod Iſidori Mercatoris Pſeudo-Melchiades baptiſmum negat *ſine manus impoſitione perfici poſſe*; ait *manus impoſitionem ad baptiſmi perfectionem pertinere.* Sic eiuſdem Pſeudo-Fabianus eodem ſenſu ait *baptiſmum ſancti chriſmatis vnctione perfici.* Nimirum Iſidori illius tempore, id eſt nono ſæculo, chriſma vltimus erat baptiſmalis initiationis ritus, qui ante fuerat manus impoſitio. Ergo quod manus impoſitio vltima eſſet ſolennium baptiſmalis myſterij cærimoniarum, ideo & baptiſmus, & baptizatus ipſe non ante perfecti dicebantur, quàm ea eſſet adhibita. Ita apud Iuonem [a], & Burchardum [b] Vaſenſis (vt illi quidem nominant) Synodus, plane ex hoc, vt videtur, Eliberitano canone; *In baptiſmate quacumque neceſſitate faciente, qui non chriſmatus fuerit, in confirmatione Sacerdotis perficiatur.* Sic etiam accipienda, quæ eiuſdem Mercatoris Pſeudo-Clemens tradit, niſi quis manus impoſitione confirmatus fuerit, *aliter eum perfectum eſſe Chriſtianum nequaquam poſſe, neque ſedem habere inter perfectos.* Sic etiam Pſeudo-Vrbanus, baptizatos confirmari debere, manus ſcilicet impoſitione, *vt plene Chriſtiani inueniantur.* Eadem eſt iſtorum omnium ratio. Illa autem *perfectio* hominis erat, non ſimpliciter & apud Deum, ſed κατά τι, & relate ad exteriorem Eccleſiæ ſocietatem, qua eius ciuis & erat & cenſebatur. Is demum perfectus in hoc genere habebatur, in cuius baptiſmo nihil poſſes jure reprehendere; nihil eorum deſiderare, quæ Eccleſiæ in hoc myſterio ſolennia erant; quorum cum, vt diximus, manus impoſitio vltimum ac ſummum eſſet, merito per eam baptizatum *perfici* aiunt Patres Eliberitani. Itaque neophytus per manus impoſitionem Euchariſtiæ ſumptione dignus efficiebatur; quæ, vt notum eſt, omnium Chriſtianiſmi myſteriorum ſummum, ac diuiniſſimum cenſebatur. Qui nondum ad menſam Domini admittebatur, is quicumque de cætero, ac qualiſcumque foret, ἀτελὴς ac imperfectus habebatur, nondum ſcilicet id, quod in Eccleſiaſtica ſocietate ſummum erat, adeptus. Atque hæc ita interpretatur Gabriel Albaſpineus, Aurelianenſis dum viueret, Epiſcopus; negans Euchariſtia donatos olim fuiſſe, qui nondum manus impoſitionem accepiſſent; qui vero Euchariſtiam nondum eſſet aſſecutus, *eum neque ſanctum, neque iuſtum, aut fidelem nominatum fuiſſe, quod Euchariſtia* (inquit) *extremus eſſet actus, formaque Chriſtiani hominis*; nimirum quatenus is in ſocietate Eccleſiæ verſabatur, eoque cenſebatur. Gennadij quidem Maſſilienſis tempo-

a Part. 1. c. 167.
b L. 4. c. 7.

ad can Eliberit. 78. p. 223. 224.

temporibus id vſu receptum fuiſſe videtur, vt nemo ad Euchariſtiam, niſi qui chriſmate & manus impoſitione communitus fuiſſet, admitteretur, vt poſtea intelligemus. An tertio ſæculo idem quoque mos fuerit, dubitare me cogit ea, quam ſupra ex Cornelio retulimus, de Nouatiano hiſtoria; quem, quod non eſſet conſignatus, neque manus impoſitionem accepiſſet, à presbyterio quidem ſummouendum fuiſſe Cornelius docet; De Euchariſtia (quod, ſiquid huiuſmodi fuiſſet, tali loco non videtur fuiſſe omiſſurus) nihil dicit. Quid enim ad eam cauſam grauius, atque atrocius afferri poterat, quam ius conficiendæ & fidelibus impertiendæ Euchariſtiæ ei homini datum, quem ne à miniſtris quidem confectam accipere, vel contigere fas erat? Vtcumque ſit non equidem inuitus Albaſpineo conceſſerim Eliberitani Concilij temporibus, & ſequentibus deinceps obtinuiſſe, vt niſi qui manus impoſitionem accepiſſent, nulli ad Euchariſtiam admitterentur. Vnde (vt hoc obiter dicam) videre licet, quam ab antiquo ritu hodiernus Latinorum vſus diſcrepet; qui illam ipſam ſcilicet manus impoſitionem, qua veteres ſuos perfici volebant, & ſine qua neminem ad menſam Domini admittebant, non modo neceſſariam non putant, ſed ne habent quidem vllam; vt ſi veterum ſtet diſciplina, nemo hodie in Latinorum Eccleſia viuat, qui perfectus cenſeri poſſit; nemo ad altare ſine crimine & ſacrilegio accedat; quo veteres ſcilicet quemquam ſine ea, qua iſti omnes nunc carent, manus impoſitione accedere nefas putabant. Illud quidem certe ex his patet, quod nobis erat explicandum, quo ſenſu nimirum dixerint Eliberitani Patres hominem ex infirmitatis neceſſitate à laïco baptizatum *per manus impoſitionem perfici*; Nempe ille ita conſequebatur, quod cum eſſet in Chriſtiani baptiſmi ritibus ſolenne, eius tamen baptiſmo defuerat; ita plene, planeque in Eccleſiæ ſocietatem, in ipſaque eius adyta admittebatur, & ſumendæ Euchariſtiæ (quod ſummum erat) jus adipiſcebatur; vt deinceps inter *iuſtos, ſanctos, fideles,* & ad vnguem Chriſtianos liquido, ac ſine vlla controuerſia cenſeretur.

Alter canon ſenſum hunc confirmat; definiens eum, qui ante acceptam *benedictionem*, ſiue manus impoſitionem, deceſſerit, *ſub fide, qua crediderit, poſſe eſſe iuſtum.* Quod enim iſte, cum nondum perfectus eſſet, mortuus erat, ideo indignus videri poterat, qui in *iuſtorum*, ſiue verorum fidelium albo cenſeretur. Patres non ita eſſe pronuntiant; & à fide, quam profeſſus erat, dum tingeretur, *iuſtum* eſſe deſcernunt; tametſi omnem baptiſmalium rituum plenitudinem, ac perfectionem nondum eſſet aſſecutus. Vnde liquet *perfici* apud hos Patres nihil aliud eſſe, quam id conſequi, vt ſis *iuſtus. Iuſti* autem, eodemque ſenſu *ſancti*, item *fideles* apud veteres dicebantur ij Chriſtiani, qui omni Eccleſiæ communione fruebantur, adeoque, quod ſum-

mum in ea erat, Euchariſtiæ participes ad menſam Domini accumbebant; qui partim *catechumenis*, partim *pœnitentibus* opponebantur; ex quibus jus iſtius communionis illi quidem nondum erant adepti, hi vero ſuo crimine amiſerant. Iam qui in *iuſtorum*, ſiue *fidelium* cenſu ac ſocietate mortui erant, eorum in Eccleſia commemoratio fiebat, & factæ eorum nomine oblationes recipiebantur, qui in catechumenatu, vel pœnitentia mortui erant, eorum alia erat ratio. Itaque quod hic aiunt Patres Eliberitani, qui tinctus ante acceptam manus impoſitionem mortuus eſt, eum *ſub fide qua crediderit, poſſe eſſe iuſtum*, id inquam, ſignificat iſti, ſi modo vere & conſtanter ad finem crediderit, fraudi eſſe non debere, quod manus impoſitione caruerit, quo minus inter *iuſtos, ac fideles* & *ſanctos* cenſeri poſſit, non autem pro *catechumeno*, vel *pœnitente* deputari. Atque hoc ipſo definiunt eius commemorationem vna cum aliorum fidelium morte conſummatorum nominibus in Eccleſia fieri, & ſi quæ fiant eius nomine oblationes eas ſuſcipi, non rejici debere. Hæc vera & ſimplex Patrum mens, quam optimè vidit, ac breuiter explicauit Albaſpineus. Ex quibus illud, quod diximus, nunc clarum & apertum eſt, *perfici* hominem tinctum eo dici, quod cum conſequebatur, in *fidelium* ordinem plane allegebatur, & *iuſtus* (quod hic dicitur) erat, vel cenſebatur; nihilque jam vel cum catechumenis, vel cum pœnitentibus commune habebat, ſed cum *ſanctis*, id eſt fidelibus, verſari, viuere ac conueſci jure ſuo poterat, iiſque omnibus frui, quæ ciues Eccleſiæ præcipua in ſua ſocietate habent. Apparet enim Patres eum, qui in fide, qua tinctus erat, ſed ſine manus impoſitione deceſſerat, eodem numero ac nomine cenſere, quo fuiſſet, ſi viuens manus impoſitionem accepiſſet. Ergo quod per eam Patres dixerant hominem lotum *perfici*, idem plane eſt ac ſi dixiſſent, per eam effici, vt ſit *iuſtus*, hoc eſt vt non in catechumenorum, vel pœnitentium, ſed in Chriſtianorum fidelium numero, atque ordine cenſeatur. Iam & illud, quod diximus, hinc vides illam manus impoſitionis *perfectionem*, non ad interiorem animi apud Deum ſtatum, ſed ad exteriorem Eccleſiæ diſciplinam, atque ordinem ſpectaſſe. Nam ſi, qui manus impoſitione caret, eum Patres vera ac interiori fidei ac pietatis perfectione neceſſario quoque carere putaſſent; nunquam profecto illum, qui ſine manus impoſitione, de ſæculo receſſerat, in juſtorum cenſu habendum, cenſendumque decreuiſſent; quo ordine neminem habebant, niſi quem in fide ac pietate conſummatum, ſalutiſque adeo compotem credebant. Sed & ex his canonibus obſeruandum eſt laïcis quidem non licuiſſe illo tempore (id eſt quarti ſæculi initio) *benedicere*, id eſt manum imponere iis, quos tingebant, quod an Tertulliani æuo jam illis quoque vetitum fuerit, dubitandi, vt diximus, ratio eſt. Preſbyteris vero, imo & Diaconi-
ius;

jus etiam tum fuiſſe, vt quos tingerent, iis manus imponerent, ex his, vt mihi quidem videtur, clarum eſt. Nam ſi aliter fuit: cur in priori canone non alium, quam à laïcis collatum baptiſmum ab Epiſcopo perficiendum decernunt Patres? Cur non & à preſbyteris, vel certe à Diaconis miniſtratum eadem manus impoſitione perfici ab Epiſcopo jubent? Sed alter canon multo etiam eſt in eam rem clarior. Preſbyteros quidem manum tinctis impoſuiſſe, ex eo manifeſtum eſt. *Siquis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel presbytero aliquos baptizauerit, ij* (inquit) *per benedictionem perficiantur.* Ergo vbi vel Epiſcopus, vel preſbyter erat, nulla ibi fuit huiuſmodi neceſſitas. Quidni? Quia ſcilicet qui vel ab Epiſcopo, vel à Preſbytero baptizabantur, iiſdem manus imponebatur; non fuiſſet autem impoſita, ſi preſbyter imponendæ jus nullum habuit. Itaque qui tam preſbyteri, quàm Epiſcopi præſentiam eo ſatis eſſe dicunt, vt baptiſmus perfectus ſit, ij palam oſtendunt tam preſbyterum, quam Epiſcopum manum tinctis impoſuiſſe; abſque quo ſcilicet baptiſmum imperfectum eſſe ſentiunt. Si preſbyter eo jure tum excludebatur, nihil valebat eius in aliquo loco præſentia, vt baptiſmum ibi miniſtratum plenum fuiſſe, neque perfici opus habuiſſe cenſerent; Quod ſi tunc obtinuiſſet, preſbyter non vnà cum Epiſcopo, ſed cum Diacono erat hoc modo nominandus; *Siquis Diaconus, vel Presbyter regens plebem ſine Epiſcopo aliquos baptizauerit, eos per benedictionem perficere debebit.* At plane aliter Patres; *Siquis* (inquiunt) *Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero aliquos baptizauerit*, &c. Ergo hactenus quidem & preſbyterum, & Epiſcopum eodem numero habuerunt, vt ſcilicet tam illi, quam huic, tametſi huic prius, quam illi, manum baptizatis imponere liceret. Cur ergo (inquis) in canone præcedente à laïco baptizatum ad *Epiſcopum* diſertè, non autem *ad Presbyterum perduci perficiendum* jubent? Non inquam, quod Preſbytero perficiendi jus non eſſet; ſed quod Epiſcopus Preſbyterorum primus, caput, & præſes, totiuſque Eccleſiæ apex eſſet; cuius non modo, vt nunc, auctoritate, ſed etiam manu plæraque Eccleſiæ miniſteria primis illis ſæculis exercebantur. Ad hunc potiſſimum, ſi res ſinebat, duci tam baptizandum, quàm perficiendum decebat, quo grauior, ſanctiorque eſſet administrationis auctoritas, ac religio. Sed eo tamen minimè fit, vt non & preſbytero, ſi res eſſet ad eum delata, jus eiuſdem miniſterij fuerit. Nam & baptiſmum ipſum (cuius conferendi jus nemo, quod ſciam, preſbyteris negat) pariter quoque Epiſcopo deferri ſolitum, & ex aliis compluribus, & vel ex ſola Pſeudo-Dionyſij hierarchia patet: Ad hunc ordinem reſpexerunt Eliberitani Patres, dum vnius Epiſcopi meminerunt; non vt preſbyteros hac poteſtate excluderent. Quo & illud pertinet, quod ſuprà Cornelius Nouatiani baptiſmum

 repre-

Euſeb. Hiſt.l. 6.c.43.

reprehendens notauit non fuiſſe eum *ab Epiſcopo conſignatum* ; non quod Preſbyteris neophytos conſignandi jus tum non eſſet ; ſed quod qui ex morbi neceſſitate præter conſuetum, ſolennemque Eccleſiæ ordinem baptizati erant, eos, ſi conualeſcerent, ad Epiſcopum duci mos eſſet, vt eius auctoritate quicquid geſtum erat, id ratum & validum eſſe declararetur, & quæ deſuiſſent, ea vel ipſius, vel certe preſbyteri, ſed alio jubente, manu ſupplerentur ac perficerentur. Nam probabile eſt homines ad Epiſcopum perductos hos ab ipſo ſemper, ſed eius juſſu nonnunquam etiam à preſbytero manus impoſitione perfectos fuiſſe. Preſbyteros vero, qui plebes ſine Epiſcopis regebant, quoſcumque baptizabant, iiſdem manus Eliberitanæ Synodi temporibus impoſuiſſe ex hoc canone clarum eſt, & indubitatum. Quo fit, vt mirer non modo Aurelium, quem à veris cauſæ ſtudium ſæpius tranſuerſum abripit, ſed & ipſum Sirmondum, multo rectioris judicij virum, docere ſolos Epiſcopos primis ad Conſtantini principatum temporibus tum chriſmationem, tum manus impoſitionem obire ſolitos; illo primum tempore *conſignationem permitti cœptam etiam presbyteris* ; manus impoſitionem penes ſolos Epiſcopos, vt antea, manſiſſe. Atqui primo præpoſterum videtur, vt preſbyteris aliquid poſteriores conceſſerint, quod priores negaſſent, cum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ordo ac ſeries clamet presbyterorum in exercendo ſacro miniſterio primo magnam & Epiſcopalis pene parem poteſtatem, ſecutis temporibus paulatim acciſam, & imminutam, donec poſtremo Epiſcopi in regnum quoddam euecti, presbyteri in vltimum ſeruitium abiecti. Quanto ergo credibilius eſt, & ipſi rerum naturæ conuenientius, vt chriſmandi & manus imponendi miniſterium presbyteris primo conceſſum, mox creſcente Epiſcoporum typho ereptum fuerit? quam vt huius honoris parte tum demùm gaudere cœperint, poſtquam eorum dignitas euiluiſſet? caruerint, quo tempore ea magna, & florens, Epiſcopalique apici proxima erat? Huc accedit, quod rem per ſe improbabilem nullius ſcriptoris, qui ante Syluestrum vixerit, teſtimonium ſubleuat. Tertullianus, certiſſimus ſuorum temporum teſtis, vnctionis & manus impoſitionis ritus ſimul ac ſemel exſequitur, nullo obſeruato, quod ad miniſtrum pertinet, diſcrimine; ne tum quidem cum deinceps de baptiſmi miniſtro diligenter docet. Cornelij verba ad eum pertinere clarum eſt, qui baptiſmum, ſed ex neceſſitate, non plenum, neque ſolennem acceperat; quod genus ab Epiſcopo perfici ſolitos etiamſi non doceret Eliberitanus prior canon, probabile eſt. Cypriani vero locus de præpoſitis Eccleſiæ, neque de ſolis Epiſcopis neceſſario capiendus eſt, &, ſi ita capiatur, Epiſcopi in ſolenni baptiſmi adminiſtratione honorem adſtruit; presbyteros manus imponendæ jure non excludit. Ego enim

Sirm. Antirrhet. 1. c. 5. p. 26 27.

illud

illud libens concedo, Epiſcopo, quoties baptiſmi adminiſtrationi intererat, delatum fuiſſe, vt baptizatis, cæteris ritibus ex presbyteri miniſterio perfunctis manus poſtremo ipſe imponeret, totum myſterium hoc veluti fine concludens; ex quo & hoc, quod ipſum quoque concedo, ſequitur, cum per illa tempora plærique omnes Chriſtiani, non vt nunc, paſſim, & quouis tempore, ſed duobus, tribuſve anni diebus, vt Paſchate & Pentecoſte, ſolenni in Eccleſia ritu multi vna baptizarentur, iiſque (vt ſic dicam) ſolennitatibus ſemper adeſſet ac præeſſet Epiſcopus, eo raros fuiſſe, maxime in ciuitatibus, quibus ab Epiſcopo non eſſet impoſita in baptiſmali myſterio manus. Quin & Hugo Menardus fuiſſe tempus putat, cum ſæpe ſæpius contingeret, vt *ipſe baptizaret Epiſcopus, rarius baptizarent presbyteri & diaconi.* Vt ergo eo tempore quod fere ſemper baptizaret Epiſcopus, id presbyterum jure baptizandi minime excludebat, ſed per accidens fiebat, quod cum presbytero maior eſſet Epiſcopus, indecorum fuiſſet ipſo præſente presbyterum communes alioqui ſacri miniſterij actus inuadere; ita & de manus impoſitione res ſe habuit. Per accidens fiebat, vt eam raro exercerent Presbyteri; non quod jus non eſſet; ſed quod Epiſcopis præſentibus eam deferrent. Cæterum abſente Epiſcopo presbyteros, vt baptizaſſe, ſic etiam manum impoſuiſſe iis, quos baptizauerant, ex Eliberitano hoc canone conſtat; idque in pagis & caſtellis ita factitatum fuiſſe apparet, & omnibus iis locis, in quibus Eccleſiæ à presbyteris ſine Epiſcopo regebantur. Cypriani æuo alium fuiſſe morem nihil eſt, quod ſuadeat. Ille pœnitentibus reconciliandis manum ab Epiſcopo impoſitam docet, fateor; ſed & à Clero iiſdem impoſitam, non diſſimulat; *Per manus impoſitionem Epiſcopi, & CLERI* (inquit) *jus communicationis accipiunt*; & mox; *Manu* (inquit) *eis ab Epiſcopo, & CLERO impoſita.* Epiſcopus pro ſui loci dignitate dux, & princeps facti erat; ſed ita vt & presbyteri pro ſuo quoque loco eius participes eſſent. At vt in diœceſi eorum, quæ gerebantur, κῦρος, id eſt ex Dionyſij interpretatione, *firmitatem* penes Metropolitanum eſſe Nicæna poſtea Synodus juſſit; ita & antea eorum, qui in paræcia fiebant, Eccleſiaſticorum actuum κῦρος quoque penes Epiſcopum erat; (poſtquam quidem inſtituti ſunt Epiſcopi; ab initio enim *communi presbyterorum conſilio Eccleſia regebantur.*) Ac vt delatus Metropolitano in diœceſanis negotiis honos eo valebat, vt is jus ordinandi Epiſcopi præ cæteris Epiſcopis (vt nunc vocant) *ſuffraganeis* haberet; non eo valebat, vt alij Epiſcopi nullum huiuſmodi ordinationum jus haberent; eadem ipſius Epiſcopi ad ſuos presbyteros in ſingulis parœciis ratio erat, quod pertinet ad baptiſmum, & pœnitentium reconciliationem, & conuerſorum ab hæreſi receptionem, & alia plæraque Eccleſiaſtica miniſteria. Epiſcopus tum baptizandi &

Not. ad ſacram Gregor. p. 154.

ep. 10. (Rigalt. 9.) & alibi ſæpe.

Con. 4.

vngendi, & manus impoſitione conſecrandi neophyti; tum pœnitentis, & ex hæreſi venientis eodem quoque ritu ſuſcipiendi ſic primus habebat; ſolus non habebat. Presbyteri idem quoque jus habebant; ſed poſt Epiſcopum; cuius honos ſaluus vbique eſſe debuit. Cum ergo ex Cypriano conſtet pœnitentibus non ſolum Epiſcopum, ſed etiam clerum manus impoſuiſſe; dubitandum non videtur, quin & neophytis pariter presbyteri quoque præter Epiſcopum manus impoſuerint. Eandem enim propemodum fuiſſe apud veteres & initiandorum neophytorum, & reconciliandorum pœnitentium, & admittendorum ex hæreſi conuerſorum rationem ex priſcis canonibus ſatis ſuperque manifeſtum eſt. Itaque Firmilianus, non ſolis Epiſcopis, ſed in genere *præſidentibus in Eccleſia maioribus natu* [illegible] tribuit *baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poteſtatem*: quod jam ſuprà obſeruauimus. Ex his liquet nihil fuiſſe, cur eruditiſſimus Sirmondus ſolos Epiſcopos manum neophytis ante Conſtantini tempora impoſuiſſe putaret. Quod vero & chriſmaſſe eos ſolos ad id locorum dicit, id minus etiam, quàm illud probabile eſt. Nam ſatis apparet impoſitionem manuum Epiſcopis priùs & acrius vindicatam, quam chriſmationem. Neque ſane vllum iſtorum temporum ſcriptorem habet Sirmondus, qui chriſmandi jus presbyteris neget; Nos vero diſertum habemus conſtitutionum Apoſtolicarum in partem contrariam teſtimonium, quarum ſcriptor videtur quarto ſæculo vixiſſe. Fateor ſequentibus temporibus Epiſcopos manus primo impoſitionem, poſtea, ſed longo interuallo, chriſmandi quoque jus presbyteris eripuiſſe, ſibi ſolis ſeruaſſe, vt ſuum illud κῦρος, id eſt poteſtas quædam in Eccleſia eximia in omnibus religionis actibus emineret, dum nihil plane penituſque perfectum haberetur, niſi quod ipſi confirmauerint. Sed hæc, vt ex iis, quæ dicemus, conſtabit, poſt fuere. Concilij quidem Eliberitani æuo nondum fuiſſe, inde liquet, quod, vt docuimus, quos presbyteri baptizaſſent eos non decernunt à quoquam perficiendos eſſe; cum tamen perfectum, niſi cui manus eſſet impoſita, neminem eſſe exiſtimarent. Sed non ſolis presbyteris, verum quod multò mirabilius eſt, etiam Diaconis manus imponendæ jus tribuere videntur boni illi Eliberitanæ Synodi Patres. Ecce diſerta ſunt primæ editionis verba; *Siquis* (inquiunt) *Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero, aliquos baptizauerit, eos per benedictionem perficere debebit.* Iubent Diaconum, quos baptizat *per benedictionem perficere. Perfici autem per manus impoſitionem* in ſuperiori canone docuerunt. Ergo iſta, qua nunc perfici baptizatum volunt, *benedictio*, alia eſſe quàm manus impoſitio non poteſt. Ergo & manum baptizatis impoſuit Diaconus; quos abſque hoc ſcilicet *perficere*, quod hic jubetur à Patribus, non poteſt. Neque vero reſponderi poteſt benedictionem

ep.75. apud Cypr.

L.7.c.23.

ctionem iſtos intelligere non Diaconi, ſed Epiſcopi. Nam ſi hoc volebant, cur non vt in ſuperiori canone, vbi ille occurrit ſenſus, ita in hoc quoque locuti ſunt, *ad Epiſcopum eos perducat, vt per manus impoſitionem perfici poſſint*? Vel cur non in iſto, vt in hoc, ſi eadem mens erat, dixerunt, *Laicus, ſi quem baptizauerit, eum per benedictionem perficere debebit*? Nimirum palam eſt, qui ſic loquitur, intelligere, vt ipſe quod iubetur perficiat; idipſum adeo, quo res perficitur, adminiſtret, & efficiat; non autem, vt id ab alio aliquo perficiendum curet. Itaque ſecutis temporibus, cum Diaconi plane penituſque ab hoc munere eſſent excluſi, quibus durum videbatur rem à ſui æui moribus alienam ab Eliberitanis Patribus ita diſerte iuberi, ij videntur nomen *Epiſcopi* huic canoni infulſiſſe; ex quorum codicibus noua illa Garciæ lectio, atque editio prodiit, *Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit*; vt quod Patres ipſi Diacono perficiendum mandauerant, id iſti iam ex poſteriorum ſcitis, ac decretis ad Epiſcopum ablegent. Sed hæc, quæ vnus veri amor, non ſuſceptæ proprie diſputationis ratio à nobis expreſſit, hactenus quidem ſatis.

CAPVT X.

Ad ſua tempora reijciuntur apocrypha Pſeudo-Euſebij, & Pſeudo-Melchiadis voces. II. Ex quarto ſæculo teſtimonium, quod eſt Synodi Arelatenſis I. Explicatur, & à Bellarmini aſtucijs vindicatur. De chriſmatione & manus impoſitione, quibus in Eccleſiam recipiebantur ex hæreſi venientes. Eam plane eandem fuiſſe cum baptizatorum chriſmatione & manus impoſitione, fuſe demonſtratur; & Bellarmini, ac Petri Aurelij commenta & obiectiones diſſoluuntur.

HOc loco ſequuntur apud Latinos diſputatores Euſebij, & Melchiadis, Romanorum Epiſcoporum, teſtimonia; quorum ille a. D. 309. hic vero 311. ſediſſe perhibetur. Sed epiſtolæ, ex quibus laudantur, falſæ ſunt & ſuppoſititiæ, eiuſdem auctoris atque ordinis, cuius & aliæ multæ ab Iſidoro Mercatore collectæ, ante nonum ſæculum inauditæ & incognitæ hominibus Chriſtianis, eoque primum temporis vetuſtiſſimis Romanæ ſedis antiſtitibus per immanem impudentiam affictæ. Præter omnium communes falſitatis characteres, hunc illa Euſebij ad Campaniæ, & Tuſciæ Epiſcopos directa epiſtola proprium habet, quod craſſo & intolerabili mendacio narrat *crucem Domini*: Euſ. ep. 3. Melch. ep. vn.

mini nuper fuiſſe repertam, ſe (id eſt Euſebio) *Romana Eccleſia guberna-cula tenente quinto Non. Maij.* & inuentionis huius feſtum ſolenniter celebrari mandat: cum ex omni omnium veterum ac recentiorum conſenſu conſtet crucem Domini (ſi ea quidem vere aliquando inuenta eſt) ab Helena Conſtantini matre inuentam eſſe, cum illa Chriſtianis ſacris initiata Hieroſolymam veniſſet, poſt Synodi Nicænæ tempora, adeoque annis minimum quatuordecim poſt Euſebij Romani Epiſcopi mortem. Sed & imposturam prodit Conſul, quo data fuiſſe epiſtola fingitur, *Conſtantino,* inquit, *clariſſimo Conſule.* Huiuſmodi enim conſulatus nullus in Faſtis occurrit. Ac vt cætera deeſſent, certe fœdiſſima & orationis barbaries, & rerum ac ſenſuum colluuies, & emendicati ex auctoribus Euſebio inferioribus centones non patiuntur nos neſcire alterius, quam Euſebij eſſe ineptiſſimam illam, ac ſtultiſſimam decretalem. Gemina eius ſoror eſt & ea, quæ Melchiadi ab eodem, vt videtur, nebulone ſuppoſita, & ex eodem furfure efficta eſt. Nam data dicitur *Kal. Mart. Voluſiano & Ruffino coſſ.* qui annus Chriſti 314. fuit. Iam vero Melchiadem obiiſſe conſtat Conſtantino III. & Licinio coſſ. hoc eſt a. D. 313. die Decembris X. Quid iſto morione ſtultius dici poteſt, qui Melchiadem tertio, poſtquam mortuus erat, menſe ad Hiſpaniæ Epiſcopos ſcribentem, & Eucherij, ſiue Hilarij poſt centum circiter annos naſcituri ſcrinia compilantem inducit? Qui vero quiſquilias adeo putidas pro genuinis vetuſtiſſimorum Patrum ſcriptis vel habent, vel venditant, fœnum eſſe, & fumo paſci digni ſunt. Neque nos tamen hæc ipſa, quæ ex duabus iſtis epiſtolis afferuntur, qualiacumque de cætero ſint, inſpicere & expendere pigebit; ſed ſuo loco & tempore, hoc eſt ſeculo nono, quo vixiſſe videtur male feriatus decretalium parens; de cuius fraudibus ac imposturis, ſiquis plura deſideret, eruditiſſimum ac clariſſ. Blondellum noſtrum adeat proprio hæc opere exſecutum. Ergo cœptum opus pertexo.

Vid. Bin ad Euſeb. ep. 3. T. 1. Concil.

Iſidor & Turrian. vapulantes.

Eliberitanam ergo, de qua diximus Synodum, excipit Arelatenſis, 1ª. a. D. 314. habita. Ea hæreticos, ſi ad Eccleſiam venerint, jubet interrogari de ſymbolo, *&, ſi* (inquit) *peruiderint in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, vt accipiant Spiritum S.* Bellarminus hunc quoque canonem affert pro ſuæ confirmationis ſacramento; pro ſolenni ſcilicet verecundia. Annon enim nobis apertiſſime illudit, qui ex eo canone nos colligere jubet Latinam confirmationem eſſe ſacramentum, in quo de chriſmatione quidem, qua ſola conſtat Latina confirmatio, verbum nullum eſt? in quo de ſola manus impoſitione agitur, quæ in confirmatione nulla eſt? in quo denique neque docetur, neque innuitur vel chriſmationem, de qua nihil dicit, vel manus, quam commemorat, impoſitionem

Can. 8.

l. de Confirm. c. 4. §. Secundum.

tionem vllum eſſe, vel proprie, vel etiam impropriè dictum ſacramentum? Ego vero hinc contra, non, vt ille, futile & imbelle, ſed validum in ipſum telum retorqueo. Quod enim Arelatenſes Patres ad hæreticos reconciliandos manus impoſitione vſi ſunt, ex eo argumentor non fuiſſe manus impoſitionem pro legitimo, verique nominis ſacramento ab iis habitam. Si enim ſacramentum eſſet, ea non magis, quam baptiſmus, iterari poſſet, vt fatentur aduerſarij. Vt ergo iſtos ex hæreſi conuerſos interrogari de ſymbolo jubent Patres, vt ſi in Trinitatem baptizati non fuiſſe deprehendantur, baptizentur; ſi in eam baptizati ſint, minime rebaptizentur; ita & ſimili cautione ad manus impoſitionem vtendum decreuiſſent, ſi eam, itidem vt baptiſmum, pro vero, & eiuſdem cum eo generis ſacramento habuiſſent. Neque enim minus impium, vel minus ex aduerſariorum ſententia ſacrilegum eſt, confirmationem, quam baptiſmum iterare. Itaque ſanctiſſimi Patres, ſi eadem de manus impoſitione ſua ſenſiſſent, haud dubie juſſiſſent de ea interrogari homines ex hæreſi venientes, vt qui eam quidem jam accepiſſent, ij alia aliqua cærimonia in Eccleſiam reciperentur; qui vero caruiſſent, iis nulla inuidia manus imponeretur. Illi vero plane aliter agunt, vt liquet. Nam de baptiſmo quidem ſedulo cauent, ne is, ſi verus ab hæreticis collatus ſit, iteretur. De manus impoſitione, nihil ſimile. Qui enim vere baptizati fuiſſe deprehenduntur, iis incunctanter omnibus manum imponi jubent. Vnde apparet nihil eos eſſe veritos, ne manus impoſitio iteraretur. Id autem veriti eſſent, non ſecus ac de baptiſmo metuerunt, & cauerunt, ſi eam æque ac baptiſmum pro vero ſacramento habuiſſent? Ergo illam iſti quidem pro ſacramento minime habuerunt; ſed, quod nos contendimus, pro mera, vſuique plane liberi cærimonia. Objectionem vidit, & anteuertere conatus eſt Bellarminus; ſed inſigni quadam, vt ſolet quoties vrgetur, temeritate atque inuerecundia. Quid ergo ille? Frontem commaſculat, & audacter, velut oculatus rei teſtis, pronuntiat *hæreticos iſtos*, de quibus Arelatenſis Synodus, *baptiſmum dare ſolitos, ſed non confirmationem.* Mitto, quod more ſuo *confirmationem* dicit, quam Patres Arelatenſes *manus impoſitionem* dicunt; quale & illud eſt, quod eoſdem jubere ait conuerſis manus *ab Epiſcopo* imponi; qui tamen Epiſcopum in toto Canone nullum nominant. *Si ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum* (inquiunt) *ſymbolum.* Ita iſte omnia, etiam minima, cauſæ ſtudio incenſus in rem ſuam inflectit, contorquet, inuertit. Sed iſta quidem, inquam, velut leuiora prætermitto. Illud nunc quæro, quos nobis in illo Arelatenſi canone hæreticos narret? Sic enim de iis loquitur, quaſi Patres de certo tantum aliquo hæreticorum genere, vel ordine decernant. Fateor in vulgatis à Binio Conciliorum codicibus, & apud

Gratianum hunc canonem ſic legi; *De Arianis, qui propria lege ſua vtuntur, vt rebaptizentur; placuit, ſi ad Eccleſiam venerint aliqui de hac hæreſi* &c. vnde fortaſſe, noſter errandi cauſam nactus eſt, vt de ſolis Arianis iſta dici putauerit. Mirum tamen, ſi vir doctus mendum non animaduertit, cum notum ſit Arianos Arelatenſis Synodi tempore nondum fuiſſe exortos. Itaque vera eſt ac certa eruditiſſ. Sirmondi ex antiquis codicibus lectio; *De Afris, quod propria lege ſua vtuntur, vt rebaptizent; placuit, vt ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum ſymbolum*; & cætera vt ſupra. Non ergo in vnam aliquam hæreſim reſpexit canon, ſed in quamuis; adeoque in omnes; & canonis conſtituendi occaſio vulgaris Afrorum eo tempore error fuit, è quauis hæreſi venientes promiſcue rebaptizantium; quod à Cypriano ſuo hauſtum tunc temporis retinebant, non Donatiſtæ ſoli, ſed vt videtur, etiam Catholici. Anno certe etiam poſt Arelatenſem Synodum circiter quinquageſimo, Optatus Afer, tametſi Catholicus, Parmeniano Donatiſtæ concedit nihil valere miniſtratum ab hæreticis baptiſmum. Itaque ex eo Afrorum errore occaſionem, quod ipſi præfantur, decernendi huius canonis arripuerunt Patres Arelatenſes; ſapientiſſime definientes baptizandos, qui ab ea hæreſi veniebant, in qua baptiſmus non in Trinitatem, ſed alius eſſet; minime baptizandos, ſi qui ab ea hæreſi conuerterentur in qua rite baptizati eſſent in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: atque ita duos extremos, ac contrarios errores, Cypriani quidem omnes, Stephani vero Romani Epiſcopi nullos ab hæreſi ad Eccleſiam venientes baptizantium commodiſſime corrigunt. Cæterum quorum baptiſmum pro vero habent, eos omnes manu impoſita à præpoſitis Eccleſiæ recipi jubent; qualiter eos quoque Stephanus ante annos 68. recipiendos jam conceſſerat; vt ſupra ex Cypriano, & Nemeſiano didicimus. Cum ergo omnes nullo diſcrimine hæreticos (quorum quidem rectus erat, ac legitimus baptiſmus) manus impoſitionem ſuſcipere, cum ad Eccleſiam veniebant, jubeat Synodus; Bellarmino, vt quod ait conſtituat, probandum eſt non vnum, aut alterum horum genus, ſed omnes manus impoſitione caruiſſe. Atqui (ſi vnos Nouatianos exceperis) de nullis hæreticis hoc ab vllo veterum proditum eſt. Nouatianis quidem chriſma defuiſſe diſerte notauit Theodoretus, vt mox audiemus. Cur non & ipſe in libris de hæreticorum fabulis, & alij ejuſdem generis ſcriptores, vt Epiphanius, & Philaſtrius, & Auguſtinus, de aliis tale aliquid narrant? Certe, (præſertim ſi aduerſariorum ſententiam audias) graue dignumque memorari crimen fuit chriſmationem, vel, quod idem eſſe putant, manus impoſitionem abrogaſſe. Atqui de nullis aliis, præterquam de Nouatianis, id à veteribus eſt proditum. Ergo nullos alios, præter iſtos, feciſſe verum eſt.

T. 1. Concil. Gall. p 6.

l. 1. & l. 4. T. 4. Bibl Patr. p 330 a b 359. a. 363 c.

Hac

Huc accedit, quod Marcionem ipſum, quo ex hæreticis nemo fere longius ab Eccleſia diſceſſit, conſtat (quod ſupra ex Tertulliano oſtendimus) vnctionem tamen retinuiſſe. Ergo multo probabilius eſt & cæteros, quorum religio minus à Catholica diſcrepabat, hunc quoque ritum integrum apud ſe habuiſſe. Et jubet tamen Synodus Arelatenſis omnibus iſtis manum imponi ad Eccleſiam venientibus. Ergo Synodus nullum piaculum eſſe putauit manus impoſitionem iterari; eamque adeo ſacramentum vere, ac proprie dictum minime eſſe putauit. Quod vt liquidius cernatur, huc afferendæ ſunt ſequentium temporum de recipiendis in Eccleſiam hæreticis leges; ex quibus intelligetur diutiſſime ſeruatum hunc apud Catholicos à Stephano jam olim vſurpatum, & ab Arelatenſi nunc Synodo decretum morem. Auctor Reſponſionum ad Orthodoxos, qui ſub Iuſtini nomine, ſed falſo, circumfertur, vir, vt videtur, quinti ſæculi; τῶν αἱρετικῶν (inquit) ἐπὶ τὴν ὀρθοδοξίαν ἐρχομένων τὸ σφάλμα διορθοῦται, τῆς μὲν κακοδοξίας τῇ μεταθέσει τῆς φρονήσεως, τοῦ δὲ βαπτίσματος, τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου. τῆς δὲ χειροτονίας, τῇ χειροθεσίᾳ. καὶ οὐδὲν τῶν πάλαι μένει ἄλυτον. *Hæretici ad orthodoxiam tranſeuntis lapſus corrigitur; praua quidem opinionis, mutatione ſententiæ; baptiſmi vero, vnguenti ſancti vnctione; ordinationis autem, ſacra manus impoſitione, & nihil eorum quæ antea fuerunt, remanet inabolitum.* Synodus Laodicena circiter a. D. 364. Nouatianos, Photinianos, & Quartodecimanos, qui conuertuntur ad Eccleſiam Catholicam, jubet ἐκμανθάνοντας τὰ τῆς πίστεως σύμβολα, χρισθέντας τε τῷ ἁγίῳ χρίσματι οὕτω κοινωνεῖν τῷ μυστηρίῳ τῷ ἁγίῳ, *ſymbolum fidei doceri, atque vnctos ſancto chriſmate ſic myſteriis communicare ſacroſanctis.* Baſilius, qui ad a. D. 378. peruenit; παντὶ δὲ λόγῳ τετυπώσθω τοὺς ἐπὶ τῷ βαπτίσματι ἐκείνων προσερχομένους χρίεσθαι ὑπὸ τῶν πιστῶν δηλονότι. *Omni ratione ſtatuatur, vt qui cum baptiſmate illorum* (hæreticorum) *ad Eccleſiam accedunt, inungantur à fidelibus ſcilicet.* Concilium œcumenicum II. ſiue C.P.I. a. D. 381. Arianos, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Nouatianos, & Teſſaradecatitas, & Apollinariſtas recipi decernit ἀναθεματίζοντας πᾶσαν αἵρεσιν μὴ φρονοῦσαν, ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία καὶ σφραγιζομένους, ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ τό τε μέτωπον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα, καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, *omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit, vt ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia; & ſignatos, ſiue vnctos primum ſancto chriſmate & frontem, & oculos, & nares; & os, & aures; & eos ſignantes dicimus; Signaculum doni Spiritus ſancti.* Eunomianos vero & Montaniſtas, & Sabellianos, & alios non rite, ſed aliter quam Eccleſia ſolet, baptizantes, inſtar Gentilium recipi, ac de integro baptizari præcipit. Siricius, Romæ Epiſcopus, epiſtola I. quæ eſt ad Himerium Tarraconenſem data Arcadio,

ad quæſt. 14.

can. 7.

ep. can ad Amphil. c. 1. & 47.

can. 7.

cap. 1. T. 1. Concil p. 619. dio, & Bautone Coſſ. id eſt a.D. 385. *Arianos* (inquit) *nos cum Nouatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per inuocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conuentui ſociamus. Quod etiam totus Oriens, Occidenſque cuſtodit.* De Oriente, vt apparet, ac vt mox docebit Gregorius vnus ex iſtius ſucceſſoribus, falſus eſt hic, licet ex recenti ſuorum dogmate falli neſcius Præſul. Oriens enim non manus impoſitione, ſed chriſmatione hæreticos ſuſcipiebat. Auguſtinus quoque qui jam tum viuebat, ſed nondum florebat, ſolenne fuiſſe teſtatur *manum hæreticis correctis imponere.* Sequenti poſt Siricianum ſæculo a. D. 441. Synodus Arauſicana I. *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placuit.* *Benedictionem* Arauſicani Patres, vt nuper Eliberitani, manus impoſitionem dicunt. Ita & Arelatenſis altera Synodus a.D. 452. *Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos, baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate & manus impoſitione, in Eccleſia recipi ſufficit.* Gennadius, Maſſilienſis Preſbyter circa a.D. 494. *De conuerſis ab hæreſi, quæ in S. Trinitatis nomine baptizat, ſi conſentiunt credere, vel acquieſcunt confiteri, purgati jam fidei integritate confirmentur manus impoſitione. Si vero paruuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt, juxta morem baptizandi, & ſic manus impoſitione & chriſmate communiti Euchariſtiæ myſteriis admittantur.* Qui vero ab hæreticis veniunt non baptizantibus in nomine Trinitatis, eos de integro baptizari vult; plane, vt Arelatenſis I. Synodus. Primo ſæculo, a.D. 517. Concilium Epaonenſe; *Presbyteros propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus, deſperatis & decumbentibus hæreticis, ſi conuerſionem ſubitam petant, chriſmate petimus ſubuenire: quod omnes conuerſuri, ſi ſani ſunt, ab Epiſcopo nouerint expetendum.* Gregorius Romæ Epiſcopus I. poſt a.D. 593. *Arianos per impoſitionem manus Occidens; per vnctionem vero ſancti chriſmatis ad ingreſſum Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformat.* Monophyſitas vero, & alios *ex ſola vera confeſſione* recepit, *quia ſanctum baptiſma, quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis accipit, cum vel illi per impoſitionem manus Spiritum S. acceperint, vel iſti per profeſſionem veræ fidei ſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ viſceribus fuerint vniti.* Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus ipſe a. D. 600. ordinatus; *Hæretici, ſi tamen in Patris, & Filij, & Spiritus Sancti atteſtatione docentur baptiſma ſuſcepiſſe, non iterum baptizandi, ſed ſolo chriſmate & manus impoſitione purgandi ſunt.* Trullani Patres, quorum canones Græci quintæ & ſextæ Synodis œcumenicis imputant, hæreticos conuerſos Eccleſiæ ſociandos plane eodem modo, iiſdemque etiam cum Synodo CP.[a] I. verbis, a.D. 692.

Margin notes: l. 3. de Bapt. contr Donat. c. 16. extr. — c. 1. — c. 17. — l. de dogm. Eccleſ. c. 52. in T. 3. Aug. p. 383. — c. 16. — Epiſt. l. 9. ep. 61. — De offic. l. 2. c. 24. — c. 95. T. 5 Concil. p. 348.

docer-

decreuerunt: Canonem, quod fere idem ſit cum CP.° nuper deſcripto, recitare nihil neceſſe eſt. Denique nono ſæculo ineunte Pſeudo-Euſebius apud Mercatorem; *Similiter* (inquit) *& hæreticos omnes, quicumque Dei gratia conuertuntur, & in S. Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt; Romana Eccleſiæ regulam tenentes per manus impoſitionem reconciliare præcipimus*. Ac ne merum impoſtoris figmentum fuiſſe putes, eadem docet Valafridus Strabo, noni & ipſe ſæculi, ſed optimus & certiſſimus auctor; *Quicumque* (inquit) *vel ab hæreticis in Trinitate baptizantibus, vel ab alio quolibet homine ſub appellatione legitima eiuſdem S. Trinitatis fuerit baptizatus, rebaptizari non debet, ne innocatio ſumma diuinitatis annullari videatur; ſed chriſmate & manus impoſitione, quod imperfectum erat, perfici debet. Hoc in canonibus & decretis Patrum frequens habetur*. Hæc illi; ex quibus apparet primo grauiter errare Bellarminum, qui putat iis tantum hæreticis impoſitas fuiſſe, cum ad Eccleſiam redirent, manus, in quorum hæreſi nulla daretur confirmatio. Docent enim hæc Patrum teſtimonia conſtanter ab a.D. 314. ad 850. in Eccleſia præſertim Latina, morem hunc fuiſſe obſeruatum, vt quotcumque hæretici minime rebaptizarentur ij vel chriſma, vel manus impoſitionem, vel vtrumque reciperent, cum ad veram fidem conuertebantur; vt non quorundam tantum, ſed plane omnium hæc eſſet reconciliatio, qui ab hæreſi veniebant, quæ quidem in S. Trinitatem baptizaret. Neque vlla occurrit in locis tam multis alterius diſcriminis, quam huius obſeruatio; ſi in Trinitatem baptizati eſſent, an ſecus; non autem an chriſma, vel manuum impoſitionem accepiſſent, nec-ne. 2°. Sed & hinc videre eſt Theodoretum * (è quo & Bellarminus, & Baronius errandi cauſam nacti ſunt) ipſum quoque hallucinatum eſſe, dum ita de Nouatianis ſcribit; Τοῖς ὑπ' αὐτῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρίσμα. διὰ τοῦτο καὶ τοὺς ἐκ ταύτης δὲ τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξαν. *Iis quos baptizant, ſacratiſſimum chriſma non præbent. Quapropter eos, qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ coniunguntur laudatiſſimi Patres inungi præceperunt*. An Nouatiani, quos baptizabant, chriſmarent, non jam diſputo. Fieri poteſt, vt quod ipſe Nouatianus in baptiſmo non acceperat chriſma, id aliis noluerit miniſtrare; ne ſi faceret, eius baptiſmus parum validus, vel certe imperfectior videretur, qui ſcilicet ea re caruerat, quam ipſe in aliis baptizandis non putaret omittendam. Hoc vnum aio, falli Theodoretum, dum hanc Patribus fuiſſe cauſam cenſet cur Nouatianos ad Eccleſiam venientes chriſmarent; quod ſi verum eſſet, non alios quam iſtos in conuerſione chriſmaſſent. Nunc Laodiceni Patres, quæ ille omnino videtur, dum hæc ſcriberet, in animo habuiſſe, Nouatianos quidem chriſmandos decernunt, ſed non ſolos; verum vna cum iis Photinia-

ep. 2.

l De reb. Eccl. c 26. T. 10. Bibl. Patr p. 691. A.

* is floruit a. D. 450.

l 3. hær. fabul. Tit. 5. T. 4. p. 229.

nos quoque & Quartodecimanos; CP.n vero etiam Arianos & Macedonianos, & Sabbatianos, & Apollinariſtas; quos omnes chriſmationem apud Catholicos in baptiſmo vſitatam abdicaſſe neque ipſe Theodoretus, vel alius quis è veterum ſcriptorum choro tradit, neque ſine probabile eſt. Sed & Arelatenſes, & Arauſicani Patres, illi quidem ante Theodoreti tempora, hi vero ipſo florente, in genere decernunt, vt omnes ex quauis hæreſi venientes manus impoſitioné ſuſciperentur, ſi modo in Trinitatis nomen baptizati forent; quos omnes pariter manus impoſitione apud ſuos caruiſſe à vero abhorret, cum eam etiam Marcion retineret, cuius tamen baptiſmum à legitimo ritu multo longiùs, quam Arianorum & Apollinariſtarum receſſiſſe, veriſimillimum eſt. Vt illud nunc mittam, Stephanum vrbis Epiſcopum, Patribus illis omnibus vetuſtiorem jam circa a.D.254. inſtituiſſe, vt omnes nullo diſcrimine hæretici per manus impoſitionem in Eccleſiam reciperentur, etiam (quod diſerte obſeruatum eſt) ipſi Marcionitæ; quos tamen vnctionem habuiſſe, vti jam non ſemel diximus, certò ex Tertulliano conſtat. Non ergò illa, quam refert Theodoretus, Nouatianorum propria cauſa fuit, cur eos Patres ita recipiendos ſtatuerent, ſed hæc omnium hæreticorum communis, quod ſacro aliquo ritu eluenda, ac purganda videretur baptiſmi, tametſi rite, ab impuro tamen miniſtro ſuſcepti, ſiqua eſſet, labes; quod ille nos nuper docebat Pſeudo-Iuſtinus, dum diceret, *quod in baptiſmo erratum erat, id ſancti vnguenti vnctione fuiſſe correctum.* Auguſtinus de manuum impoſitione, qua & Romani, &, vt videtur, Afri ex hæreſi conuerſos ſuſcipiebant, non abſimilem rationem, hanc ſcilicet, affert: *Manus autem impoſitio ſi non adhiberetur ab hæreſi venienti, tanquam extra omnem culpam eſſe judicaretur; propter caritatis autem copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus Sancti, ſine quo non valent ad ſalutem quæcumque alia ſancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.* 3°. Illud quoque eſt in iſtis obſeruandum, quod apud Græcos vnius, chriſmatis, apud Latinos primo quidem & interdum etiam poſtea, ſolius manuum impoſitionis, mox & chriſmatis quoque fit mentio. Cuius diſcriminis hæc eſt ratio, quod apud Græcos quidem nullo vnquam in vſu videtur fuiſſe manus impoſitio ad neophytos (vt loquuntur) perficiendos, vel confirmandos; apud Latinos vero fuit, & quidem multiplex, modo vna cum chriſmatione, modo etiam ſeorſum; vt ex iis, quæ dicentur, conſtare poterit. Sed & hoc inter ipſos Latinos diſcrimen obſeruare eſt, quod Romani quidem ſola manus impoſitione, (vt ex Siricij & Gregorij dictis patet) Galli vero noſtri, imo & Hiſpani & chriſmate & manus impoſitione ex hæreſi venientes, ſuſciperent, vt probant allata Arelatenſis, & Arauſicanæ, & Epaonenſis Synodorum, & Iſidori verba. Vnde et

Cyprian ep. 74 p 154. poſt med.

l3. de. bapt. contr. Donat. c.23. extr.

obiter

obiter hoc dicam, apparet non eam Romanorum rituum olim habitam eſſe, quam aduerſarij volunt, etiam in noſtro Occidente rationem. 4°. Ex his denique clariſſime refellitur id Petri Aurelij commentum, de quo jam ſupra diximus, concedentis quidem, quod Bellarminus negabat, manum è quauis hæreſi conuerſis, rite modo baptizatis, impoſitam, & chriſma item miniſtratum à veteribus; ſed contendentis tamen illam ab hæreſi conuerſorum chriſmationem, & manus impoſitionem aliam ab ea fuiſſe, quam neophyti in Eccleſia ſuſcipiebant; niſi quod Nouatianorum, & ſi qui cum iis ſuos non chriſmarent, propriam vult fuiſſe rationem. Scribit *enim vnctionem, quam Nouatianis præbitam narrat Theodoretus, non fuiſſe communem illam hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium, ſed Nouatianorum propriam, eorumque qui vt illi, ſacramento confirmationis à ſuis initiati non eſſent.* Hoc vero merum Aurelij ſomnium eſſe ex eo primum liquet, quod à nemine Patrum aliquid hujuſmodi proditum eſt. Nam Theodoretus, quo vno niti ille vult videri, ait quidem Patres Nouatianos, quod ij ſuos in baptiſmo non chriſmarent, ideo chriſmari juſſiſſe quoties) ad Eccleſiam venirent, (qua in re falſum fuiſſe virum alioqui acutum & eruditum oſtendimus) ſed nuſquam, quod hariolatur Aurelius, ſcribit eam Nouatianis præbitam vnctionem aliam ab ea fuiſſe, quæ ab alia hæreſi venientibus dabatur. Atque id ſi dixiſſet Theodoretus, liquido falſum dixiſſet; idque vel vnus Conſtantinopolitanorum Patrum canon nuper recitatus euidentiſſimè refellit. Is enim Nouatianis non aliam quam Arianis, & cæteris ex quauis hæreſi, in qua baptiſmus eſſet legitimus, venientibus, vnctionem dari præcipit, ſed plane eandem. Arianos, & Macedonianos, & Nouatianos &c. recipi jubet omnes vno eodemque ritu *σφραγιζομένους conſignatos*, ſiue chriſmatos. Ac veluti Patres cauere vellent nequis eos Aurelius calumniaretur, totam illam, quam intelligunt, conſignationem, quæ qualiſque ſit ita dilucide, atque accurate explicant, vt nullum interpretationi alienæ locum reliquerint. Sic enim ipſi ſuum illud σφραγιζομένους interpretantur; ἤγουν χρισμένους τῷ ἁγίῳ μύρῳ τό, τε μέτωπον καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα, καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Hæc eſt chriſmatio, quam ab Arianorum, & Apollinariſtarum, & cæterorum æquè ac ex Nouatianorum hæreſi conuerſis præbendam in commune decernunt. Non hanc Nouatianis, aliam aliquam Arianis & cæteris, ſed vnam, & quidem hanc ipſam vtriſque dari præcipiunt. Ergo effugere non poteſt Aurelius, quin quæ ex alia hæreſi conuerſis dabatur, plane eadem fuerit cum ea, quæ ex Nouatianiſmo venientibus præbebatur; quæ ſcilicet vna vtraque fuit. Sed etiamſi Patres Nouatianos nulli hoc loco nominaſſent; hinc tamen ſatis conſtaret non aliam illis præbitam

Orthod. Paſti. 1.p.538.

cap.7.

fuiſſe

fuiſſe vnctionem, quam eam ipſam, quæ cæteris hic decernitur. Quæ enim ſodes, alia eſt apud Græcos neophytorum σφραγὶς, ſiue χρίσις, quam quæ hic deſcribitur? quam qui ſuſcipiunt, ij primo dicuntur σφραγίζεσθαι *ſignari* vel *conſignari*? quæ ita fit, vt qui conſignatur, is vngatur τῷ ἁγίῳ μύρῳ *ſancto vnguento*, id eſt, vt liquet, *chriſmate*? & quidem *in fronte, in oculis in naribus, in ore, & in auriculis*? & ſic poſtremo, vt qui hominem conſignat, is myſtica illa verba occinat, *Signaculum doni Spiritus Sancti*? Excute Aureli, Græcorum Euchologia, & veteres Canonum interpretes, ac Liturgiarum enarratores; non alia, quam hac ipſa vnctione *confirmatos* (vt tu loqueris) reperies ipſius illius Eccleſiæ neophytos. Cum ergo hanc ipſam ex Arianorum, & aliorum hæreſi venientibus præberi jubeant Patres; non potes, ſi ſanus es, negare, quæ iis dabatur eandem plane cum ea fuiſſe, quam tu Nouatianis præbitam confiteris; neophytorum ſcilicet chriſmationem. Atque idem quoque docent Laodiceni Patres, qui quod de Nouatianis decernunt *vnctos* eos *ſancto chriſmate* in Eccleſiam recipi, id ipſum de Photinianis quoque, & de Quartodecimanis, & quidem iiſdem plane verbis præcipiunt; vt niſi Synodum turpi ac illiberali mendacio, &, quod tu omnium deterrimum eſſe fateris, *Ieſuitica æquiuocatione*, nobis illuſiſſe fingas, non poſſit vnctio, quam his conſtituit, diuerſa ab ea, quam illis præcipit, cenſeri. Eadem Arelatenſium eſt Patrum ratio, qui, *ſi ad Eccleſiam aliquis ex hæreſi venerit*, cum ei abſolute, ac in genere nulla adhibita diſtinctione, *manum imponi* edicant, non poſſunt niſi cauillatores fuiſſe fingantur, aliam his, aliam illis, manus impoſitionem decreuiſſe videri. Cæterorum, quos deſcripſimus, nemo eſt, qui non idem eadem quoque ratione probet. Sed auctor reſponſionum ad Orthodoxos, non quidem ille Iuſtinus, ſed vetus tamen ſcriptor, proprium nobis telum ad hoc configendum commentum ſubminiſtrat. Nam ſi, quod vult Aurelius, chriſmatio Nouatianis data ideo fuit, vt confirmationis ſacramentum, quo ſcilicet apud ſuos caruerant, tum primùm reciperent, qualiter baptizantur, qui vere baptizati antea nunquam fuerant; ille ſcriptor id commemorare debuit, quo loco docet, qua ratione ſarcirentur, ac ſupplerentur priora eorum ὑστερήματα, qui ex hæreſi in Eccleſiam recipiebantur. Ac vt dicit *errorem correctum fuiſſe ſententiæ mutatione, ordinationis vitium manus impoſitione*, ita quoque dicere debuit *chriſmationis defectum vnctione fuiſſe emendatum*. Atqui nihil ille huiuſmodi dicit. Ergo neque huiuſmodi quicquam fuit. Quinimo contra pronuntiat τὸ σφάλμα τοῦ βαπτίσματος διορθοῦσθαι τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου; *errorem*, ſiue *vitium baptiſmi corrigi vnctione ſancti vnguenti*. Non ergo confirmationis Latinæ, quod perperam & abſurde fingit Aurelius, defectus, ſed baptiſmi vitium illa vnctione emendari

dari putabatur. Vnde, vt hoc obiter dicam, & illud quod nos contendimus, clariſſime probatur, veterum ſcilicet vnctionem ad baptiſmum pertinuiſſe, non ad aliud aliquod ſacramentum. Vitia enim hæreticorum oppoſitis, ſed in eodem genere, rebus emendabantur, error quidem vera ſententia, praua ordinatio recta ſanctioris manus impoſitione. Vt ergo *vera ſententia* in eodem rerum genere eſt, quo error; Eccleſiaſtica *manus impoſitio* ad idem genus pertinet, ad quod hæretica ordinatio; ita & vnctionem in baptiſmalium rerum cenſu fuiſſe neceſſe eſt, quæ abſurde alioqui & inepte ad baptiſmi correctionem vſurparetur. Poſtremo quæ vnctioni, & manus impoſitioni hominum ab hæreſi quauis conuerſorum à Patribus tribuuntur nomina & elogia, eandem plane fuiſſe vincunt cum neophytorum in Eccleſia chriſmatione, manuſque impoſitione. Illam enim perinde atque hanc & *benedictionem* [a], & manus impoſitionem [b], & ἅγιον χρῖσμα [c] *ſanctum chriſma* [d], & *chriſma* [e] ſimpliciter paſſim vocant. Manum ab hæreſi conuerſis, æque ac neophytis, ideo imponi, *vt accipiant Spiritum Sanctum*; illos æque ac hos, vel manus impoſitione ſeorſum, vel hac coniunctim cum chriſmate, *conſignari* [g], *confirmari* [h], *communiri* [i], *ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ reformari* [k], *Euchariſtiæ recipiendæ idoneos fieri* [l]. Hanc denique vtrorumque confirmationem ab Epiſcopo petendam [m], poſtquam in Eccleſia ita inſtitutum fuit, vt chriſmatis adminiſtratio penes hunc vnum ordinem eſſet. Quid ergo eſt, cur ritum & re, & nomine, & elogiis, & vſu, & fine eundem non putemus fuiſſe eundem? Rationem hanc affert Aurelius; *Quia* (inquit) *Patres hanc manus impoſitionem & chriſmationem dari iuſſerunt omnibus promiſcue ab hæreſi redeuntibus, nihil inter eos diſcernentes, qui Epiſcopalem manus impoſitionem & verum ſacramentum confirmationis ab hæreticis accepiſſent, & eos, qui non eſſent illo imbuti. Omnes enim ſine diſcrimine hæreticos ita chriſmandos dixerunt, vt patet ex Canonum verbis. Hac ergo ratione planum fecerunt chriſmationem eiuſmodi non fuiſſe illam ſacramento confirmationis ſolennem, ſed cærimoniam meram.* Hæc Aurelij ratio quam ſit apud Sirmondum vim habitura, neſcio. In me quidem nullam plane habet; ſed mera eſt ἀδολεσχία. Id enim ipſum pro vero ac confeſſo aſſumit, quod non modo non concedo, ſed etiam refello atque oppugno; ſcilicet neophytorum chriſmationem & manus impoſitionem proprie dictum, verique nominis ſacramentum eſſe. Tum & ſecum turpiſſime pugnat Aurelius. Quod enim nunc ait *nihil inter eos qui ab hæreſi redibant, diſcreuiſſe Patres*, id ipſum mox, & quidem eodem loco negat; dum ſtatuit quo ritu ſuſcepti ſunt Nouatiani, *eum vere Confirmationis ſacramentum fuiſſe*; quo ex aliis hæreſibus venientes, eum nihil ad confirmationis ſacramentum pertinuiſſe, ſed *cærimoniam meram* fuiſſe. Itaque reſpondeo, ſiquid efficere hac ſua ratio-

a Conc Arauſ. c 8.
b Arel. Syn. I. c. 1.
c Conc. Laod. c. 7.
d Greg. l. 9 ep. 61.
e Conc. Arel. 2 c 17. Gennad. de dog. Eccl c. 52.
f Syn. Arel. 1. c. 8.
g Syn. Arauſ. I. c 1.
h Gennad. ibid c. 52.
i id. ibid.
k Greg vbi ſupr.
l Gennad. vbi ſupr, Conc. Laod. c. 7.
m Conc. Epaon. c. 15. Anæret. p. 445. Orthod. p 537. extr.

ibid p. 538.

ratiocinatione velit, id illi inprimis probandum eſſe, quod hic ille quidem pueriliter ſupponit, nos autem vehementer negamus; nimirum fuiſſe neophytorum chriſmationem & manus impoſitionem verum proprieque dictum ſacramentum. Donec enim id euidentibus antiquitatis teſtimoniis effectum dederit, omnes vident ex eo, quod data ab hæreſi venientibus chriſmatio, & manus impoſitio verum ſacramentum non fuit, ſed mera cærimonia, inepte, ac ridicule concludi fuiſſe eam à neophytorum chriſmatione & manus impoſitione diuerſam. Illud autem, quod inprimis probandum erat, *iſtos confirmandorum neophytorum ritus fuiſſe verum ſacramentum*, adeo non probat Aurelius, vt plane omnem ſui illius dogmatis ex antiquitate vel leuiter confirmandi viam & ſibi, & ſuis in poſterum bella hac ſua ratione miſer præcluſerit, atque obſtruxerit. Nam ſi, quod hîc iſte rotunde fatetur & pronuntiat, ac pro indubitato ſuæ probationis principio aſſumit, verum eſt (& eſt ſane veriſſimum) nimirum chriſmationem, & manus impoſitionem ex hæreſi conuerſorum meram fuiſſe cærimoniam, etiamſi Patres conuerſos *conſignari*, *confirmari*, *communiri*, *Spiritum Sanctum accipere*, *Euchariſtia ſumptione dignos fieri per eam* dicant, & cætera quæ nuper recenſuimus; nemo non videt ne eo quidem effici, vt neophytorum chriſmatio, & manus impoſitio vere ſacramentum fuerit, quod de ea ſimilia dixerint Patres; quo tamen fere ſolo in tota hac diſputatione argumento vtuntur aduerſarij. Itaque quod nobis Aurelius concedit, id in primis ponimus, & rationem, qua id conficit vehementer probamus, eaque jam ipſi ſupra vſi ſumus. Sic enim ille agit; *Plane conſtat impoſitionem illam manuum, chriſmationemque rediuiuorum ex hæreſi hominum alius generis fuiſſe atque eam ex qua confirmationis ſacramentum conſtat. Nam etiam iis præbebatur, qui ab hæreticis confirmationis ſacramentum acceperant; quod in Eccleſia nunquam iterari fas fuit.* Ad hoc autem Aurelianum placitum, illud nunc aſſumamus, quod eſt à nobis proxima diſputatione luculentiſſime, niſi fallor, probatum; eam ſcilicet chriſmationem, manuſque impoſitionem, qua & baptizati apud Catholicos perficiebantur, & Nouatiani in Eccleſiam recipiebantur, plane penituſque eandem fuiſſe cum ea chriſmatione, ac manus impoſitione, qua alij præter Nouatianos hæretici ad Eccleſiam venientes ſuſcipiebantur. Ex his ne ipſe quidem credo, Aurelius negauerit non minus neceſſario, quam euidenter ſequi chriſmationem, manuſque impoſitionem & neophytorum & Nouatianorum ex ſua hæreſi redeuntium alius generis fuiſſe, atque eam ex qua hodiernum Latinæ confirmationis ſacramentum conſtat, meram adeo cærimoniam fuiſſe. Vnde & illud conſequens eſt, cum præter hos ritus nullus in omni antiquitate alius exſtet, quo Latinum illud ſacramentum referri cum aliqua veri

ſpecie

ibid. p. 138. Vide & Anæret. p. 446.

ſpecie poſſit, nullum plane apud veteres, huius quidem generis ac cenſus, ſacramentum fuiſſe. Vnum tantum eſt, antequam ad alia progrediamur, quod alicubi à Bellarmino ex Vigilio P.R. obiectum eſt, conſiderandum; quo videtur effici manus impoſitionem ex hæreſi conuerſorum diuerſi ab ea generis fuiſſe, qua neophyti confirmabantur. Vigilius enim de iis, vt videtur, loquens, qui ab Arianiſmo conuerſi erant; *Quorum tamen* (inquit) *reconciliatio non per illam impoſitionem manus, qua per inuocationem ſancti ſpiritus fit, operatur; ſed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & ſanctæ communionis reſtitutio perficitur.* Reſpondeo Vigilium hoc loco non ſimpliciter de conuerſorum ab hæreſi, ſed de pœnitentium reconciliatione loqui. Res clara eſt ex ipſius verbis; *De his* (inquit) *qui baptiſmatis gratia ſalutaris accepta, apud Arianos iterum baptizati, profundæ voraginis ſunt morte demerſi*; & cætera. Ergo non de Arianis ſimpliciter ex ſua hæreſi ad Eccleſiam venientibus ſermo eſt; ſed de iis, qui cum Catholici eſſent, & ſalutari baptiſmate apud Catholicos tincti, ad Arianos poſtea defecerant, & apud eos iterum baptizati erant. Hos Vigilius, non velut ex hæreſi, in qua nati, tinctique ſemel eſſent, venientes in Eccleſiam ſimpliciter per ſolennem neophytorum manus impoſitionem recipi, ſed pœnitentiæ ſubijci, & ſolenni pœnitentium ritu reconciliari jubet. Quod & ex eo palam eſt, quod Epiſcopis concedit, vt erga eos pro ipſorum pœnitentia, indulgentia aliqua vti poſſint; *In æſtimatione* (inquit) *fraternitatis tuæ, aliorumque Pontificum per ſuas diœceſes relinquatur, vt ſi qualitas & pœnitentis deuotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio ſit vicina.* Vides iſtos pro ſuæ pœnitentiæ, deuotioniſque ratione vel tardius, vel citius in Eccleſiæ communionem receptos fuiſſe, quod pœnitentium reconciliationi congruit; à receptione ex hæreſi ſimpliciter conuerſorum alienum eſt; quos ex omnibus ſuperioribus canonibus conſtat ſtatim receptos, neque vlli pœnitentiæ ſubiectos fuiſſe. Et certe aliam atque aliam vtrorumque rationem fuiſſe patet. Qui enim apud hæreſim nati, baptizatique fuerant, nihil illi proprie in Eccleſiam, apud quam nunquam fuerant, deliquerant. Qui vero apud Catholicos per baptiſmum nati, ad hæreticos poſtea defecerant, graui crimine ſocietatem Eccleſiæ læſerant, magnumque ei ſcandalum obiecerant. Itaque hos quidem pœnitentiæ ſubjici juſtum fuit; illos ſimpliciter recipi, æquum fuit. Tantum, quod nuper aiebat Auguſtinus, *manus & his impoſita, ne tanquam extra omnem culpam eſſe judicarentur, & propter caritatis copulationem.* Neque vel aduerſarij, vel alij omnino Chriſtiani, de his aliter judicant; apud quos magno diſcrimine habentur, & aliter atque aliter reconciliantur, qui ex hæreſi, in qua primum baptizati fuerant, veniunt, & qui ex hæreſi redeunt, in quam à Catholica communione

l. de Confirm. c. 7. §. Tertio Auguſt.

Vigil. ep. 2. c. 3 T. 4. Conc. p. 160.

deficientes lapſi erant. Ergo hos pœnitentiæ merito ſubjicit Vigilius. Ex quibus jam liquet eum Bellarmini atque Aurelij cauſam non modo non conſtituere, ſed etiam euertere. Non enim (quod ineptiſſime ſomniauit Bellarminus) *manus impoſitionem conuerſorum ex hæreſi* diſtinguit *à neophytorum manus impoſitione*; ſed quod nunc planum eſt, *pœnitentium manus impoſitionem* ab eorum *manus impoſitione*, qui ex hæreſi ſimpliciter conuertuntur. Hanc *per inuocationem ſancti Spiritus operari*, id eſt fieri ait (vnde patet eandem eſſe cum neophytorum manus impoſitione) illâ *pœnitentiæ fructus acquiri* & *ſanctæ communionis reſtitutionem perfici*. Itaque ex Vigilio quidem habetur manus impoſitionem, quæ pœnitentibus adhibebatur, diuerſam ab ea fuiſſe, qua ex hæreſi venientes ſuſcipiebantur (quod nemo negat) hanc per inuocationem ſancti Spiritus factam fuiſſe; illam abſque ſancti Spiritus inuocatione; hanc fructus pœnitentiæ non acquiſiuiſſe (quia ſcilicet ſtatim admittebatur conuerſus) illam acquiſiuiſſe, quos nimirum præcedere oportebat, vt pœnitens reconciliaretur. Manus vero impoſitionem, qua ex hæreſi ſimpliciter conuerſi ſuſcipiebantur, ab ea, qua neophyti confirmabantur, diuerſam fuiſſe (quod vult Bellarminus) nulla hinc arte haberi poteſt. Eandem potius fuiſſe vel ex hoc loco concluſero, qui docet ſcilicet illam manus impoſitionem per inuocationem Spiritus Sancti factam fuiſſe; quod eius manus impoſitionis, qua neophyti confirmabantur, proprium fuiſſe omnes ſciunt.

Capvt XI.

Tertium quarti ſæculi teſtimonium ex pſeudepigrapho quidem, ſed tamen vetuſto Conſtitutionum Apoſtolicarum opere deſumptum. Loca eius operis explicantur, & ab aduerſariorum dogmate aliena eſſe demonſtrantur.

Sed vt ad inſtitutum temporum ordinem redeam, placuit in hunc locum conjicere Conſtitutionum Apoſtolicarum ſcriptorem; quod is paulo ante Nicænam Synodum opus ſuum conſarcinaſſe videatur. Sed cuiuſcumque fit æui (id enim obſcurum eſt, quod plane nulla eius mentio totis tribus prioribus Chriſtianiſmi ſæculis, ac ne quarto quidem niſi jam inclinato, ac præcipiti occurrat) eo quidem tempore, quo hos ille libros compoſuit, certum eſt quædam jam tum baptiſmali vetuſtiorum vnctioni addita fuiſſe. Sunt enim apud

hunc,

hunc, quæ nuſquam in ſuperiorum temporum monumentis deprehendimus, nonnulla; quale illud eſt, quod baptizandi oleo vnguntur, antequam tingantur; quodque tincti non oleo, ſed *μύρῳ*, id eſt vnguento, chriſmantur; quorum neutrum hactenus in vllo vetuſtiorum obſeruauimus. Nam vbi hic noſter de diaconiſſarum miniſterio agit, id in primis tradit, cum mulieres baptizantur, diaconum earum modo frontem linere ſancto oleo; tum diaconiſſam eas perungere; Deinde totum baptiſmi ordinem ſequenti capite enarrans; Σὺ μὲν οὖν (inquit) ὦ ἐπίσκοπε ἐκείνῳ τῷ τύπῳ χρίσεις τὴν κεφαλὴν τῶν βαπτιζομένων εἴτε ἀνδρῶν εἴτε γυναικῶν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ εἰς τύπον τοῦ πνευματικοῦ βαπτίσματος. ἔπειτα ἢ σὺ ὁ ἐπίσκοπος ἢ ὑπὸ σὲ πρεσβύτερος τὴν ἱερὰν ἐπ' αὐτοῖς εἰπὼν καὶ ἐπονομάσας ἐπίκλησιν πατρὸς καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, βαπτίσεις αὐτοὺς ἐν τῷ ὕδατι. καὶ τὸν μὲν ἄνδρα ὑποδεχέσθω ὁ διάκονος. τὴν δὲ γυναῖκα ἡ διάκονος &c. καὶ μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ. *Tu igitur Epiſcope, ad exemplum illud vnges oleo ſancto caput eorum qui baptizantur, ſiue viri ſint, ſiue mulieres, in typum ſpiritualis baptiſmi.* Deinde *aut tu Epiſcope, aut presbyter, qui ſub te eſt, facta ſuper eos nominatim ſacra inuocatione Patris & Filij & Spiritus Sancti baptizabis eos in aqua. Ac virum quidem ſuſcipiat Diaconus; mulierem vero diaconiſſa &c. Poſtea Epiſcopus baptizatos vnguento vngat.* Hæc ille; in quibus duas vt dixi, vides vnctiones; priorem ex oleo ante tinctionem ſiue lotionem; poſteriorem poſt lotionem ἐκ τοῦ μύρου ex vnguento. Atqui vnam hactenus audiueramus, eamque poſt tinctionem, & quidem, vt videtur, ex ſimplici oleo; certe nuſquam in ea deſcribenda τοῦ μύρου, id eſt vnguenti ex pluribus compoſiti occurrit mentio. Fac memineris Tertulliani, qui totum baptiſmi ritum accuratiſſime deſcripſit. Nihil præter iſta apud eum occurrit. Ergo circa hæc tempora, id eſt paulo poſt quarti ſæculi initia facta videtur illa mutatio, nempe vt cum primùm ex oleo ſimplici inungerentur de ſacro lauacro egreſſi; tum oleo balſamum addi placuerit ex Moſaïco typo; quod huiuſmodi vnguentum ſignificandæ regiæ ac ſacerdotali dignitati (in quam per baptiſmum inaugurantur credentes) aptius, quam ſimplex oleum videretur. Pax Conſtantini principatu, vna cum magnis opibus, facile Chriſtianis huiuſmodi conſiliá exornandæ ſuorum initiationis ſuggeſſit. Sed & priorem ex oleo vnctionem, tametſi hac ex balſamo de nouo inſtituta, retinere tamen placuit; vt aliquid baptiſmo dignitatis etiam ipſa conferret. Itaque in baptiſmi anteriora ſubmota eſt, vt tinctioni præiret, & ad eam pararet loco vero, quo ipſa prius fuerat, tinctionem noua exciperet ex vnguento nobiliori vnctio. Vtcumque fuerit, duæ illæ vnctiones apud Conſtitutionum parentem manifeſtæ ſunt. Ac prior quidem etiam hodie ab aduerſariis apud quos hæſit, pro mera baptiſmi cærimonia habetur. Poſteriorem, quam pro legitimo, & proprio, & à baptiſmo

L. 3. c. 15.

ibid. c. 16.

diuerſo ſacramento cenſent, huius auctoris æuo vnum quoque ex cærimonialibus baptiſmi ritibus fuiſſe nemo ipſo clarius docet; vt c.3.§. Primus. mirandum ſit, quod eum Bellarminus inter ſui dogmatis teſtes, & aſſertores edere non erubuerit. Primo ipſe capitis, in quo ritum hunc exſequitur titulus vnctionem ad baptiſmum pertinuiſſe clamat; περὶ μυήσεως θείας τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, *De diuina initiatione ſancti baptiſmatis.* Ergo, niſi titulus mentitur, quod in hoc capite τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ χρίει ὁ ἐπίσκοπος, *Epiſcopus tinctos vnguento vngit*, id inquam, τῆς μυήσεως τοῦ βαπτίσματος *initiationis*, ſiue *celebrationis baptiſmalis* pars erat. Idem euincit & caput ſequens, cuius hoc quoque lemma eſt; ποίαν αἰτίαν ἔχει τὸ εἰς τὸν χριστὸν βάπτισμα, καὶ διὰ τί τῶν ἐν αὐτῷ ἕκαστον λέγεται καὶ πράττεται. *Quam cauſam habeat baptiſmus in Chriſtum, & propter quid eorum, quæ in ipſo, vnum quodque dicatur, & fiat.* Iam chriſma eorum, quorum cauſam ac rationem cur fiant in hoc capite ediſſerit, vnum eſt. Ergo & eorum, ἃ ἐν βαπτισμῷ πράττεται, *quæ in baptiſmo fiunt*, vnum chriſma fuit. Quæ vero in baptiſmo fiunt ea non ad ipſum, ſed ad Conſtit.A. poſt l.5. c.17. aliud ſeorſum ſacramentum pertinere abſurdum eſt. Sed ipſa capitis verba idem quoque loquuntur; ἔστι τοίνυν (inquit) τὸ μὲν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ Ἰησοῦ διδόμενον. τὸ δὲ ὕδωρ ἀντὶ ταφῆς· καὶ τὸ ἔλαιον ἀντὶ πνεύματος ἁγίου. ἡ σφραγὶς ἀντὶ τοῦ σταυροῦ. τὸ μύρον βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας. τοῦ πατρὸς ἡ μνήμη ὡς αἰτίου καὶ ἀποστολέως. *Baptiſmus igitur datur in mortem Ieſu; aqua vero adhibetur pro ſepultura; oleum pro Spiritu ſancto; ſignaculum pro cruce; chriſma, confeſſionis confirmatio; Patris commemoratio, tamquam cauſa & emiſſoris.* Tum addit rationes, cur Filius quoque, & Spiritus Sanctus commemorentur. Quid iſtic facit chriſma, ſi baptiſmi ritus non eſt? Si id è baptiſmo eximere ac deripere licet; licebit & oleum, & Patris, Filijque commemorationem; inter quæ medio loco, baptiſmalibus vtrimque ritibus veluti ſtipatum, ſeptum, atque concluſum tenetur. Ipſa ei hic attributa ſignificatio eodem pertinet. Dicitur enim confeſſionis, quæ nimirum in baptiſmo editur, confirmatio, & aſſeueratio quædam; quod qui chriſmatur, eo ſe Chriſtianum eſſe, & Chriſti diſcipulum ac membrum profitetur, eaque ratione fidem paulo ante ipſi datam re & opere ipſo oſtendit eſſe veram, id eſt confirmat. Eadem occurrunt in alia operis parte, quæ & ipſa hunc quoque titulum profert. Διάταξις Κυριακὴ ὅπως χρὴ βαπτί- l.7.c.23. ζειν. *Conſtitutio Domini, quomodo ſit baptizandum.* Tum ipſa hæc capitis verba ſequuntur; περὶ δὲ βαπτίσματος ὦ ἐπίσκοπε, ἢ πρεσβύτερε, ἤδη μὲν καὶ πρότερον διεταξάμεθα. καὶ νῦν δέ φαμεν ὅτι οὕτω βαπτίσεις, ὡς ὁ Κύριος διετάξατο ἡμῖν, λέγων, Πορευθέντες &c. *De baptiſmo autem ô Epiſcope, aut Presbyter, jam quidem & antea conſtituimus, ac nunc rurſus dicimus, quod* * c.28.extr. *ita baptizabis, vt Dominus conſtituit nobis, dicens, Euntes docete*; & cætera, vt habentur apud Matthæum.* χρίσεις δὲ πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ. ἔπειτα

βαπτίσεις

βαπτίσεις ὕδατι. καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ ἵνα τὸ μὲν χρίσμα μετοχὴ ᾖ τοῦ ἁγίου πνεύματος· τὸ δὲ ὕδωρ σύμβολον τοῦ θανάτου. τὸ δὲ μύρον σφραγὶς τῶν συνθηκῶν. Vnges autem prius oleo ſancto; deinde baptizabis aqua; poſtremo ſignabis vnguento; vt ſit vnctio Spiritus ſancti participatio; aqua, mortis ſymbolum, vnguentum, pactionum ſignaculum. Vides, vt quod titulus pollicebatur, baptiſmi ritus ſigillatim exſequatur; vnctionem ex oleo ſimplici; tinctionem, ſiue merſionem in aquam, conſignationem denique ex vnguento. Erant ergo hæ initiationis baptiſmalis, ſiue vt ita loquar, ſolennis ac ritualis baptiſmi partes tres; è quibus poſtremam, id eſt chriſmationem, ſiue conſignationem, à reliquis duabus avulſam, Latini noſtri abſurde ac ridicule, & præter manifeſtam veterum mentem proprium ſeorſum ſacramentum fecerunt. Sed & verba ſequentia diligenter obſeruanda ſunt; *εἰ δὲ* (inquit) *μήτε ἔλαιον ᾖ μήτε μύρον, ἀρκεῖ ὕδωρ καὶ πρὸς χρίσιν καὶ πρὸς σφραγίδα, καὶ πρὸς ὁμολογίαν τοῦ ἀποθανόντος. Sin autem non fuerit oleum, neque vnguentum, ſatis eſt aqua, tum ad vnctionem, tum ad ſignaculum, & ad confeſſionem mortui.* Hinc enim primo conſtat id, quod nos defendimus; ſignaculum ſiue chriſmationem fuiſſe baptiſmi cærimoniam, non autem aliud proprie, & per ſe ſeorſum à baptiſmo ſacramentum. Eſt enim falſum & abſurdum vnius ſacramenti materiam ad alterum exhibendum ſufficere; vt ſi baptiſmi aquam quis diceret ad Euchariſtiam ſatis eſſe, ſi quando panis & vinum deſint; vel panem Euchariſtiæ ad extremam vnctionem ſatis eſſe, ſi quando deſit oleum; quæ ſane totidem portenta ſunt. De cærimoniis vero optime id dici poteſt; vt de vnctione ex oleo fatentur aduerſarij recte dictum eſſe, quod hic habet Διαταγῶν, *vbi deeſt oleum, aquam ad vnctionem ſatis eſſe*; hoc eſt (vt liquet) per eam vnam conſequi baptizatum, quod vnctio baptiſmi ſolennis, ſiue ritualis ſignificat. Vnde intelligitur iſtum de vnguento, ſiue de conſignatione eadem quoque ſenſiſſe, eamque in cærimoniarum cenſu æque ac vnctionem ex oleo, habuiſſe; de qua ſcilicet plane eadem loquitur. Secundo hinc liquet iſtum, & alios veteres, vt vt magni hos ritus faciant, & in iis commendandis interdum etiam pluſquam ſatis eſt, rhetoricentur, omnem tamen baptiſmi vim ſenſiſſe aqua ſola à Domino Chriſto inſtituta contineri; cætera ad exornandam, ac commendandam, potius quam ad efficiendam initiationem, addita eſſe. Tertio, & illud obſeruandum eſt, quod hic ſcriptor in duobus iſtis locis ſimplici ex oleo vnctioni *Spiritus ſancti participationem* conſtanter tribuit; & præter Latinorum ſententiam, qui hunc chriſmationi nunc vindicant, & ad noſtram ſententiam ſane percommode; qui hinc diſcimus ſiquid Patres *ad Spiritus Sancti participationem* ſimiliter referant, non eo fieri, vt id ſtatim pro vero, proprie, per ſe ac ſeorſim ſumpto ſacramento habuerint; cum hic noſter vnctionem ex

oleo

oleo (quam meram eſſe baptiſmi cærimoniam omnes confitentur) diſerte ſcribat *participationem* eſſe *Spiritus Sancti*: quo neſcio quid poſſit dici magnificentius. 4. Sed neque illud prætereundum eſt, quod conſignationem ex vnguento conſtanter quoque his duobus locis referat ad confeſſionis à baptizando factæ ſanctionem, atque eorum, quæ pactus eſt, confirmationem. Idem enim eſt in ſecundo loco σφραγὶς τῶν συνθηκῶν quod in priori fuerat τῆς ὁμολογίας βεβαίωσις. Vnde videre eſt, quam varie de huius ritus myſterio ſenſerint, ac pœne (vt ſic dicam) luſerint Patres; quamque grauiter hallucinati ſint Latini, qui conſignationem ex vnguento ideo *confirmationem* dicendam putarunt, quod baptizati Spiritu per eam dato ad fidem intrepide profitendam roborentur, ac firmentur; cum hinc conſtet eam initio longe alio ſenſu βεβαίωσιν dictam fuiſſe; quod ſcilicet huius ritus ſuſceptione baptizatus pacta, quæ cum Deo inierat, veluti obſignaret, firmaque ac rata ſe habere teſtaretur, & fidem, quam Chriſto dederat, ea ratione velut nouo quodam jurejurando obſtringeret, ac confirmaret; quo & aliorum fere Patrum de confirmatione dicta pertinent; vt poſtea ſuo loco explicabimus. 5. Poſtremo illud etiam hic obſeruandum, quod jam ſuprà obiter attigimus, chriſmandi ſiue conſignandi poteſtatem tam preſbyteri fuiſſe, quam Epiſcopi, vt ex primis poſterioris loci verbis apparet, in quibus omnes hos baptiſmi ritus vtrique permittit, & commendat; ὦ ἐπίσκοπε, ἢ πρεσβύτερε, *ô Epiſcope, vel presbyter*; quod apud Græcos, etiam ad hanc diem permanſit, vt & illud quod nulla hic in baptiſmi ritibus occurrit manus impoſitio. Sed alius præterea eſt in eodem Conſtitutionum opere locus, in quo omnia, quæ ad baptiſmum rite miniſtrandum requirebantur, multo etiam fuſius explicantur. Primo traditur, quomodo ſint inſtituendi Catechumeni [a]; deinde qua ratione benedicendi [b]; tum vt diabolo renuntiare debeant [c]: mox, vt oleo vngendi benedicto, cui precantur à Domino tribui gratiam ſpiritualem, καὶ δύναμιν ἐνεργητικὴν, ἄφεσίν τε ἁμαρτιῶν, *vim efficientem, & remiſſionem peccatorum,* [d] cum tamen etiam Latini fateantur vnctionem, quæ ex illo oleo fit, nihil eſſe aliud, quam baptiſmi cærimoniam. Sequitur merſio, ſiue tinctio, hoc eſt proprie, dictus baptiſmus [e]; & poſt hanc continenter chriſmatio; μετὰ τοῦτο (inquit) βαπτίσας αὐτὸν ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, χριέτω μύρῳ ἐπιλέγων, *Poſtea in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti merſum, ſiue tinctum vngat vnguento dicens, Domine Deus ingenite,* & cætera. In ea autem oratione illa nunc Latinorum ſolennia, *Conſigno te ſigno ſalutis,* nuſquam reperiuntur; vt ſi his, quod illi volunt, conſtet huius ſacramenti forma, fateri neceſſe ſit nullum apud Conſtitutiones eſſe hoc ſacramentum. Sed in hac Conſtitutionum oratione à Deo petitur, vt ſit efficax illa vnctio; plane itidem

a l. 7. c. 40.
b ibid. c. 41.
c ibid. c. 42.
d ibid. c. 43.
e c. 44.

dem vt oleo antea *vim energeticam* dari petiuerant; Σὺ καὶ νῦν (inquiunt) ἴδετο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τοῦ βαπτιζομένου, ὥστε βέβαιον καὶ πάγιον ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν μεῖναι τοῦ Χριστοῦ σου. καὶ συναποθανόντα αὐτὸν συναναστῆναι καὶ συζῆσαι αὐτῷ. *Tu & nunc praſta, vt vnguentum hoc efficax ſit in eo, qui baptizatur, vt bonus odor Chriſti tui firmus, & ſtabilis, fixuſque in eo maneat; vtque qui cum eo mortuus eſt, ipſe eidem conreſuſcitetur, & cum eo viuat.* Petunt, vt vnguentum ἐνεργὲς, ſiue *efficax* ſit; hoc eſt ne ſit caſſum, & ſine re ſymbolum; ſed vt quam ſignificat, ac ſpondet in Chriſtum fidem, ac vitam, eam qui baptizatur Dei gratia Chriſto commortuus, ac conreſuſcitatus reapſe conſtanter præſtet, opereque ipſo compleat. Omnia, vt vides, ad baptiſmum pertinent; nulla vt vi ab eo diuelli poſſit tota hæc Διαταγέως chriſmationis cærimonia. Sed ille quidem ſic pergit; ἐὰν γὰρ μὴ εἰς ἕκαστον τούτων ἐπίκλησις γένηται ὑπὸ τοῦ εὐσεβοῦς ἱερέως τοιαύτη τίς, εἰς ὕδωρ μόνον καταβαίνει ὁ βαπτιζόμενος, ὡς Ἰουδαῖοι, καὶ ἀποτίθεται μόνον τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, οὐ τὸν ῥύπον τῆς ψυχῆς. *Niſi enim vnicuique iſtorum talis inuocatio à pio ſacerdote adhibeatur, in ſolam aquam deſcendit qui baptizatur, vt Iudæi, ac corporis tantum ſordes, non etiam animæ deponit.* Hæc quidem verba duplicem fateor errorem continere videri; alterum, quod in miniſtro pietatem neceſſario requirit, vt ſit validus baptiſmus; alterum, quod in eundem finem illud quoque eadem neceſſitate exigit, vt fiat ſuper ſingulis olei, aquæ, & vnguenti elementis huiuſmodi, qualem in præcedentibus expreſſerat, inuocatio; quod vtrumque Latini ipſi nobiſcum reſpuunt. Sed iſta tamen qualiacumque de cætero ſint, hæc certe duo nos euidenter docent. 1. Etiam preſbyterum poſſe μυεῖσαι, hoc eſt conſignare, ſiue chriſmare, ἱερεὺς enim non eſt ſolus Epiſcopus. 2. Hoc quicquid eſt chriſmationis totum ad baptiſmum pertinuiſſe: cuius defectus baptiſmi effectum vitiat. Nam & chriſma iſtorum vnum eſt, quæ niſi inuocatione rite benedicta fuerint, vanum fore ait baptiſmum. Ergo è contrario putauit chriſma, vbi rite peragitur, eo conferre, vt non corporis ſolius, ſed etiam animæ ſordes deponantur; quod cum omnes non Latinæ confirmationis, ſed vnius Chriſtiani baptiſmi verum ac proprium effectum eſſe confiteantur; profecto neceſſe eſt, vt qui chriſmationem eo refert Διαταγεὺς, eam ad baptiſmum pertinere cenſuerit, eiuſque adeo cærimoniam, ac ritum eſſe; quando ipſius proprie baptiſmi eſſentiam, ac (vt ſic dicam) *ſubſtantiam*, ſola aqua, id eſt merſione, ſiue tinctione contineri omnis recens, vetuſque Eccleſia conſtantiſſime ſemper credidit.

ibid. c. 43.

Capvt XII.

Cæteta Græcorum de chriſmatione teſtimonia recitantur, in primis, quod ex quarto ſæculo quartum eſt, teſtimonium Pſeudo-Iuſtini in opere Quæſtionum & Reſponſionum, tum V. teſtimonium, quod eſt Synodi Laodicenæ.

Atque hæc quidem de vnctione ex Pſeudo-Clemente; quæ cum apud Græcos pæne eadem ad hanc diem manſerint, libet hic omnia eorum de hoc argumento teſtimonia vno ordine continenter exſequi; ne intercurſuræ apud Latinos ſæculis ſequentibus in hoc ritu mutationes diſputationis filum identidem abrumpant. Itaque Pſeudo-Clementem excipiet falſi itidem nominis, ſed vetus tamen, *Quæſtionum & Reſponſionum* ſcriptor Græcus; ex quo locum vnum citat Bellarminus [a] Iuſtini Martyris nomine; nimium profecto inuerecunde, cum ipſe alibi diſerte judicauerit non eſſe hoc Iuſtini opus. [b] Idem ſentiunt Sixtus Senenſis [c], Poſſeuinus [d], alij. Res clarior eſt, quam vt longa diſputatione egeat. Huius enim operis auctor Irenæum [e], & Originem [f] laudat; vtrumque Iuſtino, vt notum eſt, juniorem; Manichæorum meminit, [g] quorum parens a. D. 261. primum emerſit, aſcetas & monachos memorat, [h] ab Antonio exortos, qui a D. 358. eſt denatus; de anachoretis agit, [i] eoſque ἀνδρὰς ἀρχαίους vocat; ſic loquitur velut euerſo ſuis temporibus Paganiſmo; imo hunc à Chriſtianiſmo debellatum aſſerit [k], quod nonniſi ſub Chriſtianis Auguſtis vere dici potuit; & alia multa habet, quæ hominem produnt nonniſi quarto quintove ſæculo vixiſſe. In hunc ergo locum teſtimonium eius conferre viſum eſt, quod ſic habet; *εἰ πρὸ τοῦ τάφου ἡ Μαρία τὸν Κύριον τῷ μύρῳ ἤλειψεν, ἡμεῖς δὲ τοῦ πάθους, καὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ ἐν τῷ βαπτίσματι τελοῦμεν τὰ σύμβολα. πῶς πρῶτον μὲν ἐλαίῳ χριόμεθα, ἔπειτα δὲ τὰ προλεχθέντα ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ τελέσαντες σύμβολα, τῷ μύρῳ σφραγιζόμεθα ὕστερον, καὶ κατ᾽ ἐναντίωσιν τῶν περὶ τὸν Κύριον γεγονότων ταῦτα ποιεῖν οὐ νομίζομεν; εἴγε πρῶτον ὁ Κύριος τῷ μύρῳ ἠλείψατο, καὶ ὕστερον ἔπαθε; πῶς δὲ καὶ οὐ περιττὴ ἡ χρίσις τοῦ ἐλαίου προσφέρεται τοῖς βαπτίζεσθαι μέλλουσιν, εἴγε μόνῳ τῷ μύρῳ πρὸ τοῦ πάθους ἐχρίσθη ὁ Κύριος;* [l] *Si ante ſepulturam Maria Dominum vnguento vnxit; nos autem in baptiſmo ſymbola, ſignaque paſſionis, & reſurrectionis eius referentes celebramus; quomodo primum oleo vngimur ac deinde iis, quæ ante dicta ſunt, ſymbolis in piſcina peractis, poſt illa vnguento conſignamur? Atque hæc ipſa quomodo*

non

[a] De confirm. c. 5. §. Tertius Iuſtin.
[b] de Script. Eccl. in Iuſtin.
[c] Appar. Iuſt.
[d] Bibl. S. l. 4.
[e] q. 115.
[f] q. 82.
[g] q. 127.
[h] q. 19. 22.
[i] q. 110.
[k] q. 81. 86.
[l] q. 137.

non contra quam circa Dominum geſta ſint, facere exiſtimamus? Siquidem Dominus primum vnguento delibutus eſt, ac deinde paſſus? Quomodo verò non ſuperuacua eſt etiam ea, quæ in baptizandis peragitur olei vnctio, ſi vnguento tantum prope paßionem delibutus eſt Dominus? Ad priorem quæſtionis partem reſpondet Mariam ante juſtum tempus vnxiſſe corpus Domini: itaque id, quod à Domino ante juſtum tempus per quandam prolepſin geſtum eſt, id fieri ἐπὶ τῶν βαπτιζομένων ἐν τῷ δέοντι καιρῷ *in iis, qui baptizantur congruenti tempore.* Ad alteram vero quæſtionis partem; χριόμεθα, δέ (inquit) τῷ παλαιῷ ἐλαίῳ, ἵνα γινώμεθα χριστοὶ· τῷ δὲ μύρῳ πρὸς ἀνάμνησιν τοῦ τὴν χρῖσιν τοῦ μύρου ἐνταφιασμὸν ἑαυτοῦ λογιζομένου· καὶ τύπῳ μὲν ἐπὶ τοῦ παρόντος, ἀληθείᾳ δὲ ἐπὶ τοῦ μέλλοντος εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν τε ἑαυτοῦ παθημάτων, καὶ τῆς δόξης ἡμᾶς καλέσαντος Σωτῆρος χριστοῦ. *Cæterum veteri oleo inungimur, vt Chriſti* (id eſt vncti) *fiamus; vnguento autem ad recordationem eius, qui vnguenti vnctionem ſepulturam ſuam eſſe reputauit; ac typo quidem & figura in præſenti, veritate autem & re ipſa in futuro tempore ad communicationem paßionum ſimul & gloriæ nos vocauit, id eſt Saluatoris Chriſti.* Hæc ille; ex quibus vides, quam commodum ſibi teſtem aſciuerit Bellarminus, qui totum ipſius de ſuo illo confirmationis ſacramento dogma penitus euertit. Nam iſte quidem ſcriptor vtramque vnctionem, tam quæ ex oleo ante merſionem, quam quæ ex vnguento ſiue chriſmate poſt egreſſum è lauacro fit, vtramque inquam plane eiuſdem ordinis ac cenſus facit; vt ſi prior (quod fatetur aduerſarius) mera cærimonia eſt; altera non poſſit eſſe propriè dictum ſacramentum. Tum vtramque baptiſmo tam clare accenſet, vt non ſit clarius ſolem meridie lucere. Primo enim iſtam & vnctionem & chriſmationem numerat in baptiſmi ſymbolis. Tum ipſa, quæ affertur, dubitandi ratio, vtramque baptiſmalis ritus partem eſſe liquido evincit. Hoc enim in primis pro confeſſo ſumit in baptiſmo, in quo nos mortis, ac reſurrectionis Domini peragimus ſymbola, decere eum in ſymbolis ordinem ſequi, quem in rebus ipſis, quæ Chriſto contigerunt, ſeruatum videmus: jam vero non videri nos eum ſequi ordinem, qui primo oleo vngimur, tum mergimur & emergimus, poſtremo chriſmamur; cum Chriſtum ex Euangelio conſtet vnguento à Maria prius delibutum fuiſſe, quam moreretur, ac reſurgeret. Vel abſurda & inſana eſt quæſtio; vel vnctio & chriſmatio ſymbolorum baptiſmalium pars ſunt. Sed & mox auctor, vbi quæſtionem ſoluit, chriſmationem ἐπὶ τῶν βαπτιζομένων fieri ait; *in iis, qui baptizantur.* Quomodo ſi ad baptiſmum non pertinet, ſed aliud eſt ab eo ſacramentum? Denique vtriuſque vnctionis rationes affert à Latinorum Theologia alienas. Vult enim nos oleo (quod *vetus vocat) inungi, vt Chriſti fiamus;* vnguento, ſiue chriſmate in memoriam ſepulturæ Chriſti; ac poſtremo ſatis docet nihil iſta aliud

eſſe, quam rerum futurarum, ad quos à Domino vocamur, imagines ac figuras, mortis ſcilicet qua nos aliquando conſummari, & gloriæ, qua donari, Chriſti Domini exemplo neceſſe eſt. Quid hæc ad Latinorum confirmationem?

c. 7. A.D. 363. aut circiter, habita Laodiceæ Synodus de chriſmatione duos condidit canones; quorum alter jam ſupra deſcriptus jubet hæreticos ad Eccleſiam venientes ſancto chriſmate vnctos recipi; al-
c. 48. ter vero hic eſt, ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ Χριστοῦ. *Quod eos, qui illuminantur, oportet post baptiſma vngi cæleſti chriſmate, & participes eſſe regni Chriſti.* Atque hæc prima fuit, quod ſciam, de chriſmate publice apud Græcos lata lex. Id à quo tempore à Patribus in baptiſmi ritus post Iuſtini æuum, inuectum fuerat tacito gentis conſenſu, nulla publica lege, obſeruabatur. Legis ferendæ occaſionem Laodicenis præbuiſſe videtur vulgaris iſtius ritus apud Phrygiam, finitimaſque prouincias contemptus; quem & Nouatiani in illis partibus frequentes *, & ex ipſis etiam fortaſſe Catholicis aliqui faſtidiebant; vt ſolerter conjicit doctiſſimus Blondellus noſter †. Iam Synodus baptiſmi cærimoniam fuiſſe chriſmationem eo apertiſſime docet, quod τοὺς φωτιζομένους *qui illuminantur,* hoc eſt baptizantur, ſiue initiantur Chriſtianiſmo, eos decernit χρίεσθαι *vngi ſacro chriſmate.* His enim verbis ſignificat τὸ χρίεσθαι *vngi* partem fuiſſe τοῦ φωτισμοῦ *illuminationis,* ſiue *initiationis*; ita vt initiatio, quo rite perficeretur, chriſmate veluti conſignanda, ac conſummanda eſſet. Hæc omnino vis verborum iſtorum eſt. Si aliud voluiſſent Patres, & chriſmationem, non inter ipſos initiationis ritus, ſed proprium poſt initiationem miniſtrandum ſeorſum ſacramentum eſſe cenſuiſſent, haud dubie dixiſſent, ὅτι δεῖ τοὺς πεφωτισμένους χρίεσθαι, *eos qui baptizati ſunt chriſmandos eſſe*; non autem, quod dixerunt in præſenti tempore τοὺς φωτιζομένους *eos, qui baptizantur.* Vt ſi de Euchariſtia, quam olim neophytis ſtatim peracto baptiſmo datam fuiſſe nemo neſcit, ſi inquam de Euchariſtia præciperent, non dicerent profecto id, quod de chriſmate dixerunt, ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους τῆς εὐχαριστίας μετέχειν, *eos qui baptizantur, Euchariſtiæ participes fieri debere,* ſed τοὺς πεφωτισμένους εὐχαριστίας εὐθέως μετέχειν, *eos qui baptizati ſunt, ſtatim Euchariſtiam accipere debere.* Neque vero quemquam moueat, quod aiunt τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι *eos qui illuminantur, vngi poſt baptiſma.* Sciendum enim eſt *baptiſmi,* ſiue *baptiſmatis* vocabulum duobus modis ſumi; vel pro toto initiationis ritu, ſiue pro integro φωτισμῷ ſuis omnibus ex vſu Eccleſiæ ſolennibus cærimoniis, ac ritibus conſtante; vel ſtrictius & magis proprie pro ſolo *merſionis,* ſiue *tinctionis* actu, quem & hoc nomen proprie apud Græcos ſignificat, & ipſa Chriſti inſtitutio ſo-

* Socrat. l. 4. c. 27. & l. 7. c. 18.
† Apolog. Hieron. ſect. 3. §. 5. p. 147.

lum complectitur. Secundo hoc ſenſu, non priori *baptiſmatis* nomen hic vſurpant Laodiceni, dum aiunt τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι *qui illuminantur eos vngi poſt baptiſma*, id eſt *poſt tinctionem*, ſiue *merſionem*; non autem poſt initiationem. Nam ſi hoc intelligerent, πεφωτισμένοι eſſent qui vnguntur, non φωτιζόμενοι, quod aiunt Patres; hoc eſt jam eorum initiatio completa eſſet cum inungi incipiunt; Nondum vero eſſe eo ipſo ſignificant Patres, quod eos etiam tum φωτιζομένους vocant. Statuunt ergo & hi perindè atque alij Græci, φωτισμοῦ id eſt baptiſmi (late ex priori ſenſu ſumpto vocabulo) partem eſſe chriſmationem. Partem non fuiſſe *eſſentialem*, vt loquuntur, & ad fidelium initiationem vel ex rei natura, vel ex Chriſti inſtituto neceſſariam conſtat, & omnes fatentur. Partem ergo fuiſſe ritualem, ſiue cærimonialem, adeoque adiectitiam ac (vt loquuntur) *accidentalem* neceſſe eſt; quod nos affirmamus. Chriſma autem ἐπουράνιον *cœleſte* vocant, quod ad rem diuinam ac cœleſtem ſignificandam adhiberetur; quo & illud pertinet, quod ſequitur; oportere eos, qui baptizantur, *eſſe regni Chriſti participes*. Eo enim docent chriſmationem illam baptiſmalem eo valuiſſe, vt intelligeretur regni Chriſti conſortes eſſe, qui ei ſunt initiati, & per baptiſmum inſiti. Quo loco obiter obſeruanda eſt Patrum in his myſticis libertas, ac diuerſitas. Pſeudo-Clemens aiebat chriſmationem eſſe τῆς ὁμολογίας βεβαίωσιν *confeſſionis confirmationem*, & τῶν συνθηκῶν σφραγῖδα, *pactionum* ſiue *conuentorum ſignaculum*; pſeudo-Iuſtinus τοῦ ἐνταφιασμοῦ Χριστοῦ ἀνάμνησιν, *recordationem ſepulturæ Chriſti*. Laodiceni nunc eam Patres ad regni cœleſtis conſortium referunt; quæ & Tertulliani, & aliorum plærorumque ſententia eſt. Vel hæc in myſterio enarrando diuerſitas rem humanam fuiſſe oſtendit, non à Chriſto, vel ab Apoſtolis traditam; à quibus quæcumque inſtituta ſunt ſacramenta, ea certam, conſtantemque & apud omnes vnam eandemque ſignificationem habent.

Capvt XIII.

Teſtimonium, Græcorum ex quarto ſæculo, ſextum, quod eſt Cyrilli Hieroſolymitani, explicatur, & ab argutiis ac ſophiſmatis Bellarmini, & Petri Aurelij defenditur.

Vixit iiſdem temporibus Hieroſolymorum antiſtes Cyrillus; è cuius myſtagogicis Catecheſibus quinque, tertia de chriſmatione tota eſt. Primo ipſam homiliarum ſeriem obſeruat Bellarminus, in aliis ſegnis fere, ac ſupinus, in hoc Cyrilli teſtimonio paulo intentior; *Homiliarum* (inquit) *prima & ſecunda de baptiſmo eſt; tertia de ſacramento confirmationis; quarta & quinta de Euchariſtia, quæ ſunt tria ſacramenta, quæ eodem die percipiuntur à neophytis. Vnde apparet Cyrillum non tantum habuiſſe confirmationem pro ſacramento, ſed etiam pro ſacramento propriiſſime dicto, quandoquidem illud in numero ponit cum baptiſmo & Euchariſtia.* Reſpondeo Cyrillum de chriſmatione in his homiliis myſtagogicis ideò tractaſſe, quod ea eſſet baptiſmi cærimonia, adeoque initiationis pars ritualis; quæ omnium veterum eſt communis Græcorum ſententia; non autem quod ipſa ſeorſum proprie dictum ſacramentum eſſet, à baptiſmo & Euchariſtia diſtinctum. Sic ante merſionem baptiſmalem vnctionem ex oleo prolixe deſcribit homilia II. εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε (inquit) ἐπορκιστῷ, ἀπ' ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω, καὶ κοινωνοὶ ἐγίνεσθε τῆς καλλιελαίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Deinde vero jam exuti exorcizato oleo à ſummis capillis ad infima vſque peruncti eſtis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ Ieſu Chriſti.* Neque hinc tamen colligit Bellarminus hanc vnctionem eſſe propriiſſime dictum ſacramentum. Fatetur ipſe meram eſſe baptiſmi cærimoniam, ea de cauſa à Cyrillo baptiſmi ritus & myſteria enarrante appoſite hoc loco commemoratam. Cæteros ritus ab eodem eadem quoque de cauſa expoſitos mitto; vt *exorciſmos, nudationem*, &c. Cum eadem ſit & chriſmationis ratio, non eſt mirandum, quod eam, baptiſmi ritus explicare aggreſſus, tractarit. Quod de ea, homilia demum tertia, non prima, aut ſecunda agit, inde eſt, quod duas priores homilias alij baptiſmi ritus exhauſerant, vt fuerit vltimi huius tractatio in diem ſequentem differenda. Ita & Euchariſtiæ materiam, quia totam homilia quarta complecti non potuerat, quinta abſoluit. Sed quid ego hic mea affero? Cyrillus ipſe palam teſtatur quo loco chriſmationem hanc cenſuerit. Sic enim orationem quam de ea dixit, exorditur;

L. de Confirm. c. 5. §. V. Cyrillus.

Catech. 2. p. 231. d.

ditur; Εἰς χριστὸν βεβαπτισμένοι, καὶ χριστὸν ἐνδυσάμενοι, σύμμορφοι γεγόνατε τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. προορίσας γὰρ ἡμᾶς ὁ θεὸς εἰς υἱοθεσίαν συμμόρφους ἐποίησε τοῦ σώματος τῆς δόξης τοῦ χριστοῦ. μέτοχοι οὖν τοῦ χριστοῦ γενόμενοι, χριστοὶ εἰκότως καλεῖσθε. καὶ περὶ ὑμῶν ἔλεγεν ὁ θεὸς, μὴ ἅπτεσθε τῶν χριστῶν μου. χριστοὶ δὲ γεγόνατε τοῦ ἁγίου πνεύματος τὸ ἀντίτυπον δεξάμενοι. *In Chriſtum baptizati, & Chriſtum induti, conformes facti eſtis* Filio Dei. *Deus enim, nos, quos prædeſtinauit in adoptionem filiorum, conformes fecit corpori gloriæ Chriſti. Participes ergo Chriſti effecti, merito Chriſti* (id eſt vncti) *vocamini; & Deus dixit de vobis,* Nolite tangere vnctos meos. Chriſti verò *facti eſtis, cum Sancti Spiritus antitypum* (id eſt figuram) *ſuſcepiſtis.* In his vides Cyrillum, quicquid iſti hactenùs ſuſceperant vno vocabulo initio complecti, dum eos dicit *baptizatos eſſe.* Ergo & baptiſmi pars eſt, ea chriſmatio, quam acceperant. Tum illud quicquid eſt, quod per chriſmationem ſiue factum, ſiue ſignificatum fuerat, illud inquam omne baptiſmo Cyrillus deputat; dum dicit iſtos, quod *baptizati* eſſent, & *Chriſtum* induiſſent, *conformes factos fuiſſe Filio Dei, eiuſque participes,* & Chriſtos denique. Vt ergo baptiſmi eſt, non alius ſeorſum ſacramenti, quod *Chriſtum induimus*; quod *ei conformes*, eiuſque *participes ſimus*; ita & baptiſmi eſſe neceſſariò ex Cyrillô fatendum eſt, quod *Chriſti*, id eſt vncti, ſumus. *Chriſtos* autem nos *eſſe, & vocari*, ad chriſmationem, vt & res ipſa, & Cyrillus docent, refertur. Ergo & chriſmatio ipſa baptiſmi eſt; Non erit autem ſi aliud ab eo ſeorſum ſacramentum eſt. Eam ergo non aliud ab eô diuerſum ſacramentum, (quod vult Bellarminus,) ſed baptiſmi ipſius partem ritualem, hoc eſt vnô verbô, cærimoniam (quod nos contendimus) fuiſſe Cyrillo quidem, neceſſe eſt. Iſtos per baptiſmum Chriſtos factos eſſe, clariſſimè docet. Eoſdem Chriſtos factos eſſe chriſmatis ſuſceptione idem quoque disertè dicit (quod enim ait *Spiritus Sancti antitypum*, id nihil aliud quàm chriſma eſſe liquet.) Ergo chriſmatis ſuſceptio vel totus baptiſmus eſt (quod eſt falſum & abſurdum) vel certè baptiſmi pars aliqua. Alioqui enim verè dici non poſſet per baptiſmum factum eſſe, quod per chriſmationem factum eſt. Iam chriſmationem baptiſmi partem eſſentialem & neceſſariam nemo eſſe dixerit. Ergo relinquitur, vt eam partem baptiſmi fuiſſe accidentalem, & adjectitiam, id eſt, quod nos diximus, cærimoniam confiteamur. Idem quoque firmat ea comparatio, quam ſtatim inſtituit Cyrillus, noſtri baptiſmi cum Chriſti baptiſmô. Vt enim in Chriſtum in Iordane ablutum, & ex eô aſcendentem deſcendit Spiritus Sanctus; καὶ ὑμῖν ὁμοίως (inquit) ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐδόθη χρίσμα τὸ ἀντίτυπον οὗ ἐχρίσθη χριστὸς. τοῦτο δέ ἐστι τὸ ἅγιον πνεῦμα. *Sic vobis ſimiliter ex ſacris lauacri aquis aſcendentibus datum eſt chriſma,* eius, *quô Chriſtus vnctus eſt, antitypum; hoc autem* (quô ſcilicet Chriſtus vnctus eſt) *Spiritus Sanctus eſt.*

Ad

Ad Chriſti baptiſmum pertinuit Spiritus Sancti in eum deſcenſus,& ipſius Chriſti ex eô vnctio. Ergo, ſi bene inſtituta eſt comparatio,& ad neophytorum quoque baptiſmum pertinere neceſſe eſt eam, quam ex lauacro aſcendentes accipiebant, chriſmationem. Quod & ipſa Cyrilli verba præ ſe ferunt. Ait enim datum eſſe chriſma è lauacro aſcendentibus, vel vt dixerat Tertullianus, *egreſſis*. Nimirum, vt vnum erat myſterium, ita continenter, nullô ſpatio interpoſito, totum miniſtrabatur. Latini noſtri plane aliter, de quibus ſuæ Confirmationis chriſma poſt complures à baptiſmo annos ſuſcipientibus nonniſi falsò, ac ridiculè dici poſſet, quod hic ait de ſuis neophytis Cyrillus, *ὑμῖν ἀναβεβηκόσιν ἐκ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐδόθη χρίσμα. Vobis è ſacris lauacri aquis,* ſiue *fluentis egreſſis datum eſt chriſma.* Faceſſat ergo hinc cum minutis ſuis præſtigiis Bellarminus. Cyrillus cum Græcis ſuis conſentiens, chriſmationem apertiſſime, cenſuit in baptiſmalibus *cærimoniis*, ſiue *ritibus*: non adeò eam, quod iſte abs re contendit, in ſacramentorum *propriiſſimè dictorum* numerô habuit. Quo ſemel conſtitutô, omnia aduerſarij pro ſuô ſacramentô è Cyrillô ducta argumenta, irrita in ventos cadere neceſſe eſt. Ille verò

cat.3.p.235.A. hæc eius verba primò recitat: *Cæterum vide ne illud ſuſpiceris vnguentum nudum eſſe. Quemadmodum enim Euchariſtiæ panis, poſt Spiritus Sancti inuocationem, non amplius eſt panis communis,* * *ſed Chriſti corpus: ſic & ſanctum hoc vnguentum poſt inuocationem non amplius nudum, neque, ſiquis ita appellare malit, commune eſt, ſed Chriſti chariſma, ſiue donum, & Spiritus Sancti, præſentiâ diuinitatis eius efficax factum, id quod fronti, & aliis corporis tui ſenſibus ſymbolicè illinitur. Et corpus quidem viſibili vnguentô perungitur: anima vero ſancto, & viuifico Spiritu ſanctificatur.*

* ψιλὸς, ſimplex & nudus.

videtur leg. γὰρ

Græca, ſiquis ea desideret ſic habent: Ἀλλ' ὅρα μὴ ὑπονοήσῃς ἐκεῖνο τὸ μύρον ψιλὸν εἶναι. ὥσπερ καὶ ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὐκ ἔτι ἄρτος λιτρὸς, ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ. οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον, οὐκ ἔτι ψιλὸν, οὐδ' ὡς ἂν εἴποι τις κοινὸν μετ' ἐπίκλησιν, ἀλλὰ χριστοῦ χάρισμα, καὶ πνεύματος ἁγίου, παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον, ὅπερ συμβολικῶς ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τῶν ἄλλων σου χρίεται αἰσθητηρίων. καὶ τῷ μὲν φαινομένῳ μύρῳ τὸ σῶμα χρίεται. τῷ δὲ ἁγίῳ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι ἡ ψυχὴ ἁγιάζεται. Ad hæc Cyrilli ita Philoſophatur Bellarminus; *Nota ad hunc locum* (inquit) *primò conferri hic etiam chriſma cum Euchariſtia: quod eſt argumentum vtrumque eſſe æquè propriè ſacramentum.* Reſpondeo argumentum eſſe: ſed fallax, caſſum, & ſophiſticum. Conferuntur

1.Cor.10.1.2.3.4. enim inter ſe quæcumque in aliquô conueniunt; etiam quæ alioqui non ſunt eiuſdem generis proximi. Euchariſtiam noſtram Paulus cum veteris Iſraëlis manna, & aqua è petra baptiſmum, profluente; cum eiuſdem tranſitu per mare rubrum, & ſub nube comparat: Non tamen ideo patitur Bellarminus, vt quis inde argumentetur iſta vetera

tera æque propriè ſacramenta fuiſſe, ac noſtra. *Chriſma & panem* Euchariſtiæ inter ſe contendit Cyrillus; quod vtriuſque idem ſit genus remotum. Eſt enim vtrumque *ſignum*; ſed aliud, atque aliud. *Panis*, ſignum; ſed à Chriſto inſtitutum, vt ſit Euchariſtiæ pars eſſentialis ac neceſſaria, quâ ipſum ſacramentum continetur. *Chriſma*, ſignum quoque, ſed ab hominibus inuentum, vt eſſet baptiſmi pars cærimonialis, atque aduentitia, & accidentalis. *Pani* ſi quod effectum tribuitur, id eius proprie eſt ex Domini inſtitutô & promiſſione. *Chriſmatis* vero quod effectum eſſe dicitur, id omne baptiſmo propriè imputandum eſt, cui ipſum in ornamentum ac cærimoniam additum eſt. Effecta, quæ vtrique tribuuntur, ſimilia & eiuſdem generis eſſe concedo equidem (ſunt enim ea duorum ſacramentorum propriiſſimè dictorum, baptiſmi ſcilicet & Euchariſtiæ.) Vtrumque vtrique eodem modô conuenire, nego. Nimirum *panis* Euchariſtiæ, cuius effectum illud eſt, pars eſſentialis & neceſſaria eſt; chriſma *baptiſmi*, cuius effecta illi tribuuntur, pars eſt, non *eſſentialis*, ſed *accidentalis*; non *neceſſaria*, ſed addititia; denique non tam pars, quàm cærimonia & appendix. Sed ad Bellarminum redeo, qui ſic ex Cyrillo pergit argumentari; *Secundo* (inquit) *nota vnguentum conſecratum vim habere ſanctificandi, quod eſt proprium verorum ſacramentorum, quæ ſunt inſtrumenta ſanctificationis.* Ego vero nego *ſacramenta* proprie dicta eſſe, quæcumque à Patribus dicuntur vim habere ſanctificandi. Notum eſt illud Auguſtini; *Non vnius modi eſt ſanctificatio. Nam & catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari; & quod accipiunt, quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quam cibi, quibus alimur; quoniam ſacramentum eſt.* Hæc ille. Si eiuſcemodi, quale hic Auguſtinus intelligit, *ſacramentum* diceret Bellarminus, facile concederem chriſmationem ſacramentum fuiſſe; nempe ritum quemdam ſacrum, & in religionis rebus vſurpari ſolitum. Sed cùm de proprie dictis ſacramentis intelligat, vel ex Auguſtino videt, quam inane ſit ſuum argumentum. Id enim ſiquid valeret, conficeret ex his Auguſtini verbis catechumenorum, & crucis ſignum, & manus impoſitionem, & ſalem propriiſſime dicta ſacramenta fuiſſe; quæ omnes fatentur cærimonias tantum eſſe, non veri nominis ſacramenta. Quid quod ipſi cineri vim ſanctificandi Ordo Romanus tribuit? *Exorcizo te cinis* (inquit) *in nomine Dei Patris omnipotentis, & Ieſu Chriſti Filij eius, & Spiritus S. qui te per ignem in fauillam conuerti præcepit &c. vt exorcizatus in nomine Sanctæ Trinitatis, aſperſus in eis, qui ſcrutinia ſunt habituri, eos ſanctifices.* An ideo cinerem dices ſacramentum eſſe propriè dictum? Sic in exorcizatione olei Catechumenorum (quod nemo verum Eccleſiæ ſacramentum eſſe dixerit) ait eâ

l.2. de peccat. mer. & remiſſ. c.26.

De offic miſſæ. T 1. Bibl. Patr. p. 35. A.

Bb fieri,

fieri, *vt vnctio ſit in adoptionem carnis & ſpiritus eius, qui ex eo vngi de-* Ibid.p.67.A.
bent, in remiſsionem omnium peccatorum, vt efficiantur eorum corpora ad omnem gratiam ſpiritalem ſanctificata. Sed 3°. notare nos apud Cyrillum Bellarminus jubet *chriſma non ſolum vim habere ſanctificandi, ſed etiam re ipſa vere animam ſancto Spiritu ſanctificari, cum frons chriſmate perungitur.* Ego vero apud Cyrillum reperio *animam Spiritu ſancto ſanctificari, corpus chriſmate viſibili inungi*; hoc eſt Spiritum S. in baptiſmo id intus in animo baptizati perficere, quod exterius corpori illitum chriſma ſignificat. 4°. obſeruat *auctorem hunc caute locutum, cum ait panem Euchariſtiæ poſt conſecrationem eſſe corpus Chriſti; vnguentum autem poſt conſecrationem non dixit eſſe Spiritum S. ne putaremus ab eo fingi ſimilem transſubſtantiationem vnguenti, qualis ſit in pane; ſed dixit non eſſe nudum vnguentum, ſed chriſma Chriſti habens energiam ſanctificandi à Spiritu ſancto.* Sed reſpondeo primo falſo negari à Bellarmino Cyrillum dixiſſe vnguentum poſt conſecrationem eſſe Spiritum S. id eſt Spiritus ſancti donum. Id enim ille diſerte dicit, μετ' ἐπίκλησιν (inquit) χριστοῦ χάρισμα, καὶ πνεύματος ἁγίου, *Chriſti & Spiritus ſancti donum.* Sic enim habent Græci Cyrilli codices, non autem χρίσμα χριστοῦ *chriſma Chriſti,* quod inepte reponit Bellarminus. Tum & hæc eius obſeruatio, præterquam quod eſt ab inſtituto aliena, eſt etiam per ſe futilis, & ſola aduerſarii imaginatione nititur. Cyrillus enim *panis Euchariſtici transſubſtantiationem* adeo non ponit, vt etiam euertat. Vt enim vnguentum vel judice aduerſario; etiam poſt conſecrationem vere vnguentum eſt; ſic & panem etiam poſt inuocationem Spiritus Sancti vere panem eſſe neceſſe eſt, ſi hæc inter ſe recte & legitime comparauit Cyrillus. Ac vt ſtulte, & ridicule diceret vnguentum poſt inuocationem οὐκέτι ψιλὸν οὐδὲ κοινὸν μύρον εἶναι, *non amplius eſſe nudum & commune vnguentum,* niſi tum quoque id vere vnguentum eſſe, tametſi non nudum, neque commune, crediſſet; ita profecto inepte & falſo diceret panem Euchariſtiæ poſt inuocationem οὐκέτι ἄρτον λιτὸν εἶναι, *non amplius eſſe panem ſimplicem,* niſi eum tum quoque verum, ac proprie dictum, licet non ſimplicem, panem manſiſſe putaſſet. Nam is etiam vere homo eſt, qui non communis, neque vulgaris homo eſt; & is etiam vere panis, qui non eſt nudus, neque ſimplex panis. Ac denique vt τὸ φαινόμενον illud μύρον, quo corpus hic vngi ait, non vnguenti ſpectrum, vel phantaſma eſt, ſed verum in oculos incurrens vnguentum; ſic & ὁ φαινόμενος ille ἄρτος, de hom.4.extr.
quo in ſequenti homilia loquitur, non inane panis ſpectrum, vel idolum eſt, ſed verus panis, vere ſenſibus noſtris obiectus. Quod vero hunc panem *Chriſti corpus* eſſe ait; quis id neget, quod ipſe Chriſtus affirmauit? Sed aliud eſt, Bellarmine, hunc panem *corpus eſſe Domini* (quod omnes Chriſtiani confitemur) aliud *ex*, vel *de pane* in Domini

corpus ita eſſe transſubſtantiatum, vt ſub accidentibus illis, quæ modo panem texerant, nihil nunc ſit panis; quod vos ſoli his vltimis ſæculis ſomniaſtis. Sed hæc obiter. Redeo ad Cyrillum, in quo aduerſarius id etiam quinto obſeruat, quod quemadmodum Chriſtus primo baptiſmum accepit; ſecundo deſcendit in eum columba; tertio excepit eum tentatio; ita & nobiſcum fieri dicat Cyrillus; qui primo baptizamur; deinde per chriſma recipimus Spiritum S. & ſic tandem ad prælium deſcendimus cum Diabolo. Ego concedo omnia; hoc vnum addo; Vt Spiritum Chriſtus non in nouo aliquo ſacramento à baptiſmo diuerſo, ſed in ipſo baptiſmo vix ex Iordane egreſſus accepit; ita quoque Cyrilli neophytis Spiritum S. non in alio aliquo ſacramento à ſuæ initiationis myſteriis diuerſo, ſed in ipſo baptiſmo datum fuiſſe; adeoque chriſma illud, quo inuncti ſunt, baptiſmi partem ritualem fuiſſe. Cyrilli verba ſunt; ὥσπερ γὰρ ὁ χριστὸς μετὰ τὸ βάπτισμα καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοίτησιν, ἐξελθὼν κατηγωνίσατο τὸν ἀντικείμενον· οὕτω καὶ ὑμεῖς μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα, καὶ τὸ μυστικὸν χρίσμα ἐνδεδυμένοι τὴν πανοπλίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἵστασθε πρὸς τὴν ἀντικειμένην δύναμιν. *Vt enim Saluator poſt baptiſma, & illum Spiritus Sancti aduentum, egreſſus in prælium deuicit aduerſarium: ſic & vos poſt ſacrum baptiſma & chriſma myſticum induti armis Sancti Spiritus aduerſus oppoſitam vobis poteſtatem conſiſtitis.* Vbi notandum *baptiſmatis* vocabulum non priori, ſed poſteriori ſenſu ſtricte ſumi pro merſionis, ſiue tinctionis actu: eoque modo baptiſma, id eſt merſionem, & chriſma, id eſt vnctionem, numerari pro duabus partibus totius myſterij; quo & Chriſtus ad ſuum munus, & nos ad Chriſtianiſmum initiati ſumus; ſic tamen, vt chriſma noſtri myſterij (quod aliàs totum *baptiſma* latius ſumpto vocabulo dicitur) pars ſit ritualis, adiecta ad ſignificandum illum Spiritum, qui nobis datur cum initiamur, ſed (ſi proprie loquendum eſt) vi inſtitutæ à Domino tinctionis, non adiecti ab hominibus chriſmatis. VI°. Bellarminus obſeruat apud Cyrillum Chriſtianum proprie denominari à chriſmate. *Cum enim* (inquit) *Chriſtianus dicatur, quaſi vnctus, non videtur dignus hoc nomine, qui non eſt vnctus hoc vnguento, quo Chriſtiani perficiuntur.* Verba Cyrilli hæc ſunt: τούτου τοῦ ἁγίου χρίσματος καταξιωθέντες καλεῖσθε χριστιανοὶ, ἐπαληθεύοντες τῇ ἀναγεννήσει καὶ τὸ ὄνομα· πρὸ γὰρ τοῦ καταξιωθῆναι ὑμᾶς ταύτης τῆς χάριτος, ταύτης τῆς προσηγορίας κυρίως οὐκ ἦτε ἄξιοι, ἀλλ' ὁδεύοντες προβαίνετε εἰς τὸ εἶναι χριστιανοί. *Huius ſancti chriſmatis dono accepto appellamini Chriſtiani, vt regenerationi & nomen ipſum vere reſpondeat. Ante enim quam hæc gratia vobis donata eſſet, non eratis proprie digni eo nomine: ſed pergentes vſque eo progreſſi eſtis, vt efficeremini Chriſtiani.* Reſpondeo inauditum eſſe, vt qui vere baptizatus eſt (id eſt Chriſtianiſmo initiatus) is *proprie Chriſtiani nomine ſit indignus.* Et ipſe Cyrillus id fatetur, qui hoc nomen à rege-

p.235.C.

p.235.D.

neratione pendere, & ei vere reſpondere hic dicit, ἐπαληθεύοντες τῇ ἀναγεννήσει καὶ τὸ ὄνομα. Quo ſtatuit quiſquis vere regeneratus eſt eum hoc ipſo Chriſtiani quoque nomine dignum eſſe, *verumque dicere* ἀληθεύειν, qui regenerato id nomen imponit. Cum ergo homines baptiſmo vere regenerari conſtet, illud quoque neceſſario confitendum eſt eos à baptiſmo Chriſtianorum nomen conſequi. Vnde conficitur illud Cyrilli chriſma baptiſmi partem fuiſſe, & ad noſtræ regenerationis, ſiue in Chriſtum initiationis myſterium pertinuiſſe. Non enim aliter vere dici poſſet, neophytos hoc accepto chriſmate Chriſtianos tum demum vel eſſe vel appellari; quod ſcilicet per regenerationis ſacramentum (id eſt baptiſmum) & ſunt & appellantur. Id vero nomen ad hunc potiſſimum myſterij actum cum aliis Patribus retulit Cyrillus, quod is antitypum & ſymbolum ſit illius ſpiritualis vnctionis, qua proprie Chriſtiani cenſemur. Eo enim actu, id eſt chriſmate, palam atque aperte ſignificabatur eum, qui vngebatur, Chriſti Spiritu perfuſum eſſe; vt pro vero germanoque Chriſtiano haberi, cenſerique abſque controuerſia poſſet, & deberet; qui ſcilicet omnibus ad Chriſtianiſmi initiationem ex vſu Eccleſiæ requiſitis, ſolennibuſque ritibus perfunctus eſſet; Quæ quidem, vt ad Synodum Eliberitanam jam diximus, ad Eccleſiæ diſciplinam referenda ſunt. Nam ſi res ipſa per ſe ſpectetur, Patribus etiam eum, qui vel chriſmatus, vel (quod apud Latinos eandem vim habuit) manus impoſitione conſecratus non fuerat, ſi modo tinctus fuiſſet, non modo pro Chriſtiano, ſed etiam pro *juſto* & *ſancto* ſiue fideli habitum fuiſſe ex eadem Eliberitana Synodo demonſtrauimus. VII°. denique ait Bellarminus *Cyrillum recte dicere Ioannem ep. 1. capite 2. cum ait,* Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, in vobis maneat, & vnctio docebit vos de omnibus, *ad hoc ſanctum chriſma alluſiſſe, per quod datur Spiritus Sanctus, qui docet nos de omnibus.* Hæc ille. Cyrillus quid? Primo obſeruat in veteri teſtamento huius chriſmatis, ſiue vnctionis ſymbolum fuiſſe Aaronis poſt lauacrum vnctionem, & Salomonis itidem vnctionem poſtquam ablutus fuiſſet in Geon. Sed hæc vetera ait iſtis contigiſſe typice (quod ſcilicet eo ritu in typicum, terrenumque vel ſacerdotium, vel regnum inaugurarentur) ὑμῖν δὲ (inquit) οὐ τυπικῶς ἀλλ' ἀληθῶς. ἐπειδὴ ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐχρίσθητε ἀληθῶς, *Vobis vero non in figura, ſed in veritate* (hæc contigerunt) *quandoquidem à Spiritu Sancto vere vncti eſtis.* Vides, quam vnctionem dicat., eam ſcilicet qua nos Spiritus Chriſti intus perfundit. De hac ergo eadem capiendum, quod ſtatim ſequitur; τοῦτο φυλάξαι ἄσπιλον πάντων γὰρ ἐςαι τοῦτο διδακτικὸν, ἐν ὑμῖν μένον, καθὼς ἀρτίως ἠκούσατε τοῦ μακαρίου Ἰωάννου λέγοντος, καὶ πολλὰ περὶ τούτου τοῦ χρίσματος φιλοσοφοῦντος. ἔστι γὰρ τοῦτο ἅγιον, πνευματικὸν, σώματος φυλακτήριον, καὶ ψυχῆς σωτήριον. *Hoc* chriſma (Spiritus ſcilicet

Sancti

Sancti vnctionem) *ſeruate incorruptum. De omnibus enim docebit vos, ſi in vobis maneat, ſicut paulo ante ex Ioanne audiſtis, cum multa de hoc chriſmate loqueretur & philoſopharetur. Eſt enim hoc ſanctum, & SPIRITVALE, corporis cuſtodia, animæ ſalus.* De vnctione Spiritus Sancti Ioannem locutum ait, (quod omnes fatentur) vbi vero ait Ioannem ad chriſma ex oleo & balſamo neophytis illini ſolitum *alluſiſſe?* Nuſquam. Hoc omnino Bellarmini ſomnium fuit; qui verius dixiſſet, ſi chriſmatis cærimoniam ad Ioannis locum alludere dixiſſet, quam adeo à Patribus ex ſuo ingenio fuiſſe inſtitutam liquet, vt illius veræ, ſpiritualiſque à Ioanne commemoratæ vnctionis quoddam eſſet rude ac craſſum ſymbolum, & (vt Cyrillus loquitur) *antitypum*. Nunc cum dixit Ioannem ad eam cærimoniam alluſiſſe, cuius prima rudimenta nonniſi centum vel 80. annis fuerunt, poſtquam Ioannes eam epiſtolam ſcripſiſſet; profecto rem abſurdam & ridiculam dixit. Neque enim rationi conſentaneum eſt Ioannem ad ea alluſiſſe quæ nondum erant cum ſcriberet, inuenta. Non plura Bellarminus in Cyrillum. Sed Petrus Aurelius hoc vrget, quod Cyrillus chriſma vocat τοῦ πνεύματος ἁγίου ἐνεργητικὸν *Spiritus Sancti efficiens*; & alibi ait *hunc omnium fortiſſime chriſma pani Euchariſtico conferre audere.* Nos de comparatione quidem chriſmatis cùm pane Euchariſtico jam Bellarmino ſatisfecimus. Quod vero iſte ait *chriſma eſſe Spiritus Sancti efficiens*; id & dictu abſurdum ac impium eſt; neque vſpiam à Cyrillo dicitur. Abſit. Ille (quod ex ſupra recitatis eius verbis liquet) ait *vnguentum poſt inuocationem donum eſſe Chriſti & Spiritus Sancti*, παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γενόμενον, *præſentia diuinitatis eius factum efficax.* Cui addi poteſt & Gregorij Nyſſeni ſimile de oleo dictum; οὕτως τὸ μυστικὸν ἔλαιον, οὕτως ὁ οἶνος, ὀλίγου τινὸς ὄντα ἄξια πρὸ τῆς εὐλογίας, μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὸν τοῦ πνεύματος ἑκάτερον αὐτῶν ἐνεργεῖ διαφόρως. *Ita myſticum oleum, ita vinum, quæ ante benedictionem res viles ſunt, & exigui pretij, poſt Spiritus ſanctificationem excellenter ambo operantur.* Non ergo *oleum*, vel *vnctio Spiritum efficit* (quod abſurdiſſime ſomniat Aurelius) ſed plane contra *Spiritus oleum efficax reddit.* Quo vero ſenſu oleum & Cyrillus ἐνεργητικὸν eſſe, & Gregorius ἐνεργεῖν *operari* dicat, ſæpius jam oſtendimus. Oleo, quo catechumeni ante baptiſmum inunguntur (de quo ipſo fortaſſe, non vero de chriſmate accipiendus eſt Gregorius) ſupra pſeudo-Clemens δύναμιν ἐνεργητικὴν *vim efficacem* tribuebat, vt id ipſum quoque & ἐνεργητικὸν fieri, & ἐνεργεῖν διαφόρως æque dici poſſit ac chriſma. Negant tamen aduerſarij illud oleum eſſe ſacramentum proprie dictum; Volunt eſſe meram baptiſmi cærimoniam. Non ergo chriſma vel proprie ſacramentum eſt, vel baptiſmi cærimonia non eſt, ideo quod ἐνεργητικὸν γίνεσθαι, vel ἐνεργεῖν διαφόρως dicitur. Verbum Dei Paulus ἐνεργὴς eſſe dicit, id eſt *efficax.* Neque

Orthod Parte 1. c. 4 p. 126 Anaret. p. 411.

Orat. in Bapt. Chr T. 2 p. 801.

Conſt. Apoſt. l. 7. c. 45.

Hebr 4. 12.

 tamen

tamen verbo Dei veri, ac proprie dicti ſacramenti nomen quiſquam vindicat. Nimirum *efficax* dicitur, non quod ei vlla vis operandi phyſica, vel ſacramentalis inſit; ſed quod res, quas ſignificat, in animis humanis, à quibus fide ſuſcipiuntur, mirabiles effectus edunt, mutationeſque ingentes deſignant. Iam & oleum, & chriſma & cætera myſtica, verba quædam ſunt, ſed viſibilia. Sunt enim imagines rerum diuinarum ac ſpiritualium, quæ in animos noſtros admiſſæ magnos eorum motus, magnaſque conuerſiones efficiunt. Inde dicuntur ἐνεργητικά, & ἐνεργῆ. Quo & illud accedit, quod non ſunt inanes, & re, quam ſignificant, deſtitutæ picturæ. Qui enim vere in Chriſto baptizantur, ij reuera, Spiritus illius ſanctiſſimi participes fiunt, quem (vt verbo Damaſceni vtar) *μυστικῶς indicat* oleum. Atque hoc ipſo ſenſu pſeudo-Clementem ſupra interpretati ſumus, quo loco dicit, vnguentum ἐνεργὲς γίνεσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ *efficax fieri in eo, qui baptizatur.* Cæterum vt intelligat Aurelius quàm nullam hæc vim habeant ad hoc, vt verum ſacramentum Cyrillo chriſma fuiſſe perſuadeant, expendat quæſo, iſta de oleo baptiſmali (quod omnes Latini pro mera cærimonia habent) ab eodem dicta; ἐλαίῳ (inquit) ἠλείφεσθε ἐξορκιστῷ &c. καὶ κοινωνοὶ ἐγίνεσθε τῆς καλλιελαίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Mox; τὸ ἐξορκιστὸν ἔλαιον σύμβολον ἦν τῆς κοινωνίας τῆς πιότητος τοῦ Χριστοῦ, φυγαδευτήριον τυγχάνον παντὸς ἴχνους ἀντικειμένης ἐνεργείας. ὥσπερ γὰρ ἐμφυσήματα τῶν ἁγίων, καὶ ἡ τοῦ ὀνόματος τοῦ Θεοῦ ἐπίκλησις ὥσπερ σφοδροτάτη φλὸξ, καίει καὶ ἐκδιώκει δαίμονας. οὕτω καὶ τὸ ἐξορκιστὸν τοῦτο ἔλαιον ἐπικλήσει Θεοῦ καὶ εὐχῇ δύναμιν τηλικαύτην λαμβάνει, ὥστε οὐ μόνον καῖον τὰ ἴχνη τῶν ἁμαρτημάτων ἀποκαθαίρειν, ἀλλὰ καὶ πάσας ἀοράτους τοῦ πονηροῦ ἐκδιώκειν τὰς δυνάμεις. *Exorcizatum illud oleum ſymbolum eſt communionis pinguedinis Chriſti, quod omne veſtigium aduerſariæ operationis fugat. Vt enim inſufflationes Sanctorum, & nominis Dei inuocatio, vt flamma aliqua vehementiſſima, vrit & fugat dæmones; ſic exorcizatum hoc oleum tantam poteſtatem Dei inuocatione & oratione accipit, vt non modo peccatorum veſtigia expurget, ſed etiam omnes inuiſibiles maligni poteſtates effuget.* Hactenus Cyrillus; ex quo & hoc notandum eſt in chriſmatione vnctam fuiſſe primo frontem, inde aures, tum nares, poſtremo pectus, *Ac frontem quidem, vt* (inquit) *eo pudore liberemini, quem primus tranſgreſſor homo vbique circumferebat*; Aures vero, *vt ad audienda diuina myſteria aures accipiatis*; Nares, *vt diuinum recipientes vnguentum dicatis,* Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſaluantur. Petrus denique, *vt induti thoracem iuſtitiæ fortiter aduerſus inſultus Diaboli conſiſtatis*: quæ ſane ſunt à Latinorum Confirmatione aliena, in qua vna frons chriſmatur. Patres CP[i], quorum canonem ſupra recitauimus, præter frontem, aures, & nares, *oculos* quoque & *os* chriſmari præcipiunt. Pectus viciſſim, quod Cyrillus inungit, ipſi mittunt. Nimirum chriſmatis, veluti ritus humani,

hom. Myſtag. 4. p. 231. d. 232. a.

ibid. p. 233 b. c.

humani; varia pro temporibus & locis fuit adminiſtratio; quod in talibus vſu venire ſolet. Synodus autem CP[a]. a. D. 381. habita eſt; Cyrillo ſuperſtite, qui a. D. 386. die Martij 18. obiit.

Capvt XIV.

Septimum Græcorum, ex quarto ſæculo teſtimonium, quod eſt Gregorij Nazianzeni, à Bellarmini & Petri Aurelij obiectionibus vindicatur. VIII. Græcorum teſtimonium ex eodem ſæculo quod eſt Aſterij. IX. ex vita Baſilij. X. Chryſoſtomi: quæ omnia explicantur.

GRegorium Nazianzenum, qui CP[a]. iſti Synodo interfuit, etiam aduerſarij teſtem in hac cauſſa citant. Quidni, qui vnctos fuiſſe Chriſtianos meminit? Bellarminus hæc ex eo verba deſcribit; *At ſi per baptiſmum te ipſum præmunieris, ac pulcherrimô, & firmiſſimô auxilio tibi in futurum caueris, animum ſcilicet & corpus vnctione & Spiritu conſignans, quemadmodum olim Iſrael nocturno illo cruore, qui primigenos tuebatur; quid tibi accidet? & quod tibi præſidium comparatum erit? Audi Salomonis Prouerbia; Si ſederis ait, intrepidus eris; ſi dormieris, ſuauem ſomnum carpes.* Græca ſunt hæc; εἰ δέ προκαταλάβοις σεαυτὸν τῇ σφραγῖδι, καὶ τὸ μέλλον ἀσφαλίσαις τῷ καλλίστῳ τῶν βοηθημάτων, καὶ στερροτάτῳ, σημειωθεὶς καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ χρίσματι, καὶ τῷ πνεύματι, ὡς Ἰσραὴλ πάλαι, τῷ νυκτερινῷ καὶ φυλακτικῷ τῶν πρωτοτόκων αἵματι καὶ χρίσματι. τί σοι συμβήσεται; καὶ τί σοι πεπραγμάτευται; τῶν παροιμιῶν ἄκουσον. ἐὰν γὰρ κάθῃ φησίν, ἄφοβος ἔσῃ. ἐὰν δὲ καθεύδῃς, ἡδέως ὑπνώσεις. Audio *vnctionem*; Quam verò audio, eam Latinæ confirmationis eſſe nego. Hæc enim ſacramentum per ſe, ac ſeorsùm eſſe fingitur; Gregoriana verò vnctio ſacramenti quidem eſt (eſt enim baptiſmi) ipſa per ſe ſacramentum non eſt. Baptiſmi autem eſſe Gregorianam vnctionem vel ipſæ Gregorij Billiani margines loquuntur; in quibus ad hunc ipſum locum ita annotatum eſt; *Vnctio baptiſmalis.* Itaque, & quod Gregorius dixerat προκαταλαβεῖν ἑαυτὸν τῇ σφραγῖδι *ſe ipſum præmuniri ſignaculo*, Billius optime vertit *baptiſmo*; quod intelligeret ex ipſo Gregorio vnum ex baptiſmi nominibus olim fuiſſe τὴν σφραγῖδα *ſignaculum*. Idem quoque clamat orationis titulus; εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα λόγος. *Oratio in ſanctum baptiſma.* Idem ipſe Gregorius initio ſtatim monet, σήμερον (inquit) περὶ τοῦ βαπτίσματος βραχία διαλεξόμεθα, καὶ τῆς ἐντεῦθεν ἡμῖν ὑπαρχούσης εὐεργεσίας. *Hodie de baptiſmo, ac beneficio hinc ad nos manante breuiter diſſeremus.* Ergo quam hic memorat vnctionem, ea baptiſmi eſt; quod

Orat. 40. in S. bapt. T. 1. p. 646. C.

ibid. p. 678. d.

prædicat

prædicat *pulcherrimum, & firmiſſimum auxilium*, id illius *beneficij* pars eſt, quod *ex baptiſmo manat*. Non poteſt aliter res habere, niſi tu Gregorium mentitum eſſe dixeris, & quæ dixit alia eſſe ab iis contenderis, quæ ſe dicturum eſſe profeſſus fuerat. De tuô quidem Confirmationis ſacramentô nullum extat, vel in titulô, vel in oratione ipsâ verbum. Omnia non aliud, quàm baptiſmi, ſacramentum loquuntur, memorant, ſignificant. Sed & ſi benè repures, tuum hoc Gregorius muſteum ſacramentum liquidò explodit; dum *baptiſmum*, præter alia nomina, quæ non pauca recenſet, diſerte etiam ſcribit vocatum fuiſſe *χρῖσμα* & *σφραγῖδα*. *chriſma* (id eſt vnctionem,) & *ſignaculum*.
p.638.D. Tum rationes vtriuſque nominis exponens χρῖσμα dici ait, *ὡς ἱερὸν καὶ βασιλικόν· τοιοῦτα γὰρ ἦν τὰ χριόμενα*, *chriſma* ſiue *vnctionem vocari baptiſmum, quia ſacer & regius eſt. Huiuſmodi enim ea erant, quæ vngebantur.*
p.359.a. *σφραγῖδα δὲ* (inquit) *ὡς συντήρησιν καὶ τῆς δεσποτείας σημείωσιν*. *Sigillum ſiue ſignaculum, quia conſeruatio eſt, ac dominationis ſignificatio.* Vides, vt baptiſmo noſtro veſtræ Confirmationis & nomina, & res vindicet? Vos enim veſtrum illud nouum ſacramentum, *chriſma*, & *ſignaculum*, & *conſignationem* vocatis; eique hoc tribuitis, vt vos conſeruet ac tueatur aduerſus hoſtiles vel impetus, vel inſidias; & ſi forte etiam interdum (quanquam nunc quidem minus, quam olim) vt nobis dominium, regiam & ſacerdotalem *dignitatem* conferat. At ecce Gregorius docet iſta & nomina, & elogia, & effecta baptiſmi eſſe propria; ad eum omnia pertinere. Ergo neceſſe eſt ex Gregorio quidem & vos fures, plagiarioſque eſſe manifeſtos, qui ſcilicet & nomina, & bona hæc tanta baptiſmo, cuius illa erant, ſacrilegâ manu indigniſſimè decepta in veſtrum illud Epiſcopalis confirmationis figmentum transferre, ac tranſcribere auſi eſtis; & chriſmationem, quæcumque ad hoc olim fieret, vt Chriſtianos ſacrum, regiumque genus eſſe, & benè aduerſus hoſtes munitum ac cuſtoditum, intelligeretur, eam inquam omnem *chriſmationem* baptiſmi fuiſſe neceſſe eſt; qui ſcilicet neque iis *nominibus*, ornari, neque iis elogiis cohoneſtari potuiſſet, quibus hic eum à Gregorio ornatum fuiſſe videmus; ſi hæc, quæ illi tribuuntur omnia, alterius neſcio cuius ſacramenti, ſeorſim à baptiſmô diſtincti ac diuiſi propria fuiſſe exiſtimata eſſent. Atque hinc liquet, quàm incautè, quamque improuidè, ad ſuam
Orthod.part 1.p.516. chriſmationem traduxerit Aurelius illa Gregorij, quæ nos nuper recitauimus, *σημειωθεὶς καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ χρίσματι, καὶ πνεύματι*. i. *chriſmate & Spiritu corpus & animam conſignatur.* Atqui iſta Aureli, de chriſmatione baptiſmali dicta ſunt; quam tu caſſam, & meram cærimoniam eſſe vis. Ego cærimoniam eſſe aſſentior; *baptiſmum*, cuius illa res eſt, & ex cuius fonte profluunt, quæcumque ei, Patres tribuunt, *ſacramentum* verum eſſe contendo; & quidem tuo illo in fi-

morum

morum ſæculorum tenebris nato incomparabiliter excellentius. Ergo tu quidem, ſi ſapis, à Gregoriô in hac cauſſa caue, qui te furti ac ſacrilegij reum peragit; tam inuerecunde ad tuum ſacramentum tranſcribentem, quæ ille tam apertè baptiſmô jampridem vindicauit. Sic etiam Aſterius Amaſiæ Epiſcopus, quem Bellarminus a.D. 400. vixiſſe ait, conſignationem ad baptiſmum pertinuiſſe liquido teſtatur apud Photium *; *δίδοται δὲ τῷ ἀσώτῳ* (inquit) *μετὰ τὴν στολὴν, καὶ δακτύλιος, σύμβολον τῆς νοητῆς σφραγῖδος, τοῦ ἁγίου πνεύματος. ὡς γὰρ ἐν τῇ διὰ τοῦ βαπτίσματος παλιγγενεσίᾳ καὶ στολὴ καὶ σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, οὕτω καὶ ἐν τῇ διὰ τῆς μετανοίας ἀναγεννήσει. Datur vero prodigo poſt ſtolam & annulus, ſymbolum intelligibilis ſignaculi, nempe ſancti Spiritus. Vt enim in regeneratione* PER BAPTISMVM *& ſtola eſt, & ſignaculum doni Spiritus; ita etiam in regeneratione per pœnitentiam. Stolam* intelligit gratiam, qua in baptiſmo induimur; *ſignaculum,* Spiritus donum. Vtrumque in baptiſmo ineſſe affirmat. Ergo & baptiſmi eſt ipſe ſignaculi ritus, id eſt chriſmatio. Itaque ad hunc baptiſmalem ritum cætera Græcorum, ſiqua ſunt huius æui, de vnctione teſtimonia pertinent, quale eſt illud, quod Bellarminus libro de Confirmatione, capite quinto ex vitæ Baſilianæ ſcriptore citat; *Baptizauit* (inquit) *Maximinus Epiſcopus Baſilium, &* *Eubulum, & veſtiuit albis, atque vngens eos ſanctô chriſmate, tradidit eis viuificam communionem.* Ille quidem ſcriptor peſſimæ fidei eſt; quem & ipſe hic noſter Bellarminus in opere de Eccleſiaſticis ſcriptoribus craſſiſſimorum aliquot mendaciorum coarguit, ac conuincit, oſtenditque nihil minùs eſſe, quàm Amphilochium Iconienſem Epiſcopum, ſanctiſſimum ac eruditiſſimum virum, Baſilij amicum & familiarem, ſub cuius nomine & laruâ circumfertur, eandemque de eô ſententiam tulerunt Baronius [a], Poſſeuinus [b], Zacharias Lippolous [c]. Quô fit vt mirer eum, qui nuper Amphilochij, Methodij, & Andreæ Cæſarienſis opuſcula Græco-latina edidit, tantorum virorum judicio timide quidem, ſed tamen repugnare auſum, iſtum nobis nugatorem pro verô germanoque Amphilochio obtrudere. Sed nihil nos nunc cogit cum iſtô pro Bellarminô & Baroniô, & noſtris certare. Nihil enim eſt in allatis huius ſcriptoris verbis, quod à Græcorum de chriſmate ſententia diſcedat. Narrat ille Baſilium baptizatum, albis indutum, atque vnctum Euchariſtiam indè accepiſſe. Nimirum & candidus amictus, & chriſma, vtrumque baptiſmi, ſiue myſterij initiationis ritus, & cærimonia fuit. Chriſma per ſe, ac ſeorſùm legitimum, proprieque dictum ſacramentum fuiſſe nunquàm ille Baſilianæ vitæ ſcriptor dicit, vel quidquam ponit, vndè id concludi poſſit.

Eadem quoque eorum eſt ratio, quæ Petrus Aurelius laudat ex Chryſoſtomo (Is viuere in terris deſiit a.D.407.) *τὸ προηγούμενον ἐν τῇ*

de ſcript Eccl. Aſterio.

Aſter in parabol de filio prod.

* Biblioth. cod. 271.

Amphilochius.

in Amphil.

a a D. 374 §. 9. a. D 78. § 10 a 363. § 51

b Apparat. ſacr. Amphil.

c de viris Sanct. T. 4.

Orth. Part. p. 525.

χρίσει, πνεῦμα ἐστί. διὸ καὶ τὸ ἔλαιον παραλαμβάνεται. *Quod enim in vnctione principale eſt, Spiritus eſt, ideoque & oleum aſſumitur.* Quanquam hoc quidem loco Chryſoſtomus non proprie de ſolenni apud Chriſtianos vnctione, ſed in genere de quauis vnctione myſtica loquitur; ac præſertim de ea, quæ in veteribus ſcripturis occurrit; & vnctione Spiritum potiſſimum ſignificari, non autem dari, intelligit. Itaque *Chriſtos*, id eſt vnctos, apud Scripturam dici etiam eos, qui tametſi nullo oleo inuncti, Spiritu tamen ſancto perfuſi ſunt. Ita Dominum Ieſum; ita Moyſe vetuſtiores Patriarchas hoc nomine donari. Cæterum totum illud Spiritus donum, quo regij, & ſacerdotalis, imo & Prophetici Chriſti muneris conſortes efficimur, ad baptiſmum pertinere alibi clariſſime docet Chryſoſtomus; οὕτω καὶ σὺ (inquit) γίνῃ βασιλεὺς καὶ ἱερεὺς καὶ προφήτης ἐν τῷ λουτρῷ. *Ad eundem modum tu quoque in baptiſmo Rex & Propheta & ſacerdos efficeris.* Cum ergo cuius ſacramenti res ipſa eſt, eius ſit rei ſymbolum, & ritus; dubitandum non eſt, quin ad baptiſmum pertinere chriſmationem putauerit Chryſoſtomus, qui baptiſmo id ipſum effici dicit, ad quod chriſmatio illa referebatur; nempe noſtrum Chriſti regiæ, ſacerdotaliſque, ac propheticæ dignitatis conſortium.

Hom. 1. in Rom. p. 8. D.

Hom. 3. extr. in Cor. 2. p. 538. B.

CAPVT XV.

XI. Græcorum teſtimonium ex quinto ſæculo; Theodoreti: XII. ex ſexto ſæculo ineunte: Pſeudo-Dionyſij Areopagitæ: cuius loca fuſe explicantur & aſſeruntur.

NEque verò difficiliora ſunt, quæ ex Theodoretô Cyri Epiſcopô afferuntur; quem quidem ad a.D. 466. perueniſſe conſtat ex Marcellinô Comite. ἀνάμνησον σαυτὸν (inquit ille) τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας, ἐν ᾗ οἱ τελούμενοι μετὰ τὴν ἄρνησιν τοῦ τυράννου, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως ὁμολογίαν οἱονεὶ σφραγῖδά τινα βασιλικὴν δέχονται τοῦ πνευματικοῦ μύρου τὸ χρῖσμα, ὡς ἐν τύπῳ τῷ μύρῳ τὴν ἀόρατον τοῦ παναγίου πνεύματος χάριν ὑποδεχόμενοι. *Fac, vt reminiſcaris ſacræ myſtagogiæ, in quâ qui initiantur poſt tyranni abnegationem, & Regis confeſſionem, ſpiritualis vnguenti vnctionem ſuſcipiunt, veluti regium quoddam ſigillum, inuiſibilem ſanctiſſimi Spiritus gratiam, in vnguentô, tanquàm in typô, recipientes.* Reſpondeo, hunc, vt cæteros, baptiſmatis cærimoniam, non (quod iſti volunt) Latinæ Confirmationis, omnibus Græcis ignotum myſterium intelligere. Res clara eſt. Vngi enim ait eô chriſmate τοὺς τελουμένους, *qui initiantur*; non autem

in Cant. cap. 4. c. 1. 2. T. 1 p. 1002.

τοὺς

τοὺς τετελεσμένους, qui initiati ſunt. Ergo hæc Theodoreti vnctio ad myſterium initiationis (quod baptiſma eſt) non ad Latinam chriſinationem (quæ Confirmatio eſt) pertinet. Idemque alibi ſignificat vbi de Nouatianis, *τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις* (inquit) *τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρίσμα. Iis, qui ab ipſis baptizantur, ſanctum chriſma nequaquam præbent*; *qui baptizantur* inquit, non qui *baptizati ſunt.* Ergo chriſma Eccleſia, non poſt baptiſmum, ſed in ipſo baptiſmo, hoc eſt in myſterio initiationis dabat; inter baptizandum, nón poſtquàm baptizauerat. Quô & illud pertinet, quod hic ait Theodoretus *tyranni abnegationem, & regis confeſſionem chriſmate* velut *obſignatàm fuiſſe.* Ergo & ipſa eodem, *quô regis confeſſio,* pertinuit; nimirum ad baptiſmum, cuius hæc, vt notum eſt, pars erat. Si objiciat Aurelius putaſſe, Theodoretum Spiritum per hanc chriſmationem dari; idem quoque meminerit chriſmationi ex hæreſi qualibet conuerſorum tribui à Patribus; quam ipſe tamen conſtanter negat ſacramentum fuiſſe; cærimoniam fuiſſe confitetur. Quamquam mea quidem hoc locô melior quam illius, cauſſa eſt. Nam etiamſi chriſmatio ſacramentum ipſa non fuit, baptiſmus tamen, cuius illa pars & appendix ritualis fuit, ſacramentum eſt, & quidem diuiniſſimum. Cùm ergo gratiam Spiritus verè largiretur is baptiſmus, cui chriſmatio adhærebat, & quidem ad hoc ipſum addita, vt Spiritus donum adumbraret, ac repræſentaret; mirandum non eſt quod Theodoretus locutione Patribus familiari id ſigno tribuerit, quod propriè quidem ſigni non erat; erat tamen eius ſacramenti, cui ſignum ex vſu Eccleſiæ ſolenni adnexum erat. Neque alia, quod ſciam, Græcorum ex quinto ſæculo de vnctione teſtimonia vel extant, vel certe afferuntur.

Ad quinti ſæculi vltima, vel ſexti initia pertinent, quæ Dionyſij Areopagitæ nomine laudantur. Prima enim eius ſcriptoris in veris & indubitatis veterum monumentis mentio ſexti demum ſæculi anno 32. occurrit apud Innocentium Maroniæ Epiſcopum, ſub Ioanne 2. Pontifice Romanô. Is Innocentius refert quædam ex iſto Dionyſio ab hæreticis in collatione cum Catholicis habitâ, pro ſuis erroribus allata, & à Catholicis, quod nos ſuprà diximus, velut apocrypha; exploſa ac refutata eſſe; vt omninò veriſimile ſit non diù ante id tempus ſcripta, atque edita fuiſſe iſta, quæ Dionyſij nomine nunc circumferuntur omnia. Neque enim diu latere potuiſſe videntur libri, & per ſe curioſe ſane, & ad pompam atque admirationem magnô & pœne inuſitato dicendi genere ſcripti; ad hæc nobiliſſimi, atque ſanctiſſimi viri nomen præferentes. Itaque quod a. D. demum 532. cogniti à Chriſtianis hominibus reperiuntur, id ipſum, vt alia taceam, magno argumento eſt, eos non multis antè hunc annum temporibus fuiſſe ſcriptos, atque editos. Cæterum is ſcriptor, quicum-

T. 5 Concil. p. 855. D. 1.

Cc 2 que

que tandem fuerit, qui ſub hac ingenti Dionyſij perſonâ latere, & orbi imponere, ac ludos facere voluit, ſuæ, id eſt Græcæ quinti ſextique ſæculi Eccleſiæ ritus, vt in cæteris, ita in hoc quoque vngendi myſterio, grandi illô ſuô, ac dithyrambicô ſtilô, non obſcure expreſſit. Ipſam enim ex chriſmate vnctionem inter ſacros baptiſmi ritus cenſet, & cætera, planè vt alij Græci, exſequitur. Ipſum illud operis eius caput, in quo de vnctione verba facit, hunc titulum præ-

de Eccl. Hier. c. 2. p. 74. 75.

fert, περὶ τῶν ἐν τῷ φωτίσματι τελουμένων, *De iis, quæ in illuminatione, ſiue Baptiſmô peraguntur*; & mox μυστήριον φωτίσματος, *Sacramentum illuminationis*, ſiue *Baptiſmi*; & ipſe rem exordiens denuntiat ſibi de eô ſacramentô dicendum, quod eſt ἡ πρὸς τὴν τῆς ὑπερουρανίας λήξεως ἀναγωγὴν ἡμῶν εἰσοποίησις, ἡ τῆς ἱερᾶς καὶ θειοτάτης ἡμῶν ἀναγεννήσεως παράδοσις, *introductio ad ſupercœleſtis manſionis aſcenſum, traditio ſacra & diuiniſſima noſtræ regenerationis.* Id verò, ſi ampullas, & ſeſquipedalia verba mittamus, quibus grandiloquus iſte hierophantes gaudet, & humanô more ſimpliciter rem dicamus, nihil, vt quiuis facilè intelligit, aliud eſt, quàm *baptiſmi ſacramentum.* Eſt ergo baptiſmalis omninò ritus pars aliqua illa, quæ mox in hoc capite memoratur, vnctio. Tum poſtquàm magnô apparatu catechumenum competentem duxit ad

p. 76. c.

ἱεράρχην, ſiue τὸν τῆς ἱεραρχίας ἐπώνυμον, ad *hierarcham*, ſiue *ab hierarchiâ cognominatum* (id eſt, vt nos vulgus loquimur, *ad Epiſcopum*; quod nomen, vt & cætera Eccleſiaſtica, veluti plebeia, ſtudioſiſſimè vitat ſacerrimus hierophantes) ſequentia eadem ſermonis *maieſtate*, an *ineptiâ* exſecutus, narrat *hierarcham* hominis *capiti manum imponere*,

p. 77. c.

eumque *conſignare*; id eſt crucis ſignô dedicare; & eius ac ſuſceptoris nomen perſcribi iubere. Indè expoliatum catechumenum, & ad occidentem locatum, narrat manibus in eam cœli regionem expor-

p. 78 a

rectis ter Satanæ inſufflare, & abrenunciare, hierarchæ iuſſu; ſtatimque ad Orientem conuerſum συντάξασθαι τῷ Χριστῷ *Chriſto nomen dare.* Tum manu rurſùm impoſitâ benedictum hierarches ſanctô vnctionis oleô πανσώμως totô corpore perfundi curat: mox aquis baptiſterij

p. 78.

(quod *matrem adoptionis* τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ſcriptor vocat) ter ritè mergitat. Hinc ſuſceptum, veſteque congruâ (id eſt candida) indu-

c. p. 79.

tum Diaconi hierarchæ offerunt. ὁ δὲ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱερωτελεστικωτάτης εὐχαριστίας. *Is virum diuiniſſimo* ſiue *diuinorum efficientiſſimô vnguento conſignatum*, *Euchariſtiæ ſacrorum perficientiſſimæ participem eſſe pronuntiat.* In his duas quoque vnctiones vides; vnam ex oleo, alteram ex vnguentô; illam ante hanc poſt tinctionem; vtramque, vt liquet, baptiſmalem; Illa enim baptiſmum initiat; hæc conſignat; illa imbuit; hæc perficit. Ideoque *vnguentum*, ex quô hæc fit, θεουργικώτατον hic noſter nomine, de more, ad pompam efficto, vocat; quod hoc ſcilicet vnguentô to-

tum

tum diuinæ initiationis myſterium abſoluitur, atque conſummatur; ita vt ante id ſuſceptum initiato ad Euchariſtiam, omnium myſteriorum apicem, aditus nondum liber ſit; eô ſemel conſignatus ad Euchariſtiam libere admittatur. Hæc ille; ex quibus clariſſimè apparet hanc ex vnguentô conſignationem, id eſt *chriſmationem*, ad baptiſmum pertinere, eiuſque vltimum ritum eſſe. Quod & ipſe noſter hierophantes diſertiſſimè docet, cum hac abſolutâ narratione ad eorum, quos commemorauit, rituum, *theoriam*, hoc eſt expoſitionem myſticam ſe accingens, ita præfatur; Αὕτη μὲν οὖν ὡς ἐν συμβόλοις, ἡ τῆς ἱερᾶς τελετὴ, θεογενεσίας, οὐδὲν ἀπρεπὲς, ἢ ἀνίερον οὐδὲ τῶν αἰσθητῶν ἔχουσα εἰκόνων. *Itaque hoc quidem ſancta, diuinaque generationis ſacramentum vt in ſignis* ſiue *ſymbolis* (id eſt quod ad ſymbola attinet) *nihil ne ſenſibilium quidem, quas continet, imaginum, habet vel non decorum, vel non ſacrum.* Quæcumque memorauit ſymbola, iis *diuinæ generationis* myſterium contineri liquidò ſignificat. Vnctio autem ex vnguentô, ſymbolorum, quæ memorauit, vnum eſt. Ergo & ipſa quoque ad diuinæ generationis myſterium, ſiue ſacramentum pertinet; hoc eſt, vt patet, ad baptiſmum. Iam myſticas ſingulorum ſymbolorum, ac rituum ſignificationes, quibus totum hoc regenerationis ſacramentum contineri, ac perfici narrauit, in ſequentibus exponit; ac inter cætera, vnctionem ex oleô eò ſpectare dicit, vt is qui initiatur ἐν τύπῳ τοὺς ἱεροὺς ἀγῶνας *figurate ad ſacra certamina* vocari intelligatur, quæ ſub Chriſtô athlotheta, & brabeutâ obeunda proponuntur. Quod ideò annotare placuit, vt videas quantopere hæc iſtius theoria à Latinorum theologiâ differat; qui hoc, quod ille ſimplici ex oleô vnctioni tribuit, ſuæ chriſmationis proprium eſſe volunt. His baptiſmalium rituum allegoricis expoſitionibus & ſuam de vnguentô theoriam tandem coniungit hoc modô; ἡ δὲ τοῦ μύρου τελεσιουργικὴ χρῖσις, εὐώδη ποιεῖ τὸν τετελεσμένον. ἡ γὰρ ἱερὰ τῆς θεογενεσίας τελείωσις ἑνοῖ τὰ τελεσθέντα τῷ θεαρχικῷ πνεύματι. *Vnguenti autem illa, quæ perficiendi vim habet, vnctio, initiatum ſuauitate odoris fragrantem facit. Sacra enim diuinæ regenerationis initiatio ea, quæ ſunt initiata, cum Spiritu diuinitatis principiô vnit, ac coniungit.* Sic enim habent Græca; non, quod Bellarminus inſcite reddidit, *Perficiens illa vnctio facit perfectum.* Iam illud primum vide, quod noſter hierophantes chriſmationi tribuit, vt initiatum εὐώδη *bene fragrantem efficiat*; non eam, vt Latini, ad muniendos contrà perſecutionis vim Chriſti milites referat; quod ille, vt nuperrimè monui, non huius, ſed prioris, quæ ex oleô fit, vnctionis, proprium eſſe ſuprà ſtatuit. Secundò obſeruandum, hinc quoque id, quod jam diximus ac probauimus, apertiſſimè confirmari; eſſe nimirum hanc Pſeudo-Dionyſij chriſmationem baptiſmalis myſterij partem. Nam clarum eſt eum in totâ hac capitis parte tertiâ, quæ *theoria* inſcribitur,

p. 79. c.

p. 84. a. b.

p. 85. c.

baptiſmi ſiue myſterij regenerationis noſtræ ritus, ac ſacras cærimonias enarrare. Quam ergo tali loco vnà cum cæteris exponit chriſmationem, eam omninò neceſſe eſt eiuſdem eſſe generis ac cenſus; hoc eſt ad baptiſmum pertinere; niſi hunc hierophantem hîc deliraſſe, ac deſipuiſſe putes, qui baptiſmi myſterium enarrare aggreſſus, ſui repentè oblitus pro baptiſmi ritu, alterius ſacramenti cærimoniam ineptè ac ridiculè in hunc alienum locum inſulcit. Sed id ipſe clarè eloquitur; dum rationem, cur chriſmatio ſuauitate odoris fragrantem initiatum faciat, hanc reddit; *Sacra enim diuina regenerationis initiatio*, τελείωσις, *ea quæ ſunt initiata cum thearchicô ſpiritu coniungit*. Odor ille bonus, quô initiatus fragrat, Spiritus donum eſt. Probat autem ille hoc odore per chriſmationem perfundi initiatum, quod regenerationis noſtræ initiatio cum ſpiritu initiatum coniungit. Ergo vel iſte neſcit quid loquatur, vel certè chriſmationem baptiſmatis ſacramenti partem, ſiue ritum eſſe putauit. Quid enim ad chriſmationem ſpiritus, quocum per *regenerationis* initiationem coniungimur ſi ipſa Chriſmatio initiationis illius pars nulla eſt, ſed planè diuerſum ab ea ſacramentum? Ipſa denique poſtrema ſcriptoris in hoc locô verba idem quoque demonſtrant; ſic enim ille caput concludit; ἐν τέλει δὲ
p. 86. θ. πάντων ὁ ἱεράρχης ἐπὶ τὴν ἱερωτάτην εὐχαριστίαν καλεῖ τὸν τετελεσμένον. *In fine autem omnium* (id eſt rite perfectis omnibus) *Hierarches initiatum ad ſanctiſſimam Euchariſtiam vocat. In fine* (inquit) omnium. Quorum inquam, niſi eorum, quæ ad id, quod explicat, τὸ φωτίσματος μυστήριον *baptiſmatis ſacramentum* pertinent? At *Chriſmatio*, *iſtorum* (de quib[9] loquitur) *omnium* pars fuit. Ergo ea quoq; ad *ſacramentum baptiſmatis* pertinebat. Tum & eum, qui his omnibus, adeoque & Chriſmatione ritè defunctus eſt, τετελεσμένον vocat, id eſt vt habent, ipſi aduerſariorum interpretes, *ſacris noſtris initiatum*. Ergo & *Chriſmatio* initiationis pars eſt; non autem erit, & baptiſmi pars ac ritus fuerit; præter quem ſcilicet nullam aliam eſſe Chriſtianorum initiationem omnes confitentur. Hæc exſecutus capite ſequenti ad Euchariſtiam, de quâ eodem planè modô, atque ordine pertractat, quô de baptiſmatis, ſiue illuminationis myſteriô egerat. Atqui ſi quod inter baptiſmum, atque Euchariſtiam, ab vtroque illô diſtinctum, per ſe ac ſeorsùm conſtans confirmationis ſacramentum ſciuiſſet, omnino hic erat de eô & quidem eadem ratione ac methodô philoſophandum; quâ de baptiſmô priùs, tum de Euchariſtiâ diſputauit. Nihil huiuſmodi fecit, quantumuis accuratus, ac minimorum diligens, etiam aliquando vltrà omnem modum curioſus ac moroſus hierophantes; Nè ergo dubitaueris iſti quidem nullum huius ſenſus cognitum fuiſſe ſacramentum; quod, quô eſt ingeniô, nunquàm profectò omiſſurus erat, ſi quod ſciuiſſet. Vnde neceſſario ſequitur, quod nos multis

multis aliis argumentis demonſtrauimus Chriſmationem ab eo memoratam ad baptiſmi ritus pertinere. Iam cur eam τελειωτικὴν *conſummatricem*, ſiue *perfectricem* vocet, præterquàm quod omnes, qui in myſteriis, ſiue ſacris τελεταῖς adhibentur ritus, ſuô ſinguli modô τελειωτικοὶ & ſunt, & dicuntur. hoc *Chriſmationi* elogium propria ac peculiaris ratio vindicat; quod ea baptiſmum clauderet, atque abſolueret, quæ ſcilicet omnium earum cærimoniarum, quæ in huius ſacramenti adminiſtratione ſolennes erant, vltima, vt liquet, fuit; ita vt eâ ſuſceptâ neophytus plane penituſque initiatus cenſeretur, & ad ſacram Euchariſtiam ſtatim admitteretur. Quomodô & ea accipienda ſunt, quæ de eodẽ vnguento à capite quarto habet Pſeudo-Dionyſius. Iſtic enim ſacri illius vnguenti, cuius plurimus erat in ſacris vſus, confectionem explicans; διὸ (inquit) καὶ τῆς ἱερᾶς θεογενεσίας ἡ τελεσιουργὸς δωρεὰ καὶ χάρις ἐν ταῖς τοῦ μύρου τελεῖται θειοτάταις τελειώσεσι. *Quo circà ſacræ ac diuinæ generationis perfectionẽ efficiens*, ſiue *conſummans donũ, & munus in diuiniſsimis vnguẽti perfectionib.* ſiue *conſecrationib. perficitur*, vel *peragitur*. Quò refert primò ipsā vnguẽti crucis figurâ expreſſam in baptiſterij aquas infuſionem; tum ipſam hominis, qui initiatur, Chriſmationem. ἀλλὰ μὴν (inquit) καὶ αὐτῷ τῷ τελεσθέντι τὴν ἱερωτάτην τῆς θεογενεσίας τελετὴν, τὴν τοῦ θεαρχικοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησιν ἡ τοῦ μύρου δωρεῖται τελειωτικὴ χρῖσις. *Quinetiam ei, qui ſanctiſsimâ diuinæ generationis initiatione initiatus eſt diuini Spiritus aduentum, perfectrix vnguenti vnctio largitur.* Diuinæ in Dominô regenerationis noſtræ munus, id eſt baptiſmum noſtrum, vnguenti illius conſecrationibus perfici inde demonſtrat; primò, quod fons baptiſmalis vnguento in crucem effuſo conſecratur; 2°. quod is, qui in eum fontem merſus eſt, ipſe quoque eodem vngitur ad Spiritum Sanctum percipiendum. Ergo & hæc baptizati, ſiue tincti hominis Chriſmatio ex pſeudo Dionyſio quidem, ad diuinæ noſtræ generationis τελετὴν (id eſt ad baptiſmi ſacramentum) pertinet; idque liquido demonſtrat ipſa orationis ſeries, fontis Chriſmationi (quam ad baptiſmi ritus pertinere in confeſſo eſt) hominis baptizati vnctionem, veluti rem eiuſdem ordinis ac cenſus continenter hoc modo connectentis, ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτῷ &c. quaſi dicat, Baptiſmi non modo fons, ſed ipſe etiã candidatus, atq; initiatus Chriſmatur. Ex his liquidò concluditur, quod ipſe poſuerat; nimirum *regenerationis gratiam* ſiue *munus hoc eſt baptiſmum* Chriſmatione confici, & peragi. ὅτι τῆς θείας θεογενεσίας χάρις ταῖς τοῦ μύρου τελεῖται τελειώσεσι. Eſt ergo *Chriſmatio* vnus ex baptiſmi ritibus. Non enim aliis niſi ſuis ritibus peragitur baptiſmus. Quô tametſi vix quicquam dici poſſit clarius extat tamen alius eiuſdem ſcriptoris locus etiam in eam rem diſertior, vbi diſputans ab Epiſcopô pendere omnes ſacrorum miniſteriorum partes, atque actus, neque quicquam in eô genere ritè perfici,

p. 116. A.

p. 116. b.

ſici, quod non fuerit ab Epiſcopô aliquâ ratione paratum, ac dedicatum, quod de preſbyterorum officiis obiici poterat, occupans ita ſcribit,

de Hier. Eccl. c. 5. part. 1. pag. 121. A.

εἰ γὰρ καὶ πρὸς τῶν ἱερέων τελεῖται τινα τῶν σεβασμίων συμβόλων, ἀλλ' οὔποτε τὴν ἱερὰν θεογενεσίαν ὁ ἱερεὺς ἐνεργήσει τοῦ θειοτάτου μύρου χωρίς. *Etſi enim à ſacerdotibus quædam ex venerandis ſymbolis perficiuntur, non tamen vnquam ſacram ac diuinam generationem ſacerdos abſque diuinô vnguentô ritè peraget.* Sine quo regeneratio, ſiue baptiſmus rite peragi, ac perfici nequit, id ſanè baptiſmalis adminiſtrationis pars eſt, non diuerſum ab eâ ſacramentum. At Græco huic hierophantæ baptiſmus, vt vides, ſinè Chriſmate perfici non poteſt. Quid ſupereſt, niſi vt quod totiès diximus, concludamus Chriſma fuiſſe vnum è baptiſmi ritibus? Cum itaque ex his conſtet huius hierophantæ Chriſmationem baptiſmalem fuiſſe vel ipſos aduerſarios fateri neceſſe eſt nullum eam verum, atque à baptiſmo diſtinctum ſacramentum fuiſſe, ſed eam ipſam eſſe cærimoniam, qua Latini preſbyteri neophytorum capita Chriſmant, non autem eam, qua Epiſcopi in fronte confirmant. Quibus ſic conſtitutis, nullam vim habere poſſunt, quę contra à Bellarm°. & P. Aurelio vrgentur pſeudo-Dionyſij verba, ſcribentis illam ſuam baptizati (id eſt tincti) hominis ex vnguento vnctionem *Spiritum Sanctum largiri.*

Bellar. de Confir. c. 6. 5. §. Primus. P. Aurel. Auerei. p. 431.

Meminiſſe debet Aurelius tantumdem de ea quoque Chriſmatione Patres dicere, qua ex omni hæreſi conuerſos in Eccleſiam recipere ſolebant, quamque ipſe nihilo ſecius verum ſacramentum fuiſſe præfractè negat. Tum & ipſe & Bellarminus non ſunt, ni fallor, obliti de priori baptizandorum ex oleo vnctione (quam ipſi nullum eſſe propriè dictum ſacramentum fatentur) quam magnificè & veteres & ſui ipſi auctores loquantur. Nam illud oleum & pſeudo-Clemens ait eſſe *pro Spiritu Sancto*, [a] & idem δύναμιν ἐνεργητικὴν *poteſtatem energeticam* ſiue *efficacem* [b] *habere*, & Cyrillus *tantam poteſtatem, vt peccata purget & dæmonas fuget.* [c] Et pſeudo-Iuſtinus quidem nos *eo oleo Chriſtos,* [d] Cyrillus vero *pinguedinis oleæ Chriſti participes fieri* [e] dicunt. Sic Latini, Theodulphus Aurelianenſis, [f] Rabanus, [g] Iuo, [h] alij illo *oleo pectus, & ſcapulas tangi, vt Spiritus Sancti vnctione liniti ante & retro muniti, id eſt contra omnia proſpera ſiue aduerſa circumſpecti ſalutis ſuæ cuſtodiam non amittant.* Aduerſarij ex his, & ſimilibus Patrum locis concedunt minimè confici verum ſacramentum fuiſſe eam, quæ à preſbyteris in baptiſmô fit, ex ſimplici oleô vnctionem, neque iſtic vllam vim habet Bellarmini cauillatio, *vbi cærimonia ſit, & eius effectus, ibidem eſſe ſacramenti propriè dicti rationem.* Quid ergo (inquis) ſibi vult Athenienſis hic noſter Pſeudo-hierophantes? ille verò inquam, & Scripturæ & Patrum familiari loquendi more id ſigno tribuit quod ab ipsô, non quidem efficitur, ſed tamen ſignificatur. Sic, vt cætera huius locutionis exempla mittam, ait Iſaac *ſe Iacobo fratres eius*

a Conſtit. l. 3. c. 17.
b ibid. l. 7. c. 43.
c Catech. myſtog. 2.
d Reſp. 137.
e Cat. myſt. 2. p. 231.
f Ord. bapt. c. 10.
g l. 1. de Inſtit. Cler. c. 27.
h Serm. de Sacram.

Gen. 27.37.

uum ſubiugauiſſe: ſe eum frumentô & vinô ſtabiliuiſſe; non quod horum quicquam feciſſet, ſed quod certiſſimè effectum iri ſignificaſſet. Eadem eſt Symbolicarum locutionum ratio, quæ cæremoniis ea tribuere ſolent, quorum illæ imagines veriùs ſunt, quàm cauſæ. Ita ergo capienda hic noſtri verba; *τὴν τοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησιν ἡ τοῦ μύρου δωρεῖται χρῖσις. Spiritus Sancti aduentum donat, vel largitur vnguenti vnctio*, hoc eſt, Spiritum in baptizatum hominem aduenire, eique donari ſignificat, ac teſtatur illa vnctio. Certè idem ſuprà diſertè docuerat *ſacram diuinæ regenerationis initiationem* (hoc eſt baptiſmum) *nos cum Spiritu Sancto coniungere*, adeoque Spiritus in nos aduentum conciliare. Hoc igitur ipſum cũ nunc chriſmationi tribuit, non aliter id poteſt intellexiſſe, quàm quô modô diximus; vt ſcilicet id quod proprie baptiſmi effectum eſt, ad chriſmationem tamen ideò retulerit, quod ea, & gratiam iſtam, quæ donatur, donari ſignificet, & cum baptiſmô, per quem propriè donatur, quodammodò cohæreat, eiuſque pars aliqua ſit, ſi non eſſentialis, certè aduentitia, ac ritualis, de qua quadamtenùs, tametſi impropriè & *καταχρηστικῶς*, dici poſſint etiam ea, quæ ſacramenti, cuius pars & appendix eſt, propria ſuut. c. 2. extr. p. 85. d.

CAPVT XVI.

Idem etiam poſtea manſiſſe apud Græcos dogma. XIII. teſtimonium, quod eſt Ioannis Damaſceni ex octauo ſæculo, à Bellarmini ſtrophis vindicatur. XIV. teſtimonium, Occumenij. XV. Symeonis Theſſalonicenſis. XVI. Harmenopuli. XVII. Pachymeris.

HANC autem de chriſmatione ſententiam etiam ſecutis ſæculis in Græcorum Eccleſia manſiſſe, vt ea ſcilicet pro baptiſmi, ſiue Chriſtianæ initiationis parte rituali cenſeretur, docet Ioannes Damaſcenus, quem conſtat a. D. 730. floruiſſe. Ille vero in eo operis *de fide orthodoxa* ſui capite, quo de baptiſmo ex profeſſo agit, in eam rem diſertiſſimus eſt. Primo enim conſtituit nos per baptiſmum non ſolum peccatorum remiſſionem, ſed & pro fidei & præparationis noſtræ menſura, Spiritum quoque Sanctum accipere. Tum, l. 4 de fid. orthod edit. Græc. fol. 166. recto. *νῦν μὲν οὖν* (inquit) *διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαμβάνομεν, καὶ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν ἡ παλιγγενεσία, καὶ σφραγὶς, καὶ φυλακτήριον καὶ φωτισμός, Itaque nunc quidem per baptiſmum recipimus Spiritus Sancti primitias; regeneratioque fit nobis & alterius vitæ principium, & ſignaculum, & cuſtodia, & illuminatio.* Hic, plane vt Nazianzenus,

baptiſmo & regenerationi, baptiſmi effectui, tribuit quæcumque Latini nouo fictitiæ ſuæ Confirmationis Sacramento vindicant. Nimirum docet nos per baptiſmum, & Spiritus primitias accipere, & OBSIGNARI, & φυλάττεσθαι *cuſtodiri* ſiue muniri, & confirmari. Nihil relinquit muſteo Latinorum myſterio; vt id ex Damaſceno plane ſit caſſum & inutile. Eodem pertinet, quod ait poſtea; σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερὰ κατεφοίτησε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ τὸν Κύριον, τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου ὑποδεικνύον βαπτίσματος. *Spiritus S. ſpecie corporea veluti columba deſcendit in Dominum, primitias noſtri baptiſmatis demonſtrans.* Vult ea imagine præfiguratam eſſe baptiſmi noſtri vim & efficaciam; in eos ſcilicet qui baptizarentur, deſcenſurum eundem illum Spiritum, qui in Dominum viſibiliter tunc deſcendit. Tum ſubiicit; καὶ ἅμα καὶ ἄνωθεν εἴθισται περιστερὰ λύσιν κατακλυσμοῦ εὐαγγελίζεσθαι. *Simul & iam ab initio conſueuit columba diluuij finem annuntiare.* Nam baptiſmus & Chriſti, & noſter eundem nobis nuntium affert, vt in eo Spiritus columba myſtica, merito quoque interueniat. Quibus hæc continenter addit; ἐπὶ δὲ τοὺς ἁγίους Ἀποστόλους πυροειδῶς κάτεισι. Θεὸς γὰρ ἐστιν. ὁ δὲ Θεὸς πῦρ καταναλίσκον ἐστί. *In Sanctos vero Apoſtolos ignis ſpecie deſcendit. Deus enim eſt; Deus vero ignis conſumens eſt.* In Chriſtum quidem deſcendiſſe columbæ ſpecie ob eam, quam attulit, rationem. In Apoſtolos aliter, ignis ſcilicet ſpecie, ut eo ſe Deum eſſe ſignificaret, cui ignis nomen Scriptura tribuit. Hæc hactenus Damaſcenus; ex quibus detegitur Bellarmini fraus, hæc eo trahentis, vt de ſua confirmatione Damaſcenum in ſequentibus intellexiſſe probet. *Nam* (inquit) *paulo ante dixit, in forma ignis datum Spiritum Sanctum, & mox: ſubiungit nobis dari per oleum.* De Apoſtolis, quid & cur dixerit, audiuimus. Nobis vero Spiritum dari *per oleum*, quod tu ais, nuſquam dicit Damaſcenus. Ecce ipſa eius, quæ ſtatim ſequuntur, verba; τὸ ἔλαιον ἐν τῷ βαπτίσματι παραλαμβάνεται, μηνύον χρίσιν ἡμῶν, καὶ χριστοὺς ἡμᾶς ἐργαζόμενον, καὶ τὸ τοῦ θεοῦ ἡμῖν ἐπαγγελλόμενον διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔλεος ἐπεὶ καὶ κάρφος ἐλαίας τοῖς ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ διασωθεῖσιν ἡ περιστερὰ κεκόμικεν. *Oleum in baptiſmate aſſumitur, vnctionem noſtram indicans, & Chriſtos nos* (id eſt vnctos) *efficiens, & nobis Dei miſericordiam per Spiritum S. promittens; quandoquidem & olea ramum iis, qui ex diluuio ſeruati ſunt, columba olim attulit.* Inſignis locus; certus veteris de vnctione apud Græcos doctrinæ canon; ad quem exigenda, & ex quo interpretanda aliorum Patrum de eo argumento dicta. Primo quod mentiebatur Bellarminus *Spiritum Sanctum nobis dari per oleum*, id in eo nuſquam eſt. Ait Damaſcenus oleum τὸ τοῦ θεοῦ ἡμῖν ἐπαγγέλλεσθαι διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔλεος *Dei miſericordiam per Spiritum Sanctum polliceri*, vel vt habet alius interpres, *annuntiare.* Spiritum autem intelligit in baptiſmo acceptum, cuius oleum ſymbolum eſt. Nimirum illud

ibid. fol. 106. verſo.

de confirm. c. 5. §. IX. Damaſcenus.

ibid fol 197. verſo.

oleum

oleum cum ſit ſymbolum Spiritus Sancti nobis in baptiſmo dati, ſignificat nobis pacem eſſe cum Deo, qui Spiritum eius accepimus, quod illuſtrat eleganti ex veteri teſtamento typo. Sic enim & iis olim qui in arca ſeruati ſunt, columbam oleæ ramum, diuinæ in eos miſericordiæ, paciſque cum cœlo certæ indicem ac nuntium attuliſſe. Vnde vt rei typo congruat, clariſſime ſequitur non ab oleo columbam, id eſt Spiritum, dari (quod abſurdiſſime delirans fingit Bellarminus) ſed plane contra *à columba* (id eſt à Spiritu) baptizatis velut è diluuio emergentibus, *oleum*, id eſt Dei miſericordiam pacemque afferri. Atque ſic omnia ad amuſſim inter ſe quadrant. *Baptiſmus* diluuium quoddam eſt, in cuius aquis peccatum, caro, vetus homo, cæterique Deo exoſi, nobis infeſti hoſtes ſic merguntur, & pereunt, vt enatet neophytus, homo nouus, alter Noë; cui emergenti Spiritus Sanctus de cœlo, Dei columba (quod ſupra dicebat Tertullianus) aduolat atque illabitur, dulce Dei munus, oleam myſticam (hoc eſt pacem ac miſericordiam) afferens, ratamque & fidam atque æternam fore promittens. Hoc olei baptiſmatis ex Damaſceno myſterium, à Latinæ confirmationis ſacris plane alienum. Sed neque omittendum, quod ille primo loco dixerat oleum *μηνύειν τὴν χρῖσιν ἡμῶν* *indicare vnctionem noſtram*; proprie & abſque tropo. *Vnctionem* dicit veram & myſticam ex Spiritu, quo in Chriſti baptiſmate linimur, ac perfundimur, à Domino intus in animâ noſtrâ factam. Eam ait oleum, non *efficere* quidem, vel *operari* ipſum, ſed tamen *μηνύειν indicare*, hoc eſt oſtendere & ſignificare factam. Nam *μηνύειν* in hac re proprium eſt; ex quo intelligenda, quæ Patres alij eadem, qua Damaſcenus, mente, locutione diuerſa, id eſt figurata & ſymbolica; de huius olei vi, efficientia, & effectu dixerunt. Iſta omnia nihil aliud ſignificant, quam quod hic proprie dicitur oleum illa, quæ efficere dicitur, effici vel effecta eſſe *μηνύειν indicare*, Latinum *indicare* eodem ſenſu dixit Poëta doctiſſimus, vbi ita, ſi bene memini canit,

——Me tabula ſacer
Votiua paries INDICAT vuida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Quod addit Damaſcenus oleum neophytos *Chriſtos efficere ἐργάζεσθαι*, id eſt vnctos; id ſignificat hac vnctione effici, vt baptizati chriſtorum nomen apud Eccleſiam conſequantur; quia ſcilicet hæc vnctio, cum eſſet vltimus baptiſmi ritus, certo indicabat, qui eam accepiſſent, plane ac plene baptizatos, peccatis purgatos, cœleſti Spiritu delibutos, Chriſti corpori inſitos, ciuibus nouæ Hieruſalem adſcriptos, vt iam vero horum nomine *Chriſtos*, ſiue *Chriſtianos* dici, & ad menſam Chriſti Principis, à quo & res & nomen Chriſtianiſmi eſt, accumbere illos

ius, faſque eſſet. Quod obſtrepit Bellarminus *columbam attuliſſe ramum oliuæ poſt diluuium*; *ita ergo & nobis poſt baptiſmum aduenire Spiritum Sanctum*; concedo, ſi *baptiſmum* merſionem intelligit, quæ ſit in noſtræ initiationis myſterio. Sin totum baptiſmi omnibus ſuis partibus ac ritibus conſtans ſacramentum, nego Spiritum poſt baptiſmum aduenire; negat mecum Damaſcenus, & quidem diſertiſſime, neque ſemel; διὰ τοῦ βαπτίσματος (inquit) τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαμβάνομεν. *Per baptiſmum primitias Spiritus Sancti accipimus.* Negant cum Damaſceno Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, omnes denique Patres. Neque ſane in diluuio aliter figuratum fuerat. Emerſerant enim fateor, ex ingentibus illis aquarum abyſſis, quibus paulo ante inundatus orbis terrarum latuerat; nondum tamen toto (vt ita dicam) diluuij myſterio perfuncti erant, cum iis columba fœlicem illam oleam attulit. Sic ergo & in baptiſmo fit; Emergentibus quidem datur Spiritus; nondum tamen peracto myſterio, cuius ſignaculum, adeoque pars eſt Spiritus Sanctus. Denique cur miſer Bellarminus fruſtra in Damaſcenum recalcitrat? Ecce diſerta eius verba; τὸ ἔλαιον ἐν τῷ βαπτίσματι παραλαμβάνεται. *Oleum in baptiſmo aſſumitur.* Non ergo poſt baptiſmum; quod ſomniat Bellarminus. Sed hic ſpecta, quæſo, hominis impudentiam. *In Græco* (inquit) *non eſt in baptiſmate.* O duram & improbam frontem! Quid ergo eſt, inquam, ἐν τῷ βαπτίσματι, quod in codice Græco, quo vtimur, Veronæ a. D. 1531. excuſo, & Clementi VII. Papæ vrbico à Donato Veronenſi in ſcripto legitur? Mirus Helleniſtes Bellarminus, ſi nobis perſuaſerit aliud eſſe ἐν τῷ βαπτίσματι, quam *in baptiſmate.* Ita in fumos abeunt, quæ huic ſuæ impudentiæ ſomnio ſuperſtruit; τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται *rectius* (inquit) *verteretur*, oleum baptiſmati ſuccedit, *quam* oleum in baptiſmate aſſumitur, *vt Oecolampadius vertit.* Tu vero fruſtra Bellarmine philoſopharis. Quod enim tu affers, non ita eſt apud Damaſcenum; non eſt inquam, ἔλαιον βαπτίσματι (quod tu fingis) ſed ἔλαιον ἐν τῷ βαπτίσματι παραλαμβάνεται, quod velis nolis non aliter quam *in baptiſmate* reddi poteſt. Sed nequid tibi poſthac Oecolampadij noſtri fides ſuſpecta ſit, dabo tibi ex tuis interpretem, & Græce doctiſſimum, & Sacris veſtris addictiſſimum, & nomine celeberrimum, & dignitate Abbatem, Iacobum Billium, cuius multi extant in Patres Græcos laudatiſſimi labores. Is hunc Damaſceni locum ita totum eſt interpretatus; *At vero oleum* (inquit) *ideo ad baptiſmum adhibetur, quia vnctionem noſtram deſignat, Chriſtoſque nos efficit, ac Dei miſericordiam per Spiritum Sanctum pollicetur. Nam & columba iis, qui ſalui & incolumes è diluuio euaſerant, oleæ ramum attulit.* Sic ille & bona fide, & eleganter, vt ſolet. Nunc ergo ex Damaſceno, quo vno viro, veluti aliquo orthodoxiæ ſuæ canone, plurimum vſa eſt ſequens

Damaſc. edit. Par. a. D. 1619. p. 447.

omnis.

omnis Græciæ Eccleſia, nunc inquam ex Damaſceni clariſſimo, diſertiſſimoque teſtimonio conſtat veterum vnctionem ritus baptiſmatis partem fuiſſe, *in baptiſmo aſſumptam*, vel, vt habet Billius, *ad baptiſmum adhibitam*; vnde illud, quod nos contendimus apertiſſime conficitur illam veterum vnctionem aliud fuiſſe, quam nuperam Latinorum chriſmationem, quæ non *in baptiſmo*, *ſed poſt baptiſmum* fit.

Manſit ſecutis temporibus idem apud Græcos dogma, idemque vſus. Nam etiam poſt à D. 1000. Oecumenius idem, quod Damaſcenus, docet; ἐλάβετε (inquit) διὰ τοῦ βαπτίσματος τὸ χρίσμα τὸ ἱερὸν, καὶ διὰ τούτου τὸ εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν ὁδηγοῦν πνεῦμα. *Accepiſtis* PER BAPTISMVM *vnctionem ſacram, & per hanc Spiritum, qui in omnem veritatem deducit.* Idem alibi; ὥσπερ γὰρ δήλους ποιῶν ἡμᾶς, ὅτι ἐσμὲν Θεοῦ λαὸς, ἐσφράγισεν ἡμᾶς ἐν τῷ βαπτίσματι. *Nam veluti ſignificans, manifeſteque oſtendens nos eſſe Dei populum, ſignauit nos* IN BAPTISMO. Hæc enim Oecumenij verba Arcudius de chriſmate accipit. Idem in epiſtolam ad Hebræos; ἀρχὴν μὲν (inquit) τὸ βάπτισμα καλεῖ, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τῶν χειρῶν ἐπίθεσιν, καὶ σφραγῖδα. *Principium quidem baptiſma vocat, & quæ* IN EO *fiunt manuum impoſitionem, & ſignaculum.* Ergo *in baptiſmo ipſo*, non autem *poſt baptiſmum*, chriſmate ſignabantur neophyti. Symeon Theſſalonicenſis, qui non multum videtur ab Oecumenij temporibus abfuiſſe, etiam diſertius idem dogma adſtruit, Latinoſque aliter chriſmantes reprehendit; οἱ βαπτιζόμενοι πιστοὶ (inquit) τούτῳ ὀφείλουσι κεχρῖσθαι τῷ μύρῳ ἐν τῷ βαπτίσματι καὶ μὴ ὡς τὰ τῶν Λατίνων, ἢ τινῶν ἄλλων βρέφη, ἀτελεῖς μένουσι καὶ ἀσφράγιστοι, τὴν χάριν τοῦ πνεύματος μὴ λαμβάνοντες, μηδὲ σημειούμενοι τῇ μυρώσει Χριστοῦ· σφραγὶς γὰρ ἐστι τὸ μύρον τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ πνεύματι. *Qui baptizantur fideles hoc vnguento in baptiſmate debent inungi, ne vt Latinorum, vel quorundam aliorum infantes ſine ſignaculo imperfecti remaneant, dum gratiam Spiritus Sancti non conſequuntur, neque Chriſti notâ conſignantur Vnguentum enim ſignaculum eſt Chriſti in Spiritu.* Iſtum quidem largiter errare, & à Scripturâ & à vetuſtis Patribus diſcedere in eô fateor, quod Spiritus Sancti donô multari ſomniet quicumque ſinè chriſmate baptizantur. Cæterum id clariſſimè quod nos contendimus, teſtatur chriſmatos fuiſſe fideles ἐν τῷ βαπτίσματι, *in ipsô baptiſmô*; vt chriſmatio baptiſmalis myſterij non eſſe non potuerit. Sed nemo id clariùs docet, quàm Harmenopulus; ἀναβαπτίζειν μὲν (inquit) τὸν βεβαπτισμένον, ἀπείρηται· μύρῳ δὲ χρίειν, οὐδαμῶς. εἰ καὶ τοῦτο μέρος δοκεῖ τοῦ θείου βαπτίσματος. *Baptizatum* (inquit) *rebaptizare, prohibitum eſt; ſed vnguentô inungere, nequaquàm: licet hoc diuini* BAPTISMATIS PARS *eſſe videatur.* Illius autem baptiſmum inter & chriſma diſcriminis ratio eſt, quod chriſmatio baptiſmi pars eſt cærimonialis, non eſſentialis; &, ſi propriè loquendum eſt, ritus potiùs baptiſmalis, quàm ipſius baptiſmi pars; quam ſi ad eſſentiam baptiſmi neceſſariò pertinere putaſſent

In 1. Ioan. 2. T. 2. p. 574 d.

in Eph 4. 30. ibid p. 44 a.

l. 2 de Sacram. c. 3. p. 64. b

in Hebr. 6. T. 2. p. 353. extr.

Sym. Theſſal. apud Arcud. l. 2. c. 20. p. 107.

Schol. in can. Apoſt. 47.

Græcorum maiores, non profectò iterari, magis quàm ipſum baptiſmum paſſi eſſent.

Georgius Pachymeres, qui ſub Michaële Palæologô circa an. D. 1280. floruit, idem quoque de chriſmatione ſenſiſſe ex eo deprehenditur, quod ſui pſeudo-Dionyſij ſupra deſcriptum à nobis locum ex capite de Hierarchia Eccleſiaſtica quinto explanans ita ſcribit; εἶτα ὥσπερ τινὸς ἀνθυποφέροντος πῶς καὶ τὸ βάπτισμα διὰ τῶν ἱερέων τελεῖται, φησὶν, ὅτι οὐδὲ τοῦτο τελείως ἱερουργεῖ ὁ πρεσβύτερος. χρεία γὰρ τοῦ ἀρχιερέως ἔσται εἰς τὸ χρῖσαι τῷ μύρῳ τὸν βαπτισθέντα. αὕτη γὰρ ἡ ἀρχαία συνήθεια. *Deinde veluti ſi quiſpiam obieciſſet quomodò baptiſmus per ſacerdotes adminiſtratur, dicit quod neque hunc* (baptiſmum) *perfectè miniſtrat, ſiue abſoluit presbyter. Opus enim erit Epiſcopo, ad baptizatum chriſmate inungendum. Quippe hic antiquus mos fuit.* De loci totius ſenſu, accuratius poſtea. Nunc ſatis eſt obſeruare, quod Pachymeres cum Symeone & Harmenopulo clariſſime ſtatuit, qui baptizat, neque chriſmat, baptiſmum ab eo miniſtratum imperfectum eſſe; Imperfectus autem non eſſet, ſi chriſmatio nulla baptiſmi pars eſſet, ſed proprium per ſe ac ſeorſim ſacramentum conſtitueret; quod noſtri Latini volunt: Neque enim imperfecta vnius ſacramenti adminiſtratio ideò cenſeri vel debet, vel poteſt, quod non vnà aliud quoque aliquod ſacramentum adminiſtratum fuerit: Ita verbi gratiâ, ſi quis rite baptizatus, non tamen vnà, vt loquuntur, *communicatus fuerit*, nemo ideò dixerit baptiſmum ab eô ſuſceptum imperfectum fuiſſe. Ergo manifeſtum eſt & Georgium, & ipſum quoque ex Georgij ſententiâ Pſeudo-Dionyſium credidiſſe chriſmationem veram eſſe ritualis baptiſmi adminiſtrationis partem; Quæ & Latinorum olim fuerat ſententia, vt ex eô liquet, quod & *baptizatum*, & *baptiſmum ipſum* vel manus impoſitione, vel chriſmatione (vtriuſque enim eadem eſt ratio) *perfici* dicerent, vt eſt ſupra obſeruatum.

in Hier. Eccl. c.5. p.72.

Capvt XVII.

XVIII. Teſtimonium Græcorum ex Euchologio. Vnde concluditur chriſmationem Græcis eſſe baptiſmi cærimoniam; idque firmatur tribus argumentis. 1. *quod ij neminem niſi chriſmatum, ad Euchariſtiam admittant;* 2. *quod ab hæreſi conuerſos chriſmant.* 3. *quod presbyteri apud eos chriſmant.*

Sed quid ego ſingulos conſector? Hunc communem eſſe totius Græcorum Eccleſiæ ſenſum, publicum gentis Euchologium, ſiue Rituale, & ex eo vniuerſalis apud eos praxis clamat. Non enim apud eos, vt

eos, vt apud recentiores Latinos, duo diuerſa ſunt baptiſmi, & chriſmationis officia; (quæ diſtinctio, vt quiuis videt, neceſſaria erat, ſi duo hæc diuerſa cõſtituerent ſacramenta,ſed vnum,idemq; eſt vtriuſq; ritus,(planè vt apud Pſeudo-Dionyſiũ, & apud omnes vetuſtiores) officium; quod, non diuerſis capitibus, ſed vno eodemque totum continetur. Titulus eſt; Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, *Conſequentia*, ſiue potius, *Ordo ſancti baptiſmatis*. *Ergo ad* τὴν ἀκολουθίαν βαπτίσματος, *ad Ordinem*, vel, vt recens interpres maluit, ad *officium baptiſmi* pertinent, quæcumque in eâ tractatus parte, ſiue in eô capite, traduntur; vt aquarum, vt olei benedictio; vt baptizandi ex oleô vnctio; vt eiuſdem in aquas trina merſio, & abluti veſtitus. Atque his continenter adiungitur, prius precatio ad chriſmationem,tum ipſa chriſmatio; Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν (inquit) χρίει τὸν βαπτισθέντα τῷ ἁγίῳ μύρῳ ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τῶν μυκτήρων. καὶ τοῦ στόματος. καὶ τῶν δύο ὤτων. καὶ τοῦ στήθους. καὶ τῶν χειρῶν. καὶ τῶν ποδῶν, λέγων, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Ἀμήν. *Et poſt orationem baptizatum ſanctô vnguentô vngit, crucis ſignum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in vtraque aure, & in pectore & manibus, & pedibus, dicens, ſignaculum doni Spiritus Sancti. Amen.* Omnia, vt liquet, ex ſeptimô ſecundæ Synodi Oecumenicæ ſuprà deſcriptô canone; niſi quod *pedum & manuum* nullam Synodus vel præcipit, vel memorat vnctionem. Nimirum auidum eſt, ac inſaturabile ſuperſtitionis ingenium; veteraque inuenta, ac priores ritus nouis fere auctariis locupletare gaudet: vt ſi ſemel vltrà Dominica præcepta ieris, nullus ſit futurus rituum & cœrimoniarum finis. Sed hæc quidem aliàs. Nunc quod ex his liquidò conſtat, concludamus, hoc quicquid ex Euchologiô recitauimus chriſmationis, totum ad baptiſmum pertinere; in cuius ordine, ſiue officiô collocatur. Itaque cùm Græci nullam, præter hanc, aliam chriſmationem vel habeant, vel agnoſcant (quod & fatetur doctiſſ. Goar, Euchologij nouiſſimus editor,atque interpres) hanc verò ad baptiſmum pertinere vel ipſe hic *in quo occurrit baptiſmalis* (vt ait Goar) *ritus* locus euidentiſſime doceat, illud poſtremò fatendum eſt nullum apud eos eſſe, ab ipsô baptiſmali ritu diuerſum ſacramentum.

Euchol. p. 350.

p. 353. 354.

355.

p. 356.

annot. in Euchol p. 364. § 31. col. 1. extr.

Quod præter hæc, quædam etiam alia Græcorum de hac chriſmatione ſcita confirmant. Quale illud eſt primò, quod ex communi veteris vtriuſque id eſt Græcæ Latinæque Eccleſiæ diſciplinâ ex Albaſpineô ſuprà obſeruata, neminem putant ad Domini menſam admittendum, qui idem non fuerit chriſmatus. οὐδεὶς μὴ βαπτισθεὶς, ἢ μὴ χρισθεὶς (inquit apud Arcudium Ioannes Nathanael ex recentioribus Græciæ Theologis vnus) δύναται ποτὲ κοινωνῆσαι. *Nemo non priùs baptizatus & vnctus communionis particeps vnquàm eſſe poteſt.* Atqui hoc apud omnem Eccleſiam valet, valuitque ſemper, vt nihil hominem ritè

l. 2 de Sacram. c. 12. p. 86. d. 1.

baptiſatum

baptizatum à ſacrâ communione arcere poſſit; niſi vel admiſſum poſt baptiſma crimen pœnitentiâ dignum, vel certè tenerior ætas (cuius tamen neque vel olim apud veteres habita eſt, vel nunc apud Græcos habetur ratio, qui etiam infantes communicant.) Itaque apud Latinos, quibus chriſmatio aliud à baptiſmo ſacramentum eſt, communicantur baptizati, etiam non confirmati. Cùm ergo apud Græcos nemo ad communionem admittatur, non chriſmatus; liquet eos chriſmationem pro parte vel ritu baptiſmi habere; vt non putent ritè baptizatum, qui idem chriſmatus non eſt; quod ita tamen accipiendum eſt, vt de baptiſmô (vt ſic dicam (ſolenni, ac rituali intelligatur. Nam ſi) res abſolutè ſpectetur, valere etiam apud eos interdum baptiſmum, cui defuit ſed ex idonea cauſſa, chriſmatio, ex eô conſtare poteſt, quod de Ruthenis narrat Arcudius. Ait enim totam iſtorum gentem non chriſmate, ſed oleô *infirmorum* ab Epiſcopô benedictô quoſcumque baptizabant, hactenùs vngere conſueuiſſe; eumque vſum inde exortum coniicit, quod cùm Græcorum quodcumque eſt chriſma, non à quibuſuis Epiſcopis, vt apud Latinos, ſed ab vnô Conſtantinopolitanô Patriarchâ conficiatur; Ruthenis difficile eſſet ob locorum diſtantiam, quotannis Conſtantinopolim ad chriſma petendum mittere, vel etiam fortaſſe ipſum eâ copiâ, quæ toti genti ſatis eſſet, comparare, ob pretij magnitudinem (adeò enim cara eſt hæc annona, vt, quod Arcudius memorat, Græci aliquandò *in Ruſſiâ paruam ampullam chriſmatis ducentis aureis Hungaricis vendiderint.*) Itaque Ruthenos, cum ſiue ob iſtas, ſiue ob alias cauſſas, chriſma copioſum comparare non poſſent, putaſſe eo ſe carere ſinè crimine poſſe; eiuſque in ſuô baptiſmô abſentiam illitô infirmorum oleô quodammodò ſupplendam, ac, vt ſic dicam, conſolandam cenſuiſſe. Vtcumque ſit, ille quidem, velut rem notam, & confeſſam narrat, Ruthenos ſine verô chriſmate hactenùs baptizaſſe. Atqui non ideò videmus ipſorum communionem repudiaſſe Græcos; qui Ruſſos, veluti ſuæ Eccleſiæ partem, ſemper anteà habuerunt, ac fouerunt, habentque etiam hodie. Vndè intelligitur eos chriſmatis in baptiſmate ritum non ita neceſſarium, cenſere, vt non poſſit aliquandò baptiſmus eô ſinè baptizati fraude, aut diſpendiô carere, ſi quidem cauſſa ſit iuſta & idonea. Quod vero gloriatur Arcudius ſe hæc apud Ruthenos ex rituali græcô poſt factam, atque tranſactam ab iis cùm Eccleſiâ Romanâ concordiam, in meliorem formam redegiſſe; id ego inquam, totum in mediô relinquo; qui non neſciam, quam ſubleſta ſit Latinorum noſtrorum fides, maximè vbi res à ſe in longinquis geſtas prædicant.

1. 2. de Sacr. c. 9.

Sed & Græcorum chriſmationem cærimoniam tantùm fuiſſe, non verò vllum confirmationis (qualis Latina eſt) ſacramentum, illud etiam ſecundò euidentiſſimè conficit, quod ij ex quacumque hæreſi

conuerſos

conuerſos chriſmant: iſque eorum mos non *poſteriorum Græcorum eſt error* (quod calumniatur Arcudius) ſed perpetuus iam indè à vetuſtiſſimis temporibus Orientalis Eccleſiæ vſus. De veteribus, ſuprà ſatis diximus. De recentibus, res ex Arcudiô clara eſt, qui fatetur hunc apud Græcos eſſe de omni hæreticô conuerſo canonem. χρίεσθω μύρῳ καθάπερ οἱ βαπτιζόμενοι, *Vngatur chriſmate inſtar eorum qui baptizantur* (vbi notandum obiter, non poſt *baptiſma*, ſed in ipsô *baptiſmate*, τοὺς βαπτιζομένους, οὐ τοὺς βεβαπτισμένους *vngi*.) Idem ex Iobi Monachi de ſacramentis tractatu hæc in eandem ſententiam recitat; τοῖς ἢ μοχθηρίᾳ γνώμης καὶ ῥαθυμίᾳ, ἢ βίᾳ βασάνων πρὸς τὴν τῆς πίστεως ἄρνησιν ἐκπεσοῦσιν, ἐπιχέοντες αὖθις μύρον ἅγιον, καὶ τὴν ἱερὰν ἐγκαινίζοντες αὐτοῖς σφραγῖδα τὴν ἀποβάλλουσαν (vel ἀποβληθεῖσαν ex Arcudij correctione) χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπανακαλούμεθα, καὶ αὖθις οἰκειοῦμεν θεῷ, καὶ συνιστῶμεν ὡς τὸ πρότερον. ταῦτα γοῦν τοῦτο ποιοῦμεν καὶ τοῖς ἐξ αἱρέσεως οἵας οὖν ἐπιστρέφουσι, καὶ τῇ καθολικῇ ὀρθοδόξῳ ἐκκλησίᾳ προσερχομένοις. *Eos qui vel improbâ voluntate, atque ignauiâ, vel vi cruciatuum lapſi, Chriſti fidem negarunt, denuò diuinô vnguentô vngentes, & ſacrum in ipſis ſignaculum renouantes, amiſſam gratiam Spiritus Sancti reuocamus; & Deo rurſus eos coniungimus, & conciliamus. Quod ipſum quoque iis præſtamus, qui ex quacumque hæreſi ſe conuertunt, & ad Catholicam rectè ſentientem Eccleſiam accedunt.* Quin & iſte Iobus addit ſolenne quoque eſſe Imperatores, imò & quoſdam Pontifices, tametſi iam anteà poſt baptiſmum, vt moris eſt, chriſmatos, nihilominùs tamen, cùm inaugurantur, diuini vnguenti ſignaculô rurſus inungere. καὶ τούτοις γὰρ (inquit) ἀρχιερατευομένοις πάντως, ὡς ἔθος πᾶσι μετὰ τὸ βάπτισμα ἅπαξ αὖθις θείου μύρου σφραγὶς ἐπιχέεται. Cauillatur Arcudius non fuiſſe vnquam chriſmatos Imperatores, vel Pontifices dum inaugurantur: quod vt contrà Iobum probet, locum ex Euchologió recitat, in quo dicitur Pontifex τῇ κεφαλῇ τοῦ βασιλέως σταυροειδῶς ἐκχέειν τὸ μύρον, *capiti Imperatoris in crucis figuram vnguentum, ſiue chriſma infundere*. O acutum hominem Arcudium! Quaſi verò non hoc ipſum chriſmare ſit. Itaque optima Iobi fides; qui id quod re ipsâ *chriſma* eſt, ſimpliciter *chriſma* dixit: neque iſtorum formulas ac diſtinctiones frigidas attendit, quibus veluti præſtigiis, effecturos ſe quoties libuerit, putant, vt quod ſcapha eſt ſcapha non ſit, vel etiam vt quod ſcapha non eſt, ſcapha ſit tamen. Mitto Symeonis Theſſalonicenſis, & Nicolai Cabaſilæ de chriſmatis iteratione teſtimonia; quæ apud Arcudium fusè deſcripta videat, qui volet. Atque hinc eſt, quod Græci Latinos ad ſe accedentes vngerent, antè Concilium Florentinum; quià eos ſcilicet pro hæreticis habebant; vt ait apud Arcudium Marcus Epheſius. Cùm ergo Latinæ chriſmationis ſacramentum iterari, non magis quàm ipſum baptiſmum, fas ſit; vel cæci vident idem cum Latinorum Confirmatione neque tunc eſſe, neque

ibid. c. 18.

ibid.

ibid. c. 19.

c. 20. 21.

ibid. c. 14. p. 98. c. 1.

verò vnquam fuiſſe illam Græcorum vnctionem, cuius iterandæ, & poſt apoſtaſiam, vel hæreſim ad Eccleſiam redeuntibus de nouô, conferendæ nulla vnquam Græcis religio fuit.

CAPVT XVIII.

Id 3. probatur, quod apud Græcos presbyteri chriſmant; atque hunc fuiſſe apud eos, etiam olim, vſum contra P. Aurelium, defenditur, 1. ex Pſeudo-Ambroſio in Paulum. 2. ex Quæſtionibus V. & N. T. Pſeudo-Auguſtini, Aurelij ex Chryſoſtomo, Iſidoro Peluſiota, Oecumenio, & Pachymere obiectiones ſoluutur, 3. ex Photio, & Nicolao P. R. I. & Ruthramno eiuſdem æui ſcriptore.

ID ipſum poſtremo euidentiſſime probat, quod hæc vnctio apud Græcos à presbytero & nunc miniſtratur, & ſemper miniſtrata eſt; cum Latinorum chriſmationem non ab alio, quam ab Epiſcopo conferri fas ſit. Cum enim miniſter ſacramenti de eius eſſentia ſit; vt valere niſi à legitimo miniſtro collatum, non poſſit, apparet Græcorum chriſmationem, vtpote à miniſtro legitimo minime collatam vere Latinorum ſacramentum (ſi quod revera eſſet, quale ab iis fingitur) nequaquam eſſe poſſe. Iam vero apud Græcos chriſmare presbyteros, & quidem iam inde ab antiquiſſimis temporibus demonſtrare facile eſt. Mitto tria prima Chriſtianiſmi ſæcula, in quibus iam oſtendimus nullum occurrere huius diſcriminis apud vllam Eccleſiæ partem veſtigium, vt presbytero baptizare quidem licuerit; conſignare vero non licuerit. Mitto Firmiliani ſupra deſcriptas voces in genere affirmantis, nullo epiſcopi à presbytero diſcrimine, *maiores natu*, (id eſt presbyteros) *baptizandi & manum imponendi poßidere poteſtatem*. Mitto diſertum Eliberitanæ Synodi canonem, ex quo ſupra demonſtrauimus Latinos ipſos presbyteros manum impoſuiſſe baptizatis, nedum vt eos chriſmare non potuiſſe putemus. Sed Græcos, etiam *poſt Sylueſtri* tempora (id eſt poſt an. D. 335.) eundem vſum conſtanter tenuiſſe clarum eſt. Primo diſertum ea de re extat hominis Latini teſtimonium, & quidem vetuſtiſſimi. Is ſcriptor eſt commentariorum in Paulum, qui Ambroſij nomine, & vulgo hodie circumferuntur, & an. D. 824. à Synodo Pariſienſi, & an. D. 859. ab Hincmaro Remenſi, * & an. 862. à Synodo Aquiſgranenſi laudati ſunt. Fateor tamen non eſſe Ambroſij, veriſimillimam eſſe puto Bellarmini, ª & aliorum erudito-

Epiſt. 75. apud Cypr.

* Id. de prædeſt. c. 33. p. 254. 255. & p. 403. & paſſim.

a 1. de Script. Eccl. in Ambr. Blondel. 1. de Epiſc. p. 48.

eruditorum ſententiam, exiſtimantium hoc opus eſſe Hilarij Eccleſiæ Romanæ Diaconi, qui cum ab an. D. 354. florere cœperit, facile potuit ad Damaſi tempora peruenire, ſub quo auctor ille, quiſquis eſt, ſe ſcripſiſſe teſtatur. Damaſus enim ab an. D. 367. ad a. 384. Romæ ſedit. Hilarium autem fuiſſe verum illius ſcriptoris nomen conſtare videtur ex Auguſtino, qui quædam eius verba non ſemel recitans, ea conſtanter Hilarij nomine laudat. [b] Neque nos ne ita ſentiamus, deterrent Petri Aurelij rationes. Ait [c] ille hoc opus præter innumeras mendas plurima paſſim habere à Catholica doctrina de gratia ita aliena, vt auctor ab ipſo Pelagio factus, inſtitutuſque videatur. De mendis fruſtra huic inuidiam facit Aurelius. Vix enim quiſquam Patrum eſt à mendis immunis. De Pelagio nihilo felicius obſtrepit. Hunc non fuiſſe Pelagianum vel laudatus ex eo ab Auguſtino locus docet; vt alia mittam non pauca toto opere ſparſa cum principe Pelagij dogmate, recta fronte pugnantia. Cæterum ſi infra Pelagium vixerunt quicumque in hanc partem peccarunt, ſuis ſæculis mouendi erunt. Hilarius Pictauienſis, Ambroſius, ipſe Chryſoſtomus, Græci fere omnes: vt nihil de vetuſtiſſimis Iuſtino, Clemente, Tertulliano, aliis, dicam. Nimirum iſtis ante exorta Pelagij certamina, accuratiuſque ab Eccleſia diſcuſſam ac expoſitam hanc Chriſtianæ doctrinæ partem ſecurius agentibus non pauca exciderunt periculoſa, & à veris abludentia. Et hæc ipſa noſtri huius in talibus ſecuritas hominem ante Pelagium vixiſſe potius perſuaſerit: Quanquam neque illa fortaſſe omnia, quæ Aurelius Pelagiana in hoc opere eſſe putauit, vere Pelagiana ſunt. Multa ineſſe bona, & nos lectione ipſa diſcimus, & adductus ab Auguſtino locus fatetur. Sed (inquit Aurelius) eum quem laudat Hilarium Auguſtinus *Sanctum* vocat; qui Hilarium Diaconũ, Luciferiani ſchiſmatis portionẽ, *Sanctum* vocaturus non fuit. Quid, ſi Hilariũ ſchiſmati fuiſſe, quod nos ſcimus, neſciuit Auguſtinus? Quid ſi Hilarium fortaſſe, quod nos neſcimus, reſipuiſſe ſciuit Auguſtinus? Certe vtrumuis facile fieri potuit. Denique obiicit Aurelius quod quoſdam in Hiſpalenſi II. Synodo ex S. Hilarij explicatione epiſtolæ ad Timotheum citentur, quæ in his Commentariis non comparent. Eſto. Quid tum fiet? Ergo (inquit) *facile intelligitur extitiſſe olim alium commentarium in epiſtolas Pauli à S. Hilario ſcriptum, Pictauienſi an alio, non facile dixerim.* Si in epiſtolam ad Timotheum dixiſſet, ferrem. Eius, cuius in Paulinam ad Timotheum epiſtolam extitit Synodi Hiſpalenſis tempore commentarius, extitiſſe & in alias omnes Paulinas nihil neceſſe eſt. Nunc cum laudata ab Auguſtino Hilarij nomine verba in Ambroſianis in epiſtolam ad Romanos cõmentariis leguntur; omnino credibile eſt non Ambroſij, ſed Hilarij alicuius id opus eſſe. Sed quiſquis ſit, certe Damaſi temporibus vixiſſe eũ ipſi potius credo affirmanti.

[b] l. 4. contra 2. epiſt. Pelag. c. 4. & op. imperf. contra Iulian. l. 2. c. 164.

[c] Orthod. Part. 1. c. 538. 534.

in Eph. 4.

quam Aurelio neganti, eiuſque fidem temere, & abſque vera vllâ ratione ſugillanti. Neque enim quod iſte ait liquere, id vel probabile eſſe demonſtrauimus, vt auctor iam ante annos 800. cum laude nominari, & velut vnus ex Eccleſiæ Doctoribus appellari ad hæc vſque tempora ſolitus, nunc abſque vlla ratione hæreticus & impoſtor habeatur. Is vero de Eccleſia Alexandrina nobiliſſimo Græcanicæ membro, ita ſcribit; *Denique apud Ægyptum presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus.* Idem teſtatur, ſiue idem (quod placet Aurelio) ſiue diuerſus ſcriptor quæſtionum in vetus & nouum Teſtamentum, certe & ipſe Auguſtini nomine (tametſi perperam) annos 828. à Synodo Pariſienſi an. D. 824. laudatus: *In Alexandria* (inquit) *& per totam Ægyptum, ſi deſit Epiſcopus, conſecrat Presbyter.*

in Eph. c. 4.

Can. 4. & 6.

Quæſt. 101. apud Auguſt. T 4. p. 450.

Vtrumque hunc locum attulit Sirmondus, vt probaret presbyteros etiam illis temporibus chriſmaſſe; non dubitans chriſmationem ab hoc ſcriptore *conſignandi* voce fuiſſe ſignificatam. Neque ſane de ſenſu repugnauit Aurelius; Tantum ſcriptoris fidem atque auctoritatem eleuauit. Sed nuper vir doctus ex Anglia præfracte negauit eam eſſe auctoris mentem; duobuſque ſuis viris Salmaſio, & Blondello, qui *conſignationis* nomine aut *confirmationem baptizatorum*, aut *pœnitentium benedictionem*, aut *ordinandorum conſecrationem* denotari affirmauerant, ἀβλεψίαν exprobrauit ipſe fidenter aſſeuerans eo vocabulo *ſolam Eucharistiæ conſecrationem* ſignificari, idque ex alterius de Quæſtionibus ſcriptoris loco *ſatis conſtare* dictitans. Fateor primum hoc mihi mirabile videri; quod rem, quæ, ſi iſti Theologo credimus, *ſatis conſtat*, conſtare tamen non viderint non modo Salmaſius & Blondellus noſtrorum eruditiſſimi ſed etiam Sirmondus & Petrus Aurelius aduerſariorum fere coryphæi quodque tam late patuerit craſſæ illius, quam cenſor memorat, ἀβλεψίας caligo, vt & noſtris & hoſtium caſtris pariter incubuerit; neminique hactenus verum & quidem *conſtans*, liquido cernere permiſerit. Omnes enim & noſtri, & aduerſarij in hoc errore conſenſerunt, vt illa Hilariana *conſignatio* ſit chriſmatio. Solus hic, quod ſciam, aliter nunc iudicat. Ponit, vt videtur (quod ſane verum eſt) eandem eſſe vtriuſque loci rationem. Non abnuo. Nam & rei & verborum germanitas id ſatis docet, Quin & eundem eſſe vtriuſque operis ſcriptorem, multa ſuadent. Tum vir doctus aſſumit in loco ex Quæſtionibus, *conſecrare* eſſe *Eucharistiam conſecrare*. Hoc vero, mihi quidem certe, haud *ſatis conſtat*; & id qui tam vehementer affirmat, vtinam cur ita credat, nobis aperuiſſet; Nunc ſatis habuit pronuntiare; rationem ſuæ expoſitionis nullam attulit. *Conſecrandi* vocem generalem eſſe, & maximi ambitus vt puto, non negauit; quæ tam de perſonis, quam de rebus dicitur; vt etiam neophyti *conſecrati* dici poſſint cum vel chriſmate, vel

Antithet 2. p. 28. Orthod. p. 34. Henr Hammond de iur. Epiſcopat. diſſert 3 p. 164.

manus

manus impoſitione perficiebantur. *Conſignare* anguſtius eſt; neque quod equidem meminerim, de Euchariſtiæ confectione ſimpliciter, vt hoc loco, vſurpatum. Nouus quidem interpres nullum huiuſmodi locutionis exemplum attulit, in quo hoc ſenſu *conſignare* diceretur vel Epiſcopus, vel presbyter; non *Euchariſtiam celebrare*. Itaque cùm eadem ſit vtriuſque loci ratio, & vnius *conſecratio* alterius ſit *conſignatio*; omnino potius & verius videtur, vt id quod generalius eſt ex eo interpretemur, quod eſt ſpecialius & magis proprium, quàm contra, & *conſecrare* de obſignatione intelligamus, quam *obſignationem* de Euchariſtiæ confectione; cum *conſignationem* quidem *conſecrationem* & eſſe & dici omnes confiteantur; Euchariſtiæ confectionem dici ſimpliciter *conſignationem*, nemo, vt opinor, audiuerit. Sed altera ſubeſt ratio à rebus ipſis petita, cur de noua expoſitione mihi nondum *ſatis conſtet*. Eius autor non modo concedit, ſed etiam ipſe diſerte ponit presbyteralem conſignandi abſente Epiſcopo poteſtatem hic vt rem commemorari *Ægypto peculiarem*. At poteſtas Euchariſtiam abſente Epiſcopo conſecrandi presbyterorum Ægypti peculiaris (Damaſi certe temporibus) non fuit; Sed omnium presbyterorum in quibuſuis orbis Chriſtiani prouinciis, etiam Romæ, & in toto Occidente communis. Neque puto vllum Chriſtianiſmi vel tempus, vel clima monſtrari poſſe, quo presbytero non licuerit extra Epiſcopi præſentiam Euchariſtiam rite conficere. Hanc ergo conſecrandæ Euchariſtiæ poteſtatem nequaquam intellexit Commentariorum ſcriptor, cum dixit *apud Ægyptum presbyteros conſignare, ſi præſens non ſit Epiſcopus*. Itaque donec vir doctus ſuam illam nouam & inauditam expoſitionem certis & idoneis rationibus *ſatis conſtare* demonſtrauerit, nos in eo, quod Latini *Sirmondus, & Aurelius*, quod Proteſtantes *Salmaſius, & Blondellus*, viri diuerſarum partium, ſtudiorũ atq; inſtitutorum inter ſe diſcrepantium, vno conſenſu admiſerunt, libenter conquieſcemus; & ex veteris Commentariorum ſcriptoris fide pro certo atque indubitato habebimus, etiam ipſo Damaſi ſæculo, Ægyptiacæ Eccleſiæ quæ Græcæ nobilis portio fuit, presbyteros *conſignaſſe*, ſiue chriſmaſſe *ſi præſens non eſſet Epiſcopus*. Quod enim obiicit Aurelius nullum alium ſcriptorem Græcum, Latinúmve hoc tradere, id inquam & falſum eſt, & futile. Falſum; etſi enim nemo fortaſſe, præter hunc, de Alexandrina & Aegyptiaca proprie eccleſia id affirmet; tamen cum de Græca, ad quam Alexandrina pertinebat, ſimilia habeant alij, cumque is in ea vſus perpetuò manſerit, hodieque maneat; nemini mirum videri debet, quod de Aegyptiis hæc prodiderit auctor laudatus. Sed & hoc quod molitur Aurelius, futile eſt. Fac enim plane huius moris nullum extare apud alios veſtigium; æquúmne eſt ſimplex aliorum ſilentium huius aſſeuerationi opponi

Hamm. ibid.

Non-ne facile fieri potuit, vt res, quam hic affirmat, vera fuerit, etiamſi eius nemo meminerit auctorum, quorum ſcripta ad nos peruenerunt? Quod enim alios non modo ſilere, ſed etiam repugnare ait Aurelius, id equidem ſi probaſſet, crederem. Nunc cum ne vnum quidem, qui repugnet, afferat; non eſt quod dubitemus nullum ab eo repertum, qui repugnaret. Ego vero proferam, qui non modo non repugnant, ſed etiam conſentiunt presbytero conſignandi, ſiue chriſmandi ius fuiſſe in Eccleſia Græca. Ex vetuſtioribus ſupra pſeudo-Clementem iam edidi; ex inſecutis temporibus, hoc eſt ex quinto ſeculo pſeudo-Dionyſium edo in loco ſupra deſcripto docentem *presbyterum ſine chriſmate nunquam baptiſmum perficere*; adeoque (quod ex hoc neceſſario & euidenter ſequitur) cum chriſmate baptiſmum perficere. Niſi enim ita eſſe conceſſeris, neceſſario tibi fatendum erit, putaſſe pſeudo-Dionyſium nunquam à presbytero baptiſmum perfici; quod plane cum his eius verbis pugnat; quæ cum presbyterum negant abſque chriſmate perficere baptiſmum; eo ipſo ſtatuunt atque affirmant eundem cum chriſmate perficere baptiſmum. Cum ergo vterque hic ſcriptor, tametſi falſi nominis, vere tamen ritus in Eccleſia Græcanica quarto quintoque ſæculo ſolennes deſcripſerit, apparet illis temporibus, non Alexandriæ modo & in Ægypto, quod aiebat pſeudo-Ambroſius, ſed in tota Orientali Eccleſia hunc fuiſſe morem, vt presbyteri chriſmarent, ſiue conſignarent. Hoc quoque verum eſſe eo ſatis docet Chryſoſtomus, quod Epiſcopos præter vnum ordinationis ius, quicquam habere negat præ presbyteris ſingulare. τῇ γὰρ (inquit) χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι. καὶ τούτῳ μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. *Sola enim ordinatione ſupra eos aſcenderunt* (Epiſcopi) *& hoc ſolo presbyteris ſuperiores eſſe*, ſiue *hoc vnum amplius quam presbyteri habere videntur*. Si ſolam ordinationem præ illis habebant Epiſcopi, manifeſtum eſt presbyteros chriſmatione non caruiſſe. Neque hoc vnius eſt Chryſoſtomi dogma. Eadem habent in eundem Pauli locum Theophylactus, & Oecumenius. Chriſmaſſe autem Chryſoſtomi temporibus presbyteros id, quod in eius vita traditum eſt, euidenter conficit, vt eſt ſane ſolerter & ingenioſe ab eruditis. Blondello noſtro obſeruatum. Narrat enim in eo opuſculo Palladius, cum Ioannes Chryſoſtomus ex Eccleſia, inimicorum factiône pulſus, à pontificalibus omnibus abſtinere iuſſus eſſet, presbyteros & diaconos, qui ab eius partibus ſtabant, competentium Conſtantinopolitanorum tria millia tinxiſſe; eoſque Arcadium immiſſo ſatellitum globo palantes in agris poſtridie oppreſſiſſe, cum ea multitudine λευχειμονοῦσαν humum eſſet conſpicatus. Vnde intelligitur, iſtos omnes albatos fuiſſe, adeoque & conſignatos (tincti enim ſtatim albis induebantur, & chriſmabantur) & quidem à presbyteris conſignatos.

Conſtit. l. 7. c. 11.

Hier. Eccleſ. c. 5.

hom. 11. in 1. ad Tim.

in 1. Tim. 3. 8.

Apol. Hier. lect. l. 3. p. 210.

Pallad. de Chryſ. vita. c. 9.

Chryſo-

Chryſoſtomo enim, qui vnus erat vrbis illius Epiſcopus, tam conſignatione, quam cæteris pontificatus miniſteriis interdictum erat. Atque hinc patet, quam temere negauerit Aurelius vllum dari Græcum auctorem Catholicum, qui presbyteris ius chriſmandi ante Photium tribuerit. Vixerunt enim certe ante Photium & Pſeudo-Clemens, & Pſeudo-Dionyſius, & Chryſoſtomus & Palladius. Sed & eo progreditur Aurelius, vt Chryſoſtomum teſtari dicat Eccleſiam ſui temporis Græcam ab hoc vſu abhorruiſſe. Citat autem hæc ex eius in Actus Apoſtolorum homiliis, *Videtur mihi* (inquit Chryſoſtomus) *hic Philippus vnus è ſeptem fuiſſe, ſecundus Stephano. Ideo & baptizans Spiritum Sanctum baptizatis non dabat. Non enim poteſtatem habebat. Hoc quippe donum ſolorum duodecim erat.* Et infra, *Poteſtatem quidem acceperant faciendi ſigna; non tamen Spiritum aliis dandi. Hoc igitur in Apoſtolis erat ſingulare. Quare Eccleſiæ coryphæos, nec vllos alios videre eſt hoc facientes.* *Teſtatur* (inquit Aurelius) *tum poteſtatem conferendi ſacramentum Confirmationis ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis datam; tum ſuo tempore hos ſolos ea poteſtate vſos eſſe.* O confidentiam hominis immanem! Hoccine vero teſtatur hoc loco Chryſoſtomus? Atqui ille neque *de Sacramento*, neque *de chriſmatione*, neque de *oleo*, neque *de Epiſcopis*, neque *de presbyteris*, neque de *ſui temporis vſu* hic verbum vel vnum fecit. Tantum-ne de noſtro ſtupore ſibi promiſit Aurelius, vt nos putauerit non animaduerſuros aliud eſſe, quod ſcribit Chryſoſtomus, aliud, quod ipſe colligit? Ait ille *ſolos Apoſtolos*, ſolos *duodecim*, ſolos *coryphæos*, id poteſtatis habuiſſe, vt Spiritum S. aliis darent. Quem autem quæſo te, Aureli, Spiritum intelligit? Ipſe dicat, τὸ τῶν σημείων πνεῦμα, inquit, *Spiritum ſignorum*. Nam πνεῦμα τὸ τῆς ἀφέσεως *Spiritum remiſſionis* accepiſſe iam ante Apoſtolorum aduentum Samaritanos, adeoque & tradidiſſe Philippum eorum baptiſtem, affirmat. Spiritum vero *ſignorum*, hoc eſt prophetandi, & variis linguis loquendi, negat accepiſſe à Philippo Samaritanos; vel quod Philippus *id Apoſtolis honoris forte reſeruans, non dediſſet*, vel (quod ipſe verius putat) *quia non habebat hoc donum*; nimirum *dandi Spiritum ſignorum*. Ergo hoc Apoſtolorum ἐξαίρετον, & præcipuum fuit, & ſingulare, non vt tuum Aureli, ſiue oleum, ſiue balſamum miniſtrarent, cuius neque apud Lucam, neque apud Chryſoſtomum vlla occurrit gutta; ſed vt aliis id Spiritus chariſma darent, quo ſigna fiunt. Quo & illa pertinent, quæ tu ridicule ad Chryſoſtomæi temporis Epiſcopos retuliſti; ὅθεν καὶ τοὺς κορυφαίους, οὐκ ἄλλους τινὰς, ἔστιν ἰδεῖν ποιοῦντας. *Vnde & coryphæos, non alios vllos, hoc facientes videmus.* *Coryphæi* ſunt οἱ δώδεκα, οἱ Ἀπόστολοι, vt paulo ante nominauerat; totius Eccleſiæ apices; vere coryphæi. *Solos iſtos* (inquit) *hoc facere videmus*, nimirum in Scripturis, in eorum Actis, in quibus nullum,

Annot. p. 442.

hom. 18.

hom. 18. p. p. 169. d.

nullum extra hos cernere eſt, qui *Spiritum* illum *ſignorum* aliis dederit. Neque enim quiſquam hoc in omnibus Scripturis feciſſe legi-
Act. 8 & 19. tur præter Petrum & Ioannem, & Paulum; quos notum eſt ex illo coryphæorum grege fuiſſe, & quidem cæterorum facile principes. Chriſma vero Aureli, tuum nemo in Scripturis vel diaconus (fateor) vel presbyter dare cernitur; ſed non magis quam hos. Epiſcopum aliquem aut Apoſtolum id miniſtrare in iis videbis. Ergo fruſtra, falſoque adductus ab Aurelio Chryſoſtomus ſui de Confirmationis apud Græcos miniſtro ſomnij teſtis. Eadem eſt eorum Græciæ Patrum ratio, quos ait dicere Apoſtolis, non diſcipulis *datam poteſtatem Spiritum Sanctum tradendi.* Duos in margine indicat Iſidorum Peluſiotam, & Oecumenium, vtrumque Chryſoſtomi ſtudioſiſſimum; quos non dubium eſt quæ de hac re dicunt, ea ab illo magiſtro didiciſſe, & ex eius fontibus hauſiſſe. Quid ergo Iſidorus? Philippum non fuiſſe Apoſtolum ex eo probat, quod Spiritum Sanctum iis, quos baptiza-
l. 4. epiſt. ep. 450. bat, non daret. εἰ γὰρ ὁ βαπτίζων (inquit) εἰς τῶν Ἀποςόλων ἐτύγχανεν, εἶχε τὴν αὐθεντίαν τῆς τοῦ πνεύματος δόσεως. βαπτίζει γὰρ μόνον, ὡς μαθητής. τελειοῦσι δὲ τὴν χάριν οἱ Ἀπόςολοι, οἷς ἡ τοιαύτης δώσεως αὐθεντία ἴδιόν ἐστι. *Quod ſi is à quo baptiſmum acceperant, ex Apoſtolorum claſſe ac numero fuiſſet; Spiritus donandi poteſtatem profecto habuiſſet. At vero baptizabat duntaxat vt diſcipulus. Apoſtoli autem gratiam explebant, ac perficiebant, vt qui huiuſmodi muneris tribuendi poteſtatem atque auctoritatem diuino beneficio accepiſſent.* Hæc ille. Iam cum conſtet etiam ab iis, qui baptizant, Spiritum Sanctum dari, neceſſario hic diſtinguendum eſt *Spiritus* vocabulum, quem non potuit Iſidorus omni ſenſu à baptizante Philippo datum negare. Diſtinctionem vnde potius quam à Chryſoſtomo, eorumdem temporum Epiſcopo, & quidem huius noſtri magiſtro, accipiemus? Ex eo ergo diximus Philippum τὸ τῆς ἀφέσεως πνεῦμα *Spiritum remiſſionis* iis, quos baptizabat, dediſſe: τὸ τῶν σημείων πνεῦμα, *Spiritum ſignorum* non dediſſe, hunc ſolos Apoſtolos dediſſe; hoc eos munere à cæteris diſcriminatos fuiſſe. *Signorum* vero Spiritus nihil ad chriſmationem; qua profecto neque Apoſtoli à cæteris miniſtris diſcriminati ſunt. Ea enim (ſi quæ tum fuit; quod ait Aurelius, ego nego) ea Apoſtolorum non propria, ſed vel ex huius hypotheſi, cum Epiſcopis communis fuit. Dono vero ſignorum *perfectos,* ac *conſummatos* fuiſſe ab Apoſtolis homines baptizatos ait Iſidorus, quod hæc eorum manu, velut coronis, gratiæ ſaluificæ iam in baptiſmo perceptæ adderetur. De Oecumenio qui eadem omnia habet cum Chryſoſtomo, nihil eſt quod pluribus agam. Ipſe æque ac Chryſoſtomus, & quidem totidem verbis, ſcribit *Spiritum fuiſſe ſignorum,* quem à Phi-
in Act. 8. T. 1. Oecum. p. 78. b. lippo non datum Samaritani ab Apoſtolis acceperunt, πνεῦμα μὲν ἅγιον ἔλαβον τὸ τῆς ἀφέσεως· τὸ δὲ τῶν σημείων, οὐκ ἔλαβον: eoq; dono & Philippo

& cæte-

& cæteris antecelluiſſe Apoſtolos. οὗτοι γὰρ δυνάμεις μὲν ἔλαβον ποιεῖν σημεῖα. οὐχὶ δὲ καὶ πνεῦμα διδόναι ἑτέροις. τοῦτο γὰρ ἦν τῶν Ἀποστόλων ἐξαίρετον; p.79.a.
plane, vt Chryſoſtomus. Spiritum autem, quem dabant quidem Apoſtoli, non dabant cæteri, τὸ τῶν σημείων πνεῦμα fuiſſe, inde præter cætera colligit, quod Simon eum non acceperat ſtupens, quod videret virtutes & ſigna fieri. Ergo nihil hinc quidem, Aurelius pro ſua epiſcopali chriſmatione concludere poteſt. Sed & in ipſum Pachymerem inuolat, recentioris, vt ſupra diximus, Græciæ hominem; quem fingit in patriam præuaricatum cauſam Eccleſiæ ſuæ prodidiſſe, & agnouiſſe ac confeſſum eſſe eum olim, etiam apud maiores ſuos, fuiſſe morem, vt ſoli Epiſcopi chriſmarent; quod idem quoque Arcudius * putauit, Aurelio in hac cauſſa multo alioqui candidior. Arcudius enim ingenue confitetur Græcorum presbyteros iam à primis temporibus chriſmaſſe, etiam ipſius pſeudo-Dionyſij æuo (quem Apoſtoli parem ac σύγχρονον facere videtur) idque ex ſupra allatis Dionyſij verbis fuſiſſime probat; atque ea ſic intellexiſſe demonſtrat veterem Dionyſianæ hierarchiæ interpretem Maximum. Vnde liquet Arcudium id quoque ſenſiſſe, quod à Sirmondo optime veriſſimeque dictum tantopere exagitauit Aurelius, † *apud Græcos perpetuum hunc morem fuiſſe*, vt presbyteri chriſmarent. Ille tamen cætera rectus, Arcudius in hoc vna cum Aurelio cæſpitauit, quod Pachymerem in iis, quæ iam ſupra recitauimus, verbis confeſſum eſſe putet ſolum Epiſcopum apud veteres, etiam Græcos, chriſmaſſe; Quod ſane mirabile fuerit, vt homo infimorum temporum Græcus, paternorum rituum ſtudioſiſſimus, ac retinentiſſimus, locum Dionyſij in ſuam rem eximium habens præ oculis, & quidem Maximi ſcholiis, quibus plurimum, Arcudio fatente, vtitur, veluti luce quadam illuſtratum, cæcutierit tamen, ac in eo, non modo quod Maximus notarat, quod vidit Latinorum mancipium, Arcudius, id ipſe non viderit, (presbyteris nimirum pro ſuæ patriæ more chriſmare licere) ſed id inſuper in eo notare potuerit, quod non ſolum nuſquam ibi eſt, ſed quod præterea ſuo, & ſuorum Græcorum dogmati, atque vſui tota (vt loquuntur) diametro oppoſitum ex aduerſo eſt. Videamus ergo an Pachymeris verba rem vſque adeo incredibilem admittere nos cogant; quod ſibi & Aurelius, & Arcudius pariter perſuaſerunt. Ea verba ſunt; οὐδὲ τοῦτο (βάπτισμα) τελείως ἐνεργεῖ ὁ πρεσβύτερος. χρεία γὰρ τοῦ ἀρχιερέως ἐστι εἰς τὸ χρῖσαι τῷ μύρῳ τὸν βαπτισθέντα. αὕτη γὰρ ἦν ἀρχαία συνήθεια. Hæc ita reddit Arcudius; *Neque baptiſmum presbyter perfecte administrat. Opus enim erit Pontifice* (id eſt Epiſcopo) *qui baptizatum chriſmate inungat; Quippe hic antiquus mos fuit.* Sed Arcudius, quod eius pace dictum ſit, hallucinatus videtur. Verba enim illa εἰς τὸ χρῖσαι τῷ μύρῳ, non id ſignificant quod ipſe vult, *opus eſſe Pontifice, qui*

p. 78. d.

* l. 2. de Sacram. c. 14.

1. de hier. eccl. c. 5.

† Anaret p. 442. & Orth. p. 551.

in Hierar. Dion. c. 5. p. 72.

inungat: Sed ita ſunt interpretanda; *nam ad baptizatum chriſmate inungendum opus eſt Pontifice*; εἰς τὸ χρῖσαι τὸν βαπτισθέντα, *ad vngendum baptizatum*; id eſt, vt vngatur baptizatus, non quidem ab Epiſcopo (quod fruſtra volunt Arcudius & Aurelius) ſed à quouis legitimo miniſtro, adeoque & ab ipſo presbytero: Nunc clara omnia, & plane ad Dionyſij mentem, quam ipſe optime vidit Arcudius. Vult nimirum Pachymeres æque ac Dionyſius, cuius eſt paraphraſtes, presbyterum non poſſe perficere baptiſmum, per ſe ſcilicet & ſolis ſui muneris copiis inſtructum; & in huius ſacramenti adminiſtratione ab Epiſcopo, perinde ac in aliis, pendere, & ab eius manu neceſſario aliquid mutuari, quia (inquit) presbyter, vt tinctum vnguento inungat (ſine quo non perficitur baptiſmus) opus habet Epiſcopo. Quid ita? quia nimirum conficiendi chriſmatis non presbyter, ſed Epiſcopus habet poteſtatem. Ergo ad perficiendum baptiſmum Epiſcopo opus eſſe intelligit, non qui vngat ipſe (quod imprudens putauit Arcudius) ſed qui chriſma, quo inungat presbyter, conficiat: plane eodem ſenſu, quo mox idẽ negat Euchariſtiam à presbytero ſine Epiſcopo confici poſſe. πῶς δὲ ἡ θεία κοινωνία (inquit) γένοιτο, μὴ θυσιαστηρίου ὄντος; ποῦ δὲ ἔσται ὁ ἱερεύς, εἰ μὴ ἀρχιερεὺς αὐτὸν χειροτονήσει; *Quomodo autem & diuina communio erit, ſi nullum ſit altare? Vbi vero erit ſacerdos, niſi Epiſcopus ipſum ordinauerit?* Vt ergo ſine Epiſcopo Euchariſtiam confici non poſſe intelligit, non quod presbyter eam, ne abſente quidem Epiſcopo, per ſe ac ſolus plene, perfecteque conficere non poſſit; ſed quod ad eam perficiendam, & altari opus habet ſuper quo eam offerat, & ipſum in primis ſacerdotij ordine præditum eſſe neceſſe eſt; quod vtrumque niſi ab Epiſcopo, habere, conſequíve non poteſt (cuius vnius eſt ſcilicet & altare conſecrare, & presbyterum ordinare) ſic etiam ſimili plane ſenſu negat presbyterum ſine Epiſcopo baptiſmum perficere poſſe, affirmatque eo ad hoc opus habere, non quod ipſe ſolus abſente Epiſcopo, omnes baptiſmi ritus, ipſamque adeo chriſmationem plene, perfecteque conficere, atque adminiſtrare non queat; Sed quod ad eos ritus plene perficiendos re quadam indigeat, quam ſine Epiſcopi opera ac manu habere non poteſt, vnguentum ſcilicet, quod ab vno Epiſcopo, non autem etiam à presbytero rite confici poteſt. Itaque paulò ante non alias, quam tres ſolas, functiones ſiue actiones recenſebat, quæ Epiſcopi ita eximiæ ſint ac propriæ, vt eas ſolus ſua manu, non alterius cuius quam miniſterio perficere poſſit; has ſcilicet *vnguenti confectionem, altaris conſecrationem, & clericorum ordinationem* ἐξαιρέτως (inquit) τῷ ἱεράρχῃ πρὸς αὐτουργίαν, καὶ οὐ διὰ τῆς ἑτέρων ὑπουργίας ἀποκεκλήρωται, ὁ τοῦ μύρου ἁγιασμός, ἡ τοῦ θυσιαστηρίου καθιέρωσις, καὶ ἡ τῶν ἱερατικῶν χειροτονία. Vnde intelligere potuerunt Arcudius & Aurelius chriſmationem, quæ harum trium functionum nulla eſt, Pachymerem putaſſe ab Epiſcopo, non tantum

præſente,

præſente αὐτουργῶς & propria manu, ſed etiam abſente ſacerdotis ſiue presbyteri miniſterio, æque ac Euchariſtiá, & cæteros minime ab ipſo iſtic recenſitos Eccleſiaſticos actus, adminiſtrari, riteque perfici poſſe. Quod vero addit, *αὕτη γὰρ ἦν ἡ ἀρχαία συνήθεια, quippe hic antiquus mos fuit*, id ad chriſmatis, non vſum (quod perperam Aurelius ſibi perſuadet) ſed confectionem pertinet. Intelligit olim morem fuiſſe, vt ab Epiſcopo chriſma presbyter acciperet confectum; Nimirum tum Epiſcopus chriſma conficiebat, ſuiſque presbyteris ſufficiebat, quo in baptiſmo perficiendo vterentur. Hoc autem ideo notat, quod ſuis temporibus alius fortaſſe mos apud Græcos eſſet, ſcilicet vt chriſma vel etiam presbyter quilibet, vel certe ſolus Patriarcha CP. non, vt olim, quiuis Epiſcopus conficeret. Hoc enim hodieque ipſo teſte Arcudio, manet. Non ergo Aurelij figmentis Pachymeres magis, quam Chryſoſtomus, fauet; vt nunc quidem (ni fallor) ſatis conſtet veriſſimum eſſe, quod & Sirmondus ſapientiſſime ſcripſit, & nos luculentiſſime demonſtrauimus, Græcis perpetuum hunc morem fuiſſe, vt apud eos etiam presbyteri, chriſmarent. Nam de antiquis quidem temporibus & Arcudius concedit, & infœliciter, vt liquet, repugnat Aurelius: de recentioribus vero, adeoque nouiſſimis, etiam Aurelius aſſentitur, & res ſane clara eſt. Cum enim circa an. D. 867. quidam Latinorum Epiſcôpi in Bulgariam veniſſent, & gentem, quæ à Græcis Chriſtianiſmum nuper receperat, multa aliter docerent, quam Græci inſtituerant; Photius Conſtantinopolitanæ ſedis per illa tempora antiſtes, vir in litteris, ſacraque iuxta ac profana eruditione omniũ, quos illa ſæcula tulerunt, facile princeps, de hoc Latinorum auſu grauiter apud Collegas (id eſt reliquos Orientis Patriarchas) data luculentiſſima epiſtola encyclica conqueſtus eſt, & Synodum indixit, qua totum iſtorum facinus rite, qua dignum erat, damnatione publice vindicaretur. Inter cætera autem crimina, quorum Latinos poſtulat, hoc diſerte vrget, quod *τοὺς ὑπὸ πρεσβυτέρων μύρῳ χρισθέντας ἀναμυρίζειν οὐ πεφρίκασιν. ἐπισκόπους ἑαυτοὺς ἀναγορεύοντες, καὶ τὸ τῶν πρεσβυτέρων χρῖσμα ἄχρηστον εἶναι καὶ εἰς μάτην ἐπιτελεῖσθαι τερατευόμενοι. Chriſmate inunctos per ſacerdotes denuo chriſmate inungere non exhorruerunt, cum ſe Epiſcopos prædicarent, & presbyterorum chriſma inutile quiddam, ac fruſtra factum comminiſcerentur.* Quibus narratis ſic pergit; *Ἆρ' ἔστιν ὅς τηλικαύτην ἀκοῇ παρείληφεν ἄνοιαν, ἣν κατετόλμησαν οἱ παράφρονες ἐκεῖνοι ἐναρκῆσαν; τοὺς ἅπαξ μύρῳ χρισθέντας ἀναχρίοντες, καὶ τὰ τῶν χριστιανῶν ὑπερφυῆ καὶ θεῖα μυστήρια εἰς λῆρον μακρὸν καὶ πλατὺν ἐξορχούμενοι γέλωτα. An talem quis inſaniam fando vnquam audiuit, quam non cohorruere inſani iſti factitare? vt ſemel vnguento ſacro delibutos rurſus inungerent, & auguſta illa, diuinaque Chriſtianorum myſteria in bene longas nugas, & riſum lubentiamque conuerſa proculcarent?* Tum illum Latinorum co-

Epiſt. Phot. 2. p. 50. edita Londin. an. D. 1651.

lorem, quo ſuam rechriſmationem defendebant, obtendentes Græcanicam chriſmationem, ceu à meris presbyteris perperam, ac præter Eccleſiæ leges factam, nihili eſſe putandam; hunc inquam, iſtorum colorem propriè ac nominatim ita continenter refellit: καὶ τό γε σοφὸν (inquit) τῶν ὡς ἀληθῶς ἀμυήτων. οὐ γὰρ ἔξεστι φασὶν, ἱερεῦσι τοὺς τελουμένους μύρῳ ἁγιάζειν. ἀρχιερεῦσι γὰρ μόνοις ἐνομίσθη. πόθεν ὁ νόμος; τίς δὲ ὁ νομοθέτης; ποῖος τῶν ἀποστόλων; τῶν πατέρων δέ; ἀλλὰ τῶν συνόδων; καὶ ποῦ; καὶ πότε συνέστη; τίνων δὲ κρατύνεται ψήφοις; οὐκ ἔξεστιν ἱερεῖ μύρῳ τοὺς βαπτιζομένους σφραγίζειν. οὐκοῦν οὐδὲ βαπτίζειν ὅλως. οὐδὲ ἱερατεύειν ἄρα, ἵνα σοι μηδὲ ἡμίτομος ὁ ἱερεὺς, ἀλλ' ὁλόκληρος εἰς ἀνίερον εἴη κλῆρον ἀπεληλαμένος. ἱερουργεῖ τὸ δεσποτικὸν σῶμα, καὶ αἷμα τοῦ χριστοῦ, καὶ τοὺς πάλαι μυσταγωγηθέντας δι' αὐτῶν καθαγιάζει. πῶς οὐχ ἁγιάζει μύρῳ χρίων τοὺς νέον τελουμένους; βαπτίζει ὁ ἱερεὺς καθάρσιον δῶρον τῷ βαπτιζομένῳ τελεσιουργῶν. πῶς, ἧς τελεσιουργὸς αὐτὸς ὑπάρχει, καθάρσεως ἀφαιρήσεις αὐτοῦ τὴν φυλακὴν καὶ σφραγῖδα; ἀλλ' ἀφαιρεῖς τὴν σφραγῖδα; μηδ' ὑπηρετεῖν ἐπιτρέψῃς τῷ δώρῳ μηδ' ἐν αὐτῷ τινας τελεσιουργεῖν, ἵνα σοι γυμνοῖς ὁ σὸς ἱερεὺς ἐνδιαπρέπων ὀνόμασι, καὶ αὐτῆς αὐτοῦ χοροστασίας κορυφαῖον δείξῃ καὶ ἐπίσκοπον. *Porrò ſapiens, & egregium eorum reſponſum, qui re verá ſunt ſacrorum myſteriorum immunes, hoc eſt. Non enim (inquiunt) licet ſacerdotibus, eos qui ſacro baptiſmate initiantur, vnguento ſanctificare ſolis enim Pontificibus hoc lege datum eſt. Vndè hæc lex? Quis auctor? Quis Apoſtolorum? an Patrum? An ex Synodis aliqua? Sed vbi, & quandò habita? & quorum-nam confirmata ſententiis? Non licet ſacerdoti eos, qui baptizantur, conſignare. Igitur neque omninò baptizare, neque ſacra facere: vt tibi ſacerdos, non iam dimidiatus, ſed totus ad profanum ſtatum redigatur. Conficit ſacerdos dominicum corpus, & Chriſti ſanguinẽ, & hos iam olim initiatos ſanctificat. Quomodo nõ ſanctificat vnguenti inunctione eos, qui nunc initiantur. Baptizat ſacerdos donum baptizato expiatoriũ perficiens. Quomodo cuius purgationis, ſiue purificationis ipſe auctor & conſummator eſt, eius illi cuſtodiam, atque ſignaculum eripies? Verum ſi ſignaculum ei eripis, nè illud quidem ei concede, vt donum miniſtret, vel quemquam eò ſanctificet; vt nudis nominibus tuus ſacerdos exornatus te quoque eiuſdem cum ipſo chori coryphaum & epiſcopum oſtendat.* Atque hæc quidem Photius, diſertiſſimè, vt ſolet, & grauiſſimè contrà Latinos perorat; in quibus illud obiter obſeruandum eſt, quod iſte quoque perindè ac Damaſcenus, & cæteri ſuæ gentis Theologi, chriſmationẽ ad baptiſmum pertinere ſtatuit, cuius eam ſcilicet τὴν φυλακὴν καὶ σφραγῖδα *munimentum* & *ſignaculum* eſſe ait. Id verò nihil aliud eſt, quàm quod Latini quoque dixerunt, *baptiſmum chriſmatione perfici*; ſiue, chriſma vltimum eſſe baptiſmi ritum, quô totum initiationis myſterium concluditur, atque abſoluitur. Sed ex hoc quidem Photij teſtimonio illud, quod contendimus, clarum eſt; ſæculo illo nono apud vniuerſam Græcorum Eccleſiam ſolemnem hunc fuiſſe vſum, vt preſbyteri chriſmarent. Iam & illud ex Niceta ſatis, ſuperque conſtat Sy-

nodum

nodum illam, de qua cogitaſſe Photium ex encyclica eius epiſtola patet. Conſtantinopoli Michaële imperante, Baſilio poſt Bardæ necem in Patriciatum ſubuecto, numeroſiſſimam habitam fuiſſe, in qua & Latinorum tum hoc de chriſmatis miniſtro dogma, tum alia non pauca de capitibus à Photio memoratis dogmata damnata ſunt, & ipſe Nicolaus Romanus Pontifex ob intolerabilem, in omnes tum Orientis, tum etiam Occidentis Chriſtianos tyrannidem anathemate perculſus. Acta illius Synodi altera latrocinalis (quæ paulo poſt à Baſilio imperiū per infandum Michaëlis heri, & domini ſui optime meriti parricidium nacto habita eſt) ſtudioſiſſime conquiſita cremari iuſſit, & Latini tanta pro ſuo more diligentia indaganda, atque abolenda curarunt, vt nihil hodie quod equidem ſciam, eorum ſuperſit. Bertiniani vero Annales, & ex iis Flodoardus, narrant Nicolaum an. D. 867. exeunte, *Hincmaro & Epiſcopis in regno Caroli Calui conſtitutis epiſtolam tranſmiſiſſe, innoteſcentem Græcorum Imperatores Michaëlem & Baſilium, ſed & Orientales Epiſcopos, calumniari ſanctam Romanam Eccleſiam, imo omnem Eccleſiam, quæ Latina vtitur lingua, quia ieiunamus* (inquit) *in Sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicimus, quia presbyteros ſortiri coniuges prohibemus, & quoniam eoſdem presbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus*, & cætera, quæ ad rem noſtram nihil nunc quidem pertinent. Extat etiamnum ipſa Nicolai epiſtola; in qua miſſam à Michaële ad Bulgarorum Principem epiſtolam memorat, diris in ſe, totamque Latinorum Eccleſiam maledictis ac contumeliis plenam; eademque illa, quæ recenſent Annales Bertiniani, in Latinorum religione à Græcis culpari, atque inſimulari affirmat. In his autem obiter obſeruandum, vt homo callidus de primis ſuorum in Græcos apud Bulgariam contumeliis, cum neophytos ab horum presbyteris chriſmatos illi (quod deflet Photius) audacter rechriſmarunt, nihil prudenter taceat; ne ſcilicet appareret ſe ſuoſque primos fuiſſe totius iniuriæ auctores; rem totam ſic narret, quaſi ipſe nihil in Græcos auſus ab ipſis primo prouocatus fuerit, atque laceſſitus; quod longe aliter eſſe ſatis ex Photiana encyclica conſtare poteſt. His ita vafre expoſitis Nicolaus iubet Hincmarum *ſuam hanc epiſtolam etiam ad alios Archiepiſcopos, qui in Francia conſiſtebant, deferendam curare, & vt de his ſinguli in diœceſibus ſuis vna cum ſuffraganeis ſuis in cuiuſcumque regno eſſent, conſtituti, conuenienter tractarent, & ipſi Nicolao quæ reperiſſent, ſuggerere curarent.* Ipſe paucis poſt has datas litteras diebus mortuus eſt. Litteræ enim datæ ſunt d. 10. Kal. Nou. Ipſe, vt diſerte ſcribit Flodoardus, Idib. Dec. obiit. Hincmarus vero acceptam anno demum ſequenti, id eſt, D. 868. Nicolai epiſtolam *in Corbonaco palatio conſiſtenti Regi Carolo cum pluribus Epiſcopis relegit, & ad alios Archiepiſcopos, ſicut in mandato acceperat, dirigere ſtuduit*; auctori-

Ann. Bertin. ad an. D. 867. T. 3. Script. Franc p. 218. c. Flodoard. hiſt Rem. l. 3. c. 7. quod totum ex Annal. Bert deſcriptum eſt.

Nicol ep. 70. T. 3. Concil. Gall. p. 332.

ibid. p. 338.

Flod. vb ſupr. c 17 extremo.

vb. ſupr.

bus Bertinianis Annalibus, & Flodoardo Baronius tradit & Hincmarum ipſum & *Odonem Bellouacenſem Epiſcopum aduerſus Græcorum obiectiones plurimum laboraſſe.* Ego apud Flodoardum tantum lego Hincmarum ad Odonem illum de Græcorum quæſtionibus & homiliis B. Petri ſcripſiſſe. Item de reſponſionibus ad obiecta Græcorum, quæ idem Odo colligens deſcripſerat, & Hincmaro ipſi miſerat de quibus quid ſibi *videatur ſimul conferendum eſſe.* Cæterum neque Hincmari (ſi qua fuit) neque Odonis de his Græcorum quæſtionibus lucubratio ad nos, quod ſciam, vlla peruenit. Sed Rathrannus Corbeienſis Monachus (cuius iam editi publice habentur duo inſignes libri, alter de corpore & ſanguine Domini, alter de Prædeſtinatione) meliori fato ſuum quoque iiſdem temporibus calamum in Græcanicæ diſputationis argumento exercuit. Supereſt enim in doctorum, atque ampliſſimorum virorum ſcriniis eius opus in charta Pergamena ſcriptum, quatuor conſtans libris, & quidem ſatis prolixis, aduerſus illas Græcorum oppoſitiones non inerudite, vt illa ferebant tempora, elucubratum. Viderunt & Aurelius, [a] & Launoyus, [b] & quædam diuerſi argumenti, ille quidem parce, hic vero vlterius ex eo volumine deſcripſerunt; in quo Rathramnus Spiritus Sancti ex Filio proceſſionem tribus prioribus libris fuſe exſecutus, in quarto cæteris Græcorum quæſtionibus breuius pertractatis, *Nunc ad illud* (inquit) *veniamus, quod obiicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes presbyteri chriſmate non linunt; quod obiectum ſicut & reliqua magis leuitate, quam ratione propoſitum eſt, ſiquidem Eccleſiæ ſua conſuetudinem ſequentes iſta proponunt, non aliquā diuinæ legis auctoritatem.* Ita Rathrannus hanc ſuæ diſputationis partem orditur. Refert & clariſſimus Vſſerius Æneæ Pariſienſis Epiſcopi iiſdem temporibus florentis opus de eodem argumento aduerſus Græcos ſcriptum; cuius libri primi caput XIX. citat. Ego librum non vidi. Sed hæc ſatis ſunt ad id, quod inſtituimus, demonſtrandum, communem ſcilicet nono illo ſæculo fuiſſe totius Eccleſiæ Græcanicæ *conſuetudinem*, vt etiam presbyteri chriſmarent. Poſteri eundem apud Græcos morem ad noſtram vſque memoriam conſtanter tenuerunt. Ioannes Nathanaël, magnus Cretæ Oeconomus, chriſmatis confectionem ſolis quidem Epiſcopis vindicat, vſum vero (id eſt chriſmationem) presbyterorum eſſe contendit, & quidem iis ipſis rationibus, quibus vſus erat Photius; *μὴ γὰρ* (inquit) *μεῖζόν ἐστι τὸ χρίσμα τῆς θείας κοινωνίας τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος, ἢ καὶ τοῦ βαπτίσματος; οὐδαμῶς. εἰ γὰρ καὶ διαφέρουσι μὲν τῇ ποιότητι, ἀλλ' οὐχὶ τῇ χάριτι καὶ δυνάμει. Numquid enim maius eſt chriſma diuinā communione Dominici corporis & ſanguinis, vel etiam ipsô baptiſmate? Minime verò. Tametſi enim differunt qualitate; tamen non differunt gratiā & poteſtate.* Mox; καὶ ὅτι μεῖζον ἱερεὺς μεταδιδοὺς, οὐ δυνάται καὶ τὸ ἔλαττον μεταδοῦναι; Καὶ περὶ μὲν τούτου

αὐτῆ

a.D.867. §.63. Flod.L.3.c.21. fol.258. verſo.

epiſt. ipſa extat T. 2. Hincmar. p. 809.

Excuſum mox fuit & publicatum Lutet. Par. an. D. 163.

[a] Orthod. p. 531.

[b] tract. de abſtinent. cibor.

Præfat in Diatrib de ſymbolo Eccleſ. Rom.

apud Arcudium l. 2. de Sacram. c. 11. p. 86.

αὕτη ἐστὶν ἡ διϊσχύρισις τῶν Γραικῶν, καθόσον ἔγωγε οἶδα. *Qui maius* (Euchariſtiam ſcilicet) *aliis impertit ſacerdos; nónne & minus impertire poterit? Atque hæc eſt de hoc quæſitò, quantum ego quidem ſcire poſſum, Græcorum aſſeueratio.* Neque ab his diſcedit Gabriel Philadelphiæ Epiſcopus. Etſi enim concedat ad Epiſcopos προηγουμένως *primariò ac præcipuè* pertinere τὸ chriſmare (ſed & *baptizare* & *communicare* eorum quoque eſt προηγουμένως) negat tamen id ſe reperiſſe Synodicis canonibus definitum, quod certè veriſſimum eſt; & ridiculus eſt Arcudius homini Græco obiiciens Florentinæ ac Tridentinæ Synodorum decreta; quaſi obſcurum ſit eum de veteribus, & quidem ſuæ (hoc eſt Græcæ) Eccleſiæ Synodis intelligere. Tum & illud addit Gabriel *Eccleſiam Orientalem ſuis presbyteris chriſmandi ius conceſſiſſe.* Quod verò & hic obiicit Arcudius Eccleſiam Orientalem ea poteſtate carere, quæ ſcilicet penes ſolam primam Sedem (id eſt Romanam ſit) id, inquam, ineptum eſt. Orientalem enim Eccleſiam tantum apud ſe & in ſuos habere poteſtatis, quantum Romana habet apud ſuos, & ſtatuit ac credit Gabriel; & verum eſt. Si quod eſt autem, aut fuit huius præ aliis πρεσβεῖον, id ad ordinem pertinet, non ad poteſtatem; vt Romanæ, quam aliarum, prior eſt iure Eccleſiaſtico, non tamen maior auctoritas. ibid. c. 13.

Caput XIX.

Diſcutitur & refellitur vana Arcudij cauillatio Græcorum preſbyteros ex P. R. diſpenſatione chriſmare ſomniantis. Soluuntur duæ quædam difficultates. Concluditur chriſmationem non eſſe proprium ac veri nominis ſacramentum.

Sed Arcudius ipſe concedit quidem presbyterum apud Græcos & chriſmaſſe ſemper, & chriſmare etiam nunc; & valere miniſtratam ab eo chriſmationem. Verùm, vt eos cum Latinis ſuis conciliet, hic à Synodis Florentinâ & Tridentinâ repertam miniſtri diſtinctionem adhibet. l. 1 de Sacr. c. 15. Vult enim presbyteros Græcos chriſmationis miniſtros eſſe, non *ordinarios* (quod ſolis Epiſcopis ſcilicet conuenit) ſed *extraordinarios*. Id verò ποζὸν φάρμακον quàm non modò futile, ſed & ridiculum ſit, ſatis patet. Primò enim nónne iſte ludibrium omnibus debet, qui quod paſſim, ac ferè ſemper in totâ Græcanicâ Eccleſiâ fit, id *extraordinarium* dicit? *ordinarium*, quod rarò, ac ferè nunquàm? Ipſe enim ſuprà narrauit, quod qui apud Græcos verſati ſunt, ſciunt, *eorum præſules chriſmate rarò conſignare, vt etiam rarò baptizare;* l. 1. de Sacr. c. 10 init.

presby-

preſbyteros verò vel ipſomet præſente antiſtite vtrumque munus frequentiſſimè exſequi. Tum ſi *extrà ordinem* hoc Græcorum presbyteri acceperunt, vt chriſmare poſſent; dicat nobis Arcudius, à quô, quandò, vbi id iuris extraordinarij petiuerint, impetrauerint, acceperint? Ludouicus ille Fonſeca de Ieſuiticô ſodalitiô presbyter, quem ait narrare ſolitum ſe in Braſiliæ partibus antè an. D. 1593. confirmationis ſacramentùm adminiſtraſſe; ille idem ſibi hoc datum fuiſſe à Pontifice Romanô prædicabat, eiuſque auctoritatis diploma aſſeruari aiebat. Et quod ſacerdoti ex Minorum Monachorum ſocietate idem in Indiis conceſſum ſit (quod Arcudius itidem refert) ab Adrianô VI. an. D. 1521. conceſſum fuerat petentibus (vt ipſe narrat) Galapioni, & Franciſco de Angelis illius inſtituti aſcetis. Petamus ergo à Græcorum preſbyteris, quorum ſimilem eſſe vult rationem Arcudius, vt diploma Pontificiæ conceſſionis ſuum proferant? quod ſi fortaſſe nimiâ vetuſtate conſumptum periit, illud ſanè nobis dicant, quos de ſuis aliquandò ad Romanum Epiſcopum Græcia miſerit, qui *extraordinariam* hanc poteſtatem illis concederet? quibus rationibus, aut argumentis id impetrauerint? quas gratias pro tantô beneficiô egerint? ſaltem quod fuerit liberaliſſimi illius Papæ nomen? Ille verò ſi hæc ab iis quæſieris, Arcudi, te exſibilabunt: rogabuntque num ſatis ſanus ſis? qui id ſibi iuris putant, non à tuis vnquàm Pontificibus datum, ſed à maioribus ſuis relictum, à Chriſtô vel eius certè Apoſtolis, aut primis eorum diſcipulis traditum; & ſacerdotij ſui ita proprium, vt ab eô non magis diuelli quàm ipſa baptizandi, vel Euchariſtiam conficiendi poteſtas, queat. Te verò cum tuâ *Ordinarij & extraordinarij* diſtinctione procul faceſſere, velut delirum & inſanientem, iubebunt. Quid ergo tibi vis, cùm eos *extraordinariâ poteſtate* id agere contendis, quod ipſi ſui iuris eſſe volunt? An tu iis beneficium hoc etiam inuitis, ac repugnantibus largieris? Tu verô nos ludis, ô bone: qui de tuis Græcis ea nobis perſuadere conaris, quæ ipſi communi totius gentis voce repudiant, atque auerſantur. Habe tibi tuam illam *extraordinariam* poteſtatem. Ea Græci opus ſibi eſſe negant; tuique Papæ mirificum hoc beneficium vltrò tibi remittunt. Sed eſt videlicet iſta Latinorum fraus non recens; vt quæ mutare non poſſunt, ea ſe concedere profiteantur; vt etiamſi præter ſuam voluntatem, ſuâ tamen poteſtate ſtare, ac valere videantur. Fecit hoc olim in Sardis calidiſſimus Gregorius, qui cùm eos videret aſpernari, quæ ipſe de chriſmate decreuerat, benigniſſimè genti illi permiſit, vt ſuis inſtitutis vterentur. Ita & cum Græcis apud Florentiam poſtea actum eſt. Quem enim eorum ritum mutare ſe non poſſe intelligebat Eugenius, ferendum, ac tolerandum duxit. Inde nunc noſtri Arcudij in Græcos ſuos liberalitas: quibus id Romæ Pontificem conceſſiſſe vult ſcilicet, quod

ciis eripere non potuit. Hacquidem ratione licebit & ab eiuſdem benignitate eſſe, quod & Abyſſini infantes ſuos circumcidunt, & Abunam vnum habent in tota gente Epiſcopum, & quotannis baptiſmum ſuum redintegrant; & quod nos in Galliâ Proteſtantes in Germaniâ ſacros conuentus publicè habemus. Neſcio an non & hac arte ipſe Muſulmannorum Muphtis ſuam quoque poteſtatem vrbico præſuli ſit debiturus. Quid-ni, cùm ex Arcudianis quidem rationibus, quicquid Papa Romanus mutare, vel eripere non potuit, id eius alicui extrà ordinem mandato, vel certè permiſſioni, aut indulgentiæ imputandum eſſe videatur? Mitto, quod in ipſis Romanorum ſcholis ſunt auctores grauiſſimi, vt ex veteribus quidem Durandum, & ille ipſe Adrianus cuius contrarium factum recitauit Arcudius; ex recentioribus verò Eſtius, & vt videtur, etiam Aurelius; qui ne Pontificem quidem Romanum hanc extraordinariam chriſmandi poteſtatem cuiquam non Epiſcopo concedere poſſe diſputant. Itaque cùm Græcorum chriſmatio, mera baptiſmi cærimonia ſit & quidem huiuſmodi, quæ & à presbyterô conferri, & ſi, qui eam apud hæreſim accepit, poſteà ad Eccleſiam veniat, iterari ritè poteſt; concludendum eſt eum nequaquàm eſſe Latinorũ Confirmationis ſacramentum; à quô illa omnia aliena eſſe nemo neſcit. Vndè & illud neceſſariò & euidenter ſequitur Græcos, (quorum præter hanc, nulla alia vnctio eſt, quæ ad Confirmationis negotium vllô modô referri poſſit) nullum nunc habere, nullum vnquàm habuiſſe Confirmationis, qualem ſuam Latini eſſe fingunt, Sacramentum. Qua, vt videtur, ratione inductus Dominicus Soto negat Græcos hoc Sacramentum perficere. Guido vero de Perpiniano, Carmelitarum primo Generalis, poſtea Maioricenſis, & Elmenſis Epiſcopus, ante annos 300. ſcripſit *Græcos Sacramentum confirmationis non credere. Nec conficiunt chriſma* (inquit) *nec benedicunt oleum Sanctum nec extremæ vnctionis, nec Catechumenorum; ſic quod baptizandos non inungunt; nec Sacramentum confirmationis credunt.* Hæc ille; negans Græcos *chriſma conficere*: quod id apud eos non ritu Romano à ſingulis cuiuſque parœſiæ Epiſcopis, ſed ab vno Conſtantinopolitano Patriarcha conficitur. Idem quoque de Græcis & iudicare, & tradere Indicem Baſileenſem ſcribit Sirmundus; quem apud eum latere ait Aurelius. * Fateor de Græcis æui ſui intelligere & Guidonem, & Soto. Sed cum demonſtratum fuerit chriſma à quo in Chriſtianorum hominum vſum inuectum fuit, eodem ſemper apud Græcos loco ac numero fuiſſe, quo nouiſſimis temporibus eſt; nos, quod iſti de recentioribus tantum Græcis dixerunt, id de omnibus dicimus, apud quos non minus olim quam nuper, & à presbyteris, & in ipſo propriè baptiſmi myſterio miniſtratum chriſma fuiſſe ſatis nunc conſtat ex ſuperioribus. Id vnum ſupereſt, vt duo quædam breuiter

in 4. d. 7. art. 11.

Summa de hær. Græc. c. 15.

Antirrhet. 1. part. 1. c. 6. extr.

* Orthod. Part. 1. c. 6. extr.

ſoluamus, quæ videntur nobis poſſe obiici; quorum vnum eſt; quod Græci operoſiùs chriſmationem adminiſtrant, quàm vt eam infrà ſacramenti dignitatem habeant; alterum eſt, quod ipſi eam diſertè inter ſeptem illa ſacramenta cenſeant, quæ ſe credere atque excolere profitentur. Ac primò quidem ad vtrumque ſimul reſpondeo, quæcumque Græcorum ſit de ſua chriſmatione opinio, illud quidem, quod nobis in hac diſputatione ſatis eſt, liquidò conſtare eam; ſi ſacramentum ſit, aliud certè à Latinâ Confirmatione ſacramentum eſſe; à quâ, vt oſtendimus, non vnâ, neque leui, vel contemnenda re diſcrepat. Hoc enim vno conficitur Latinum illud, de quo diſputare inſtituimus ſacramentum in nobiliſſimâ Eccleſiæ Chriſtianæ parte & nunc eſſe, & ſemper fuiſſe incognitum; quod magno argumento eſt ipſum, quod nos defendimus, neque à Chriſtô inſtitutum, neque ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris fuiſſe vnquam traditum. Nunc ad duo illa ſigillatim reſpondeamus. Ac ad prius quidem, nego quod operosè à Græcis chriſmatio fiat id eſt precatione, verbiſq; conceptis, ac ſolemnibus, magnificeque ab iis extollatur, ac prædicetur, nego, inquàm, eô fieri, vt pro verò, proprieque dictô Eccleſiæ Græcanicæ ſacramentô cenſeri debeat. Quid enim? An non illi pari omninò pompâ baptizandum ex oleô inungunt? Si precationem requiris, inſignis eſt, quæ huic ritui præmittitur; *Dominator Domine Deus patrum noſtrorum* (inquiunt) *qui in arcâ Noë ſaluatis, columbam oliuæ ramum, reconciliationis ſymbolum ore ferentem miſiſti & per eos tam ſalutis à diluuiô, quam gratiæ myſterium præſignaſti; & deinceps oliuæ fructum in ſanctorum ſacramentorum tuorum complementum ſubminiſtraſti, qui per eum & legi ſubditos Spiritu Sanctô repleſti, & eos, qui ſunt in gratia perfeciſti; ipſe virtute & operatione, & aduentu Sancti Spiritûs oleum hoc benedicito.* Vis formam, & verba ſolennia? *Tunc* (inquiunt) *offertur baptizandus, & ſacerdos acceptô oleô crucis figuram exprimit in eius fronte, & pectore, & dorſo, dicens;* χρίεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ὁ δεῖνα, ἐλαίῳ ἀγαλλιάσεως, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. *Vngitur ſeruus Dei N. oleô exultationis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Tum aures quoque ac pedes, ac totum denique corpus hominis linit.* Hæc verô vnctionis forma Catumſyritum quemdam Italogræcum ſic cepit, vt chriſmationem Græcorum eâ confici, reiectâ illa oratione, qua vulgo vtuntur, velut mutilâ, & imperfectâ, voluerit; peſſimè eô nomine à doctiſſimô Goare habitus. De hac vero ex oleo vnctione, quam magnificè Græci loquantur, accipe. In illâ oratione, cuius nuper memini, ſuum illud oleum ita à Deo ſanctificari, petunt, ὥστε γενέσθαι αὐτὸ χρίσμα ἀφθαρσίας, ὅπλον δικαιοσύνης, ἀνακαινισμὸν ψυχῆς καὶ σώματος, πάσης διαβολικῆς ἐνεργείας ἀποτρόπαιον, εἰς ἀπαλλαγὴν κακῶν

πάντων

in 4. d. 7. art 11.

Eucholog. offic Bapt. p. 414.

Not. in Euchol p 369.

πάντων τῶν χριομένων πίστει, ἢ καὶ μεταλαμβανόντων ἐξ αὐτοῦ εἰς δόξαν σὴν, &c. *vt incorruptionis vnctio, iuſtitiæ armatura, animæ, corporiſque renouatio, omnis diabolici machinamenti expulſio, in immunitatem à malis fide ex eo vnctis, vel illud quoquomodo aſſumentibus fiat in gloriam tuam, &c.* Hæc illi de ſuo oleo; quæ ſi cum iis conferas, quæ de vnguendo mox adduntur, & quorum magnam partem nos ſupra recitauimus, vtraque paria reperies. Nam & precationi precatio altera nihilo religioſior reſpondet, & formæ verbis conceptis conſtanti forma ſimilis, imo Catumſyrti iudicio deterior his verbis expreſſa, *Signaculum doni Spiritus Sancti, Amen.* Et ea denique quæ de vnguento prædicant adeo non ſunt iis, quæ de oleo dixerunt magnificentiora, vt etiam nonnihil inferiora videantur. Hoc enim vnum de vnguento à Deo petunt, *vt regenerato ſignaculum doni ſancti, & adorandi, & omnipotentis ſui Spiritus, & ſancti corporis, ac pretioſi ſanguinis Chriſti ſui communionem largiatur; vtque in ſanctitate ſua cuſtodiat illum, in vera fide confirmet, à maligno & omnibus illius aſtutiis eruat, & ſalutari ſuo timore in puritate & iuſtitia animam illius cuſtodiat, vt in omni verbo & opere Deo placitus filius & heres euadat regni cœleſtis.* Hæc enim aliquam ipſi vnguento vim ad illa efficienda ineſſe non ſignificant, ſed omnia ſimpliciter à Dei virtute & bonitate expetunt. Illa vero ſuperiora de oleo ita dicebantur, vt etiam eius vi ac interuentu Deum ea, quæ ab eo poſcebant, efficere & operari viderentur ſignificare. Quæ cum ita ſe habeant, apparet, ſi ex eo, quod vnguentum Græci hac ratione, hac forma, hiſque verbis miniſtrant, legitime concluditur vnguentum eſſe proprie dictum apud eos ſacramentum; effugi profecto non poſſe, quin & ſimplex illud oleum, quo baptizandum linunt, pari omnino ratione & forma, ipſum quoque proprie dictum, verique nominis ſit apud eoſdem ſacramentum. Atqui neque Græci id admittunt, neque Latini, (qui & oleo illo ipſi quoque in baptiſmo vtuntur) titulum ei vel rem proprie dicti ſacramenti tribuunt; ſed vtrique confitentur vnctionem, quæ ex eo fit, non ſacramentum, ſed meram eſſe baptiſmi, vt loquuntur, *cærimoniam*. Ergo neque ea quæ de vnguenti apud Græcos adminiſtratione, commemorauimus, vlla ratione efficere poſſunt, vt id apud eos verum ac legitimum proprieque dictum religionis ſacramentum ſit, vel prohibere, quominus id pro mera baptiſmi cæremonia cenſeri debeat: quo loco ac numero ſemper apud veteres fuiſſe demonſtrauimus; quoque etiam nunc apud Latinos illa parilis chriſmatio habetur, quæ fit a presbytero in vertice baptizati. Atque huic certe Græcorum vnctio multo melius, quam eorumdem Latinorum confirmationi reſpondet, quæ vt oſtendimus, & inter baptiſmi ritus ſtatim poſt tinctionem, & à presbytero miniſtratur; quod vtrumque verticali chriſmationi conuenit; a confirmationis vero Latinæ vn-

ctione alienum eſt, quæ neque ſtatim, ſed multis ſæpe poſt tinctionem annis fit, neque vnquam ab alio, quam ab Epiſcopo; confertur.

Sed nunc ſecundo loco de ipſa Græcorum profeſſione ſatisfaciendum eſt, huius ſui vnguenti ritum in ſeptem illis, quæ agnoſcunt ac docent, myſteriis diſertiſſime cenſentium. Ego vero confiteor hoc de iis teſtari, quos doctiſſimus Goar laudauit, Catumſyrtum, Arcudium, Germanum, Neophytum Rhodinum, Cariophyllum, alios. Fateor & ex Græcis id ipſum profiteri Gabrielem Philadelphienſem. & eo paulo vetuſtiorem Hieremiam Patriarcham CP. ſed primo obſeruo, quod hic ipſe Hieremias ingenue confitetur id ex Scripturis minime haberi, τὸ δὲ τοῦ θείου μύρου μυστήριον (inquit) οὐκ ἐμφέρεται μὲν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, παραδέδοται γε μὴν ὑπὸ τῶν μαθητῶν τοῦ λόγου. *Diuini vnguenti myſterium non extat quidem in ſacris litteris; attamen traditum eſt à diſcipulis Verbi*: Hoc autem à pſeudo-Dionyſio deceptus adiecit. Et Eccleſiæ vnguenti inuentum rotunde tribuit, dum negans mirandum eſſe quod nullam Scripturæ faciant vnctionis in baptiſmo mentionem, ἡ γὰρ (inquit) τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία τῇ χάριτι αὐτοῦ προκόπτουσα, ἐπὶ θείοις ῥητοῖς καὶ θεμελίοις πολλὰ ἐξεῦρε καὶ κατεστολίσατο. *Chriſti enim Eccleſia eius gratia proficiens, ſuper diuinis dictis & fundamentis multa adinuenit, iiſque ſeſe ornauit.* Item, καὶ γὰρ τὰ κυριώτατα τῶν μυστηρίων τὸ βάπτισμα καὶ ἡ κοινωνία ἡ θεία ἐστί, καὶ ἂν δίχα σωθῆναι ἀδύνατον, ἀλλὰ καὶ ταῦτα παρέδωκεν ἡ ἐκκλησία, τὰ λοιπὰ φημὶ ἄχρι τῶν ἑπτά, quorum hunc ſenſum eſſe vere docet Arcudius, *Quamuis cæteris ſacramentis potiora ſint baptiſma & diuina communio; & ſine eis ſalus nullo modo contingere poſſit*, propterea que (quaſi dicat) ſola extent in ſcriptura, *attamen* (inquit) *& reliqua, quæ cum his ſeptenarium numerum explent, tradita ſunt ab Eccleſia.* Hæc Hieremias, Latinis hæc in parte verecundior, ac ſincerior, qui ſuæ Confirmationis ſacramentum in litteris diuinis nullo, vt ſupra demonſtrauimus, pudore repetere atque aſſerere audent. Iam ſi cæterorum Græcorum eadem, quæ Hieremiæ, eſt hac de re ſententia, ſuo ipſi ore aliud illud ſuum de ſacramentorum numero dogma damnant ac iugulant. Si enim chriſmatio (quod Hieremias confitetur) Eccleſiæ inuentum eſt; non eſt profecto chriſmatio Eccleſiæ ſacramentum, quæ ſua ſcilicet vere proprieque dicta ſacramenta nulla inuenit, ſed omnia accepit; nulla ipſa excogitauit, ſed à Chriſto ſuo inſtituta ac tradita bona fide cuſtodiuit. Ac ne hoc quidem Græci præclariſſime à ſuo olim Cyrillo ſcriptum quod iis hoc loco merito obiicit Arcudius, negauerint; δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν. *Diuinorum, ſanctorumque fidei ſacramentorum nihil ne minimum quidem, abſque diuinis Scripturis tradi debet.* Cùm ergo hanc ſuam chriſmationem ipſi Græci Hieremiæ ſui

In Euchol. Not in offic. bapt p. 367. a.

Reſponſ. 1 ad Vittemb. c. 7.

l. 2. de ſacram. c. 1. ext.

Catech. 4.

miæ ſui Patriarchæ ore & calamo confiteantur neque in ſcripturis exſtare, neque ab ipſo Chriſto inſtitutam eſſe, omnino neceſſe eſt, vt illud quoque, quod hinc neceſſario ſequitur, iidem confiteantur non eſſe eam verum, ac proprie dictum populi Chriſtiani ſacramentum, ſed eſſe ritum ad baptiſmum exornandum ab Eccleſia mature quidem, non tamen ſtatim, ſed aliquanto poſt Apoſtolorum mortem repertum; quod ipſum Hieremias non inſcite, neque ineleganter innuere videtur, dum ſignificat Eccleſiam iis, quæ inuenit, quæque ſcripturarum fundamentis adiecit, veluti floridiori quodam & amœniori ſuperinducto veſtitu exornatam eſſe. Hanc enim vim habere videtur verbum illud κατεστόλισε, quo Hieremias hic vſus eſt. Vt ergo hæc Græcorum dicta commode inter ſe conciliari poſſint, res ipſa omnino poſcere videtur, vt quod ſeptem eſſe ſacramenta, vnumque ex his eſſe chriſma profitentur, id ab iis non ſic dici intelligamus, quaſi velint ſeptem eſſe proprie dicta, veríque nominis ſacramenta (quod cum iis, quæ ipſi confitentur, conſiſtere nequaquam poteſt) ſed ſic, vt *Sacramenti* nomine, phraſi apud omnes veteres vulgari, eos ritus ſignificent, qui ſiue à Chriſto ipſo traditi ſiue ab Eccleſia poſtea reperti præcipuum quemdam, maximeque inſignem habent in recepta apud ſe religione vſum. Atque hanc diſtinctionem ipſe Hieremias ſatis nobis ſuggerit, dum baptiſmum & Euchariſtiam κυριώτατα τῶν μυστηρίων *præcipua ac principalia Sacramenta* vocat, eo ipſo innuens cætera quinque inferioris cuiuſdam eſſe Sacramentorum ordinis, quibus *Sacramenti* res & nomen non proprie, & ex æquo, ac vt in ſcholis loquuntur, συνωνύμως, ſed improprie tantum ὁμωνύμως, & ἀναλόγως communicetur. Hoc autem ſenſu manifeſtum eſt in huiuſmodi myſteriorum numero vere à Græcis haberi quinque illos, quos duobus κυριωτάτοις μυστηρίοις adiiciunt, ritus, ac nominatim chriſmationem. Sed & illud obſeruandum eſt hoc de ſeptenario ſacramentorum numero dictum, non veterum ſed recentiorum tantum Græcorum dogma eſſe. Ioannes quidem Damaſcenus, vir octaui ſæculi; cum Chriſtianam omnem Theologiam eo opere, quod de *orthodoxa fide* eruditiſſime conſcripſit, complexus ſit, ac veluti in locos ſuos diſtribuerit, ſeptenariam illam τῶν μυστηρίων diuiſionem nullus tradidit. Neque diligentiſſimus, ac doctiſſimus Goar vllum eius auctorem vel teſtem edit Symeone Theſſalonicenſi, & Matthæo Blaſtari vetuſtiorem; quem vtrumque poſt an. D. 1000. vixiſſe conſtat. Græci ergo vel myſterij vocem late ſumunt eo, de quo diximus, ſenſu; vel certe errant, & à Patrum fide, & à ſua ipſorum praxi diſcedunt; ſi chriſmationem ſuam verum ac proprie dictum ſacramentum eſſe intelligunt, eodem modo quo ſuum Latini; quorum aliqua fortaſſe æmulatio eos ad hunc ſeptenarium myſteriorum numerum deduxit.

Not. in Euchol. p. 367. a.

Neque enim quicquam apud Græcos de eo numero facile reperias, priuſquam Latinis inuentus, conſtitutuſque eſſet. Nimirum Græci, ne Latinis aliqua re inferiores viderentur, ſua quoque myſteria in ſeptenarium numerum digerenda putarunt. Vtcumque ſit, recentiorum Græcorum ſiue error, ſiue (quod ego potius reor) ambigua ac minus propria locutio, non poteſt eam vim habere, vt quam nos ipſorum chriſmationem certis, veriſque ac euidentibus rationibus & teſtimoniis baptiſmi cærimoniam eſſe probauimus, ea non cærimonia, ſed verum ac proprie dictum ſacramentum ſit. Vnde certum argumentum de tota hac cauſa ducitur. Nam ſi, (quod ſtatuunt Latini) aliquod Confirmationis (ſiue in manus impoſitione, ſiue in chriſmatione ſitum) proprie dictum ſacramentum, à ſolis Epiſcopis miniſtrandum, neque vnquam iterandum, ab initio Chriſtianiſmi vel inſtituiſſet Dominus, vel tradidiſſent Apoſtoli; non eſt credibile eo carituram ſemper fuiſſe Græcorum antiquiſſimam, nobiliſſimam, ac per multa quondam ſecula florentiſſimam Eccleſiam; cui & Ruthenorum, & Armeniorum, & Æthiopum) & Indorum quoque Eccleſiæ hac in parte adiungendæ ſunt. Atqui conſtat ex iis, quæ hactenus diſputauimus, nunquam apud Græcos Latinam iſtam confirmationem in vſu vel fuiſſe antehac, vel etiam nunc, eſſe; multo vero etiam minus apud Ruthenos, Armenios, & Æthiopas. Ergo concludendum eſt eam neququam (quod iſti volunt) vel à Chriſto inſtitutam, vel ab Apoſtolis præceptam fuiſſe; ſed à Latinis, apud quos ſolos occurrit, inuentam, ac paulatim in vſum receptam. Quod quomodo, quibúſve gradibus, atque auctoribus perfectum ſit, nunc poſtquam de Græcis abſoluimus, exſequendum eſt.

Capvt XX.

De chriſmationis apud Latinos quarto ſæculo vſu. Aliquid in eius miniſtro nouaſſe Sylueſtrum Ep. Rom. an. D. 326. Pontificalis libri ea de re loca recitantur & expenduntur; eiuſque libri antiquitas contra Bellarmini, & aliorum cauillationes conſtituitur.

Initio quidem cum Primum apud Chriſtianos inſtitutum eſt, vt vngerentur, qui baptiſmô initiabantur, iſta vnctio apud Latinos æque ac apud Græcos, mera baptiſmi cærimonia ad quartum ſæculum inchoatum fuit; neque aliud inter vtramque gentem diſcrimen deprehenditur, niſi hoc vnum, quod Latini vnctis manus inſuper imponebant; Græci ſola vnctione contenti neque olim, quod quidem

appareat,

appareat, vlla manus impoſitione in hoc ritu vſi ſunt; neque vero nunc vtuntur. Acceſſit & iam pridem alia diuerſitas. Diu enim eſt cum Latini duas chriſmationes habent; quarum vnam etiam presbyteri; alteram, de qua propriè eſt omnis hæc à nobis ſuſcepta diſputatio, ſoli Epiſcopi miniſtrant; Græci vero, vt demonſtrauimus, conſtanter vnam, & habuere iam olim, & nunc quoque retinent, quam non modo Epiſcopis, ſed & presbyteris factitare concedunt. Ac de manus quidem impoſitione, quam tandem abiecerunt Latini, & ſupra aliquoties diximus, & dicemus infra non ſemel. Chriſmatis vero negotium, vt apud eos quarto ſæculo ſiue primo inuectum, ſiue ab eo, quod antea erat immutatum fuerit, nunc repetito de rebus quarti ſæculi, ad cuius initia progreſſi eramus, ſermone, deinceps dicamus. Eam in rem egregius extat in Pontificali locus, in vita Sylueſtri (qui ab an.D. 314. ad 335. vrbis Epiſcopus fuit) *Conſtituit* (inquit) *vt presbyter Arianum reſipiſcentem non ſuſciperet, niſi Epiſcopus loci deſignaret eum. Conſtituit & chriſma ab Epiſcopo confici; Et priuilegium Epiſcopis contulit, vt baptizatum conſignent propter hæreticam ſuaſionem. Hic & hoc conſtituit, vt liniat presbyter chriſmate leuatum de aqua, propter occaſionem tranſitus mortis.* Hæc Pontificale; quorum gemina ſunt, quæ in breui epilogo Concilij Romæ an. D. 325. à Sylueſtro habiti leguntur; *Conſtituit* (Sylueſter) *vt presbyterum Arianum reſipiſcentem nemo ſuſciperet, niſi Epiſcopus eiuſdem loci eum reconciliaret, & ſacroſancto chriſmate per Epiſcopalis manus impoſitionem Sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non poteſt confirmaret.* Et poſtea canone quinto; *Conſtituit etiam voce clara Sylueſter Epiſcopus vrbis Romæ, vt nemo presbyter chriſmia conficeret, dicens, quoniam Chriſtus a chriſmate vocatur.* Ac illorum quidem, quæ ex Pontificali deſcripſimus, partem iam olim citauerant Valafridus Strabo; [a] & Amalarius Fortunatus, [b] & Rathrannus Corbeienſis, [c] Vnde liquet, quam abſurda ſit, atque inſcita tum Bellarmini, [d] tum Moguntinorum Ieſuitarum [e] hallucinatio, qui illud de Pontificum Romanorum vitis opus Anaſtaſij Bibliothecarij eſſe volunt. Nam hic quidem Anaſtaſius an.D. 858. vel etiam Paulo ſerius ſcribere & innoteſcere cœpit. Strabo vero & Amalarius; hic quidem an. D. 835. ille vero 849. viuere deſierant, Rathrannus deniq; opus illud ſuum, in quo hunc locũ *velut ex geſtis* Apoſtolicis citat; an.D. 869. ſcribebat. Quin & diu ante hos ipſos & Hadrianus Papa; [f] & Beda, [g] & ipſe quinetiam Iſidorus [h] (quem an.D.636. denatum eſſe conſtat.) Pontificalis libri teſtimoniis vſi erant; itidemque is, qui Alcuini, tametſi falſo, nomen gerit, de diuinis officiis ſcriptor [i]; vt obſeruauit diligentiſſimus, atque eruditiſſimus Blondellus noſter quem adeat, ſi quis de his dubitabit. Nulla igitur Petro Aurelio iuſta cauſa fuit Pontificalis libri ſugillandi, veluti *ſepius eruditorum iudicio exploſi,* [l] *& exigua*

Pontific. in Sylueſtro.

T.1.Concil. p. 314 F.2.

ibid p.318.e.

a L.de reb. Eccl c 26.
b l.1.de Eccl. offic.c 27.
c l 4 ad oppoſita Græc. mſ.
d de ſcript. Eccl.in Damaſo.
e Præfat.in Pontif. edit. Mog.an.1602.
f L.pro 7.Syn.
g l.de 6. ætat. & hom in ſer. 3 Palm.
h ep.ad Redempt Diac.
i l.de offic.Eccleſ.c.7.32.
k Præf. in Apol.Hieron. p 20 27.
l Vindic p.41. 42.& Orthod. p.543.

& exiguæ auctoritatis opuſculi; vel de Bellarmini ſententia gloriandi, quæ falſiſſima eſſe liquido comprobatur. Cuiuſcumque ſit illud opuſculum (neque vero vnius auctoris eſſe, vel neceſſe eſt, vel nos defendimus) & vetuſtiſſimum, vt pote iam ante 1040. annos in Occidente notum, Romanorum vernaculum, imo vnicas eorum Eccleſiaſticas tabulas eſſe liquet. Illi quidem, quod ei in hoc genere, non dico anteferri, ſed vel conferri poſſit nihil habent. Quod ſi ſimplex ac rudis eſt libri oratio, eo plus fidei apud bonos meretur. Sed Bellarminum, & Moguntinos, & ſimiles Romanæ hierarchiæ & religionis ſtudioſiſſimos adoratores vrit, quod quæ volunt ipſi ab Apoſtolis tradita eſſe omnia, eorum non pauca ab vrbis Epiſcopis orta ac inſtituta bona ac antiqua fide ſcriptor ille prodidit. Itaque ipſos quidem non miror libri vetuſtiſſimi auctoritatem quantum poſſunt, eleuare, Aurelium miror, virum veritatis, & antiquitatis amorem tanta cum pompa profeſſum, in iſtorum veſtigiis hærere. Sed & hunc, vt videtur, Latinæ confirmationis, quam inuitis omnibus & Dei & veteris Eccleſiæ teſtimoniis, proprium, imo & præcipuum ſacramentum fuiſſe vult, inſanum ſtudium in Pontificale incurrere ſubegit. Illa enim, quæ ex eo nuper recitauimus, loca, nouitatem inſtituti apertiſſime arguunt. Ac prior quidem ſententia oſtendit non fuiſſe tunc (id eſt an. D. 325.) chriſmationem pro vero Sacramento habitam; quo ſcilicet loco ſi fuiſſet, Syluester ea (vt ſic dicam) abuſurus non fuit ad reconciliationem hæreticorum. Sed & inde liquet tum hominum ex hæreſi venientium, tum neophytorum chriſmationem plane penituſque eandem fuiſſe; non, quod hariolatur Aurelius, illam ab hac diuerſam, cum priori in Synodi Romanæ epilogo id ipſum tribui videamus quod poſterioris maxime proprium eſſe videtur; vt ſcilicet ipſa quoque *Sancti Spiritus gratia confirmet.* Quo loco & hoc ab Aurelianis placitis diſcedit, quod huius epilogi ſcriptor negat *Sancti Spiritus gratiam ab hæreticis dari poſſe.* Si enim chriſmationis Sacramentum etiam apud hæreticos (quod vult Aurelius) æque ac baptiſma, validum eſt; nihil prohibet, quo minus ab hæreticis, vt baptiſmatis, ſic & chriſmatis gratia dari poſſit. Illud vero in omni hac cauſa palmarium eſt, quod ſecundo loco Syluester *conſtituiſſe* narratur *chriſma ab Epiſcopo confici.* Hæc autem lex vel de ſolo conficiendi chriſmatis iure, vel de ipſo etiam chriſmate intelligi poteſt. Priori ſenſu, vt lex chriſma in Eccleſia Romana iam antea fuiſſe ſupponat. Tantum conficiendi eius poteſtatem, quæ hactenus presbyterorum vna cum Epiſcopis communis fuerat, ad ſolos Epiſcopos reſtringat, Poſteriori, vt ipſum chriſma, cuius nulla antea in Eccleſia Romana vſus fuiſſet, inſtituerit, & quidem ita vt eius conficiendi ius ſit penes vnum Epiſcopum. Si poſterior hic ſenſus verus eſt; ergo chriſma res in Eccleſia Roma-

ſia Romana noua eſt, & ante Sylueſtrum incognita; non adeo Sacramentum eſt, vel eſſe poteſt, quod Latini ipſi fatentur nullum aliud eſſe poſſe, niſi antiquum, & ab ipſo Chriſto, non à Sylueſtro, vel ab vllo alio homine, inſtitutum. Neque contra hanc interpretationem quicquam valent Vrbani & Fabiani allatæ à Binio * epiſtolæ; quas falſas, apocryphaſque eſſe, & paulo ante nonum Chriſtianiſmi ſæculum ab impudentiſſimo impoſtore confictas palam eſt, & ferè apud omnes vtrarumque partium eruditos confeſſum. Quæ verò ex Tertulliano, & Cypriano, & aliis veris & indubitatis auctoribus afferri poſſunt, ea oſtendunt quidem vnctionem baptizatorum iam ante Sylueſtrum fuiſſe in vſu; Sed ex *oleo*, vt ad ſingula ſupra obſeruauimus; *chriſma*, quod ex oleo, & balſamo mixtum eſt, iam cognitum & vſitatum apud Latinos fuiſſe, non probant. Vnus eſt Conſtitutionum parens, qui μύρου, id eſt vnguenti mixti, quod nuper audiuimus, meminit. Sed nihil aliud eius teſtimonium conficit, niſi hoc vnum, fuiſſe in Eccleſia, in qua ille ſcripſit, hoc eſt Græca, iam tum cum ſcriberet, ſolenne baptizatos μυρίζειν, id eſt *chriſmare*; eundem quoque Romanæ Eccleſiæ, cui præerat, legeſque ferebat Sylueſter, vſum ac morem fuiſſe non probat. Itaque nihil obſtat, quominus ſtet ille poſterior legis ſenſus, qui ſanè ſimpliciſſimus, & veriſimillimus videtur; vt Sylueſter ſcilicet chriſma, vel ex ſuo ingenio repertum, vel ex Eccleſiæ Græcæ vſu acceptum, apud ſuos quoque fieri decreuerit, nouæque rei artificium ac confectionem ſolis Epiſcopis attribuerit. Sed eſto tamen, (neque enim res tanti eſt, vt acrius de ea contendendum eſſe videatur) Fuerit chriſma iam ante Sylueſtrum in Eccleſiæ Romanæ vſu; Non fuiſſe certè ante eum penes ſolos Epiſcopos conficiendi chriſmatis poteſtatem hæc illius lex clariſſimè, ac certiſſimè demonſtrat. Nam ſi (quod volunt aduerſarij) à Chriſto ipſo inſtitutum fuerat, legeque Apoſtolica præceptum, & perpetuò in Eccleſia ſeruatum, vt chriſma à ſolis Epiſcopis conficeretur, cur nouam ea de re legem ferendam Sylueſter putauit? Certè neque ipſe, neque aliorum Patrum vllus, quod ſciam, lata lege edixit, ne quis in Eccleſia præter Epiſcopos & presbyteros, Euchariſtiam conficeret. Nimirum legem de re diuino iure iam conſtituta ferri, non modò non neceſſarium, ſed etiam ſtultum ac periculoſum eſſe intelligebant. Si ergo eiuſdem iuris eſſet Epiſcopi ſolius in conficiendo chriſmate poteſtas, non erat Sylueſter nouam ea de re legem facturus. Feciſſe autem eum nouam hac de re legem conſtat. Ergo res antea non erat publico Eccleſiæ vſu recepta. Vnde ſequitur ante hunc licuiſſe & presbyteris chriſma conficere, multoque adeo magis chriſmare. Vt enim conficere licuerit, vti non licuerit; abſurdum eſt. Nam presbyteris, etiam vbi chriſma conficere non licuit, chriſmare tamen interdum imo ſæpe (quod poſtea audiemus)

* T. 1. Concil. p. 564 Fr.

licuit. Quod ſi reſpondeas ius quidem penes ſolos Epiſcopos, etiam ante Syluestrum, fuiſſe; ſed legem ideo fuiſſe neceſſariam, quod illud Epiſcoporum ius presbyteri præter fas inuaderent, primo hoc tuum commentum eſt, quod nullo vetuſtiorum ſcriptorum teſtimonio nititur. Tum, ſi hæc Syluestro verè fuit legis ferendæ cauſa; cur id dicere prætermiſit libri Pontificalis auctor? Ille verò vno verbo rem abſoluere poterat, ſi presbyteros chriſma præter Eccleſiæ leges conficientes à Syluestro prohibitos dixiſſet. At ille planè aliter. Sic enim narrat, vt rem nouam, neque antea vſitatam eſſe ſignificet. Poſtquam enim de reconciliatione hominis ex Arianiſmo ad Eccleſiam conuerſi presbyteris erepta dixit (quod nemo negauerit nouum fuiſſe) ſtatim veluti rem æquè nouam ſubiicit; *Conſtituit & chriſma ab Epiſcopo confici.* Ergo antea à presbytero tam chriſma confici, quàm hæreticum reconciliari, ius & vſus erat apud Eccleſiam Romanam. Sylueſter ſui ordinis amplificandi (vt apparet) ſtudioſus, vtriuſque rei poteſtatem presbyteris ademptam ſolis deinceps Epiſcopis attribuit. Quò pertinet & tertia eius lex, quam continenter addit liber Pontificalis, *Et priuilegium* (inquit) Epiſcopis contulit, vt *baptizatum conſignent, propter hæreticam ſuaſionem.* Si hoc ſua conſtitutione *priuilegium Epiſcopis contulit*, vel vt legit Rathrannus, *conſtituit vt priuilegium ſit Epiſcopis, vt baptizatos chriſmate ſancto conſignent*; ergo ante hoc eius decretum presbyteri cum Epiſcopo communis fuit baptizatos conſignandi lex; Epiſcopi propria Sylueſtri conſtitutione facta eſt. Vltima verba, quibus legis ratio continetur, nimirum, *propter hæreticam ſuaſionem*, vel (vt exhibet Rathrannus) *inſimulationem*, obſcura ſunt. Fortaſſe hoc ſignificant eam Sylueſtrum oſtendiſſe collati Epiſcopis priuilegij cauſam, ſi omnes baptizati ab vno Epiſcopo conſignarentur, eò tutiorem aduerſus hæreticorum fraudes fore Eccleſiam; quod totum gregem ab vno Paſtore ſignatum luporum inſidias euitare, & extraneos excludi ſic facilius futurum eſſet, quàm ſi diuiſa in plures conſignandi poteſtate totidem fieri viderentur greges, quot eſſent presbyteri, aditusque eò aperiri, quò hæretici commodius in Dei ouile irrepere, & quod ſanum eſt, inficere poſſint. Vtcumque ſit, & ſiue hæc, ſiue alia Sylueſtri mens fuerit, hoc quidem conſtat id ab illo priuilegij Epiſcopis collatum, *vt baptizatum conſignarent*, id eſt chriſmate inungerent. Ergo *conſignare* presbyterorum antea cum Epiſcopis commune etiam Romæ fuit, æquè ac *manum imponere* in Hiſpania vtrorumque (ſed & diaconorum) commune fuiſſe nuper ex Eliberitanis canonibus didicimus. Hæc prima fuit in Eccleſia Latina de conſignatione ſolis Epiſcopis attributa lex, à Sylueſtro lata an. D. 325. Si vera eſt Epilogi Synodi Romanæ narratio. Vnde & illud, quod nos contendimus, apparet, chriſmationem cæremoniam eſſe, non verum, ac propriè dictum ſacramentum. Nam

l. 4. ad Oppoſita ad Græc.

tum.Nam.

tum. Nam cum miniſter, etiam Aurelio teſte atque auctore *ad eſſentiam Sacramenti pertineat, quæ nunquam mutari poteſt, & diuina inſtitutione nititur*; chriſmationem, cuius miniſter mutatus eſt, neque diuina, ſed Syluestri humana inſtitutione nititur, è veterum ſacramentorum cenſu expungi neceſſe eſt. Supereſt quarta, eaque vltima Sylueſtri conſtitutio; *Hic* enim (inquit Pontificale) *& hoc conſtituit, vt baptizatum liniat presbyter chriſmate leuatum de aqua, propter occaſionem tranſitus mortis.* Hoc decreto ſuperius certa quadam veluti exceptione affecit. Iuſſerat ſolum Epiſcopum conſignare, id eſt chriſmare. Nunc id ipſum & presbytero, ſed in certa tantum cauſa concedit, nimirum ſi baptizatus in aliquo mortis periculo verſari videretur. Extra hanc cauſam baptizatum Epiſcopo, ſi nullus cum baptizatur, adſit, conſignandum ſeruari vult; in hac vna cauſa, etiam à presbytero ſtatim conſignari permittit. Eliberitani Patres non alios Epiſcopo offerendos, & perficiendos decreuerant, quàm qui in morbi neceſſitate à laicis tincti erant. Presbyteris conſignandi, manuſque imponendi poteſtatem integram reliquerant. Nunc Sylueſter, viginti non amplius poſt eam Synodum annis, hoc inſuper Epiſcopis defert, vt etiam à presbyteris tinctos obſignent, vno excepto (vt loquuntur) caſu, ſi baptizatum presbyter in mortis periculo eſſe videat; qua occaſione ei concedit, vt baptizatum chriſmet. Hic omnino ſimplex ac verus videtur Sylueſtri ſenſus fuiſſe; quem ipſa eius verba præ ſe ferunt. Quod recentiores poſtea commenti ſunt, eum nouam & antea inuſitatam vnctionem in vertice omnium baptizatorum miniſtrandam, Latinis ſolis notam, hoc decreto primum inſtituiſſe, id ab ipſorum errore, prauóq; vſu ortum eſt, & ab omni veri ſpecie abhorret, & cum ſæculorum etiam proximè conſecutorum praxi ac ſententia pugnat, vt poſtea demonſtrabitur. Hanc quam Sylueſter presbyteris permittit, vnctionem eandem cum epiſcopali rem fuiſſe liquet, Chriſmationem vtramque fuiſſe docet Pontificale; niſi fortè *conſignare baptizatum*, quod de Epiſcopo ait, aliud eſſe fingamus, quàm *baptizatum chriſmate linire*, quod de presbytero dicit. Quod aiunt hanc in vertice, illam in fronte factam fuiſſe; id verò diu poſt Sylueſtrum inuentum eſt. Frontem quidem epiſcopalis vnctionis propriam ſedem eſſe nemo veterum ante Innocentium dixit, qui centum penè annis poſt Sylueſtrum ſedit. Verticem verò conſtat presbyterali vnctioni deputatum de Gregorij quidem temporibus fuiſſe; hoc eſt annis poſt Sylueſtrum 260. Neque quod ipſe Gregorius de pectore à presbyteris inunctos tradit, id quo tempore vel cœperit, vel deſierit, certum eſt. Pontificale quidem de loco vnctionis proprio, nihil dicit; quod non erat omittendum, ſi qua presbyteralis vnctionis ab epiſcopali ex locis, ſiue partibus corporis, in quibus fiebat, fuiſſet diuerſitas. Omnino vtramq;

Aurel. p. 41.

re eandem fuiſſe ſignificat, hoc vno diſcrepaſſe, quod epiſcopus quemuis baptizatum chriſmaret, presbyter non quemuis, ſed eum tantummodo, qui in mortis periculo verſaretur. Hunc chriſmare etiam presbytero conceſſum, ne is ſine chriſmatione moreretur. Si nullus eſſet mortis metus, differri; & ab Epiſcopo poſtea chriſmari Syluester voluit. Neque ſanè ante C P. Synodum ann. D. 381. habitam, quicquam de certa corporis parte chriſmanda definitum reperitur, & quæ poſtea de illa occurrunt, ea varia ac diuerſa pro temporibus & locis occurrunt, vt ante Syluestrum omnes promiſcuè, ac ſine diſcrimine vel in fronte ſola, vel in fronte & vertice, vel fortaſſe etiam in pectore, vnxiſſe videantur; qua de re cur à Syluestro noui aliquid constitutum fuiſſe, cum nuſquam legamus, diuinemus tamen, nihil cauſæ apparet. Diſcrimen partiũ vngendarum poſteà fecit vnctionis instituta diuerſitas, poſtquam ipſa duplex facta eſt. Tum enim placuit alteram ab altera ita diſcriminare, ne abſurdum eſſe (vt eſt ſanè) videretur rem planè penituſque eandem ſuperfluè iterari. Atque ex his patet, quàm ſit inanis tota illa Aurelij & aliorum de ſua ſiue *verticali*, ſiue etiam *pectorali* chriſmatione à Syluestro ſcilicet instituta, hariolatio. Si vnctio ex chriſmate (quod iſti volunt) in vſu Eccleſiæ Romanæ iam antea erat, nullam Syluester nouam instituit. Tantum chriſmatis & conficiendi & impertiendi miniſtrum ſolum Epiſcopum eſſe iuſſit, qui antea etiam presbyter fuerat, huic ex priſtina poteſtate illud vnum relinquens, vt poſſet *propter occaſionem tranſitus mortis* baptizatum in eo periculo constitutum chriſmate, ſed ab Epiſcopo confecto, linire. Sin chriſma ipſum (hoc eſt vnguentum ex oleo & balſamo) à Syluestro pro ſimplici, quod hactenus in vſu fuerat, oleo in ſuæ Eccleſiæ vſum inuectum dicas (qui profectò ſimpliciſſimus videtur, & veriſimillimus libri Põtificalis ſenſus) tum ego quidem concedam nouam fuiſſe à Syluestro vnctionem institutam; eam verò aliam eſſe negabo, quàm Epiſcopalem. Si quæras quid ſimplici ex oleo vnctione, cuius vnius antea vſus fuerat, poſt hanc nouam ex chriſmate introductam, factum ſit; reſpondeo, vt ſupra veriſimile videri eam non abolitam, ſed retentam, & amiſſo loco priſtino retroactam in baptiſmi anteriora conceſſiſſe. Itaque, vt apud Græcos, ſic etiam Romæ, duas vnctiones adhiberi cœpiſſe; vnam veterem ante baptiſmum, ex ſimplici oleo, quam Latini etiam hodie habent, & inter cæremonias cenſent; alteram, recentiorem ex chriſmate poſt baptiſmum; quam nouo iure Syluester ab Epiſcopo vno & confici & miniſtrari instituit; hoc vno presbyteris conceſſo, vt eam baptizatis, perinde ac priorem, ſiquando *vrgeret* mortis metus, impertiri poſſent.

Capvt

CAPVT XXI.

Expenditur II. teſtimonium, quod eſt Optati. III. quod eſt Paciani Barcinonenſis, vtriuſque de quarto ſæculo ſcriptoris. Bellarmini & Petri Aurelij ſtropha ac fraudes aperiuntur, atq; diſcutiuntur.

HÆc Syluestri lex totius, quæ in hoc negotio apud Latinos accidit, mutationis fons fuit. Nam hinc, quæ vna fuerat chriſmatio, duplex Romæ primùm, inde etiam paulatim in toto Occidente facta eſt: cùm vrbicus Epiſcopus variis artibus omnes ſibi Occidentis Eccleſias ſubiecisſet, earumque mores, ac ritus ſacros ad ſuæ parœciæ exemplum reuocaſſet. Itaque apud Orientales, qui eius imperium conſtantiſſimè ſunt aſpernati, nullum hæc nouitas locum habuit; manſit vna, vt ab initio fuerat, chriſmatio. Sed ne apud Latinos quidem ſimul ac ſemel recepta eſt Romana illa ex Syluestrinæ legis occaſione nata duplex chriſmatio. Quin & magna iam erat Romanæ ſedis in Occidente auctoritas, cùm tamen duplex illa apud eam ſolennis chriſmatio, non modò in longinquis, ſed in propinquis etiam ac penè ſuburbanis Eccleſiis negligeretur, vel neſciretur quidem. Verum de his mox. In ipſa verò vrbe Romæ chriſmatio à presbytero miniſtrata ab Epiſcopali, velut res diuerſi ordinis, ac ingenij, diſtincta ac diſcriminata non videtur ante quarti ſæculi finem. Certè nulla occurrit huius tanti diſcriminis ante Innocentium I. mentio, quem ann. D. 417. fato functum accepimus, cùm ſedem Romanam annos XV. tenuiſſet. Anno quidem D. 360. aut circiter, ex Optatô (quem his temporibus ſcripſiſſe, & ex ipsô, & ex Hieronymô conſtat) apparet eodem apud Africanam Eccleſiam loco adhuc fuiſſe & chriſmationem, & manus impoſitionem, quô vtraque anteà fuerat. Sic enim ille vbi hæc Prophetæ verba *Oleum peccatoris non vnget caput meum*, de Dominô Chriſto, non ab homine, ſed à Deô Patre vncto, accipienda, contra Donatiſtas diſputat; *Deſcendit in aquam* (Chriſtus) *non quia erat, quod in Deô mundaretur, ſed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad myſteria initianda, & ordinanda, & implenda baptiſmatis. Lotus cùm in Ioannis manibus haberetur, ſecutus eſt ordo myſterij, & compleuit Pater, quod rogauerat Filius, & quod nunciauerat Spiritus Sanctus. Apertum eſt cœlum Deô Patre vngente. Spiritale oleum ſtatim in imagine columbæ deſcendit, & inſedit capiti eius, & perfudit eum; vndè cœpit dici Chriſtus, quando vnctus eſt à Deô Patre. Cui ne manus impoſitio defuiſſe videretur, vox audita eſt Dei de nube dicentis, Hic Filius eſt meus, de quô benè ſenſi.*

L. 2. (margin, beside "tenuiſſet")

Opt. l. 4. p. init. (margin, beside "de Dominô Chriſto")

Nunc audite. Hoc igitur eſt, quod lectum eſt, Oleum peccatoris non vnget caput meum. Hæc Optatus, in Chriſti baptiſmo omnem noſtri ordinem, ac modum ſic expreſſum, atque conſtitutum docens; vt primò quidem *lauemur*; vt lotus eſt Dominus in Iordane; tum *vngamur*; quemadmodum ille, poſtquàm lotus, Spiritu in imagine columbæ deſcendente vnctus eſt; denique manus impoſitione obumbremur, quod in Chriſto tum factum vult, cùm *illum* ſpiritualiter vnctum Pater ſtatim nube inumbrauit, cœlitùs clamans, *Hic eſt Filius meus, de quo bene ſenſi.* Ex his primò liquet tum *chriſmationem*, tum *manus impoſitionem* Optato baptiſmi partes, ac ritus fuiſſe, ad eumque pertinuiſſe. Vtramq; enim cenſet inter ea, quæ à Dominô in baptiſmo ſuô *initiata, ordinata, & impleta ſunt. Initiata* autē *ordinata*, & *impleta*, tunc à Domino fuiſſe dicit *myſteria baptiſmatis*. Sūt ergo, ex eò, & *chriſmatio*, & *manus impoſitio, baptiſmatis myſteria*. Atqui non erunt, niſi baptiſmi partes & ritus ſint. Secundò hinc vides, qui initiabantur, vt loti erant, eos continuò chriſmatos fuiſſe. *Spiritale oleum* (inquit) *STATIM in imagine columbæ deſcendit*; quod ad hæc ipſa verba obſeruauit Gabriel Albaſpineus. Nunc nonniſi multis poſt lotionem annis apud noſtros Latinos inunguntur; & quidem multi (quod eſt abſurdiſſimum & præter omnem veteris Eccleſiæ diſciplinam) poſt ſuſceptam Euchariſtiam. Tertiò hinc liquet *myſterij*, ſiue *Sacramenti* (idem enim vtrumque eſt in hoc negotio) vocabulum à veteribus, quod diximus, latè accipi ſolitum, non tantum pro toto ſacramento ex omnibus ſuis ritibus conſtante, ſed etiam pro ſingulis eius partibus, ſiue ritibus, ex quibus conſtabat. Sic enim Optatus hoc loco ſingulos baptiſmi ſolennes ritus lotionem ſcilicet, chriſmationem, & manus impoſitionem, *baptiſmatis myſteria* vocat; quæ, ſi propriè loquendum eſt, non plura ipſa myſteria, ſed vnius myſterij, id eſt baptiſmi, ſiue initiationis in Chriſto noſtræ, plures partes ſunt, vnumque adeo myſterium; vt plura corporis membra vnum corpus ſunt. Planè eodem modo ac ſenſu poſtea locuti ſunt & Ordinis Romani auctor,[a] & Theodulfus Aurelianenſis[b], dum hos omnes in baptiſmo ſolennes ritus *baptiſmatis Sacramenta* vocarunt (quod ſuo loco obſeruabitur) vt hic Optatus *myſteria baptiſmatis* eoſdem ritus vocat. Quartò hinc quoque manifeſtum eſt apud veteres illius ſæculi (id eſt quarti) Chriſtianos præceſſiſſe ſemper chriſmationem; ſecutam eſſe manus impoſitionem. Ita enim *ordinata* in Chriſti baptiſmo fuiſſe hæc baptiſmatis noſtri myſteria diſertiſſimè hic docet Optatus; vt aqua oleum antecederet, oleum manus impoſitio ſequeretur. Itaque cùm illa baptiſmi noſtri myſteria à Domino apud Iordanem non modò initiata & impleta, ſed etiam *ordinata* fuiſſe dicat Optatus, cumque idem ex diuina Euangelij auctoritate nuper primò lotum fuiſſe Dominum; tum oleo in columbæ imagine delato vnctum à Deo Patre; poſtremò ab eodem nube: velut

p. 152.

a T. 10. Biblioth. Patr. p. 8.
b Ord. Bapt. c. 17.

velut manu, obumbratum, profectò apparet hos tres lotionis ſcilicet, vnctionis & manus impoſitionis, ritus in illius æui baptiſmo fuiſſe eodem ordine adminiſtratos; & ſiquis tum aliter factitaſſet, & manus nondum vncto impoſuiſſet, vel manus impoſitione iam obumbrato chriſmationem ſuperinduxiſſet, eum & Optatum & alios eiuſdem æui Patres pro ordinis horum myſteriorum legitimi turbatore habituros fuiſſe. Ipſe verò Optatus etiam alibi eundem iſtorum rituum ordinem fuiſſe apertiſſimè ſignificat, vbi de chriſmate verba faciens, *Oleum* (inquit) *ſimplex eſt, & nomen ſuum vnum & proprium habet. Confectum item chriſma vocatur; in quo eſt ſuauitas, quæ cutem conſcientiæ mollit, excluſa duritia peccatorum; quæ animum innouat lenem; ſedem Spiritui Sancto parat, vt inuitatus illic aſperitate fugata libenter inhabitare dignetur.* Spiritus manus impoſitione per benedictionem *aduocabatur, & inuitabatur*, vt ſupra ex Tertulliano didicimus. Spiritui autem per manus impoſitionem inuitando chriſma ſedem, animum hominis leniens læuiganſque & innouans parabat. Ergo omnino neceſſe eſt præceſſiſſe chriſmationem; ſecutam eſſe manus impoſitionem; niſi tu Spiritum fingas priùs veniſſe, priùs inuitatum eſſe vt veniret, quàm ſedes ei parata eſſet; vbi inuitatus aduenisſet, tum demum de ſede ei paranda cogitatum fuiſſe; quod præpoſterum & inſanum eſſe ne ipſi quidem inſani negauerint. Vnde craſſus P. Aurelij error refellitur, ſomniantis Tertulliani quidem tempore apud Africanam Eccleſiam chriſmationem manus impoſitioni præiuiſſe, ſed Cypriani tempore in eadem illa Eccleſia mutatum fuiſſe hunc morem, & manus impoſitionem præpoſitam fuiſſe chriſmationi. Atqui in ea Eccleſia ne centum quidem & amplius poſt Cypriani mortem annis hac in re quicquam mutatum fuiſſe docet ecce teſtis locupletiſſimus Optatus, ipſe quoque Afer æquè ac Tertullianus, & Cyprianus; Mileuitanus ſcilicet, vt notum eſt, Epiſcopus. Ex quibus ruit quod Aurelius ſuis iſtis ſomnijs ſuperſtruit, *non fuiſſe perpetuum, vt chriſmatio ante manus impoſitionem fieret, ſed alteram altera alibi priorem, alibi poſteriorem, alibi æqualem, & vno eodemque temporis puncto adminiſtratam.* Imò hoc perpetuum fuit totis ſex (niſi fallor) ſæculis, & fortaſſe etiam diutius; neque toto eo tempore quicquam occurrit, quo probari poſſit manus impoſitionem hanc (vbi quidem ea in vſu fuit) aliter quàm poſt chriſmationem adhibitam. Alterius certè moris mentio prima, quod ſciam, apud Rabanum occurrit, ſæculo nono; qua de re ſuo loco dicendum erit. Nunc hoc vnum de Optati locis adijciemus, eum more Patrum ſolenni id ſignis tribuere, quod illa non quidem operantur, ſed tamen ſignificant, dum ait *chriſma animum innouare lenem, & aſperitatem fugare.* Hoc enim ipſius baptiſmi verè effectum eſt. Sed quæ baptiſmus Chriſti inſtitutione & virtute ſimul ac ſemel efficit, eorum ordinem ac diſpoſitionem (vt ſic dicam) naturalem ipſe

rituum

l. 7. p. 109. extr.

l de bapt. [illegible]

Orthod. Fid. l. p. 528.

ibid. p. 124.

rituum, quibus illa effecta adumbrantur, atque ſignificantur, ordo oſtendit; nimirum primò peccata dilui; tum huius gratiæ dono animum læuigari ac leniri; denique cœleſtia Spiritus chariſmata, pacem, lætitiam, charitatem accipi. In quibus illud quoque obiter obſeruandum, quòd chriſmationem, quam alij Patres, vel ad myſticum ſacerdotium regnumque (vt Tertullianus) vel ad eorum, quæ in baptiſmo pacta ſunt, confirmationem (vt pſeudo-Clemens) vel ad ſepulturæ Dominicæ recordationem (vt pſeudo-Iuſtinus) referunt; ea hic noſter eò pertinere vult, vt eorum, qui initiantur, animus lenis ac læuis, omni expolita ſcabritie atque aſperitate, fiat, atque ita ad Spiritum per manus impoſitionem, & benedictionem accipiendum præparetur. Quæ tam multiplex interpretationis varietas clamat non diuini, ſed humani inſtituti eſſe totum hoc tam anceps, támque varium ac ambiguum chriſmationis ſignum. Atque hæc quidem de Optato hactenus.

Paciani verò Barcinonenſis in Hiſpaniâ Epiſcopi, quem Hieronymus imperante Theodoſio, hoc eſt poſt ann. D. 379. mortuum eſſe ſcribit, hæc doctrina eſt in ſermone ad fideles & Catechumenos: *Sic* ((inquit) *generat Chriſtus in Eccleſiâ per ſuos ſacerdotes, vt idem Apoſtolus;* In Chriſto autem ego vos genui. *Atque ita Chriſti ſemen, id eſt Dei Spiritus, nouum hominem, aluô matris agitatum, & partu fontis exceptum, manibus ſacerdotis effundit, fide tamen pronubâ. Neque enim aut inſertus in Eccleſiam videbitur, qui non credidit, aut genitus à Chriſtô, qui Spiritum ipſe non recepit. Credendum eſt igitur poſſe nos naſci. Sic enim ait Philippus,* Si credis, potes. *Recipiendus eſt Chriſtus, vt generet, quia ſic Ioannes Apoſtolus dicit;* Quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Hæc autem compleri aliàs nequeunt, niſi lauacri, & chriſmatis, & Antiſtitis ſacramentô. Lauacro enim peccata purgantur; chriſmate Sanctus Spiritus ſuperfunditur; vtraque verò iſta manu, & ore Antiſtitis impetramus; atque ita totus homo renaſcitur, & innouatur in Chriſto; vt ſicut reſurrexit Chriſtus à mortuis, ſic & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Hactenus Pacianus; qui, vt & Optatus, & cæteri, chriſmationem ipſe quoque inter ſolennes baptiſmi, ſiue initiationis noſtræ ſacramenti ritus manifeſtè cenſet. Primò id ipſe ſermonis titulus, qui de *Baptiſmo* eſt, clamat. Quorſum enim hæc, ſi non pertinent ad baptiſmum, in eo tractatu agitat, qui de baptiſmo eſt? Tum ipſe auctor idem in ipſo limine præfatur; *Aperire deſidero* (inquit) *qualiter in baptiſmo naſcamur, & qualiter innouemur.* At chriſma inter cætera cenſet, quibus adhibitis naſcimur; Ergo & chriſma baptiſmi eſt, *in quo* ſcilicet *qualiter naſcamur* dicturum ſe profitetur. Sed & laudata eius verba luculentiſſimè id ipſum docent. Nam in primis hoc illis verbis Pacianus conſtituit *genitum à Chriſto non videri, qui Spiritum non recepit:* &

[Margin notes: Serm. de baptiſmo Bibl. Patr., T. 3. p. 97. b. c. — p. 75. c.]

pis: & paulo ante dixerat *venientе deſuper Spiritu Domini, noſtrarumque animarum ſubſtantia ſuperfuſo & admixto protinus ſemente cœleſti, nos viſceribus matris inoleſcere, aluóque eius effuſos viuificari in Chriſto.* Tunc autem, vt patet, naſcimur, cum aluo matris effundimur. Ergo cum aluo Eccleſiæ tum demum effundamur, cùm Spiritus in animis noſtris ſuperfuſus venit; clarum eſt iſtum nos non ante naſci putaſſe quam Spiritum acceperimus; Spiritum porro chriſmate in nos ſuperfundi ait. Ergo chriſmari nos antequam naſci putauit. Nos autem per baptiſmum & in baptiſmo naſci omnes confitentur. Niſi ergo hunc ab omni Eccleſiæ fide deuium nos in Chriſto cum baptizamur, naſci negaſſe finxeris; neceſſe eſt fateri eum crediſſe nos in ipſo baptiſmo chriſmari; in quo ſcilicet naſci nos non aliter poſſe definit, quam ſi Spiritus in nos ſuperfundatur; ſuperfundi autem eum chriſmate ſtatuit. Sed & iſta de quibus dixit *Chriſtum* ſcilicet *recipere*, & *naſci, compleri alias* negat poſſe, *niſi lauacri, & chriſmatis, & Antiſtitis ſacramento.* Primo *& lauacri, & chriſmatis, & antiſtitis*, (id eſt vt ego quidem arbitror, manus impoſitionis) vnum ſacramentum eſſe ſignificat; qui in ſingulari numero, non in plurali de iis loquitur. Neque enim ſi diuerſa eſſe cenſuiſſet, ita ſibi de iis loquendum putaſſet. Nam nemo ſanus dixerit *ſe baptiſmi & eucharistiæ ſacramentum* ſuſcepiſſe. Rectum eſt dici *ſacramenta*, quæ non ſunt vnum. Itaque qui lauacri & chriſmatis & manus impoſitionis, non *ſacramenta* ſed *ſacramentum* dicit, is profecto ſenſit tres hos ritus vnum, idemque initiationis ſiue regenerationis noſtræ, id eſt baptiſmi, ſacramentum efficere ac conſtituere. Vnde obiter videre eſt, quantopere fallatur Aurelius, qui Confirmationis (Latinæ ſcilicet) ſacramentum confidentiſſimè ſcribit hic vocari *chriſmatis ſacramentum.* Ille vero Aureli, id de quo loquitur, non chriſmatis ſimpliciter, quod tu vafrè ac ſubdolè ſimulas, ſed *lauacri, & chriſmatis, & antiſtitis ſacramentum* dixit. Tu vero videris, num tua quoque Confirmatio itidem dici poſſit *lauacri & chriſmatis & antiſtitis ſacramentum.* Ego quidem qui ex veſtris ita locutus fuerit, neminem adhuc reperi. Huc accedit, quod cum Pacianus lauacro & chriſmate & antiſtite ea compleri ſcribat, de quibus dixerat; aperte ſignificat hæc omnia baptiſmi eſſe. Cum enim hæc, quæ iſtis compleri dicit, non alia ſint quam Chriſtum & Spiritum Sanctum ad hoc, vt naſcamur, recipere; qui hæc iſtis compleri dicit, idem intelligit ac ſi dixiſſet nos iſtis, id eſt lauacro & chriſmate & antiſtitis manu naſci. Non alio autem ſacramento naſcimur, quam baptiſmo. Ergo hæc, quibus naſci nos ſignificat, omnia vnum baptiſmi ſacramentum eſſe Pacianus putauit. Sed quid opus eſt argumentis, quaſi mens eius obſcura ſit? Ille vero ſe id ſentire verbis proximis diſertiſſime docet. Poſtquam enim quid iſtorum ſingula ſignificent, &

Aurel. p. 451.

quo referantur, expoſuit, *lauacro peccata purgari, chriſmate Spiritum ſuperfundi*; tandem locum concludens, *Atque ita* (inquit) *totus homo renaſcitur, & innouatur in Christo.* Non potuit clarius eloqui *lauacro & chriſmate innouari, renaſcíque totum hominem.* Totus vero homo in vno baptiſmi ſacramento renaſcitur atque innouatur. Ergo ad ſacramentum baptiſmi pertinere vtrumque id eſt & lauacrum & chriſma, neceſſe eſt, neque adeo eſſe duo diuerſa ac inter ſe diſtincta, proprie dicta ſacramenta; quod fruſtra contendunt aduerſarij. Quo iſta poſtremo pertinent, quæ ex Paulo ad deſcribendum totius iſtius ex lauacro & chriſmate myſterij effectum affert; *vt ſicut reſurrexit Chriſtus à mortuis; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Cùm enim Paulus ex omnium interpretum conſenſu iis verbis nullius alterius ſacramenti, præterquam vnius baptiſmi vim & effectum expreſſerit, vt vel locum intuenti patet; *Quicumque baptizati ſumus in Christo Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*; omnino fatendum eſt Pacianum vel Paulinis verbis abuti, vel certe exiſtimaſſe eius, cui hoc Paulus tribuit, baptiſmi partem quoque aliquam eſſe eam, ad quam illa verba partim accommodat, chriſmationem. His ita conſtitutis omnes vident quæ chriſmati vel hic, vel alibi tribuit Pacianus, ea omnia ad baptiſmum proprie ac vere pertinere, neq; alia de cauſa chriſmationi vel ab hoc vel ab aliis tribui, quàm quod ea baptiſmi cuius iſta propria ſunt, cęrimonia & pars quædã ritualis fuit ad baptiſmalium effectorum partem aliquam ſignificandam inuenta, & Domini ſacramento appoſita. Bellarminus* hunc alium eiuſdem auctoris locum obiicit; *Si ergo & lauacri & chriſmatis poteſtas maiorum longè charismatum ad Epiſcopos inde deſcendit, & ligandi quoque ius adfuit, atque ſoluendi.* *Vides* (inquit Bellarminus) *chriſma non ſolùm coniungi cum baptiſmi & pœnitentiæ ſacramento, ſed etiam anteponi ſacramento pœnitentiæ.* Quid-ni (inquam) lauacro chriſma Pacianus coniunxerit, quod baptiſmi ſolennis partem, ac ritum fuiſſe putauit? Oſtende Bellarmine, ſic coniungi, vt vnum ſacramentum cum altero reapſe diuerſo, ac (vt loquuntur) *diſparato* coniungitur. Niſi feceris, nugas agis. Ego enim coniungi cum lauacro chriſma, vt partem cum alia eiuſdem myſterij parte fateor, vt totum aliquod ſacramentum cum alio æquè toto nego; negauit ſupra ipſe Pacianus, qui lauacri & chriſmatis, non *ſacramenta*, vt vos vultis, ſed *ſacramentum* dixit. Quod vero ex his Paciani locis, & ex hoc item, qui in alio opere extat; *Veſtra plebi, vnde Spiritus, quem non conſignat vnctus ſacerdos?* quod ex his inquam, concludit Aurelius iis temporibus ſolis Epiſcopis chriſmare in Hiſpania licuiſſe, *& ſine eorum conſignatione Spiritum Sanctum percipi non potuiſſe*; ille male ſuo more colligit.

Rom. 6. 3. 4.

*de Conf. c. 6. & Pacianus.

Pac. ep. 1. T. 3. Bibl. Patr. p. 314. c.

Orthod. p. 330.

In pri-

In primo loco ait Pacianus *remiſſionem peccatorum & Spiritum Sanctum nos manu & ore antiſtitis impetrare.* Quid tum poſtea? Fateor hinc ſequi lauacrum & chriſma, quibus Pacianus ait iſta compleri, *antiſtitis*, id eſt (vt vult Aurelius, neque ego repugno) Epiſcopi manu & ore miniſtrari tum ſolita fuiſſe; non licuiſſe & presbyterorum ore & manu eadem miniſtrari, hinc quidem nunquam effecerit Aurelius. Neque ego ſatis mirari poſſum tantum diſputatorem tam ſupinum hic fuiſſe, vt non ſenſerit presbyteros chriſmandi poteſtate ex hoc Paciani loco ſpoliari non poſſe, quin & vnà lauandi, id eſt baptizandi iure multentur; *Vtraque* (inquit Pacianus) *manu, & ore antiſtitis impetramus.* Dic ſodes Aureli, quæ ſunt iſta *vtraque?* Negare non potes, quin ea ſint, quæ tute deſcripſiſti, *peccatorum per lauacrum purgatio; Sancti Spiritus per chriſma effuſio.* Ergo ſi, quod ait Pacianus, iſta *nos manu & ore antiſtitis impetrare*, ex eo, quod tu vis, recte concluditur nullius eſſe presbyteri chriſmare; profectò eadem quoq; ratione concluditur ne lauare quidem vllius eſſe presbyteri. Non enim iſtorum vnum, ſed *vtraque* ab antiſtite nos conſequi dicit Pacianus. *Vtraque* ergo presbyteris vel eripienda, vel concedenda. Eripere autem *vtraque,* ne tu quidem, vt opinor, tentaueris; niſi fortaſſe à tuis omnibus lapidari velis, quorum nemo eſt, qui presbytero ſacri lauacri poteſtatem neget, aut vero negatam vnquam fuiſſe putet. Ergo qui presbyteris lauandi ius eripit hic Paciani locus, is neque chriſmandi poteſtate eoſdem excludit. Ex quibus, niſi plane ſtertis, intelligere tandem potes, quam futilis, quámque nihili ſit tua hæc omnis in eruditiſſimum Sirmondum argumentatio. *Antiſtitem*, hoc eſt epiſcopum, hic potiſſimum nominauit Pacianus, quòd is ſummus ſit ſacerdos; quod ipſi presbyteri, vbi vel chriſmabant, vel etiam baptizabant, Epiſcopi quodammodo auctoritate ac loco vtrumque miniſtrabant. Itaque quem in primo loco *antiſtitem* dixerat huius ſacramenti miniſtrum, eum in tertio ſacerdotem vocat: quod nomen & Epiſcoporum & presbyterorum cõmune iampridem eſſe nemo neſcit. Ita etiam & eo loco, qui ſecundus deſcriptus eſt, eadem de cauſa non àlios, quam Epiſcopos nominat, contra Nouatianos diſputans Eccleſiæ ligandorum, ac ſoluendorum peccatorum poteſtatem eſſe, Id vero inde probat, quod hæc poteſtas Apoſtolis data erat à Chriſto; exceptionem autem Nouatianorum, cauſantium idquidem Apoſtolis ius datum, ſed ita vt eorum tantum proprium, nullorum vero miniſtrorum, ne ſummorum quidem commune cum Apoſtolis ſit, eam inquam iſtorum exceptionem ſic refellit; *An tantum hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergo & baptizare ſolis licet, & Spiritum Sanctum dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis, quàm Apoſtolis imperatum eſt. Quod ſi vnô in locô, & reſolutio vinculorum, & ſacramenti poteſtas datur; aut totum ad nos ex Apoſtolo-* Ep. 1. p. 58. b.

rum formâ, & poteſtate deductum eſt; *aut nec illud ex decretis vetanatum eſt*. Hoc vult, vtrumque illud ius Epiſcopis totum vel concedendum, vel negandum. Alterum, nempè baptizandi ius, ne Nouatiani quidem Epiſcopis negabant. Ergo neque peccata remittendi, negare eos debuiſſe. Omnes ſciunt presbyteris vt nunc, ita etiam olim ius baptizandi ſemper fuiſſe; & quidem tam apud Nouatianos, quàm apud Catholicos (neque enim vlla erat inter eos hac de re controuerſia.) Quod ergo Pacianus *Epiſcopos* ſolos nominat, ideò id facit, non vt presbyteris hoc vel baptizandi, vel ligandi & ſoluendi ius (quod omnis iis concedit Eccleſia) eriperet; ſed quod Epiſcopis, totius ordinis apicibus ac principibus, omnis illa Eccleſiaſtica tum ſacramentorum, tum clauium auctoritas, præcipuè contineretur; tametſi ab iis, veluti ex quodam fonte, in presbyteros, totúmque cleri ordinem diffunderetur, quod cū eſſet apud Nouatianos in confeſsô, de ſolis epiſcopis laborandum ſibi putauit Pacianus; quibus ſcilicet ſi eam poteſtatem ſemel vindicaret, ſatis intelligebat nullam de presbyteris fore cum Nouatianis controuerſiam. Vnde liquet omninò abſurdè, ac præter rem feciſſe Aurelium, cùm hæc aliò pertinentia Paciani loca ad ſuū de chriſmatis miniſtrô errorem detorquenda cenſuit. Planè contrà, ex his colligitur Pacianum, cùm & lauacri, & chriſmatis vnum, idémque ſacramentum eſſe ſenſerit, neque de eô dubitaſſe, quin vtriuſque actus, ſiue ritus, vtpote ad idem initiationis noſtræ myſterium pertinentis, eundem quoque miniſtrum eſſe deceat. Vnum autem eſſe duorum iſtorum actuum ſacramentum, ſiue *myſterium*, præter ea, quæ ſupra diximus, illud etiam clariſſimè vt mihi videtur, confirmat, quod hoc ipsô locô, itidem vt ſuprà, vtriuſque rei id eſt & lauacri, & chriſmatis actus *ſacramentum* in ſingulari numerô, itidem vt ſuprà vocat; & *lauandi, atque chriſmandi ius poteſtatem* dicit, non *ſacramentorum*, (quod omninò dicendum erat ſi iſta duo inter ſe diſtincta ſacramenta eſſe putaſſet) ſed *ſacramenti*. Nimirum iſtis duobus ritibus contineri exiſtimabant ſolenne initiationis, ſiue regenerationis Chriſtianos myſterium. Denique id quoque, tametſi obiter, moneo, iſtum dum *reſolutionem vinculorum* (quod pertinet ad pœnitentiæ diſciplinam) *ſacramenti poteſtati* hoc locô opponit, non obſcurè refellere Latinorum errorem, *pœnitentiam* ſacramentum eſſe contendentium; quod ſi re verâ eſſet, ineptè atque abſurdè (quod hic à Pacianô factum eſt) ſacramenti poteſtati opponeretur. Atque *hæc quidem obiter*.

Capvt.

Caput XXII.

IV. Testimonium. Inſignis Hieronymi locus, quarto ſæculo ſcriptus explicatur, & à Bellarmini Sophiſtice vindicatur, & ex eo veritas adſtruitur.

Nunc verò conſiderandus venit luculentus Hieronymi de manus impoſitione locus ex Dialogo aduerſus Luciferianos, quod opus auctor Romæ ſcripſit, antequam in Syriæ ſolitudines proficiſceretur; hoc eſt circiter ann. D. 370. iiſdem temporibus, quibus in Hiſpania florebat Pacianus. In eo dialogo cum dixiſſet Luciferianus apud ſuos laïcum ab Arianiſmo conuerſum *recipi per manus impoſitionem & inuocationem Spiritus Sancti*; quod ſcirent *ab hæreticis Spiritum Sanctum non poſſe conferri* (id verò etiam, vt ſuprà audiuimus, factitabant Catholici Latini, eodem ritu iam indè Stephani temporibus recipientes, quicumque, ab hæreſi ad Eccleſiam veniebant) ad eam inquam, exceptionem ita reſpondet Hieronymus, vt contendat primo etiam in baptiſmô Spiritum Sanctum dari; *Nam cùm* (inquit) *in Patre, & Filio, & Spiritu Sanctô baptizatus homo templum Domini fiat, cùm veteri æde deſtructâ, nouum Trinitatis delubrum ædificetur, quomodo dicis ſine aduentu Spiritûs Sancti apud Arianos peccata poſſe dimitti? Quomodò antiquis ſordibus anima purgatur, quæ ſanctum non habet Spiritum? Neque enim aqua lauat animam, ſed prius ipſa lauatur à Spiritu, vt alios lauare ſpiritualiter poſſit.* Spiritus, *inquit, Moyſes,* ferebatur ſuper aquas. *Ex quô apparet baptiſma non eſſe ſine Spiritu Sanctô.* Mox pauculis interiectis; *Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui non tam mundatus eſt in lauacrô ſuô vniuerſas aquas mundauit, ſtatim vt caput extulit de fluentô, Spiritum Sanctum accepit; non quod vnquàm ſine Spiritu Sanctô fuerit, quippè qui de Spiritu Sanctô in carne natus eſt; ſed vt illud nobis monſtraretur verum eſſe baptiſma, quô Spiritus Sanctus aduenint. Igitur ſi Arianus Spiritum Sanctum non poteſt dare, nè baptizare quidem poteſt, quia Eccleſiæ baptiſma ſine Spiritu Sanctô nullum eſt.* Ex his concludit ab Arianis venientem, vel baptizandum eſſe, *quia ſine Spiritu Sanctô non* potuit baptizari; vel certè *ſine inuocatione Spiritûs* recipiendum, *quem tum* ſcilicet *cùm baptizaretur accepit.* Hæc ille: ex quibus liquet Spiritum Sanctum vi baptiſmi omnibus, qui initiantur conferri; vnde ſequitur quicquid baptiſmo additur, id, ſi propriè loquendum eſt, nullam per ſe vim habere ad Spiritum conferendum; quo in genere cùm ſint & *chriſmatio, & manus impoſitio*, apparet eas ex Hieronymi ſententiâ, ſignificare quidem & adumbrare Spiritum poſſe; conferre eum, qui neophy- T. 2. Hieron. fol. 50. B.

tis neceſſarius eſt; per ſe non valere; quem illi ex ſalutari lauacrô hauriunt; non ab vllô aliô ritu. Sed & hinc videre eſt, quiſquis ritè baptizatus eſt, eum eſſe verè Chriſtianum; neque, vt id nominis apud Deum conſequatur, vllô aliô ritu initiari neceſſariò debere: adeoque *chriſmationem*, & *manus impoſitionem*, non tam efficere, vt homo Chriſtianus verè nominetur, quàm confirmare eum ritè baptizatum eſſe, eámque dignitatem ita per lauacrum Chriſti eſſe conſecutum, vt illum iam omnes fideles eô numerô, ordine, ac nomine cenſere incunctanter debeant; atque ad hunc ſenſum reuocandum eſſe, ſiquid Patres paulò licentiùs, vt eorum mos eſt, eâ de re per hyperbolen dixerint.

Ibid. C. Sed inſtanti Luciferiano, & *baptizari poſſe aliquem, & tamen non habere Spiritum Sanctum* ex eô probanti, quod in Actibus legamus à Ioanne baptizatos, cùm ne audiſſent quidem quid eſſet Spiritus Sanctus, poſteà fuiſſe Spiritum Sanctum per Paulinæ manus impoſitionem conſecutos; Hieronymus hic ita declinat, vt primò videatur etiam Ioannis baptiſmo Spiritum Sanctum tribuere. Certè negantem ſic vrget; *Spiritum Sanctum non dedit, quem Philippus Diaconus Eunucho dedit? quem Ananias Paulo dedit?* Mox tamen baptiſma Chriſtianum Ioannis baptiſmati eò præfert, *quod illud peccata dimittit, & liberat à gehennâ, quod autem à gehennâ liberat* (inquit) *perfectum eſt* & ad obiectum reſpondet eos, quorum ex Actibus allatum fuerat exemplum baptizatos à Paulô prius fuiſſe, quàm manu impoſitâ inumbratos; *Si ergo* (inquit) *illi baptizati ſunt verè, & legitimè Eccleſiæ baptiſmate; & ita poſteà Spiritum Sanctum conſecuti ſunt; & tu Apoſtolorum ſequere auctoritatē, & baptiza eos qui Chriſti non habent baptiſma, & poteris inuocare Spiritum Sanctum.* Hic deprehenſus heterodoxus ad Eccleſiæ conſuetudinem confugit; *An neſcis* (inquit) *Eccleſiarum hunc eſſe morem, vt baptizatis poſteà manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus Sanctus? Exigis, vbi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum. Etiam ſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.* Atque hic nonnulla colligit, quæ *per traditionem* ſine Scripturæ præceptô, *in Eccleſiis obſeruata auctoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurparant; velut in lauacrô ter caput mergitare, egreſſos lactis & mellis concordiam prægustare, die Dominicô & per omnem Pentecoſten nec de geniculis adorare, & ieiunium ſoluere.* Quid ad iſta Hieronymus? *Non quidem* (inquit) *abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, vt ad eos, qui longè in minoribus vrbibus per presbyteros, & diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad inuocationem Sancti Spiritus manum impoſiturus excurrat. Sed quale eſt, vt leges Eccleſiæ ad hæreſim transferas?* Tum paulò poſt; *Quod ſi hoc locô quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos aſſerimus in verô baptiſmate tribui; diſce hanc obſeruationem ex eâ auctoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus Sanctus ad*

Ibid. D.

Ibid. F.

ibid. H.

Ibid. I.

Ibid. K.

ſtus ad Apoſtolos deſcendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potiùs ſacerdotij, quàm ad legis neceſſitatem. Alioqui ſi ad Epiſcopi tantùm imprecationem Spiritus Sanctus defluit; lugendi ſunt, qui in vinculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per presbyteros, & diaconos baptizatis antè dormierunt, quàm ab Epiſcopis inuiſerentur. Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet; cui ſi non exſors quædam, & ab omnibus eminens datur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes Indè venit, vt ſine chriſmate & Epiſcopi iuſſione, neque preſbyter, neque diaconus ius habeant baptizandi. Quod frequenter, ſi tamen neceſſitas cogit, ſcimus etiam licere laicis. Vt enim accipit quis, ita & dare poteſt; niſi fortè Eunuchus à Philippô diaconô baptizatus, ſine Spiritu Sanctô fuiſſe credendus eſt, de quô Scriptura ita loquitur; Et deſcenderunt ambo in aquam; & baptizauit eum Philippus; Et cum abſcederent ab aquâ, Spiritus Sanctus venit in Eunuchum. Tum quod ab aduerſario obiici poterat Apoſtolos baptizatis à Philippô manus poſteà impoſuiſſe, id occupat Hieronymus negans eandem eſſe Samaritanorum, quibus Apoſtoli manus impoſuerunt, & Arianorum, quibus Luciferiani rationem. Illos enim baptizatos fuiſſe in Eccleſiâ; hos in Synagogâ, id eſt apud hæreticos; illos ab Apoſtolorum Diaconô; hos ab hæreticorum, & idololatrarũ miniſtrô. Hæc Hieronymus. Ipſam eius contra Luciferianorũ vſum diſputationem mitto; quam mihi mirabilem videri, neque ſatis à me percipi confiteor, qui ita pugnet, vt & miniſtratum ab Arianis baptiſmum valere, & iis ad Eccleſiam venientibus manus imponendas negare videatur; quod vtrumque perpetuo totius veteris Eccleſiæ mori aduerſatur; apud quam Ariani neque baptizabantur conuerſi, & manus impoſitione apud Romanos, chriſmate apud Græcos ſuſcipiebantur; vt magnum Luciferiani illius apud Hieronymum interlocutoris ſtuporem fuiſſe oporteat, qui hæc nota & omnibus obuia in cauſſæ ſuæ defenſione prætermiſerit. Tantum quæ ad inſtitutum negotium ſpectant in hoc Hieronymi locô, obſeruabo; ac primò quæ ad rem ipſam, reique vſum pertinent; ſecundò, quæ ad rei *ius* (vt loquuntur.) De re ipſâ concedit Hieronymus hanc fuiſſe ſuô tempore *Eccleſiarum conſuetudinem, vt ad eos, qui longè in minoribus vrbibus per presbyteros & Diaconos baptizati erant Epiſcopus manum impoſiturus excurreret.* Eliberitani Patres annis ante quàm hæc ſcriberet Hieronymus, 65. aut circiter, Epiſcopi manum eis tantum neceſſariam eſſe conſtituerunt, qui in morbô, aut periculô mortis baptizati erant: vel (ſi quis de altero eorum canone ex Garſiæ editione contendat) iis etiam qui à diaconô tincti erant. De iis qui à preſbyterô baptizati eſſent, nihil huiuſmodi decreuerant. Ergo ab eo tempore aliquid in nonnullis Eccleſiis Epiſcoporum in hoc negotio miniſterio acceſſerat. Nimirum illi Eliberitanæ Synodi temporibus non aliis (extra eos, quos baptizabant) manus imponebant, quàm à

laico,

Ibid. 1c.

Act. 8.

can. 38.

c. 77.

laïco, vel ad ſummum à Diacono baptizatis. Hieronymi æuo quos baptizauerant presbyteri, iis etiam ipſis manum Epiſcopus poſtea imponebat, in quibuſdam Eccleſiis, *In quibuſdam* dico. Non enim de omnibus intelligere Hieronymum id in primis oſtendit, quod in Græca Eccleſia vniuerſa nihil vſpiam huiuſmodi vel olim, vel nunc factitatum legimus, & ex iis quæ ſupra diſputauimus, certo conſtare poteſt. Tum neque in omnibus ipſius Occidentis Eccleſiis eum, quem ait Hieronymus, morem fuiſſe; vt credamus perſuadet Eliberitanæ Synodi auctoritas. Certè nihil apparet, cur exiſtimemus tam breui annorum LXV. interuallo ita mutatum, quod illi Synodo placuerat, vt iis quos baptizaſſet presbyter, manum ab Epiſcopo imponendam Hiſpanienſis Eccleſia ann. D. 305. non cenſuerit, ann. D. demum 370. cenſuerit. Sed & hoc ipſe Hieronymus diſerte ſignificat; *Multis* (inquit) *in locis* (non ergo in omnibus) *id factitatum reperimus ad honorem potius ſacerdotij, quàm ad legis neceſſitatem.* Omnino ergo de Latinis, iiſque non omnibus, ſed quibuſdam tantum, puta Romanis & nonnullis Italicis accipiendum eſt, quod ait Hieronymus *Eccleſiarum hanc eſſe conſuetudinem, vt à presbytero aut diacono baptizatis manum Epiſcopus imponeret.* Sed grauis de hac Hieronymiana Epiſcoporum manus impoſitione Sirmondum inter & Aurelium quæſtio exorta eſt; an ea nuda, ſimplexque manus impoſitio fuerit, an vero cum chriſmate coniuncta? id eſt an Epiſcopi iis, qui erant à presbyteris & diaconis tincti manus tantum imponerent? an verò etiam eos chriſmarent? Hoc enim ait quidem Aurelius,[a] Sirmondus verò negat.[b] Atqui ſi vnum Latinæ cauſæ ſtudium demas, nulla Aurelio dubitandi ratio fuit. Cur enim chriſmatos ab Epiſcopo fuiſſe iſtos ſuſpicemur, quibus Hieronymus nihil aliud dicit, niſi manum impoſitam? Aut cur ipſe non dixit chriſmatos, ſi chriſmatos ſignificare voluit? Profecto neque manum imponere *chriſmare* eſt, neque viciſſim chriſmare eſt *manum imponere.* Plane diuerſi ſunt hi duo actus, vt alterum alterius nomine ſignificari abſurdum ſit. Ridiculum vero eſt, quod reſpondet Aurelius *non dicere Hieronymum iſtos ſola manuum impoſitione ſine chriſmate ab Epiſcopis confirmatos.* Primò ne *confirmatos* quidem dicit. Id verbum ab Aurelio eſt. Hieronymus tantum ait iſtis *Epiſcopum ad inuocationem Sancti Spiritus manum impoſuiſſe.* Secundò quod non dixit *ſine chriſmate* manum iis impoſitam, eo non magis effeceris iſtos ab Epiſcopo chriſmatos fuiſſe, quàm baptizatos, eo quod neque dixit Hieronymus eos *ſine baptiſmo* ſolam ab Epiſcopo manus impoſitionem accepiſſe. *Manum* iis ab Epiſcopo *impoſitam* apud Hieronymum lego; *chriſma* quoque ab Epiſcopo iiſdem miniſtratum non lego. Itaque ex Hieronymo ſtat quidem quod concedo, morem hunc eo tempore quarumdam Eccleſiarum fuiſſe, vt ad vicos, oppida, &

a Anrret. p. 448. Orthod. p. 517.
b Antirrhet. part. 1. c. 6.

Anrr. p. 448. extr.

caſtella excurreret Epiſcopus, & quos preſbyteri ac diaconi baptizaſſent, iis manum imponeret; Non ſtat, quod vult Aurelius, eoſdem quoque ab Epiſcopo fuiſſe chriſmatos, Quod ſi roges, à quo ergo chriſma iſti acceperint, quod ſolenne tunc temporis fuiſſe baptiſmi adiunctum conceſſimus; reſpondeo cum eruditiſſimo Sirmondo id eos ab ipſo baptiſmi ſui miniſtro vel preſbytero vel diacono habuiſſe; ex, eo more, quem hactenus obſeruauimus, vt qui baptizabantur ij ſimul atque è lauacro egreſſi eſſent, chriſmarentur. Contra nequicquam tendit Aurelius; putidas impoſtoris de nono ſæculo neſcio cuius nænias falſo Damaſi nomine obiiciens, quibus & eiuſdem farinæ nugas, Leonis ac Ioannis III. nomina impudentiſſime præferentes addit. De Innocentio, & Patribus Conciliorum Hiſpalenſis, Toletani, Pariſienſis, &c. dicemus poſtea. Nunc ſatis eſt obſeruare iſtos omnes poſt ſcriptum hunc ab Hieronymo librum ſua illa, quæ laudantur, decreuiſſe, adeoque ex iis, quæ de ſeruato ſolis Epiſcopis chriſmationis miniſterio cenſuere, perperam atque inſcite colligi preſbyteris iam tum cum hæc Hieronymus ſcriberet (id eſt circiter ann. D. 370.) chriſmare non licuiſſe. Illud multo rectius obieciſſet Aurelius, quod Syluester ann. D. 325. *priuilegium Epiſcopis contulerat, vt baptizatum conſignarent.* Sed in promptu eſt ſolutio, eaque duplex, Prior quidem hæc, quod illa Epiſcopi vrbici lex in ſola ſi fortè eius ciuitate ſeruata proximis poſt illum temporibus fuerit, non alibi. De tota Græcia, quam conſtanter eam legem repudiauerit; imo (quod potior reor) ne ſciuerit quidem, iam ſupra demonſtratum eſt. De Occidente, mox videbimus. Huc ſecundò accedit, quod cum Syluester preſbyteros non planè à chriſmationis iure excluſiſſet, ſed iis poteſtatem alio decreto feciſſet de vita periclitantes chriſmandi, ſuamque hanc mentem ambiguis verbis expreſſiſſet; his nimirum, *propter occaſionem tranſitus mortis*, probabile eſt preſbyteros vetus chriſmandi ius retinuiſſe, legem in vſum ſuum ita interpretantes, quaſi ea quoſcumque baptizarent, eoſdem & chriſmare iuberet, nequis fortè ex baptizatis non chriſmatus moreretur. His de cauſis factum videtur, vt etiam poſt collatum Epiſcopis à Syluestro priuilegium, diutule retinuerint preſbyteri ac diaconi priſtinam chriſmandi poteſtatem: idque eo facilius paſſi ſunt Epiſcopi, quos preſbyteri ſolo chriſmate contenti, alterum baptiſmi ritum (quem & ipſum antea miniſtrarent) nempe manus impoſitionem, totum iis pœne vbique conceſſerunt. Atque eo rem deductam fuiſſe, quo tempore ſcribebat aduerſus Luciferianos Hieronymus recitata eius verba liquido demonſtrant. Preſbyteros quidem etiam tum chriſmaſſe quos baptizauerant & ex hoc ipſo, & ex aliis Hieronymi libris apertum eſt. Quæſo enim quid iſta ſibi volunt nuper à nobis deſcripta? *Inde venit, vt ſine chriſmate & Epiſcopi inſſione, neque preſbyter,*

Aurel. p. 448.

Pontif. Dam.

neque diaconus ius habeant baptizandi? Nônne clariſſime ſignificant & presbyterum & diaconum, tametſi ij ſine chriſmate & Epiſcopi iuſſu minime baptizauerint, baptizauiſſe tamen cum chriſmate, & iuſſione Epiſcopi? Non autem credo, baptizabant cum chriſmate; niſi chriſmarent. Ergo chriſmaſſe eos tunc temporis, quos baptizabant, hinc clarum, certumque eſt; nempe epiſcopis annuentibus, & ſibi ad honoris prærogatiuam vnam manus impoſitionem ſeruantibus. Non aſſeram quæ Sirmondus ex Commentario in Hieremiæ Lamentationes attulerat; quod eum hoc nomine peſſime ab Aurelio exceptum videam, velut hominem obeſæ naris ſcilicet, qui id opus à Hieronymiano nitore alienum eſſe minime olfecerit. Scio excuſum eſſe & Rabani nomine, eique à viris eruditis attributum. Neque vero ſi Hieronymi non eſt, eo ſtatim ſpernendus eſt. Sed ecce tibi alium ex vero atque indubitato Hieronymi opere locum; *Ac ne forte qui chriſma baptiſmi perdiderunt* (inquit) *deſperent de chriſmate reparando, ſcriptum eſt in Leuitico, quod leproſus extra caſtra proiectus cum ad Sacerdotem venerit, & lepra eius fuerit emundata, mittat ſibi ſacerdos oleum in manu ſiniſtra, & intincto digito ſepties aſpergat coram Domino, & tangat eodem oleo, auriculam eius, qui leproſus fuerit, & dextram manum, & dextrum pedem.* Hæc ille, qui præterquàm quod chriſma iterari poſſe innuit (quod eſt à Latino ſacramento alienum) id *baptiſmi chriſma* vocat. Vnde clariſſimè confirmatur, quod nos iam toties ſupra docuimus, chriſma ad baptiſmum pertinuiſſe, eiúſque ritum ac cæremoniam fuiſſe. Quod ſi ita eſt (vt eſſe ſane vel vnus hic locus demonſtrat) nemo negauerit, cuius baptizare fuit, eiuſdem fuiſſe & chriſmare. Presbyteri verò ac diaconi ius fuiſſe baptizare omnes veteres ac recentiores conſentiunt. Supereſt alterum Aurelij effugium, chriſmaſſe quidem presbyteros, ſed non in fronte, quam ſignare ſolius ſcilicet erat Epiſcopi. Sed hæc ſequentium temporum fuere, in quibus Innocentium primo audiemus, annis poſt hæc ab Hieronymo ſcripta circiter XLVI. id Epiſcopo vindicantem, vt vnus frontem neophytorum conſignet, poſtea Gregorium presbyteris concedentem, vt pectus baptizatorum vngant; poſteros denique iiſdem præcipientes verticem chriſmate tangere, quod apud Latinos manſit. An. D. 370. quo hæc ſcribebat Hieronymus, iam fuiſſe in vſu duas illas chriſmationis ſpecies ſomniat Aurelius, non probat, quæ neque apud ipſum Hieronymum, neque apud vllum iſtius memoriæ ſcriptorem apparent. Nam quam Syluester Romæ iam epiſcoporum propriam eſſe decreuerat, presbyteris non aliter, quam *propter occaſionem tranſitus mortis* vſurpandam conceſſerat, illa vna eademque hæc eſt baptiſmi cæremonia, qua frontem, vt videtur, tam presbyter, quam epiſcopus linebant, vt ſupra eſt obſeruatum. Fruſtra aliam quæſieris, quæ apud antiquos vel Syluestro vetuſtio-

Margin notes: Orthod. Part. 2. p. 540. — L. 2. in Habac. c. 3. T. 6 f. 89. F. — Leuitici c. 14. — Anarret. p. 448.

vetuſtiores, vel ei contrarios nulla occurrit. Verum ergo eſt, quod ſtatuit Sirmondus, vnicam ad hæc Hieronymi tempora in Eccleſiis vſitatam, cognitamque fuiſſe frontis chriſmationem, tam à presbyteris & diaconis, quam ab epiſcopis miniſtratam; idq; Aurelius non poſteriorum ſæculorum moribus, ac decretis, ſuíſve inde ſomniis, ſed veris certiſque, illius memoriæ documentis refellere debuit. Donec id præſtiterit (quod nemo vnquam, ſcio, præſtabit) manet id vnum fuiſſe in Eccleſiis ab Hieronymo memoratis Epiſcopi pro presbytero & diacono præcipuũ, quod cum omnes in baptiſmo chriſmarent, ille vnus manũ lotis vnctiſq; imponebat. Hic vſus, hæc conſuetudo erat. Iam ſi ius conſuetudinis quæras; dicit quidẽ hic apud Hieronymum Luciferianus interlocutor id in Actis Apoſtolorũ ſcriptum eſſe. Sed falſum dicit; neq; ex Actis quicquam ad id probandũ adducit, neq; ſane pedem in eo figit, ſed hoc præſidio, velut ei diffidens, miſſo Eccleſiarum conſuetudinem obtendit; *Etiamſi* (inquit) *ſcripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.* Sed quid homo Luciferianus, id eſt ſchiſmaticus, dixerit vel ſenſerit, noſtra nihil refert. De Hieronymo ipſo videamus. Ille ergo primo docet nulla id neceſſitate factum; quaſi qui rite loti eſſent, ij Spiritu Sancto carerent, qui per epiſcopalem manus impoſitionem tradi dicebatur, *Spiritum enim ferri ſuper aquas; ſine eo non eſſe baptiſma; verum eſſe baptiſma, quo Spiritus Sanctus adueniat*, idque demonſtraſſe *Spiritus in Chriſtum, ſtatim vt extulit caput de fluento, deſcenſum; & qui Spiritum non poteſt dare, ne baptizare quidem poſſe; Eccleſiæ baptiſma ſine Spiritu Sancto nullum eſſe.* Diſerte profitetur *ſe aſſerere in vero baptiſmate, Spiritum ſanctum tribui, qui per manus Epiſcopi traditur*; idque inde probat, quod *alioqui ſi ad epiſcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi ſint* (vt ſalutis exſortes ſcilicet, quæ ſine Spiritus S. dono nulli contingit) *qui in viculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inuiſerentur*; quod falſiſſimum & abſurdiſſimum eſſe nemo dubitat. Secundo ſatis oſtendit Hieronymus id non à Chriſto, non ab Apoſtolis, ſed ab Eccleſia inſtitutum; neque in Scripturis præceptum, ſed vſu introductum. Nam & Luciferianum dicentem inducit *Eccleſiarum hunc eſſe morem, & conſenſum orbis inſtar præcepti obtinere*, & cæremonias Eccleſiaſticas referentem, iiſque adeo hunc quoque vſum accenſentem. Atqui ſi hic mos eiuſdem eſt ordinis cum iſtis, quos ille recenſet, ritibus; omnino conſequens eſt, vt eum non neceſſarium, ſed pro Eccleſiæ arbitrio mutabilem fuiſſe confiteamur. Nam illa quidem quæ Luciferianus iſtic recenſet, *in lauacro ter caput mergitare, egreſſos lactis & mellis concordiam prægustare, die dominico & per totam Pentecoſten nec de geniculis adorare & ieiunium ſoluere*, iſta inquam, iam-

Antirrhet. 2. c. 6.

pridem apud Latinos omnia antiquata, atque abolita ſunt. Ergo nihil vetat ipſam quoque epiſcopalem manus impoſitionem ad hoc exemplum antiquari; atque ita ſane non modo cenſuit, ſed & fecit Romæ Eccleſia, apud quam diu eſt cum Epiſcopi baptizatis manum non magis imponunt, quam lactis melliſque concordiam prægustandam præbent. Hæc Luciferianus, quæ Hieronymus eo ipſo admittit, quod non refutat. Quid dixi, non refutat? Imo & ipſe diſerte eadem ponit, certiúſque confirmat. Nam eadem de re verba faciens *conſuetudinem Eccleſiarum*, item *Eccleſiæ leges* vocat, non Domini aut Apoſtolorum præceptum. Quin & huius legis *neceſſitatem* eſſe rotundè negat. Sed & cauſam refert, qua impulſa fuit Eccleſia ad hunc inducendum morem, & rationem, quam in eo inducendo ſecuta eſt. Cauſam fuiſſe ait *Epiſcopi honorem*, & ex eo quodammodo pendentem Eccleſiæ cuiuſque vnitatem, atque incolumitatem. Vere ſane ac præclare. *Multis in locis* (inquit) *idem factitatum reperimus ad honorem potius ſacerdotij, quam ad legis neceſſitatem.* Tum paulò poſt; *Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet; cui ſi non exſors quædam, & ab omnibus eminens datur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Inde venit, vt ſine chriſmate & epiſcopi iuſſione neque presbyter, neque diaconus ius habeant baptizandi.* Nimirum idem ille ſchiſmatis metus, qui eodem alibi teſte atque auctore Hieronymo, primo impulerat, *vt vnus de presbyteris electus cæteris ſuperponeretur*, Epiſcopuſque diceretur, *ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret*, idem inquam ille ſchiſmatis metus Epiſcopi ita conſtituti dignitatem ſartam, tectamque tueri ac conſeruare perſuaſit; qua incolumi, ſaluam fore Eccleſiam, ſoluta peſſum ituram credebant. Eo factum, vt in omnibus Eccleſiaſticis actibus ſuas quaſdam eſſe eius partes voluerint, vt omnia ab eo pendere, nihil ſine eo ratum, firmumque eſſe intelligeretur. Itaque ne quis in Eccleſiam, quod omnium primum ac precipuum eſt, abſque Epiſcopi auctoritate ingredi poſſe putaretur, baptiſmi, qui Eccleſiæ veluti quidam aditus, quædamque (vt ſic dicam) ianua eſt, diſpenſationem presbyteris quidem & diaconis permiſerunt, ſed ita tamen vt res tota Epiſcopo velut auctore, atque auſpice diſpenſaretur. Atque vt hic ad Epiſcopum ordo ac reſpectus clarior exſtaret, & ab omnibus cerni atque animaduerti facilè poſſet, placuit baptiſmi miniſtros neque iniuſſu Epiſcopi, neque ſine chriſmate ab eo confecto vnquam baptizare. Sic enim fiebat, vt presbyteri ſe ab epiſcopo pendere, eique ſubiectos & obnoxios eſſe, obliuiſci ne ſi vellent quidem, poſſent tamen. Parique de cauſa illud etiam, quod pſeudo-Dionyſius ſupra obſeruabat, inſtitutum eſt, vt neque presbyter quiſquam eſſet, qui ab epiſcopo ordinatus non eſſet, neque id altare ſacrum haberetur, & Euchariſtiæ atque oblationum capax, quod non eſſet ab eodem dedicatum.

[Margin notes: Ibid. (beside "metus, qui eodem alibi"); De Hieron. Eccl. c. 4. (beside "ſeruabat")]

tum. Sed ne ſic quidem ſatis cautum eſſe putarunt epiſcopalis dignitatis incolumitati. Itaque & illud Latinis placuit (nam apud Græcos quidem nihil huiuſmodi reperitur) vt baptizatis, poſtquam ij & iuſſu, & ſuo chriſmate à presbyteris initiati eſſent, veluti re nondum plane peracta, ipſi poſtea manum imponerent; & ob eam rem in vicules, & caſtella, & loca remotiora in paroecia ſua conſtituta excurrerent; ne ſcilicet quiſquam homo in tota Eccleſia eſſet, qui non aliquid ipſis propriè deberet. Hæc ergo epiſcopalis manus impoſitionis, & cæterorum eodem pertinentiū rituum, ex Hieronymo quidem, & ſane etiam ex vero, cauſa fuit. Si vero rationem huius inſtituti exigas, quæ talibus decretis honeſtior ſpecies quæri ſolet, hanc idem edit Hieronymus, *Quod ſi hoc* (inquit) *loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui, diſce hanc obſeruationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt adſcenſum Domini Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit.* Nimirum ne abſurdum videretur Spiritum Sanctum dici iis ab epiſcopo per manus impoſitionem tradi, qui iam eum in baptiſmo acceperant, huic abſurdo inde quæſitus color, quod & in Apoſtolos Spiritus poſt aſcenſum Domini deſcendit, qui tamen iis iam antea fuerat à Domino traditus. Hanc ergo huius moris rationem obtenderunt; vt Apoſtoli Spiritum, tametſi iam antea & in baptiſmo, & ex diuino Magiſtri flatu poſtea hauſtum, iterum ipſo Pentecoſtes die acceperunt; ita quoque conſentaneum, certe minime abſurdum eſſe, vt Spiritum neophyti, licet iam baptizati, manu & imprecatione antiſtitis acciperent. Qua ratione diu poſtea vſum quoque reperimus Rabanum ad tuendam duplicem illam chriſmationem, quam Latini iam eius æuo (id eſt ſæculo Chriſtianiſmi nono), neophytis conferebant; quia bis Spiritum acceperunt Apoſtoli; priùs ex ore Chriſti; ſecundò de cœlo. Atque hæc quidem ratio quam ſit infirma & futilis, inde ſatis intelligitur, quod ille Sancti Spiritus de cœlo in Apoſtolos deſcenſus res fuit plane extraordinaria; non adeo in cuiuſquam exemplum trahenda. Ergo neque ea Innocentio, & aliis ſatis fuit; qui (quod poſtea audiemus) vt hanc datam Epiſcopis ab Eccleſia prærogatiuam defenderent, aliò confugerunt; nempe ad id, quod in Actibus legimus Apoſtolos Samaritanis à Philippo baptizatis manus impoſuiſſe; eoque (vt credibile eſt) reſpiciebat Luciferianus apud Hieronymum interlocutor, cum diceret, *Exigit vbi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum.* Hæc ergo eſt Hieronymi de toto hoc negotio ſententia; vt aperta & candida, ita veriſſima. Bellarminus fumos fruſtra in eam ſpargit. *Hieronymus* (inquit) *non negat ſolis Epiſcopis licere confirmationem dare poſt baptiſma; imo hoc affirmat; & infra id ipſum probat exemplo Apoſtolorum, qui in Samariam profecti ſunt, vt eos confirmarent.*

L. 1. de inſtit. Cler. c. 30.

L. de Confirmat. c. 12. §. ſextum.

maritie, quos Philippus baptizauerat. Vide primò, vt tergiuerſatur, neque id audet clare eloqui, quod ait Hieronymus! ſed verbis ambiguis lectori illudit! Nam Hieronymus quidem *epiſcopum manum baptizatis imponere* dicit, *confirmationem dare* nuſquam dicit. Sed quia intelligebat homo Ieſuita nullam apud ſuos hic eſſe manus impoſitionem; chriſmationem ſolam eſſe, merito veritus eſt Hieronymi verba, quibus ſuum dogma iugulari videbat vſurpare. Itaque alia pro ſua vafritie delegit, quæ & ad Hieronymi ſenſum inflecti poſſent, & ſuæ cauſæ nihil nocerent. *Confirmationem dare* dixit, quod ea phraſi & manus impoſitio, de qua Hieronymus, & *chriſmatio*, qua Latini vtuntur, æque ſignificetur. Remota ergo Ieſuitica ambiguitate reſpondeo, ſi confirmationem ſuam (id eſt chriſmationem) intelligit, eam Hieronymum non modo *ſolis Epiſcopis* (quod ille inuerecunde ait) non vendicare; ſed contra, clare liquidoque (vt ſupra demonſtraui) ſtatuere etiam preſbyteros, etiam diaconos, *cum chriſmate baptizare*. Sin (quod neceſſe eſt) *manus impoſitionem* dicit, quid ad ipſum hæc manus impoſitio, quam Latini totam ex hoc ſuo (vt loquuntur) ſacramento iampridem exterminauerunt? Tum & hanc ipſam apud Latinos iam ante aliquot ſecula antiquatam manus impoſitionem ait quidem Hieronymus ab epiſcopis, non autem à preſbyteris in quibuſdam Eccleſiis miniſtrari (quod nemo negat) ex iure diuino, ex Domini vel Apoſtolorum præcepto (quod aduerſarij contendunt) miniſtrari, nuſquam dicit; *multis in locis factitari ad honorem potius ſacerdotij, quam ad legis neceſſitatem* (quæ noſtra eſt ſententia) diſertiſſime dicit. Quod vero in ſequentibus memorat Apoſtolos Samaritanis manus impoſuiſſe; id non eo facit, vt probet non alij, quam epiſcopo licere manum neophytis imponere (quod nullo pudore confirmat Bellarminus) ſed vt quod Luciferiani obiiciebant, id occuparet ac refelleret. Sic enim ſermonem illum orditur, *Si autem illud obijciendum putas*, quia cum audiiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem, qui cum veniſſent ad eos, orauerunt pro eis, vt acciperent Spiritum Sanctum, & cætera, ad quæ vt ſupra diximus, reſpondet aliam fuiſſe illorum Samaritanorum, aliam eſſe Arianorum, quibus Luciferiani tunc manum imponebant, rationem. Quæ vt omnes vident, nihil ad eam, quam hic Bellarminus comminiſcitur, probationem pertinent. Sed quid ille tandem ad ſuperius obiecta Hieronymi verba reſpondet? Ille vero ait *Hieronymum cauſam iſtic reddere, cur id voluerit Dominus proprium eſſe Epiſcoporũ, quia id requirebat honor ſummi ſacerdotij.* Nam vt paulò poſt ipſe idem (inquit) *magis explicat, neceſſe eſt in ſingulis Eccleſiis vnum eſſe Epiſcopum, ne ſi multi ſint pares, & non ad vnum ſumma referatur, ſchiſmata fiant. Hinc igitur Dominus voluit quædam eſſe propria Epiſcoporum, vt inde eorum eminentia*

vb. ſupra fol. 50. L.

nentia

ſententia ſupra cæteros appareret. Eo vt vides, omnis iſtius cauillatio redit, vt Hieronymus ſenſerit ac docuerit, non Eccleſiæ homines, quod nos dicebamus, ſed Dominum ipſum huius legis de manu à ſolo Epiſcopo, non autem à presbytero, neophytis imponenda auctorem ac latorem fuiſſe, eamque ob illas rationes tuliſſe ſcilicet, quas hoc loco recenſet Hieronymus. Primò ſi ita eſt, Latini grauiſſimi criminis rei ſunt, qui rem vt iſte narrat, ab ipſo Domino & quidem grauiſſimis de cauſis inſtitutam iampridem antiquarunt, epiſcopalem ſcilicet manus impoſitionem. Tum & grauis eſt Bellarmini, & cæterorum fere Romanæ ſcholæ Theologorum, ipſorumque poſtremo Florentinorum ac Tridentinorum Patrum error, qui contra Dominicam (vt iſte vult) inſtitutionem, putant confirmationem illam ſuam Pontificis Latini iuſſu poſſe extra ordinem etiam à presbyteris conferri; quaſi dicant Domini mandata licere violare *extra ordinem*, ſi modo ſui Papæ acceſſerit auctoritas. Niſi fortaſſe iſti reſpondeant Hieronymi de ſua manus impoſitione ſcita nihil ad ſe pertinere, qui eam nulli vſurpant, ſed rem longe diuerſam, chriſmationem ſcilicet. Sed, vt ad ipſum rei caput veniam, falſiſſimum eſt, & ab omni veri ſpecie alienum hunc eſſe Hieronymi, quem illi Bellarminus tribuit, ſenſum, vt ſcilicet intellexerit *Dominum ipſum voluiſſe & conſtituiſſe hoc propriū eſſe Epiſcoporū* manus baptizatis imponere. Non repetam ea, ex quibus nuper demonſtraui Hieronymum id inſtitutum ad Eccleſiam, non ad ipſum Dominum referre. An ille ſcilicet ſi aliter ſentiret, Luciferianum tunc eſſe *Eccleſiarum morem* dicentem, *& conſenſum orbis inſtar præcepti obtinere* cauſantem, & ritus ſæpe Eccleſiaſticos obiicientē nō refelleret? An pateretur Domini præcepta cum alterius, id eſt Eccleſiaſtici ordinis inſtitutis falſo ac periculoſe commiſceri? An ipſe aduerſarium imitatus *Eccleſiarum conſuetudinem* vocaret, quam Domini Ieſu inſtitutionem eſſe ſciret, ac cenſeret? An denique id *ſe in multis locis factitari* reperiſſe diceret, quod eſſet à Domino præceptum? Atqui hoc ipſum, quod in *multis*, non in omnibus *locis* ita factitarent, arguit non id fuiſſe à Chriſto traditum, à quo quæcumque præcepta ſunt, & inſtituta, ea vbique valere debent. Huc accedit, quod de Domini voluntate aut inſtitutione nullum apud Hieronymum in toto hoc ſermone verbum. *Ait hanc eſſe Eccleſiæ conſuetudinem*; negat *ad hæreſim transferendas Eccleſiæ leges*; ait *id in multis locis factitari*, ait id ex ſummi ſacerdotis dignitate veniſſe; nuſquam ex Chriſti vel præcepto, vel voluntate. Quis tam exiliter, tamque ieiune de iis, quæ à Domino inſtituta eſſe credit, vel locutus eſt vnquam, vel etiam nunc loqui ſuſtineat? Hieronymus quidem certe non ita ſolet; cuius elocutio ſic ardet, ſic incitata rapitur, vt vltra, quam citra veri metas longe ſæpius feratur. Sed nihil opus eſt longa diſputatione.

tatione ad demonſtrandam Bellarminiani commenti abſurditatem. Nam, & aduerſarius fatetur, & res ipſa loquitur, quiſquis id muneris ſolius epiſcopi proprium eſſe voluit, eo illum in hac ferenda lege ſpectaſſe, vt ita epiſcopi ſupra cæteros Eccleſiæ miniſtros dignitas, atque eminentia appareret. Iam vero qui putare potuit Hieronymus id conſilij Dominum in animo habuiſſe, à quo ipſe non ſemel, neque obiter, ſed ſæpius ac ex profeſſo docet nullam epiſcopis ſupra presbyteros dignitatem, auctoritatem, vel eminentiam datam fuiſſe? à quo nullos, vt id vocabuli iam vſurpatur, *epiſcopos* in Eccleſia conſtitutos eſſe putat? *Sicut ergo* (inquit) *presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubiectos; ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate presbyteris eſſe maiores.* Dominus ergo quos non *diſpoſuit*, eorum honori cautum eſſe voluit ſcilicet! Quam non inſtituit eminentiam, ea vt appareret, prouidit? Denique qui nulli tum adhuc erant epiſcopi, iis ſolis manus impoſitionem commendauit! Quis non videt commenti abſurditatem? Ex Hieronymi ſententia nulla epiſcopis per *Dominicam diſpoſitionem* attributa eſt ſupra presbyteros maioritas, vel eminentia. Ergo neque per eam quicquam inſtitutum eſt, quo illa eminentia appareret, Hieronymo quidem iudice. Atqui patet vel ipſo fatente Bellarmino, ſentire Hieronymum manus impoſitionem ſolis Epiſcopis ideo attributam, vt per eam appareret Epiſcopi ſupra presbyterum eminentia. Ergo & illud neceſſario confitendum eſt non putaſſe Hieronymum manus impoſitionem ſolis Epiſcopis *Dominica diſpoſitione* attributam fuiſſe. Iam cum à Domini voluntate atque inſtitutione non putarit Hieronymus profectum hoc epiſcoporum priuilegium; omnino neceſſe eſt, vt id quod & verba eius loquuntur, & nos ſupra docuimus, virorum Eccleſiaſticorum voluntate, atque vſu inductum & inſtitutum fuiſſe exiſtimauerit. Nempe vt ille epiſcopos presbyteris maiores factos cenſuit, non *diſpoſitionis Dominicæ veritate*, ſed *Eccleſiæ conſuetudine*; ita & quod ex ea epiſcopi eminentia pendet, manus imponendæ priuilegium, itidem quoque putauit, non Domini diſpoſitione, ſed Eccleſiæ conſuetudine apud Chriſtianos inualuiſſe. Atque ita ſubuerſo Bellarminianæ cauillationis fundamento, apparet duplicis illius interpretamenti vanitas, quo aduerſarius diſertiſſima illa Hieronymi verba diluere conatus eſt, *multis in locis idem factitatum ad honorem potius ſacerdotij, quam ad legis neceſſitatem.* Primò enim *legem* referri vult non ad legem manus neophytis imponendæ, ſed ad legem ſalutis conſequendæ. Secundò, *ſi id minus placeat*, ait dici poſſe, *loqui Hieronymum de lege, quæ ſumatur ex natura rei, vt ſenſus ſit id eſſe tributum ſolis Epiſcopis, non ob legis neceſſitatem, id eſt non quod id neceſſario requirat natura rei, quaſi aliter fieri non poſſet, ſed quia voluit Dominus hac re honorato*

In Tit. c. 1. Vid. & ep. 83. ad Ocean. & 85. ad Euagr.

curare epiſcopalem dignitatem. Ac poſterior quidem hæc interpretatio nullum hic habere locum poteſt; quia *ſupponit* (vt loquuntur) Dominum id Epiſcopis priuilegium contuliſſe; quod ab Hieronymi mente procul abfuiſſe nuper demonſtrauimus. Sed & eo laborat, quod legem vult hic accipi pro ipſius rei natura, quod in iſtiuſmodi rebus plane eſt inuſitatum; imo vulgari humani ſermonis vſui plane contrarium; in quo vt notum eſt, *natura* opponi *lex* ſolet; & aliquid, vt loquuntur, *poſitiuum*, & vel à Deo, vel ab hominibus præter ea, quæ nobis innata ſunt, conſtitutum ſignificare. Si id, quod vult Bellarminus, habuiſſet in animo Hieronymus, omnino dixiſſet, *non ex natura rei, ſed ex Domini lege datum hoc epiſcopis priuilegium*; *ita cupientis epiſcopalem dignitatem eminere.* Ille vero plane aliter dixit, id factitari *ad ſacerdotij honorem, non ad legis neceſſitatem.* Ergo neceſſe eſt *legem* hic accipi pro mandato diuino, cui ſcilicet neceſſario parendum eſt; quaſi diceret nullius legis neceſſitate, ſed ſolo ſacerdotij honore morem illum in Eccleſiam inductum eſſe, vt à ſolis Epiſcopis manus neophytis imponerentur. Tertiò & in eo peccat hæc gloſſa, quod Hieronymum facit dicentem id eſſe tributum Epiſcopis, quod ille non dicit. *Et multis in locis* (inquit) *idem factitatum reperimus*, &c. Magnum eſt inter vtrumque diſcrimen. Illud legem latam ſignificat, qua id præcipui epiſcopis decretum ſit; hoc non aliud, quam ita fieri pluribus in locis. Hoc optimè cum verbis ſequentibus cohæret, *ad honorem ſacerdotij potiùs, quam ad legis neceſſitatem.* Illud vix ac ne vix quidem cum iis coniungi ſine βαττολογία poteſt. Denique inauditum eſt *legis neceſſitatem* id ſignificare, quod fingit Bellarminus, *non quod natura rei id neceſſario requirat.* Debuerat tam mirabilis locutionis exempla ex Hieronymo, vel ex aliis idoneis auctoribus proferre. Alioqui ſi cuique liceat ſcriptorum orationi peregrinos, & inuſitatos ſenſus pro ſua libidine, ſine vlla ratione, & abſque vllo exemplo affingere, nihil erit in iſtis auctoribus adeo clarum, certum, atque perſpicuum, quod non poſſit à ſophiſtis aliò detorqueri. Non eſt melius prius interpretamentum. Vbi enim vnquam fando auditum eſt *legis neceſſitatem* dici pro certa & immutabili ſalutis conſequendæ ratione? Si *ſalutis legem*, vel *leges* dixiſſet Hieronymus; ſpeciem haberet Bellarmini interpretatio. Nunc cum legem ſimpliciter dixerit, eiuſque neceſſitatem nude *ſacerdotij honori* oppoſuerit; nemo non videt hoc eum velle quod neophytis ſoli Epiſcopi manum, non etiam presbyteri, multis in locis imponunt, id ita fieri, non quod aliqua Dei lege neceſſario id factitare & obſeruare iubeantur, ſed vt ea ratione Epiſcopatus honoretur. Iam nulla Dei lege id præceptum eſſe probat Hieronymus, quod Deus & Spiritum & ſalutem etiam iis largitur, qui morte præripiuntur, antequam ab Epiſcopo manus impoſitionem ſuſceperint. Nimirum

Ll ſic

ſic argumentatur ex communi ſui ſæculi errore, quo ſalutis exſortes eſſe putabantur, qui abſque baptiſmô, imo etiam abſque Euchariſtiâ moriebantur, quòd de vtroque illo ſacramento lex Domini exſtaret. Ergo ex hac hypotheſi nullam eſſe de epiſcopali manus impoſitione legem eo argumentatur, quod ſalute fruerentur etiam qui ſine ea moriebantur, modo baptizati à presbyteris fuiſſent.

T. 4. edit. Eraſmi. 9. Mar. Victorij.

Hoc loco commemorandum eſſet epiſtolæ ad Ruſticum Narbonenſem de ſeptem ordinibus, quæ inter Hieronymi opera vulgo circumfertur, teſtimonium, eadem omnia tum de epiſcopo, tum de chriſmate cum Hieronymo ſtatuentis. Sed quia nos eruditis id opuſculum ab Hieronymo plane alienum eſſe cenſentibus, rerum ipſarum euidentia victi libenter aſſentimur, eius de hoc argumento ſententias in ſequentia tempora differemus. Atque hæc quidem de Hieronymo ſatis.

a de Confirm. c. 5. §. ſeptimus.
b Anaret. p. 435.

Quo autem ille tempore hoc aduerſus Luciferianos volumen ſcripſit, eo ipſo Romæ ſedebat Damaſus ann. D. 367. factus vrbis Epiſcopus, 385. mortuus. Ex eo Bellarminus,[a] & Aurelius[b] epiſtolam quintam afferunt, quo probent ſolis Epiſcopis licere confirmationis ſacramentum conferre. Sed illi quidem de more inſcite; atque inerudite. Nam epiſtola (prætetquam quod de ſola manus impoſitione loquitur) apertiſſime eſt apocrypha, eiuſdem cum iis ordinis, quas ſupra notauimus, ab inuerecundo impoſtore ſub ipſa noni ſæculi initia confictas, ante quod tempus à nullo Eccleſiaſticorum ſcriptorum memoratæ cognoſcuntur. Falſam eſſe hanc arguunt præter plurima, quæ cum aliis eiuſdem furfuris decretalibus communia habet, etiam appoſiti in fine conſules, *Linius & Theodoſius*. Huiuſmodi enim conſulatum nullis in faſtis occurrere etiam ipſe Crabbus obſeruauit. Damaſi vero non eſſe orationis incultæ ſqualor, & barbaries, & verboſiſſima loquacitas produnt. Alium enim fuiſſe Damaſi characterem ex iis diſcimus, quæ vel ipſius, vel de ipſo apud Hieronymum legimus. Vide ſis eruditiſſimum Blondellum noſtrum. Itaque & has pſeudo-Damaſi nænias nos pro inſtituto in noni ſæculi, quo exnatæ videntur, tempora reiicimus.

Not. ad h. epiſt.

De epiſt. p. 356. 4

CAPVT XXIII.

Quintum teſtimonium, Ambroſij. Sextum, Prudentij. Septimum, Synodorum trium Africanarum. Octauum Synodi Toletana. I. Abſurdiſſima ad hanc tum Petri Aurelij, tum Bellarmini ſomnia diſcutiuntur.

AMBROSIVS, qui Hieronymo paulo vetuſtior, iis ipſis temporibus floruit, quibus ille Dialogum contra Luciferianos ſcripſit, quique ann. D. 397. in Domino obdormiuiſſe fertur, pauca habet ad hanc diſputationem pertinentia. Nam libri de iis, qui *initiantur myſteriis*, item *de Sacramentis*, ex quibus multa laudantur, non ſunt Ambroſij, ſed adulterini ignoti auctoris fœtus: quod à Roberto Coco in cenſura fuſe eſt demonſtratum. Eum adeat qui volet. Sex quidem certe de ſacramentis libros Antonius Arnaldus, Sorbonicus Doctor, nonniſi dubitanter, & cum hac exceptione laudat, *ſi tamen Ambroſij ſunt*. Commentarium vero in Epiſtolam ad Hebræos, ex quo quædam Ambroſij nomine citat Arcudius, omnes vtrarumque partium eruditi Ambroſij nequaquam eſſe confitentur. Sed neque Romani illius Hilarij eſt, cuius eſſe ſupra diximus commentarios in reliquas Pauli epiſtolas Ambroſij nomen præferentes. Farrago eſt ex Hieronymo, Chryſoſtomo, & aliis à maleferiato aliquo collecta, & Hilariano operi, nequid in Paulum deeſſet aſſuta; vt monuit non ita pridem eruditiſſimus Blondellus noſter. Ex libro de Salomone, de quo dubitat Eraſmus [a], an vere ſit Ambroſij hæc attulit Petrus Aurelius. [b] *Moyſes in cantico Deuteronomij*, Lactauit eos mel ex petra, & oleum de ſolida petra, *id eſt, quod dulcem daturus is* (Chriſtus) *eſſet Euangelij ſuauitatem; ait Spiritum Sanctum per chriſmatis vnctionem.* [c] Nimirum is ſcriptor quicumque eſt, Euangelicæ gratiæ ſuauitatem, *mellis*; Spiritum Sanctum, *olei* nomine & imagine à Moyſe illic ſignificari vult. Porrò *Spiritum per chriſmatis vnctionem dari à Chriſto*, ideo dicit; primò, quod is Spiritus chriſmate adumbraretur & ſignificaretur in myſterio initiationis Chriſtianæ, hoc eſt in baptiſmo; ſecundò, quod in ipſo illo myſterio detur à Chriſto; phraſi (quod ſæpe diximus) ſymbolica; non quod ipſius chriſmatis vi & operatione (ſi proprie loquendum eſt) Spiritus conferatur.

Ambroſio ſuperfuit Prudentius, Poeta Chriſtianus; qui ann. D. 357. natus, ann. D. 404. Cathemerinon ſcripſit, vt erudite obſeruat Sirmondus. [d] Ex eo Bellarminus & alij hæc deſcribunt;

1. edit. in Ambroſio.

De la freq. comm. Part. 2. c. 13.

Apol. Hier. de Epiſc. ſect. 2. pag. 48.

a Præfat. in T. 4. Ambr.

b Anæt. p. 48. & Orthod p. 525.

c Ambroſ de Salom. c. 3.

d Not. ad Ennod in pſychomach.

Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per qua
Vnguentum regale datum eſt, & chriſma perenne.

Item hæc ex alio opere:

Hymn. ante Somn.

Cultor Dei memento	*Rorem ſubiiſſe ſanctum,*
Te fontis & lauacri	*Te chriſmate innotatum.*

In priore loco pro *frontis* (quod mendoſum eſt) legendum *fronti*. In fine ſecundi verſus pro *chriſma perenne*, Sirmondus legit *chriſma ſalutis*, in loco poſteriore pro *innotatum* (quod durum eſt, & barbarum) legendum *innouatum*. Iam ex his Prudentij apparet poſt baptiſmi lauacrum chriſma ſolitum fuiſſe, idque chriſma regni cœleſtis, quod in Chriſto adimus, myſticum apud veteres fuiſſe ſymbolum (quod nemo negat.) Fuiſſe idem proprie dictum, & re à baptiſmo diſtinctum ſacramentum (quod aduerſarij contendunt) non apparet. Quin imo quod ait Prudentius *Dei cultorem fuiſſe chriſmate innouatum*, id ſatis ſignificat chriſmationem ad παλιγγενεσίαν, ſiue regenerationem, & renouationem noſtram pertinuiſſe, adeoque baptiſmatis, quod vnicum eius ſacramentum eſt, partem vel cærimoniam fuiſſe. Id vnum eſt præcipue in priori Prudentij loco obſeruandum, quod fronti inſcriberetur chriſmatis ſignaculum; hoc eſt quod frons chriſmaretur. Cum autem in altero Poëtæ ſacri loco ipſa verborum ſeries doceat chriſma *ſancto fontis*, ſiue *lauacri* roti; id eſt baptiſmo, connexum, coniunctumque fuiſſe; hinc non obſcure colligere eſt ipſum baptiſmi chriſma tunc temporis, non *pectori*, aut *vertici*, quod poſtea obtinuit, ſed fronti inſcriptum fuiſſe; quod ſentit Sirmondus [a], contra, ſed nequicquam, tendente Aurelio [b].

a Antirrhet. 2. c. 1. p. 59. b Orthod. Paſt. 1. c. 5.

Huc pertinent Synodi Africanæ, & Toletana I. A. enim D. 390. habita eſt Carthaginenſis ſecunda, cuius extat hic canon; *Fortunatus Epiſcopus dixit; ſi iubet ſanctitas veſtra ſuggero. Nam memini præteritò Conciliò fuiſſe ſtatutum, vt chriſma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum conſecratio, à presbyteris non fiant. Siquis autem emerſerit hoc faciens, quid de eò ſtatuendum ſit? Aurelius Epiſcopus dixit, Audiuit dignatio veſtra ſuggeſtionem fratris, & coepiſcopi noſtri Fortunati. Quid ad hæc dicitis? Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio, à presbyteris non fiant. Vel reconciliare quemquam in publica miſſa, presbytero non liceat; Hoc omnibus placet.* Hæc illi. Sylueſter iam anteà ann. D. 325. itidem quoque Romæ decreuerat, ne chriſma ab alio, quàm ab Epiſcopô conficeretur. Ergo vt antè Sylueſtrum Romæ, ita & antè Concilium proximè hoc Carthaginenſe præcedens, in Africâ presbyteri chriſma conficiebant. Quod enim ne in poſterum fiat hi vetant, id hoc anteà factum fuiſſe liquidò arguit. Si verò presbyteri chriſma & antè ann. D. 325. Romæ, & in Africâ antè ann. D. 389. conficiebant; quantò magis eô vtebantur, id eſt chriſmabant?

c 2 T. 2. Conc. p. 701.

Sed &

Sed & hinc obiter eſt obſeruandum Sylueſtri temporibus, & poſteà ad ann. D. 390. Romani epiſcopi decreta nullô in numerô fuiſſe apud Afros; quæ ſi in aliquô fuiſſent, profectò poſt collatum à Sylueſtro Epiſcopis id priuilegium, presbyteri in Africa deſiiſſent chriſma cõficere; quod tamen aliter factum, hinc conſtat. Quin & Afri id ipſum, quod Sylueſter antè decreuerat, nunc decernentes, decreti eius nulli meminerunt; quod tamen in primis commemorari decebat, ſi ſe, ſuóſque presbyteros eô teneri putaſſent. Sed ne id quidem ſciuiſſe videntur; adeò nihil ad ſe pertinere & ipſi, & ipſorum maiores cenſebant.

Sequitur tertia Carthaginenſis Synodus ann. D. 397. habita; cuius eſt ſuperioris ſimilis canon; *vt presbyter inconſultò Epiſcopo, virgines non conſecret; chriſma verò numquàm conficiat.* Quod iſti antè annos ſeptem iam interdictam presbyteris chriſmatis confectionem de integrô iterùm vetant, id arguit priori interdictioni malè paruiſſe presbyteros. Quarè, niſi quod graue iis erat eô abſtinere, quod anteà licuerat? Quod verò & hæc, & ſuperior Synodus *conficere* quidem *chriſma* prohibet; eô vti non prohibet, id clariſſimè demonſtrat presbyteris vtendi, id eſt chriſmandi ius, integrum etiam poſthac in Africâ fuiſſe. Quod diſertè confirmauit Carthaginenſis IV. Synodus, anno proximô, id eſt D. 398. habita; quæ hæc duabus ſuperioribus conſentanea decernit; *Presbyteri, qui per diœceſes, Eccleſias regunt, non à quibuſlibet Epiſcopis, ſed à ſuis, nec per iuniorem clericum, ſed aut per ſe ipſos, aut per illum, qui ſacrarium tenet, ante Paſcha ſolennitatem chriſma petant.* Nimirum ſolenne tum erat Paſchali noctę competentes baptizare. Itaque presbyteros antę id tempus, de chriſmate ſibi proſpicere neceſſe erat, quô eos, quos baptizabant, vngerent. Ac anteà quidem ipſi ſibi ſatis per ſe conſulebant, cum iis liceret *chriſma conficere.* Nunc ademptô duarum Synodorum decretis hoc iure, eos neceſſe erat ad Epiſcopum curſitare chriſmatis petendi cauſſâ, cuius conficiendi poteſtas ei ſoli erat attributa. Ergo chriſma in Africa his temporibus presbyteri, non conficiebant quidem ipſi, neophytis tamen adminiſtrabant; hoc eſt chriſmabant.

Hiſpanorum idem qui Afrorum, per illa quoque tempora vſus fuiſſe videtur, Toletani enim Patres ann. D. 400. canonem hunc, trium Africanorum, quos modò exhibuimus, geminum in hæc verba ediderunt; *Quamuis penè vbique cuſtodiatur, vt abſque Epiſcopô chriſma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel prouinciis Presbyteri dicuntur chriſma conficere, placuit ex hâc die nullum alium, niſi Epiſcopum, chriſma facere, & per diœceſim deſtinare; ita vt de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum ante diem Paſchæ Diaconi deſtinentur, aut ſubdiaconi; vt confectum chriſma ab Epiſcopô deſtinatum ad diem Paſchæ poſſit occurrere.* Epi-

c. 36. T. 2. Conc. p. 712.

c. 36. T. 2. Conc. p. 729.

c. 20. T. 2. Conc. p. 740.

ſcopo ſane certum eſt omni tempore licere chriſma conficere; ſine conſcientia autem Epiſcopi, nihil penitus faciendum. Statutum vero eſt diaconum non chriſmare, ſed presbyterum abſente Epiſcopo, præſente vero, ſi ab ipſo fuerit præceptum. Huiuſmodi conſtitutionem meminerit ſemper Archidiaconus vel præſentibus, vel abſentibus Epiſcopis ſuggerendam, vt eam Epiſcopi cuſtodiant, & presbyteri non relinquant. Hæc illi, ex quibus diſcimus primò, ne anno quidem D. 400. quo vbique in Hiſpania abſtinuiſſe à cōficiendo chriſmate preſbyteros, ſed tantum pæne *vbique* hoc eſt in pleriſque Hiſpaniæ prouinciis; & aliqua adhuc *loca*, ſiue *aliquas prouincias* fuiſſe, in quibus *presbyteri chriſma conficerent.* Id vero certiſſimo argumento eſt chriſmatis, etiam conficiendi, ius preſbyteris ab antiquo fuiſſe. Cur enim id in aliquibus prouinciis Hiſpaniæ factitaſſent preſbyteri, niſi id per anteriores Eccleſiæ leges, moreſque licuiſſet? Certè ſi lex, ſi conſuetudo antiqua contra fuiſſet, non erant eius mentionem hoc loco omiſſuri Toletani Patres. Nunc non aliud in iſtos præfantur, niſi *pæne vbique* aliter fieri; ſiue de Hiſpania, ſiue etiam de orbe Chriſtiano id eorum dictum intellexeris. Fortaſſe enim ita annis ſuperioribus decreuiſſe proximos Afros inaudiuerant. Iam eo ipſo ſatis demonſtrant ſe in hoc ſuo decreto faciendo non ius diuinum, non veteres Eccleſiæ canones, non denique priſcam ſuperiorum temporum conſuetudinem, ſed vnum præſentis Eccleſiæ apud pleroſque, ac *pæne vbique* morem, atque vſum ſecutos eſſe. Itaque neque ea reſcindunt, quæ antehac ſecus acta erant. Tantum edicunt, ne in poſterum ita fiat. *PLACVIT EX HAC DIE* (inquiunt) *nullum alium, niſi Epiſcopum chriſma facere.* Ergo factum ante hanc diem à preſbyteris chriſma, factamque ex eo chriſmationem valere, ac vigere ista hac ſententia iubent. Ergo nullo diuino iure preſbyteris confectione chriſmatis interdictum eſſe putabant: quod ſi iure vetitum fuiſſet, nullam vim habere potuerat; adeoque reſcindi nunc debebat quodcumque etiam ante hanc diem factum erat à preſbyteris chriſma, irritæque cenſendæ erant, quæcumque factæ eſſent ex eo chriſmationes; vt hodie irrita haud dubie apud Latinos foret illa quæ ex chriſmate à preſbytero confecto chriſmatio miniſtrata eſſet. Quo & illud pertinet, quod ſuam hanc conſtitutionem Toletani Patres tanta cura iubent *ab Archidiacono ſemper ſuggeri vel præſentibus, vel abſentibus Epiſcopis.* Quorſum hæc tanta ſollicitudo? Nimirum nouum erat hoc ius, hactenus inauditum; quod niſi ſedula atque aſſidua Archidiaconi ſuggeſtione ſingulis demonſtratum, atque animo infixum fuiſſet, facile neſciri vel certe in obliuionem ac deſuetudinem venire poterat. Denique eadem de cauſa factum eſt, vt de cæteris præter Paſcha temporibus, ſiquando aliquos, vel aliquem chriſmari neceſſe eſſet, Epiſcopo quidem licere tum quoque chriſma conficere certo definierint;

preſbyteros ab eodem his certe occaſionibus conficiendo plane, penituſque arcere ac prohibere auſi non fuerint, tantum decreuerint, *ſine conſcientia epiſcopi nihil penitus faciendum*, id eſt, vt liquet, vel inſcio, vel inuito Epiſcopo nihil huiuſmodi aggrediendum; Quo manifeſte concedunt, vt etiam preſbyter talibus temporibus, modo non inuito, neque inſcio epiſcopo, chriſma conficere poſſit. Atque hæc de chriſmatis quidem confectione Patres Toletani decernunt; noua, vt apparet, & ex eodem illo, quod ſupra notabat Hieronymus, extollendæ ac ſignificandæ epiſcopatus eminentiæ conſilio. Nimirum vt manus impoſitionem ad *ſui ſacerdotij honorem* ſibi ſolis primo vindicauerant Epiſcopi, baptiſmalium cærimoniarum vltimam, ita & hinc gradu facto ad chriſma, alterum baptiſmi ritum, graſſati ſunt; huiuſque primo conficiendi, poſtea & miniſtrandi ius preſbyteris ereptum, ſibi quoque ſolis ex eodem typho attribuerunt. Sed hæc poſt fuere. Nunc quidem (quod ſecundo obſeruandum eſt) chriſmatis ſolam confectionem ſibi aſſumunt; vſum, id eſt chriſmationem, presbyteris non aliter, quã ipſam baptiſmi lotionem permittunt, nulla noua lege lata, niſi hac vna, ne poſthac diaconis (quod antea erat) fas eſſet chriſmare. *Statutum vero eſt Diaconum non chriſmare*: in illa nempe ipſa Synodo id ſtatutum eſt. Antea aliud ius erat; quin & alibi extra Hiſpaniam, etiam poſtea fuit, vt audiemus. Ita de Diaconis. *Preſbyterum vero* (inquiunt) *abſente epiſcopo, chriſmare; præſente vero ſi ab ipſo fuerit præceptum.* Ergo hæc lex in Diaconos ſolos facta eſt; De preſbyteris nihil noui decernit: tantum quod in vſu erat, id vt obtineat, monet. Nam quod *præſente epiſcopo, niſi eius iuſſu chriſmare presbyterum* vetant, id iam obtinebat, ex quo prælatus erat presbyteris epiſcopus; vt *non chriſmare, non baptizare, non pœnitentem reconciliare, ne vſitatiſſima quidem & infima ſui ordinis miniſteria*, ſi adeſſet epiſcopus, inuadere, vel attingere, niſi eo imperante, vel certe annuente, auderent presbyteri; vt P. ipſe Aurelius non confitetur modo, ſed etiam defendit. Ex hoc ergo canone liquet chriſmare ann. D. 400. presbyteris in Hiſpania æque licuiſſe, ac baptizare. Id non aliis, quam diaconis vetitum. Presbyteris chriſmatis ſola confectio prohibita; confecti vſus, atque miniſtratio relicta. Aurelij turbas nihil moror; qui Sirmondo hæc & candide confitenti, & fortiter defendenti fruſtra obſtrepit; clamans Patres Toletanos *concedere* presbyteris, *vt chriſment ac conſignent neophytos*; *non concedere, vt chriſment, conſignentque eorum frontes.* Quaſi vero chriſmare neophyti frontem non ſit neophytum chriſmare. Qui ergo hoc presbyteris concedit: cur nos ſuſpicemur, illud non concedere? Scio poſtea in vſu fuiſſe, vt presbyteri non frontem, ſed vel pectus, vel verticem (quod ſerius licet inuentum tandem præualuit) vngerent. Sed promat Aurelius vel vnum Toletanum

Anæ. p. 440. Orthod. Patr. 1. p. 531. Vid. Conc Carth. 2. c. 9. Gelaſ. ep. 9. Conc Hiſp. 2. c. 9.

Anær. p. 440. Orthod. Patr. 1. c. 5. p. 514.

letana Synodo vetuſtiorem teſtem, qui iſtius excluſa fronte chriſmationis meminerit. Non poteſt. Nullus dicit; nullus meminit. Omnes, qui ante id æuum vixerunt, vel *vnctionem & chriſmationem* tantùm, nulla facta eius, in quo fieret, membri mentione nominant, vel ſi partes corporis, quæ vngebantur, memorant, diſerte in iis omnes frontis meminerunt, vt ex Græcis pſeudo-Clemens, Cyrillus, Patres Conſtantinopolitani (& ſane in tota recenti Græcia, etiam hodie presbyter frontem chriſmat.) ex Latinis Tertullianus, & Prudentius. Quæ ergo iſta eſt Aurelij temeritas iubentis, vt chriſmationem à Toletanis Patribus memoratam de ea quidem intelligamus, quæ nuſquã ad eorum vſque memoriam in tota Græca, Latinaque Eccleſia extitiſſe deprehenditur? de ea vero non capiamus, quam vnam in omnibus veterum ad id vſque locorum monumentis reperire eſt? Hanc quidem quæ nunc à presbyteris extra frontem fit, chriſmationem Aurelius alibi antiquiſſimam eſſe negat, eamque *veteres omnes interpretes* ait *ad Syluestri, aut Innocentij tempora vetuliſſe.* Atqui ea ad Sylueſtrum referri non poteſt: qui de fronte, vel pectore, aut vertice nullum verbum facit: tantum iubet *presbyterum propter occaſionem tranſitus mortis baptizatos linire*; quod & ex illius, proximæque antiquitatis vſu, & ex legis conſilio de frontis chriſmatione interpretandum eſt. Nam Sylueſter *ſimpliciter & ſine adiuncto* baptizatum *chriſmate liniendum* dicit; & tota illa ac ſequenti Græcæ, Latinæque Eccleſiæ memoria, nulla, vt ſemper monui, niſi in fronte, occurrit chriſmatio. Legis vero conſilium eſt cauere ne cui baptizato mors fraudi ſit, ſi ante conuentum epiſcopum rapiatur; fraudi autem baptizatis mors fuiſſet, niſi eos in hac cauſa presbyter æque in fronte chriſmaret, ac epiſcopus. Ergo relinquitur, vt quod etiam veteres ſecutos eſſe confitetur Aurelius, illam presbyterorum extra frontem chriſmationem ad Innocentium referamus, verum eius parentem. Et ipſe ſane Aurelius in hanc ſententiam aperte concedit, cum alio in loco ait *Eccleſias* (Africæ nimirum, Hiſpaniæ & Galliæ) *de chriſmando à presbyteris & miniſtris in baptiſmo agere circiter tempora, quibus Innocentius I. ex Eccleſia ſua moribus ſcripſit neophytorum vnctionem extra frontem presbyteris permiſſam*; Et mox *hac de re tum demum agere* eas cœpiſſe (nimirum in Carthaginenſi, Toletana, & Arauſicana Synodis) *cum ab Eccleſia Romana baptiſmatis miniſtrorum chriſmatio inuenta, & tradita eſſet.* Atqui Synodi illæ Carthaginenſis tertia, Toletana prima & Arauſicana, non Sylueſtri, à quo longiſſime abfuerunt, ſed Innocentij temporibus, vel circa ea, habitæ ſunt. Ergo putauit ipſe Aurelius non Sylueſtri, ſed Innocentij temporibus ab Eccleſia Romana vel inuentam, vel certe aliis Eccleſiis traditam fuiſſe baptiſmalem illam extra frontem chriſmationem. Quanquam (vt obiter hoc dicam) in hoc ipſo errauit Aurelius, quod

Orthod. p. 619.

Orthod. p. 332.

Ibid. p. 333.

ſcripſit Eccleſias tum demum in his Synodis de presbyterorum chriſmatione egiſſe, cum eſſet ab Eccleſia Romana per Innocentianam decretalem tradita neophytorum extra frontem chriſmatio. Idenim de ſola Arauſicana Synodo dici poteſt. Carthaginenſis vero annis 18. Toletana 16. ante datam Innocentianam epiſtolam habitæ ſunt. Cum ergo Innocentius decretalem, in qua nobilem iſtum partum edidit, nonniſi ſexdecim poſt Toletanam Synodum annis emiſerit; quo tempore habita eſt Toletana hæc Synodus, nulla adhuc extabat extra frontem in Eccleſiæ Hiſpanienſis vſu chriſmatio. Vnde liquet eam Toletanos Patres non potuiſſe hic intelligere; quæ ſcilicet nonniſi ſexdecim poſt annis ex Eccleſia Romana exorta eſt, neq; niſi diu poſt, in cęteras Eccleſias, puta Gallicanam, Hiſpanienſem, Sardinienſem, & alias manauit, vt infra audiemus. Sed & aliud eſt, quod oſtendit, quam abſurdum ſit Aurelij commentum. Ille fingit ſuam hanc extra frontem chriſmationem ab Hiſpanis in hac Toletana Synodo primum fuiſſe acceptam. Donemus tantiſper id verum eſſe, quod iſte ſomniat. Nulla ergo ante hanc Synodum fuit neophytorum in Hiſpania extra frontem chriſmatio. Iam vero Toletani ipſi Patres teſtantur ipſis illis temporibus, quibus Toleti conuenerunt, *in aliquibus locis, vel prouinciis presbyteros chriſma confeciſſe*. Dic nobis Aureli, in quem vſum eorum locorum presbyteri chriſma confecerint? An, vt eo epiſcopi in chriſmandis neophytis vterentur? At hoc fingi non poteſt, quod omnem abſurditatem ſuperat; vt epiſcopi, qui te auctore, ne illud quidem presbyteris concedebant, vt vel ab epiſcopo confecto chriſmate frontes neophytorum conſignarent, iidem vel presbyteris chriſma conficere permitterent, vel ab iis confecto ipſi vterentur. An ergo presbyteri chriſma conficiebant, quo ipſi vterentur? Quis dubitet? vel quam iis vtendi religionem fuiſſe ſuſpicetur, qui etiam conficiendi ius ſibi eſſe credebant? Conficere enim chriſma maius aliquid habitum eſt ſemper, quam idem miniſtrare. Ergo ante, & ſub Toletanæ Synodi tempus in quibuſdam Hiſpaniæ prouinciis presbyteri chriſmate vtebantur, id eſt chriſmabant. Iam à te iterum quæro in qua parte corporis neophytos iſti conſignarent? Non potes reſpondere extra frontem tantum chriſmaſſe. Tu enim nobis confeſſus es, imo auctor fuiſti, nullam in omnibus Hiſpaniis ante editum Toletanæ huius Synodi decretum cognitam fuiſſe, aut vſitatam extra frontem chriſmationem, quam ſcilicet ſtatuis in hac demum Synodo fuiſſe acceptam. Ergo relinquitur, vt presbyteros illos *in fronte conſignaſſe* nobiſcum velis nolis confitearis. Ita tu per iſtas figmentorum tuorum ambages in illud ipſum, quod fugiebas, incidiſti. Habes iam ex tuis placitis in media Hiſpania presbyteros frontem chriſmate, & quidem à ſe confecto, chriſmantes; quorum tamen chriſmatio

Orthod. p. 519.

rata, validaque ab ipſis Toletanis Patribus habita fuit; quam, vt diximus, non reſcindunt; tantum cauent, ne iſti chriſma in poſterum conficiant. Atque hic Aurelius (quod omnibus, qui falſum aliquid tuentur, accidere neceſſe eſt) craſſiſſima ſe ipſum contradictione inuoluit. Statuit enim hoc loco Toletanam hanc Synodum edicere, *vt presbyteri chriſment, ac conſignent neophytos, ſed extra frontem*. Idem in eodem opere ac loco cum dixiſſet *Innocentium I. ex Eccleſia ſua moribus ſcripſiſſe neophyterum vnctionem extra frontem presbyteris permiſſam*, continenter hæc addit; *Superioribus temporibus* (id eſt, vt liquet antequam id ſcripſiſſet Innocentius) *nullu apud eos* (Hiſpanos, Gallos, Afros epiſcopos intelligit) *mentio de chriſmate à presbyteris aut miniſtris tractando*. Toletanos autem Patres ann. D. 400. conueniſſe conſtat, annis XVI. antequam Innocentius ſuam illam ad Decentium decretalem ſcriberet, in qua id, quod Aurelius recitat, legitur. Epiſtola enim data eſt d. XIV. Kal. April. Theodoſio Auguſto VII. & Palladio coſs. anno Innocentiani Pontificatus vltimo, Domini Chriſti 416. Ergo ſi tibi conſtas, Aureli, defendere debes nullam à Patribus in Toletana Synodo mentionem fieri *de chriſmate, à presbyteris, aut miniſtris tractando*; quod iam non quæro, quomodo cum ipſorum Patrum canone 20. qui diſertiſſimus eſt, conſiſtere poſſit; Illud vnum quæro, ſi hoc quod tu doces, verum eſt, qui verum quoque eſſe queat illud alterum, quod tu idem paulò poſt, & à te iam in alio opere dictum profiteris, & de integro repetis, atque affirmas, *loqui Toletanos patres de baptizatis à presbyteris conſignandis & chriſmandis*. Tu quidem hic captus, falſique manifeſtus teneris. Non poteſt enim vtrumque verum eſſe, quod à te pariter vtrumque affirmatur. Neque tu te hinc, vt puto, vnquam expedies. Ego te, ſi à magnanimo tuo corde impetrare potes ne aduerſarij manum faſtidias, facile ex his laqueis, in quos imprudens te induiſti, exſoluero. Vnum tantum à te petam, vt pro eo, quod calamo tuo, mente aliud agente, excidit, nempe ſuperioribus Innocentiana decretali temporibus *nullam eſſe* apud Africæ, Hiſpaniarum, & Galliarum epiſcopos *mentionem de chriſmate à presbyteris tractando*, hoc (quod à fortaſſe in animo habebas, habere quidem certe debueras) pauculis immutatis reſcribas, *nullam eſſe mentionem de chriſmate extra frontem illinendo*. Hoc enim veriſſimum eſt; neque de Afris, aut Hiſpanis, aut Gallis ſolis, ſed de omnibus omnino Eccleſiæ Chriſtianæ ſiue epiſcopis, ſiue hominibus dici poteſt. Nemo enim Chriſtianorum eſt, qui ante Innocentium iſtius extra frontem chriſmationis meminerit. Quod ſi hoc mihi Aureli, conceſſeris (quod an à tua generoſitate impetraturus ſim, neſcio.) tum illud alterum, quod idem ais, *Patres Toletanos loqui de baptizatis à presbyteris conſignandis, & chriſmandis*, omnino neceſſe erit intelligi de chriſmatione in fronte. Si enim ante Innocentia-

Orthod. p. 514.

Orthod. p. 531.

Innoc. ep. 2. c. 3.

nocentianam decretalem nullam apud Patres eius chriſmationis men-
tionem fieri confeſſus fueris, quæ extra frontem eſt; profecto effu-
gere non potes, quin concedas Toletanam Synodum XVI. ante In-
nocentij epiſtolam annis habitam, de chriſmatione, quæ dicit, ea de
illa ipſa quæ in fronte fit, intellexiſſe. Sed tu quidem videris. Ego be-
nignitatem tuam nihil hic magnopere requiro. Facile enim mihi eſt
hoc, ſi minus ſponte id tua conceſſeris, à te vel inuito extorquere.
Nam cum apud Hiſpanos Patres ante Innocentij decretalem negas
mentionem eſſe vllam de chriſmate à presbyteris, aut miniſtris tractando; tu
qui nullam presbyteris chriſmatis, niſi extra frontem, miniſtrandi
poteſtatem concedis, aperte intelligis ſi quid ante illud tempus Hiſpa-
ni Patres de chriſmate dixerint, id eos de frontis chriſmatione intel-
lexiſſe. Cum ergo Toletana Synodus vltimo illo Innocentij anno to-
tis annis ſexdecim ſuperior fuerit, omnino vel te ipſo auctore neceſſe
eſt, quæ illa de chriſmatione dicit, de ea chriſmatione intelligi, quæ
fit in fronte. Eam vero de qua loquitur chriſmationem, Toletana Sy-
nodus presbyteris (quod tu non negas) concedit. Ergo vel te aucto-
re ac iudice neceſſe eſt eã ipſam presbyteris à Toletanis Patribus chriſ-
mationem eſſe conceſſam, quæ fit in fronte. Vnde poſtremo intelli-
gere potes, quam falſo, quam temere atque infeliciter hoc neges,
defendaſque eos de chriſmatione extra frontem loqui. Id ipſum e-
tiam inde elucet, quod quam chriſmationem presbyteris concedit
Toletana Synodus, eam Diaconis adimit. *Statutum eſt* (inquit) *dia-
conum non chriſmare; ſed presbyterum.* Tu vero Aureli, eam quæ
extra frontem eſt, chriſmationem Diaconis æque ac Presbyteris fuiſſe
confiteris à Patribus conceſſam. Meminiſti enim hæc te totidem
verbis ſcripſiſſe; *Nónne fatemur diaconos & presbyteros chriſmate in ba-* Orthod. Part.
ptiſmo vſos, non tamen quo frontes vngerent? Ergo inquam, non hanc, 1. c. 6. p. 541.
quam diaconis vetant, Toletani intelligunt; ſed illam, quæ in fronte
fit: quam autem diaconis negant, eam ipſam presbyteris concedunt.
Ergo velis nolis Aureli, neceſſario confitendum eſt eos presbyteris
frontis chriſmationem concedere. Neque profecto aliter hanc eorum
legem interpretari licet, quin eam abſurdam ac ridiculam efficias.
Cum enim in Hiſpania ante id tempus, ipſo fatente Aurelio, inco-
gnita eſſet illa neophytorum extra frontem chriſmatio; cum Hiſpani
presbyteri nullum vel ab Epiſcopis ſolis (quod vult Aurelius) vel, vt
nos verius putamus, & à ſe ipſis, & à diaconis, & ab Epiſcopis, neo-
phytum, niſi in fronte chriſmari ſcirent; qui vel ipſi, vel alij Hiſpa-
nienſis Eccleſiæ homines illud, quod de chriſmate, à Toletanis nunc
decretum audiebant, aliter quam de ipſa illa frontis chriſmatione
(quam vnam apud ſuam Eccleſiam hactenus norant) accipere potue-
runt? qui diuinare, Patres loqui, non de hac, quæ ipſis ſola nota e-

rat, ſed de alia quadam pectoris, ſiue alterius extra frontem, membri vnctione, quæ poſt annos XVI. erat ab Innocentio in hominum lucem edenda? Illorum legem, ſiquidem hic eius ſenſus fuit, quem vult Aurelius, clarum eſt ab eorum, quibus ferebatur, nemine potuiſſe intelligi; niſi qui non modo Oedipus, ſed etiam propheta eſſet. Quo quid abſurdius de legiſlatore dici poteſt? Decet enim inprimis claras ac perſpicuas eſſe leges, iiſque verbis conceptas, quæ omnes, quibus eæ feruntur, ſtatim capiant, atque intelligant. Itaque ſi, quod ſomniat Aurelius, id Toletani Patres in animo habuiſſent; primo eam, quam vnam apud ſuos notam atque vſitatam eſſe ſciebant chriſmationem diligenter ab illa altera, quam presbyteris conceſſuri erant, diſtinxiſſent, eamque dixiſſent penes ſolos epiſcopos vt hactenus manſerat, ita in poſterum quoque manſuram. Tum ſubiecisſent id ſe preſbyteris concedere, vt neophytos ipſi quoque chriſmate conſignarent, modo tamen in alia corporis parte, quam in fronte. Ac ne quid homines turbaret nouum, & inſolens, & (quod negari non poteſt) etiam in ſpeciem abſurdum inuentum, addidiſſent aliquas eius rationes, puta Eccleſiæ Romanæ vſum, ſuum nequis non aliquo modo chriſmatus moreretur, metum, & alia eiuſdem generis. Nemo eſt, qui non videat neceſſario ita efferendam, & explicandam fuiſſe hanc legem, ſi ea id, quod vult Aurelius, decernebat. Et ſic ſane poſtea ſe geſſit Innocentius, & alij, quotquot hanc legem ſecutis temporibus tulerunt; quibus eam tandem obtinuiſſe non negamus; vt infra ſuis locis demonſtrabitur. Atqui nihil iſtorum Patres Toletani; nihil de Roma, è qua huc defluxiſſe nouum chriſma hariolatur Aurelius; nihil de pectore, vel de vertice, vel alia extra frontem parte. Tantum abſolute ac ſimpliciter ſtatuunt, *Diaconum non chriſmare, ſed presbyterum*; Quæ oratio huiuſmodi eſt, vt etiamſi notam illis tum fuiſſe (quod falſum eſt) aliquam extra frontem chriſmationem fingamus, vix tamen videatur aliter, quam de frontis vnctione accipi potuiſſe. Notum enim eſt nomina rebus diuerſis communia de præſtantiſſima, cum ſimpliciter ponuntur, & dici & accipi ſolere. Cum ergo duarum chriſmationum ea quæ fit in fronte potior ac præſtantior ſit, de ea intelligi decet *chriſmandi* vocabulum ſimpliciter etiam ab iis dictum, qui vtramque norunt. Neque hodie apud Latinos aliter fit, apud quos cum ſit in vſu duplex, vna verticis, altera frontis chriſmatio; nemo tamen eſt, qui chriſma, niſi de poſteriori, hoc eſt potiori, vel ſimpliciter dicat, vel ita ab alio dictum intelligat. Vnde illud eſt, quod apud eos *chriſmare* vulgo dicatur pro *confirmare*, & *chriſma* pro ipſo confirmationis ſacramento. Quanto magis id vocabulum eo ſenſu accipiendum eſt in Toletano canone iis temporibus edito, quibus vna erat apud Hiſpanos in Eccleſiaſtico vſu chriſmatio, ea ipſa ſcilicet quæ

in fronte.

in fronte fit, vt nuper demonſtrauimus? Atque ita ſane acceperunt e-tiam ex ipſis aduerſariis nonnulli. De Sirmondo iam diximus. Bellarminum in eadem eſſe ſententia liquet. Hic vero ne ſuorum cauſam prodat, non alium quam epiſcopum huius chriſmationis legitimum miniſtrum eſſe ſtatuentium, cauillatur Toletanos Patres id officij extra ordinem presbyteris conceſſiſſe; ex ſolenni Romanorum more ſcilicet, qui quæ ſecus, quam ipſi vellent fiunt, ea ex diſpenſatione aliqua extraordinaria fieri fingunt. Sed iſte primò pleroſque omnes hodiernæ ſcholæ Theologos pulſat opinantes id, non à ſingulis Epiſcopis, non à congregatis in Synodum, ſed à ſolo Romæ Pontifice poſſe presbyteris dari, eos vero etiam multo magis, qui ne à Papa quidem ſuo tantum concedi vnquam licere diſputant. Præterea illa extra ordinem rei alicuius conceſſio atque indulgentia tum habet locum, cum cauſa aliqua non vulgaris cogit à ſolenni & vſitato iure diſcedere. Illi vero demonſtrare non poſſunt, neque aliquam fuiſſe huiuſmodi cauſam, quæ Toletanos cogeret hac diſpenſatione vti, neque, quod multò grauius eſt, vllo vel Apoſtolico, vel etiam Eccleſiaſtico iure prohibitum fuiſſe Hiſpanis presbyteris frontem neophytorum chriſmare. Contra facile eſt demonſtrare diuino & Apoſtolico iure nullam eſſe Epiſcopi ſupra Presbyterum dignitatem, vel eminentiam; adeoque ſuppoſito, quod iſti ſtatuunt chriſmationem Eccleſiaſticum eſſe officium, tam presbytero, quam Epiſcopo ex illo iure licere chriſmare. Eccleſiaſticum vero ius ad quarti ſæculi finem, quo celebrata eſt Toletana Synodus, id fuiſſe oſtendimus, vt etiam presbyteri in Græca, Latinaque Eccleſia chriſmarent, idque etiam nunc apud Græcos, & omnes (ſi Latinos exceperis) qui Græcis communicant, Chriſtianos, manet. Fruſtra ergo & inepte *conceſſum extra ordinem* fuiſſe cauillatur Bellarminus, quod erat publici, communiſque in Eccleſia iuris. Nihil eſt *extra ordinem* in Toletano canone, ſi bene reputes, decretum niſi illud vnum, quod diaconis chriſmandi poteſtas adempta eſt; quæ ad id tempus in his Occidentis prouinciis eorum fuerat cum presbyteris communis. Cæterum quæ ad Toletanum hunc canonem diſputauimus, ea probant ex Synodo Carthaginenſi IV. (cuius eandem eſſe liquet cum hac Toletana rationem) valide quoque concludi presbyteris in Africa æque ac in Hiſpania per illa tempora chriſmare licuiſſe. Non enim presbyteros chriſma ab Epiſcopo, niſi eo vſi eſſent, petere iuſſiſſent Afri Patres; vſos porro non aliter his temporibus fuiſſe, quam ad chriſmandam frontem, ſatis patet ex ſuperioribus.

L. de Confirmat. c. 12. §. Eſt quidem.

cap. 36.

Caput XXIV.

T. 9. teſtim. Lat. ex quinto ſæculo ineunte, Auguſtini: cuius expenduntur quæcumque afferri ſolent primò de manus impoſitione, ſecundò de chriſmatione dicta, & à Bell. & aliorum cauillationibus vindicantur.

SED antequàm pedem ex Africâ efferamus, expendenda ſunt, quæ ex Auguſtinô obiiciuntur, eiuſdem loci, & temporis, ſed famæ præcipuæ & in paucis florentis viro, quem his quidem Carthaginenſibus Synodis interfuiſſe, probabile eſt; ſanctiſſimè verò in Chriſto obdormiuiſſe conſtat ann. D. 430. poſt geſtum annis pluribus magna cum gloria Hipponenſem epiſcopatum. Ex eius operibus, quæ plurima ſuperſunt, loca afferuntur duorum generum; alia de manus impoſitione; alia de chriſmate. Nos vtraque, ſed ſeorſim ſingula deſcribemus. De manus impoſitione hæc habet. *Neque enim* (inquit) *aliquis diſcipulorum eius* (Chriſti) *dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippè, vt veniret in eos, quibus manum imponebant; non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſeruat Eccleſia. Denique & Simon Magus offerens Apoſtolis pecuniam, non ait,* Date & mihi hanc poteſtatem, vt dem Spiritum Sanctum; *Sed,* Cuicumque impoſuero manus, vt accipiat Spiritum Sanctum. *Quia neque Scriptura ſuperiùs dixerat,* Videns autem Simon, quod Apoſtoli darent Spiritum Sanctum; *ſed dixerat,* Videns autem Simon, quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus. Idem in aliô opere, *Spiritus autem Sanctus* (inquit) *quod in ſola Catholica per manus impoſitionem dari dicitur; nimirum hoc intelligi maiores noſtri voluerunt, quod Apoſtolus ait,* Quoniam caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. *Ipſa enim eſt caritas, quam non habent qui ab Eccleſiæ Catholicæ communione præciſi ſunt, ac per hoc etiamſi linguis hominum loquantur & Angelorum; ſi ſciant omnia Sacramenta, & omnem ſcientiam, &c. nihil eis prodeſt. Non autem habent Dei charitatem, qui Eccleſiæ non diligunt vnitatem; ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi, niſi in Catholicâ, Spiritus Sanctus. Neque enim temporalibus, & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem modò datur Spiritus Sanctus; ſicut anteà dabatur ad commendationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc exſpectat, vt ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inuiſibiliter, & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inſpirari, vt poſſint dicere,* Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in

l. 15 de Trin. c. 26. T. 3. p. 186. cap. 1.
Act. 8. 15.
Act. 8. 19.
Act. 8. 18.
Rom. 5.
l. 3. de bapt. contr. Donat. c. 16. T. 6. p. 47. a. b. c. 2.

eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. *Multa autem ſunt operationes Spiritus Sancti, quas idem Apoſtolus cum quodam locô, quantum ſufficere arbitratus eſt, commemoraſſet, ita concluſit,* Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens propria vnicuique, pro vt vult. *Cum ergo ſit aliud ſacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri ſolet; ſicut Saul habuit prophetiam; aliud operatio eiuſdem Spiritus, quam niſi boni habere non poſſunt, ſicut* eſt finis præcepti caritas de corde purô, & conſcientia bona, & fide non ficta; *quodlibet hæretici & ſchiſmatici accipiant, charitas,* quæ cooperit multitudinem peccatorum, *proprium donum eſt catholicæ vnitatis & pacis; nec eius in omnibus, quia nec eius ſunt omnes, ſicut ſuô locô videbimus. Præter ipſam tamen eſſe illa charitas non poteſt ſine quâ cætera, etiamſi agnoſci & approbari poſſunt, prodeſſe tamen & liberare non poſſunt. Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus, repeti non poteſt. Quid eſt enim aliud, niſi oratio ſuper hominem?* Horũ gemina ſunt, quæ alibi apud eundem leguntur. *Si inueneris* (inquit) *te habere charitatem, habes Spiritum Dei ad intelligendum. Valdè enim neceſſaria res eſt. Primis temporibus cadebat ſuper credentes Spiritus Sanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronunciare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita ſignificari in omnibus linguis Spiritum Sanctum; quia Euangelium Dei per omnes linguas curſurum erat totô orbe terrarum. Significatum eſt illud, & tranſiit. Numquid modò, quibus imponitur manus, vt accipiant Spiritum Sanctum; hoc expectatur, vt linguis loquantur? Aut quando impoſuimus manum iſtis infantibus, attendit vnuſquiſque veſtrum vtrum linguis loquerentur? Et cùm videret eos linguis non loqui, ita peruerſo corde aliquis veſtrũ fuit, vt diceret, Non acceperunt iſti Spiritum Sanctum. Nam ſi accepiſſent linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum eſt? Si ergo per hæc miracula modo teſtimonium præſentiæ Spiritus Sancti non fit; vnde cognoſcit quiſque accepiſſe ſe Spiritum Sanctum? Interroget cor ſuum. Si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo.* Hæc de manus impoſitione Auguſtinus ſuis temporibus ſolenni, omnia ex iis, quæ ad Tertullianum, Cyprianum, & Hieronymum diximus, clara. Nam & hic teſtatur *præpoſitos Eccleſiæ,* id eſt vel epiſcopos ſolos (ſi tum in Africa id obtinebat, quod de quibuſdam Eccleſiis ait Hieronymus, fuiſſe earum conſuetudinem, vt apud eas baptizatis non alij, quam Epiſcopi manus imponerent) vel epiſcopos, & presbyteros (ſi vetus mos iſtic manebat, quod vix credo) *infantibus,* id eſt neophytis, *manus impoſuiſſe, vt acciperent Spiritum Sanctum;* vt olim Apoſtoli, vt quibus manum imponebant, donum linguarum acciperent. Sed hæc primò omnia nihil ad præſentes Latinos; qui neque manum ſuis confirmandis, quod ſupra demonſtrauimus, imponunt; neque eam manus impoſitionem, quæ olim à

Act. 8.

1. Reg. 16.

tract. 6. in 1. Ioan. c. 3. verſus med. T. 9. pa. 254. b. c. i.

veteri-

veteribus fiebat, pro vero Confirmationis ſacramento, vel pro eſſentiali, aut etiam integrante eius parte habent; ſed eam meram ſacramenti cæremoniam fuiſſe ex Apoſtolico more dictam cenſent. Itaque quod de Spiritu Sancto, per eam accepto dicunt vel hic Auguſtinus, vel alij Patres alibi, id illi nobiſcum ſic interpretari coguntur, vt Spiritus datus intelligatur, non ipſius proprie manus impoſitionis, ſed eius ſacramenti vi, cui illa cæremonia adnexa erat; eo vno à nobis diſcrepantes, quod eam illi quidem Confirmationis, nos vero baptiſmi cæremoniam fuiſſe cenſemus. Siquid ſpiritualis doni præter id, quod vi ſacramenti acceptum erat, impoſitio manus conferret, id non ex *opere operato*, ſed (vt in ſcholis loquuntur) *ex opere operantis*, id eſt pro fide ac deuotione ſiue miniſtri ſiue neophyti, vt precem ſiue orationem contuliſſe vtrique conſentimus. Sed neque Sirmondus (qui veterum manus impoſitionem ſacramentum fuiſſe putat) in his Auguſtini quicquam habet, vnde manus impoſitionem proprie dictum, & à baptiſmo ſeorſum diſtinctum Sacramentum apud veteres fuiſſe probet. Ex dato per eam Spiritu argumentari non poteſt; qui non neſcit tantumdem à Cyrillo & aliis chriſmationi attributum fuiſſe; quam tamen non veri nominis ſacramentum, ſed baptiſmi cæremoniam illis temporibus fuiſſe confitetur. Nos verò non pauca contra aduerſarios in his Auguſtini habemus obſeruanda. Ac illud quidem primò quod iſti tanti antiquarij ritum, quem vetus Eccleſia ad Auguſtinum, & infra, vt audiemus ſeruauit, ipſi totum penitus antiquarunt, eoque ſatis ſuperque teſtati ſunt ſe, quicquid interdum aliter ſcribant, aut loquantur, omnes iſtos Eccleſiaſtico iure baptiſmo adiunctos ritus pro cæremoniis nullo diuino mandato in vſum publicum inuectis habere. Neque enim de chriſmatione, quam retinuerunt, quicquam ex veteribus proferunt, cuius non poſſit ſimile aliquod de manus impoſitione veterum dictum afferri. Hanc tamen abolere nulla illis religio fuit. Quod ergo chriſmationem retinent, id nulla, vt apparet religio, ſed vna eorum libido, nullis fulta aut impulſa rationibus efficit. Secundò, Hinc diſcimus totum hunc manus neophytis imponendæ ritum, non à Chriſti, vel Apoſtolorum mandatô, ſed à *maiorum*, id eſt anteriorum Epiſcoporum auctoritate atque vſu extitiſſe. *Quod Spiritus Sanctus in ſolâ Catholicâ per manus impoſitionem dari dicitur, nimirum hoc* (inquit) *intelligi maiores noſtri voluerunt.* Vides vt *maioribus* totum hunc ritum, eiuſque ſignificationem tribuat: An ita de baptiſmô, aut Euchariſtiâ à Domino inſtitutis loqueretur (an diceret *quod per ea regeneratio & Chriſti communio dari dicitur, maiores hoc vel illud intelligi voluiſſe?* Abſit. Et res, & rerum ſignificationem ad Chriſtum, & ad Scripturas retuliſſet; non ad *maiores*. Ergo hæc quidem à Chriſto ſunt: illud de quô loquitur, totum à *maioribus* eſſe Auguſtinus putauit. Tertiò rotundè

tandem fatetur, imò docet, impoſitam olim neophytis ab Apoſtolis manum ad miraculoſam Spiritus Sancti operationem pertinuiſſe; quæ noſtra fuit ſententia; tum operationem illam Spiritus ſignum fuiſſe primis Eccleſiæ temporibus opportunum; itaque tranſiiſſe, adeoque deſiiſſe ritum, qui ad eam referebatur Apoſtolicam manus impoſitionem; neque ab eâ, quæ nunc datur, quicquam eius generis expectari. Cùm ergo ritus natura ab eô ad quod is refertur pendeat, neceſſe eſt diuerſum eſſe vtriuſque Apoſtolici & Eccleſiaſtici ex Auguſtinô naturam; cùm illum ad *ſignum, quod tranſiit*; hunc ad donum, quod manſit, referri ac pertinere putauerit. Quartò docet Auguſtinus, quæ fuerit illius Eccleſiaſticæ manus impoſitionis ex maiorum ſenſu ratio, & quid intelligi voluerint, cùm *Spiritum Sanctum per eam dari* dixerunt. Nempè eô ſignificari *caritatem*, quæ ſola ſalutaris eſt Spiritûs Sancti operatio & gratia, non alios habere, quàm qui in Eccleſiæ vnitate ſunt. Imponebatur enim manus iis, qui in Eccleſiam vel ſimpliciter ex corruptô naturæ ſtatu per baptiſmum, vel ex hæreſi per eius abnegationem ingrediebantur. Cùm ergo *caritatem non habeant qui extra Eccleſiæ Catholicæ vnitatem* ſunt, qui in Eccleſiam ingrediebantur, eô teſtabantur ſe, non alia, quæ etiam extra Eccleſiam haberi poſſunt, ſed hoc caritatis donum, quod extra eam non eſt, accepiſſe. Itaque Spiritum Sanctum per *manus impoſitionem accipere* dicebantur, quod per hunc ritum in Eccleſiam ingrederentur, in cuius vnitatem nemo propriè admittitur, niſi qui hoc Spiritus donum (id eſt caritatem) accipiat. Erat enim *manus impoſitio* vltimus eorum rituum, qui in Sacramentô initiationis noſtræ peragebantur, & ipſi in Eccleſiam ingreſſui, atque admiſſioni proximus; quo factum eſt, vt is in hæreticorum quoque receptione ſit vſurpatus. Quod ergo *intelligeretur diuinam caritatem latenter & inuiſibiliter per pacis vinculum eorum cordibus inſpirari*, qui in Eccleſiam, vnicum charitatis totô orbe domicilium ingrediebantur; ideò illi *per manus impoſitionem*, quâ ſcilicet in Eccleſiam introducebantur, *Spiritum Sanctum accipere* dicebantur. Hæc erat *manus impoſitionis ex* Auguſtinô ratio; quæ tota ex eô pendebat, quod is ritus quidam eſſet in Eccleſiam ingreſſus. Ea ergo non tam aliquid per ſe efficiebat, quàm quid fieret indicabat. Significabat enim hominem in Eccleſiam admitti, adeoque caritatem à Spiritu Sanctô accipere. Nam caritatem per baptiſmi lotionem iam à neophytô acceptam eſſe, nemo negauerit; & Spiritum ſanctificationis, qui ſine caritate nullus eſt, in baptiſmô etiam ſine vlla manus impoſitione conferri, & docuit ſuprà Hieronymus, & omnes fatentur. Illud equidem libens concelſerim per *orationem*, ſiue *benedictionem*, quâ vnâ omnis hic ritus cenſeri debet, etiam aliquid cœleſtis doni pro orantis & ſuſcipientis fide impetratum eſſe. Sed huiuſmodi orationis effecta nihil

Nn ad

ad ſacramenti rationem pertinent. Iam id ipſum inde quintò diſcimus, quod Auguſtinus præpoſitos manum imponentes ſtatuit non ipſos *Spiritum dare*, ſed *orare duntaxat, vt veniat in eos, quibus manum imponunt*; Ergo non *ex opere operato*, ſed *ex opere operantis* (vt loquuntur) Spiritus per manus impoſitionem dabatur. Quod vt diſertiùs doceret Auguſtinus, *Quid eſt* (inquit) *manus impoſitio aliud, niſi oratio ſuper hominem?* Non igitur *manus impoſitio* ſacramentum Auguſtino verum ac propriè dictum fuit. Quis enim de baptiſmo, vel de Euchariſtia vel dicat, vel dicentem ferat, *nihil aliud vtrumque eſſe, niſi orationem ſuper hominem?* Profectò quicquid verè ac propriè ſacramentum eſt, illud omnino aliud eſt, quam oratio ſuper hominem. Vnde illud refellitur, quod innuit, non eloquitur, Aurelius, hæc Auguſtini eodem modo interpretanda, quo à ſuis exponi ſolent ea veterum dicta, quibus ij preces in Euchariſtia adhiberi ſignificant. Non eſt hic locus de iſtis aduerſariorum expoſitionibus diſputandi. Hoc vnum dico non poſſe hæc Auguſtini verba eo ſenſu accipi, quo illi veterum dicta de Euchariſtiæ prece accipiunt. Preces illas iſti ſcilicet de iis orationibus accipiunt, quibus Deus rogatur, vt elementa immutet; adeoque orationes eſſe volunt, *quæ fiant ſuper Euchariſtiam*. Auguſtinus orationem ait, *quæ fit ſuper hominem*. Tum nemo veterum eſt, qui dixerit, *Quid Euchariſtia aliud eſt, quam oratio ſuper hominem?* Hoc vero ita ſtultum, atque abſurdum eſt, vt niſi in inſani hominis animum venire non poſſit. Atqui hoc illud ipſum eſt, quod de manus impoſitione dicit Auguſtinus. Ergo quod ipſe dixit, id nequaquam poteſt eo modo ſenſuque exponi, quo veterum de Euchariſtiæ prece dicta, accipi à Latinis Theologis ſolent; quia cum his illud nihil habet commune. Nihil opus eſt ad tuos Aureli, *Catholicos* confugere, vt ſciamus, quid ſibi velit Auguſtinus. Plana eſt, ac clara omnis hæc eius oratio; *Quid eſt* (inquit) *manus impoſitio aliud, niſi oratio ſuper hominem?* Negat ſcilicet ipſius manuum actus vllam eſſe in hoc Eccleſiaſtico ritu vim, vel efficientiam; totum opus *in vna oratione ſuper hominem facta* ſitum eſſe; ea vna cenſendum, atque æſtimandum. Neque eſt ad rem id, quod ex Chryſoſtomo adducit Aurelius, *Apoſtolos ſæpe etiam ſine precibus cerni Spiritum Sanctum tradere*; Quid tum poſtea? An ideo falſum, vel dubium eſt, quod docet Auguſtinus? Mira Aurelij dialectica, *Apoſtoli interdum etiam ſine precibus Spiritum Sanctum tradiderunt*; Ergo *manus impoſitio aliud quid eſt, quam oratio ſuper hominem*. Primùm quod ait Chryſoſtomus id de prece vocali, oreque ipſo pronuntiata intelligendum videtur. Vix enim credibile eſt Apoſtolos ſine vlla omnino prece, ac ne tacito quidem animi voto concepta, cuiquam Spiritum Sanctum tradidiſſe. Auguſtinus quidem certe *oraſſe eos* affirmat, *vt veniat Spiritus in eos, quibus manus imponebant*. Sed eſto, Spiritum Apoſtoli

Orthod. Part. 1. c. 7. p. 567

Homil. 71. in Ioan.

poſtoli

[illegible] alicui ſine prece tradiderint. Primo vnde habes illi manum fuiſſe impoſitam? Tum etiamſi dem tibi illi, pro quo nullam precem fecerint Apoſtoli, manum tamen eos impoſuiſſe; quid hoc ad Eccleſiaſticam manus impoſitionem, de qua loquitur Auguſtinus, quamque diſertiſſime, neque ſemel & ipſe & alij teſtantur cum *oratione* ſiue *benedictione ſuper homine* coniunctam fuiſſe? Hoc vero neque Chryſoſtomus, neque veterum quiſquam negat. Ergo ſtat, quod docet Auguſtinus *illam manus* impoſitionem *nihil aliud fuiſſe, quam orationem ſuper hominem*; adeoque ſacramentum proprie dictum non fuiſſe, quod aliud eſt ſcilicet, quam facta ſuper hominem oratio. Ex quo etiam ſexto intelligitur ipſam huius ritus formam aliam apud veteres fuiſſe, quam nunc eſt apud Latinos, quod eſt & à Sirmondo [a] vere obſeruatum, & ab Aurelio [b] perperam & proteruè negatum. Nam Latini quidem Confirmationi huius ritus ſui formam his conceptis verbis, SIGNO TE, CONFIRMO TE, &c. contineri aiunt; quæ, vt liquet, nihil commune habent cum oratione ſuper hominem facta, qua totum veteris manuum impoſitionis ritum conſtare ac concludi definit Auguſtinus. Cum ergo res forma ſua & ſint, & cenſeantur; apparet præſentem Latinorum ritum ab antiquo illo plane alium eſſe; cuius non modo *materiam* non retinuerunt *manus impoſitionem*; ſed & ipſam inſuper *formam* mutarunt. Huc accedit (quod ſeptimo obſeruandum.) quod Auguſtinus actum illum ſuum ad Spiritum Sanctum tradendum fieri ſolitum, iterari poſſe affirmat; *Manus autem* (inquit) *impoſitio, non ſicut baptiſmus, repeti non poteſt.* Latini ſuam Confirmationem, non magis quam baptiſmum, repeti poſſe, quod notum eſt, docent. Atque hic refellenda eſt Bellarmini de hoc Auguſtini loco aduerſus Caluinum noſtrum, à quo is obiectus fuerat, procax atque Sophiſtica diſputatio. Ille ergo principio negat hinc probari poſſe manus impoſitionem non eſſe ſacramentum. Ego vero id iam in ſuperioribus inde probaui, quod nullum ſit ſacramentum proprie dictum de quo vere id poſſit dici, quod de manus impoſitione hic dicit Auguſtinus, *nihil aliud eſſe* ſcilicet, *quam orationem ſuper hominem factam*. Tum & id ipſum hinc euidenter cócluditur, quod ſi manus impoſitio ſacramentum fuit, certe Confirmationis ſacramentum fuit (quod etiam volunt aduerſarij.) Non fuiſſe autem hinc liquet, quod cum Confirmationem repeti ſit nefas; Auguſtinus *manus impoſitionem repeti potuiſſe* ait. Neque nauci eſt, quod Bellarminus obiicit *hic eſſe materiam ſenſibilem*, impoſitionem manuũ; *eſſe formam*, orationem; *eſſe effectum*, gratiam Spiritus Sancti; *Ergo eſſe Sacramentum.* Atqui ne ipſe quidem aduerſarius hoc admiſerit, qui *manus impoſitionem* ſeorſum, ac per ſe ſpectatam ſacramentum fuiſſe negat; partem tantum ſacramenti, eamque cæremonialem, & acci-

a Antirrhet. 2. c. 7. p. 65.
b Orth. Part. 1. c. 7. p. 567.

L. de Confirmat. cap. 7. §. Reſpondeo hoc.

dentalem fuiſſe vult. Quid ergo eſt? Nimirum vt ſit aliquid reuera & propriè dictum ſacramentum, *materia & forma* non ſimpliciter requiritur, ſed huiuſmodi, quæ ſit vtraque à Domino Chriſto inſtituta; quod de manus impoſitione dici nequit. Tum & effectum eum eſſe neceſſe eſt, qui ab ipſius ſacramenti vi pendeat, non autem à miniſtri, vel à ſuſcipientis oratione; ſiue, vt loquuntur aduerſarij, qui non *ex opere operantis*, ſed *ex opere operato* ſequatur. Alioqui totidem erunt ſacramenta, quot ſunt vel fuerunt ritus, vel cæremoniæ Eccleſiaſticæ. *Reconciliatoria* quidem *manus impoſitio*, quin his ſuis legibus vere ſacramentum ſit (quod tamen ipſe ſtrenue negat) Bellarminus effugere non

Ibid. §. Tertia poterit; per quam ſcilicet hoc ipſo in loco confitetur *dari gratiam*

Aug. §. Reſp. ad 1. §. Ad vltimum. *& caritatem, niſi ponatur obex, & dari Spiritum Sanctum.* Secundò ad Auguſtini dicta reſpondet *eum loqui de ſimplici manus impoſitione, quæ fiebat in reconciliatione pœnitentium; non de manus impoſitione cum chriſmate, quæ eſt propriè ſacramentum.* Ego vero contendo Auguſtinum de vna, eademque manus impoſitione loqui; ſed quæ & neophytis, & ex hæreſi venientibus dabatur in Eccleſia. Fuiſſe autem iſtas duas manus impoſitiones re inter ſe apud veteres diuiſas, ita vt quæ neophyti obumbrabantur ea propriè dictum ſacramentum eſſet; qua vero ex hæreſi conuerſi reconciliabantur, ea mera eſſet cæremonia, probari non poteſt, & ab aduerſariis ex ſola animi libidine pro ſuo commodo fingitur. Sed hic tamen Bellarminus probare conatur Auguſtinum, de ea tantum manus impoſitione loqui, qua in Eccleſia ſuſcipiebantur ab hæreſi conuerſi. *Primò* (inquit) *Auguſtinus paſſim docet, confirmationem fieri chriſmate; vt patet ex locis ſupra allegatis. Hic autem, non ſolum non meminit chriſmatis, ſed aperte indicat ſe loqui de impoſitione manuum ſine chriſmate. Alioqui non diceret, Quid eſt aliud, niſi oratio? Poſſet enim reſponderi; Eſt conſecratio, & conſignatio per chriſmatis vnctionem.* Reſpondeo eo quidem, quod Auguſtinus hic non meminit chriſmatis; non fieri, vt de manus impoſitione neophytorum non ſit locutus. Nam neque ſexto in Ioannis epiſtolam I. tractatu, loco quem tertium deſcripſimus, chriſmatis meminit; cum tamen de manus impoſitione, quæ neophytorum erat, ipſum ibi loqui clarum & confeſſum ſit. *Numquid modo quibus manus imponitur, vt accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur, vt linguis loquantur? Aut quando manum iſtis infantibus impoſuimus, &c.* Quod vero obiicit, niſi hoc ſtatuatur, Auguſtino roganti, *Quid eſt aliud niſi oratio? reſponderi potuiſſe. Eſt conſecratio, &c.* primò id, ſi quid valeret, efficeret ne de *reconciliatoria quidem manus impoſitione* loqui Auguſtinum, quam ex Concilio Arela-

a Con. 7. b De dogm. Eccl. c. 52. tenſi [a] & ex Gennadio Maſſilienſi [b] conſtat illo ſæculo, etiam in Occidente, cum chriſmate coniunctam fuiſſe. Sed nihil erat ſane quod Auguſtinus vereretur, ne quis ſibi ita quærenti hoc reſponderet.

Fateor

fateor Bellarmino, qui putat vnum ſolum actum eſſe & *chriſmationem & manus impoſitionem*, id ſi ita quæreret, merito reſponſum iri. Auguſtino, qui *chriſmationem* actum vnum, ritumque cenſebat; *manus impoſitionem* actum item ritumque vnum ab illo diuerſum, nemo niſi fatuus, quærenti *quid eſſet aliud manus impoſitio, quam oratio?* reſponſurus fuit *eam eſſe conſecrationem, & conſignationem per chriſmatis vnctionem*. Imò, quod ita quærit Auguſtinus, clariſſimè demonſtrat chriſmationem, neque (quod iſtorum hodie ſomnium eſt & quidem prodigioſum) tum fuiſſe eundem actum cum manus impoſitione, neque habitam eſſe pro vno eodemque cum ea ritu, ſed duas fuiſſe has diuerſas cæremonias. Secundò obiicit Bellarminus ſacramentum Confirmationis non poſſe repeti; idque ex Gratiano probat auctoritate Concilij Tarraconenſis, & Gregorij II. Reſpondeo aduerſarium nugari, qui primo ſuam & ſuorum opinionem pro ratione nobis obiicit. Secundò ſupponit fuiſſe aliquod apud veteres propriè dictum Confirmationis Sacramentum; quod nos negamus. Tantum ex hoc Auguſtini loco *manus impoſitionem* non fuiſſe apud veteres huiuſmodi ſacramenti loco habitam (quod iſti volunt) probamus. Quod vero ipſum Auguſtinum in ea etiam ſententia fuiſſe pertendit, vt putauerit ſacramentum Confirmationis non poſſe repeti, idque ex libro eius ſecundo contra Petiliani litteras, confirmare ſtudet, ſolens itidem nugatur. Primò enim *Sacramentum Confirmationis* nullus memorat toto illo loco Auguſtinus; Secundo, Neque *chriſma* quod ibi nominat, repeti poſſe negat. Tantum ait non (quod ei affingit Bellarminus) *manere, ſed eſſe in hominibus peſſimis*; vnde non ſequitur id nunquam poſſe repeti. Certè apparet in Eccleſia tam Græca, quam Latina repetitam fuiſſe. Sed de hoc Auguſtini loco mox vberius dicendum erit. Tertiò denique & eo nugatur Bellarminus, quod cum *de impoſitione manus* quæratur, ille de *chriſmatione* diſputat. Nam licet vtraque eiuſdem ſacramenti, baptiſmi ſcilicet, cæremonia eſſet, duo tamen erant inter ſe diuerſi, ac diſtincti ritus. Poſtremo illud Bellarminus affert, quod ex Caluini confeſſione Auguſtinus de ea manus impoſitione loquitur, quæ eſſet hæreticorum reconciliatoria. Ego vero fateor; ſed hanc nego ab ea diuerſam fuiſſe, quam neophyti in baptiſmo ſuſcipiebant; non magis quam Euchariſtia, quæ ex hæreſi reconciliatis dabatur, ab ea diuerſa erat, quæ neophytis poſt chriſma, & manus impoſitionem porrigebatur. Ille vero diuerſas fuiſſe has manuum impoſitiones ex Papa Vigilio, & Gregorio I. probat; primò ridicule. Cum enim vterque diu poſt Auguſtini mortem vixerit, quid ad eum pertinet, quod iſti centum & amplius poſt eum annis ſcripſerint? Tum & inepte. Nam Vigilium quidem ſupra iam oſtendimus de ea manus impoſitione loqui, non qua homines ex hæreſi ſimpliciter venientes re-

l. 2. c. 104.

Ep. 2. cap.

cipiebantur, ſed qua pœnitentes reconciliabantur. Gregorius verò in Occidente Arianos recipi per manus impoſitionem dicit; Hanc ab ea diuerſam fuiſſe, quæ neophytis dabatur, non dicit. Sed quæcunque fuerit vel Vigilij, vel Gregorij temporibus Occidentalium conſuetudo, illud quidem ex Concilio Arelatenſi II. & ex Gennadio conſtat, & chriſmate, & manus impoſitione receptos adhuc in Gallia hæreticos ann. D. 452. & 490. Vnde patet, quam inſcita & futilis ſit Bellarmini argumentatio, qui ex eo quod Auguſtinus Eccleſiæ Occidentalis epiſcopus eſſet, colligit eum vbi de reconciliatione hæreticorum agit, manus impoſitionem eam intelligere quæ nulla præcedente chriſmatione facta fuerit. Sed nos de ritu, quo hæretici reconciliabantur, fuſè ſupra diſputauimus; oſtendimuſque & quæ apud Latinos tum chriſmatio, tum manus impoſitio in eandem rem vſurpata fuit, neutra iam eſt in vſu, vtramque inquam, plane penituſque eandem fuiſſe cum duabus illis eiuſdem nominis cæremoniis, quæ in baptiſmo è lauacro egreſſos olim excipiebant. Cum ergo nullam vim habeant Bellarmini probationes, concluſum eſto Auguſtinum hoc loco, cum ait *manus impoſitionem repeti poſſe*, neque *eam aliud eſſe, quam orationem ſuper hominem*, de ea manus impoſitione loqui, quæ vel neophytis, vel ex hæreſi conuerſis dabatur, quæ ſcilicet vtroque vnius, eiuſdemque ordinis, ac cenſus erat. Neque ipſe ſane Bellarminus negat Auguſtinum in hoc capite de neophytorum manus impoſitione loqui, vbi ait ſuo tempore *minime exſpectari, vt ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui.* Tantum contendit eum aliter *manus impoſitionem* accipere, vbi in fine capitis ait *eam poſſe repeti.* Ita ille Auguſtinum ſophiſtam facere maluit, quam fateri eum à ſe diſſentire. Eſt enim ſophiſticum vnam eandemque vocem duobus diuerſis ſenſibus in eadem diſputatione accipere, & ab eorum vno ad alterum argumentari. Bellarminus autem multum laborat, vt oſtendat id ſine vitio feciſſe Auguſtinum, & totam eius diſputationem ad libitum effingit, & neſcio quot in ea partes, digreſſiones, & regreſſiones dictat, quas præter ipſum nemo hactenus in toto illo capite animaduerterat. Non eſt animus hominem per ſomniorum ſuorum auia ſpatiantem ſequi. Illud ſatis eſt obſeruare, quod vi veri, quod oppugnat, coactus eo tandem redit, vt totam, quam agit, cauſam duobus verbis prodat. Confitetur enim hoc omni manus impoſitioni conuenire, & *confirmatoriæ* ſcilicet, & *reconciliatoriæ*, & *ordinatoriæ, vt per eam detur gratia, & charitas, & Spiritus Sanctus*: idque etiam probat ex quodam Auguſtini loco, quo docere eum ait per manus impoſitionem, qua reconciliantur hæretici, *dari Spiritum Sanctum.* Alia non pauca veterum in eandem ſententiam dicta addere poterat, quorum partem aliquam & nos ſupra deſcripſimus. Iam ſi ita ſe res habet,

l. 9. Ep. 61.

§. Reſp. ad 1. & §. Ad alterum.

l. 5. de Bapt. c. 23.

habet, vnde Bellarminus probabit manus impoſitionem, quæ dabatur neophytis, ſacramentum fuiſſe? non fuiſſe, quæ dabatur ab hæreſi conuerſis? Idem erat in vtraque ritus; eadem forma, id eſt oratio; idem effectus, id eſt Spiritus Sancti donum. Denique plane eadem vtraque fuit. Si hanc Sacramentum eſſe negat; cur illam eſſe pertendit? Si illam ait, cur hanc negat? Vtramque pariter ea dignitate vel ornet, vel ſpoliet; quia profecto vtramque vel carere, vel gaudere neceſſe eſt. Nihil enim eſt inter ambos diſſimile, vnde diuerſam alterius ab altera naturam fuiſſe argumentaris. Ex his autem duabus negat poſteriorem eſſe ſacramentum. Nihil ergo eſt, quod mihi iraſcatur, ſi neque priorem ſacramentum eſſe credo. Vnum erat telum, quo mihi minabatur; nempe quod hac Spiritum Sanctum tradi dicerent Patres. Illud vnum telum ipſe iam, velut imbelle ac futile abiicit, dum docuit Spiritum Sanctum per poſteriorem manus impoſitionem traditum fuiſſe, neque tamen eam vere ſacramentum fuiſſe. Ergo qui nihil ſibi amplius, quo ſe tueatur, reliquit, cauſam aperte prodit, non defendit. Hoc ſi vel eſſet ſolum, oſtendit quas in gloſſa Auguſtiniani loci ſua paſſus ſit anguſtias, quam defendere non aliter potuit, niſi ſuam ipſius cauſam prodendo. Cæterùm Auguſtinum de neophytorum manus impoſitione loqui ipſa eius verba clamant; *Manus* (inquit) *impoſitio, non ſicut baptiſmus, repeti non poteſt.* Quod repetitur, id ipſum iam ſemel factum fuerat. Si aliud eſt, quod prius factum eſt; aliud, quôd poſtea fit, nemo ſanus rem, vel actionem repeti dixerit. *Iteratio* (inquit Tertullianus) *non competit ei, à quo quid nec ſemel factum eſt.* Cum ergo Auguſtinus *Manus impoſitionem repeti poſſe* dicat, omnino intelligit rem vnam, eandemque eſſe, quæ prius cum eſſet geſta, iterum poſtea peragitur. Si res diuerſa eſt, falſo & inſcite *repeti* dicitur. Itaque Cyprianus olim cum ex hæreſi venientes tingeret, negabat *ſe baptiſmum repetere*, vel *iterare*; *dare* ſe, vel *conferre* aiebat; quod eam ſcilicet lotionem, qua retro apud hæreticos perfuſi erant, baptiſmum nullum fuiſſe defenderet. Quam ergo *repeti* manus impoſitionem dicit Auguſtinus neceſſe eſt eam rem vnam, eandemque fuiſſe, quæ cum retro iam ſemel acta eſſet, iterum poſtea ageretur. At ſi Bellarmini ſomnium valet, quæ quidem neophyto prius apud hæreſim data erat manus impoſitio, ea proprie dictum ſacramentum fuerat, quæ eidem poſtea ex hæreſi conuerſo dabatur in Eccleſia, ea nullum ſacramentum fuit, ſed quædam tantum cæremonia, omnino diuerſi à præcedente & cenſus, & generis. Non ergo, ſi iſte vera narrat, *repetebatur manus impoſitio*, cum quis ex hæreſi ad Eccleſiam veniebat. Tum ſacramentum confirmationis acceperat; Nunc nullum ſacramentum accipiebat; tantum certo ritu in Eccleſiam recipiebatur, ut (inquit alibi Auguſtinus) *tanquam extra vnitatem ſulptam eſſe* *indica-*

L. 1. contra Marc. c. 28.

De bapt. contr. Don. l. 5. c. 23.

iudicaretur, ſi nullo cum ritu admitteretur. At pronuntiat tamen Auguſtinus *manus impoſitionem* nunc *repeti*. Ergo omnino fatendum eſt hanc, quam nunc ſuſcipit ex hæreſi veniens, eandem eſſe cum ea, quam olim poſt baptiſmum acceperat. Quam vero olim accepera, ea neophytorum fuerat. Ergo & hanc cum neophytorum manus impoſitione eandem (id eſt eiuſdem ſpeciei & ordinis) eſſe neceſſe eſt. Vnde porro clariſſime illud conficitur, quod nos initio diximus; non fuiſſe neophytorum manus impoſitionem verum & proprie dictum ſacramentum. Quid-ni? Quia (inquam) neque hæreticorum *reconciliatoria*, quæ cum illa eadem eſt, vllum vnquam fuit, etiam fatentibus aduerſariis, vere ac proprie dictum ſacramentum. Atque hactenus quidem de iis, quæ apud Auguſtinum de manus impoſitione dicta leguntur.

Nunc ea recenſeamus, quæ ille de chriſmate tradidit Petiliano Donatiſtæ illud è Pſalmis in rem ſuam recitanti. *Tanquàm vnguentum in capite*, *Et in hoc* (inquit) *vnguento ſacramentum chriſmatis vultis interpretari; quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus; ſed poteſt eſſe & in hominibus peßimis, in operibus carnis vitam conſumentibus, & regnum cælorum non poſſeſſuris, & ideò nec ad barbam Aaron, nec ad oram veſtimenti eius, nec ad vllam contextionem veſtis ſacerdotalis pertinentibus.* Tum argumentationem concludens; *Diſcerne ergo viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe & in bonis, & in malis poteſt, illis ad præmium, illis ad iudicium, & ab inuiſibili vnctione caritatis, quæ propria bonorum eſt.* Hunc locum Bellarminus *præcipuum* vocat. Nimirum hominem mirificè cepit ſacramenti vocabulum; quô *chriſma* hîc appellatur. Videamus ergo an res ſono, & aduerſarij opinioni reſpondeat. Primò ipſa, quæ hoc locô agitatur, quæſtio obſeruanda eſt, nimirum de baptiſmô contrà Donatiſtas. Hi enim baptiſmum à Catholicis, quos traditores & ſchiſmaticos cenſebant, miniſtratum repudiabant, ac pro nullô, atque irritô habebant, Cypriani errorem ſecuti. Petilianus vt hoc ſuorum dogma probet, Scripturas aliquot recitat; *Oleum peccatoris non vnget caput meum. Ecce quàm bonum, & quam iocundum habitare fratres in vnum. Tanquam vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam autem Aaron.* Ex his ſcilicet conficere vult oleum, id eſt chriſma, ab hæreticô, vel ſchiſmaticô miniſtratum non valere; valere tamen à fratribus (id eſt à veræ Eccleſiæ filiis) miniſtratum. Ergo & Catholicorum chriſma æquè ac baptiſmum, repudiabant Donatiſtæ. Atqui Donatiſtas de baptiſmô Catholicis litem intendiſſe omnes & Auguſtini & veterum literæ loquuntur. De *baptiſmô* fuit omnis eorum concertatio; & quod de eô argumentô Auguſtinus opus ſcripſit, de *baptiſmô* inſcripſit. De *chriſmate* fuiſſe aliquam Donatiſtis cum Catho-

licis

Lib. 2. contr. litt. Petil. c. 104 T. 7. p. 123. b.

De Confirm. c. 8. §. Aug.

Supr. cap. 103. Pſal. 140.

Pſal. 132.

licis quæſtionem, neque ipſe, neque alius quiſquam veterum, errores & ſchiſma iſtorum referens dixit. Quid ergo eſt? Nempe inquam, chriſma baptiſmi ritus, & pars cærimonialis erat. Itaque & Petilianus à parte ad totum merito argumentatur, cuius chriſma non valet, eius neque baptiſmum valere poſſe contendens (quod & ante eum Cyprianus in eodem argumento fecerat.) & Auguſtinus & Catholici argumenti nexum concedunt; antecedens negant, & ex eadem ipſi hypotheſi Donatiſtas de baptiſmo ſecum litigaſſe duntaxat dicunt; de chriſmate nihil addunt, quod in baptiſmi nomine comprehenderetur; vt pars totius nomine continetur. Partem autem baptiſmi, non eſſentialem, ſed cærimonialem & ritualem tantum fuiſſe chriſma veteres eo ſatis docebant, quod id ab hæreſi venientibus, vt ſupra oſtendimus, Græci quidem omnes, Latini vero multi miniſtrarent; quod ſi baptiſmi partem eſſentialem eſſe cenſuiſſent, non magis quam ipſam lotionem, repetituri erant. Quod enim ait alicubi P. Aurelius *baptiſmi cærimonias* ex veteris Eccleſiæ moribus *non magis eſſe iterabiles, quam ipſum baptiſmum*, id inquam, liquido falſum eſt. Nam baptiſmus quidem, etiam ab hæretico & ſchiſmatico miniſtro datus nunquam iterabatur; Manus vero impoſitio & chriſmatio, ſi baptiſmus cuius ipſæ erant cæremoniæ, ab huiuſmodi miniſtro collatus erat, repetebantur. Si legitimus atque Eccleſiaſticus fuiſſet miniſter, fateor non fuiſſe repetitas, neque vero ſine aliqua eius, qui baptizaſſet, contumelia repeti potuiſſe. Ergo ex hoc ipſo, quem bonus Bellarminus *præcipuum* exiſtimauit, Auguſtini loco habetur chriſma baptiſmi cærimoniam, non adeo proprie dictum ſacramentum fuiſſe. Secundò, Illud quoque obſeruandum eſt, quod Propheta de ſacerdotali vnguento canit, id Petilianum quidem hæreticum & ſchiſmaticum de chriſmatis externo; Auguſtinum vero Catholicum de Spiritus Sancti myſtico vnguento intellexiſſe. Quo eorum vanitas refellitur, qui hunc Pſalmum ad ſuum frontis vngendæ ritum torqueri poſſe putant. Ad hunc Petiliani errorem reſpicit Auguſtinus, dum ait, *Et in hoc vnguento ſacramentum chriſmatis vultis interpretari.* Nempe rei myſticæ, id eſt Spiritus vnctioni, de qua ipſe pſalmi vnguentum fuſe erat interpretatus, *eius ſacramentum*, id eſt externum ſymbolum, ad quod id torquebant Donatiſtæ, liquido opponit, *chriſmatis* rei, eiuſdem *Sacramentum*. Vnde apparet, quo ſenſu dixerit *chriſmatis ſacramentum*; nempe pro externo, viſibilique ſigno, quo chriſma conſtat, à re interna & ſpirituali, ſiue myſtica, diſtincto, quam ſignificat; quod & apertiſſime ipſe mox explicat, cum Petilianum iubet diſcernere *viſibile ſanctum ſacramentum ab inuiſibili vnctione caritatis.* Hinc ergo optime quidem concludi fateor *chriſma* ſignum aliquod viſibile fuiſſe rem ſacram ſignificans, & in ſacris vſurpari ſolitum (quod vult Auguſti-

Reſp ad ſirm. p. 275. extr.

Pſalm. 132. (Hebr. 133.)

nus) concludi nego, fuiſſe id per ſe ac ſeorſum vere proprieque dictum Eccleſiæ Chriſtianæ ſacramentum. *Sacramenti* enim vocem ita apud veteres paſſim ſumi pro quocũq; ſigno ſacro ſiue à Chriſto, ſiue ab hominibus & ab Eccleſia inſtituto, ſiue integro completoq; myſterio, ſiue vna duntaxat aliqua eius parte, eaq; vel eſſentiali, vel cæremoniali, & notũ eſt omnibus, & ſupra pluribus ad Cyprianum à nobis probatũ. Vnde illa ſunt Patribus familiaria, *fermentum*, & *ſalem* item catechumenorum eſſe ſacramenta, item *baptiſmatis ſacramenta*, & *corporis ac ſanguinis Domini ſacramenta*. Ipſe ita interpretatur Auguſtinus, cum addit, *quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt*. Ergo quod *ſacramentum* appellauit, eo nihil aliud ſignificauit, niſi hoc tantum chriſma eſſe *in genere ſignaculorum viſibilium*; hoc eſt vnum ex viſibilibus ſignaculis, ſiue ſymbolis; & quidem *ſacroſanctum*; Non enim profanum, vel profani vſus, ſed ad rem ſacram myſtice ſignificandam in loco ſacro ab hominibus ſacris & inuentum & vſurpatum. Sed aduerſarij in eo triumphant, quod Auguſtinus non ait ſimpliciter *chriſma in genere ſignaculorum ſacroſanctum eſſe*, ſed inſuper id cum baptiſmo comparat, ſtatim ſubiiciens, *ſicut ipſe baptiſmus*. Sed ille quidem triumphus inanis eſt. Primò enim rogo, cur dixerit *ipſe baptiſmus*? cur non ſimpliciter, *baptiſmus*? Profecto ea vocula, ſi bene rem ſpectes, ſignificat chriſma ad baptiſmum pertinere; quaſi dicat id ſacroſanctum eſſe perinde, vt ipſum baptiſmum, cuius pars quædam erat, ac cærimonia. Niſi hoc ſtatueris, frigebit & iacebit hæc Auguſtini oratio. Id vero ſi ſtatuas, liquet vere ac proprie dictum ſacramentum chriſma eſſe non poſſe. Quod enim ſacramenti pars eſt ſiue eſſentialis, ſiue cærimonialis, id ſacramentum eſſe, hoc eſt huius generis tota atque integra non poteſt. At (inquis) Auguſtinus chriſma cum baptiſmo comparat. Quid-ni inquam, vt partem cum toto? vt cærimoniam cum eo ad quod ornandum ipſa peragitur? Clarum eſt hactenus cum baptiſmo chriſma comparari; quod vtrumque Auguſtino *ſignaculum eſt*, & *viſibile*, & *ſacroſanctum*, quod nemo negat. Non eſt vltra tendenda ſimilitudo; & ſi feceris, inepte feceris. Nam etiamſi hæc duo in his tribus conueniant; nihil tamen ea neceſſe eſt & in cæteris omnibus conuenire; vt chriſma ſcilicet à Chriſto quoque inſtitutum ſit, vt baptiſmus; vt baptiſmi pars, ſiue vnus eius ritibus non ſit, quia nec baptiſmus; vt denique ſacramentum proprie dictum ipſum ſeorſum ſit, quia & hoc eſt baptiſmus. Ego vero hæc nego ex eo concludi poſſe, quod hic Auguſtinus de chriſmate dixit. Ipſe quidem alibi id, quod accipiebant catechumeni *ſanctum* eſſe pronuntiat; cibis, quibus alimur, ſanctius eſſe inde probat, *quoniam* (inquit) *ſacramentum eſt*. Catechumenorum ſalem (vt vides) & *ſanctum* & ſacramentum eſſe ait; plane, vt hic, chriſma neophytorum. Nemo tamen inde colligit ſalem catechumenorum fuiſſe ſacramentum proprie dictum;

Aug. de pecc. merit. & rem. l. 2. c. 26. T. 7. p. 301. a.

dictum;

dictum; nemo ideo negat cærimoniam fuiſſe Eccleſiaſticam. Ergo neque hinc quiſquam concluſerit neophytorum chriſma vel fuiſſe verum ſacramentum, vel non fuiſſe cærimoniam Eccleſiaſticam.

Cætera Auguſtini de chriſmate dicta nihil habent difficultatis. Vt quod ſcribit contra Donatiſtas diſputans; *Si ad hoc valet* (inquit) *quod dictum eſt in Euangelio*, Deus peccatorem non audit, *vt per peccatorem ſacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur?* Cum (inquis) ad hoc non valere Euangelij dictum contendat, vt ſacramenta per peccatorem non celebrentur, iſta quæ addit *oleum, & manus impoſitionem* ſacramenta eſſe neceſſe eſt. Fateor eſſe, ſed eo ſenſu, quem dixi; ritus ſcilicet ſacros, veri ſacramenti (ſcilicet baptiſmi) partes cærimoniales. Idque vel ipſos aduerſarios mecum confiteri neceſſe eſt; Sirmondum quidem, qui quod hic inter alia recenſetur, *oleum*, ſiue chriſma pro cærimonia baptiſmi illo æuo habitum fuiſſe docet; Petrum vero Aurelium, & cæteros, qui *manus impoſitionem*, quæ hîc itidem cum aliis numeratur, verum, plenum, ac integrum ſacramentum neque nunc eſſe, neque olim vnquam fuiſſe volunt. Nam manus impoſitionem hic ab Auguſtino memoratam non eſſe ipſam chriſmationem (quod iſti interdum ſomniant) ſatis eo demonſtratur, quod ipſa ſeorſum ab oleo, & quidem poſt interpoſitam Euchariſtiam nominatur. Siue ergo hic *manus impoſitionem* ex hæreſi conuerſorum, ſiue, vt Aurelius, pœnitentium intelligas; eam omnes aduerſarij cærimoniam & ritum fuiſſe volunt, non ſacramentum; ſiue de manus impoſitione neophytorum capias, ipſam quoque non ſacramentum, ſed ſacramenti (Confirmationis ſcilicet) partem cærimonialem fuiſſe tradunt. Ergo vel ipſos mecum fateri neceſſe eſt *Sacramenta* hic Auguſtino late ſumpto vocabulo dici quoſvis ſacros, & in religione Chriſtiana ſolennes ritus, ſiue vere ſacramentales & à Chriſto inſtitutos, vt baptiſmum & Euchariſtiam; ſiue cærimoniales & Eccleſiaſticos duntaxat, vt manus impoſitionem, & (quod ego quidem arbitror conſentiente etiam Sirmondo) oleum ſiue chriſma. Quod vero *manus impoſitionem* ab Auguſtino hic memoratam, etiam ad ordinationem referri poſſe putat Aurelius, id parum eſt probabile. Quorſum enim ille *ordinandorum*, hoc eſt miniſtrorum manus impoſitionem inter ea ſacramenta referret, quæ omnium fidelium communia recenſuit *baptiſmum, & Euchariſtiam, & vnctionem?* Omnino ſimilius veri eſt, vt hæc manus impoſitio eiuſdem ſit ordinis cum aliis hic ab eo recenſitis ritibus, baptiſmo, oleo, Euchariſtia, adeoque fidelium quorumuis communis, hoc eſt vel neophytorum (vt mihi quidem videtur) vel pœnitentium. Quanquam ne eam quidem manus impoſitionem, quæ in miniſtrorum ordinatione fit, plerique conſen-

De baptiſm. contr. Donat. l. 5. c. 20. T. 7. p. 63. b. 4.

Aurel. p. 450.

Aurel. p. 450.

conſentiant ſacramentum eſſe proprie dictum. Omnes fere eam quoque vulgo cenſent inter cærimonias, ſiue ritus ordinationis. Neque aliud ex eo concludi poteſt, quod alibi ait Auguſtinus *nos vngi in ſacramento.* Quo loco Dominum ait *Regem* fuiſſe, *& ſacerdotem, vtroque munere Chriſtum,* id eſt vnctum, *& ideo à chriſmate Chriſtum*; in eo nos, qui corpus eius ſumus, ipſi concorporatos, vnctos quoque eſſe, & Chriſtos factos, *& vnctionem iſtam perfecturam ſpiritaliter nos in illa vita, qua nobis promittitur*, in qua ſcilicet plane Reges, & ſacerdotes Deo futuri ſumus; Nos itaque *hic*, id eſt in hac vita, *gratiam Dei deſiderare, qua in nobis in fine perficietur. Vngimur enim modo in ſacramento* (inquit) *& ſacramento ipſo præfiguratur quiddam, quod futuri ſumus. Et illud neſcio quid futurum ineffabile deſiderare debemus, & in ſacramento gemere, vt in ea re gaudeamus, quæ ſacramento præmonſtratur. Vngi nos in ſacramento* dicit, id eſt in ſigno, ſiue ea re, quæ alterius, ſed futuræ, ſignum eſt, & qua illud, quod futuri ſumus, præmonſtratur. Hinc concludas licet chriſma, quo *modo* vngebantur in terris, ſignum fuiſſe, & ſymbolum, & quidem ſacrum; quo nempe, res diuiniſſima præmonſtrabatur, futura ſacerdotij & regni in Chriſtô noſtri gloria. Nemo negat; nemo reſiſtit. Vt id ſignum à Dominô Ieſu, non ab Eccleſiâ inſtitutum fuerit; vt ex eorum *ſignorum*, ſiue *ſacramentorum* genere ſit, quæ nunc ſtrictè, proprieque *ſacramenta* dicuntur; hinc quidem nullo vnquam Dialectices, vel etiam Sophiſtices tormentô, efficere potes. Idem eſt eorum ſenſus, quæ ſcripſit in aliô opere; *Omnes* (fideles) *quippe vnctos eius chriſmate, rectè Chriſtos poſſumus dicere: quod tamen totum cum ſuô capite corpus, vnus eſt Chriſtus.* Tametſi hæc quidem nihil nos cogit de chriſmate ſymbolicô intelligere. Multò rectius ea accipi putauerim de myſticô *Chriſti chriſmate*, id eſt de Spiritu Sanctô; quem, qui non habet, is neque Chriſti eſt. Hoc ſi verè proprieque loqui velimus, vnum *Chriſti chriſma* eſt. Sed P. Aurelius vexat quod idem alibi ſcribit; *Vnctionis ſacramentum eſt, virtus ipſa inuiſibilis, vnctio inuiſibilis, Spiritus Sanctus. Docet igitur* (inquit Aurelius) *ſacramenti vnctionis virtute præberi inuiſibilem Spiritus Sancti vnctionem.* Tuum erat Aureli, docere nos, quomodo hoc doceat Auguſtinus, ſi id nos ab eô volebas diſcere. Ille verò vnctionis *ſacramentum* eſſe dicit; dicit eſſe *virtutem*, & quidem *inuiſibilem*, cum ſacramentum ſit viſibile, & *vnctionem ipſam*, cuius & *ſacramentum viſibile eſt, & virtus inuiſibilis*, ipſam eſſe quoque *inuiſibilem*, nempe *Spiritum Sanctum*; vt infrà, *Eadem vnctio, id eſt, ipſe Spiritus Domini, qui docet homines.* Planus eſt eius ſenſus; *vnctionis* iſtius (de quâ Ioannes loquitur, & quam ipſe mox ait & ecce *inuiſibilem* & eſſe *Spiritum Sanctum*) *ſacramentum* quidem eſſe viſibile; *virtutem*, perindè vt ipſam vnctionem, inuiſibilem. Planè mirabilis artifex Aurelius, qui ex iſtis ſuum illud exſculpere potuit,

In Pſalm. 26. tract. 2. præf. T. 8 p. 53. d. 2. & 54. a. 1.

De Ciu. Dei l. 17. c. 4.

Rom. 8. 9.

tract. 4. in 1. Ioan. ep. prope extr. T. 9. p. 245. d. 2.

P. Aur. Orth. part. 1. c. 4. pag. 525.

ibid. tract. 4. T. 9. p. 246. a. 2.

ſacra-

ſacramenti vnctionis virtute præberi nobis Spiritum Sanctum. Hoc vnum addam Auguſtini orationem concinniorem, atque explicatiorem fore, ſi ita legatur, *Vnctionis ſacramentum eſt viſibile: virtus ipſa inviſibilis, &c.* Additô nomine *viſibile*; quod facile fuit à librariis ideo omitti, quod affinis ſoni vox *inuiſibilis* bis ſtatim occurrat. Eodem pertinet, quod in alio quoque opere ſcribit; vbi de Chriſtô vnctô à Patre, verba faciens; *Non vtiq; oleo viſibili* (inquit) *ſed donô gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguentô, quô baptizatos vngit Eccleſia.* Mox; *Nec ſanè* (inquit) *tunc vnctus eſt Chriſtus Spiritu Sanctô, quando ſuper eum baptizatum velut columba deſcendit. Tunc enim corpus ſuum, id eſt Eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt, in quâ præcipuè baptizati accipiunt Spiritum Sanctum.* Spiritus gratiam chriſmate *ſignificatam* fuiſſe dicit, verè & propriè; eius *virtute datam*, quod vult Aurelius, non dicit. Sed hic etiam aliud docet, quod nequevult Aurelius, nimirum neophytos in ipsô baptiſmô chriſmatos olim fuiſſe, adeoq; chriſma baptiſmi ipſius ritum, ſiue partem cærimonialem fuiſſe. Quid enim aliud eſt, quod ait Eccleſiam *baptizatos vngere?* Tum quod addit, idem etiam & quidem certius docet, Chriſti in baptiſmô columbam, vnctionem noſtram præfiguraſſe. Non autem præfigurauerit, niſi & in baptiſmô Spiritu Sanctô vngamur, ſicut in Chriſtum columba in ipſo baptiſmô deſcendit. Denique quid hoc quæſo eſt, quod poſtremò ait Auguſtinus *in Eccleſia præcipuè baptizatos accipere Spiritum Sanctum?* Nonne hoc vult accipere quidem & aliis temporibus Spiritum Sanctum in Eccleſiâ fideles; puta dum communicant menſæ Domini, dum orant, dum ieiunant; dum caſte ſanctèque vitam inſtituunt; præcipuè verò ac potiſſimùm, cùm baptizantur? Nam cum nulli in Eccleſia ſint non *baptizati*, omnino neceſſe eſt *baptizatos* eſſe hîc τοὺς φωτιζομένους, τοὺς βαπτιζομένους, *eos qui baptizantur*: quaſi dicat communicatos, reconciliatos, ordinatos accipere quidem in Eccleſiâ Spiritum Sanctum, ſed præcipuè *baptizatos*; id eſt vnô verbô, in hoc præcipuè baptiſmi ſacramentô accipere nos Spiritum illum Sanctum, & Chriſti columba priùs, & poſteà eo vnguento, quo ſuos vngit Eccleſia, præfiguratum, ac ſignificatum. Ex quibus tandem concluditur cùm res chriſmate ſignificata in baptiſmo præcipuè & detur, & accipiatur, ipſum profectò chriſma non aliò pertinere, quam ad baptiſmum, cuius vi ille chriſmate ſignificatus Spiritus nobis datur. Petrus Aurelius hæc quoque ex Auguſtino recitat; *Sed nondum eſt panis ſine igne. Quid ergo ſignificat ignis? Hoc eſt chriſma. Oleum enim ignis noſtri, Spiritus Sancti eſt ſacramentum.* Sed Sermo, ex quo illa deſumpta ſunt, non eſt certo Auguſtini; & à Louanienſibus eſt inter dubios relictus. Tum neque hæc eius verba probant chriſma proprie dictum ſacramentum eſſe; cum idem paulo ante *exorciſmum*, quem omnes pro mera baptiſmi cærimonia habendum eſſe confitentur, *ſacramentum*

l. 15. de Trinit. c. 26. T. 3. p. 186. d. e.

Aharet. p. 201. Au. Sermo 83. de diuerſ. T. 10 p. 555. D.

quoque vocauerit; *Exorciſmi ſacramento* (inquit) *quaſi molebamini.* Sed hinc quidem patet ex iſto, quiſquis ille ſit ſcriptore chriſma baptiſmi cærimoniam eſſe. Id enim inter eos ritus recenſet, quibus panis Chriſti ſimus. *Ante ieiunij humiliationem* (inquit) *exorciſmi ſacramento quaſi molebamini. Acceſſit baptiſmum & aqua; quaſi conſperſi eſtis, vt ad formam panis veniretis. Sed nondum eſt panis ſine igne. Quid ergo ſignificat ignis? Hoc eſt chriſma, &c.* Iam per baptiſmum fieri nos Chriſti panem, id eſt Chriſtianos, in vnam eandemque myſticam maſſam vnitos, & compactos, conſtat. Ergo baptiſmi *chriſma* quoque ipſum eſſe, perinde vt exorciſmum, & tinctionem, ſiue conſperſionem, hic quidem cenſuit; ſacramentum adeo id vocauit eodem ſenſu, quo exorciſmum; ſumpto late vocabulo, pro quouis ſacro ſigno. Neque hic omittendus eſt alius quidam Auguſtini locus, ex quo id ipſum, quod ex Prudentio ſupra obſeruauimus, diſcimus; in fronte fieri illo æuo ſolitam chriſmationem. *Quædam* (inquit) *ſacramenta ore accipimus* (Euchariſtiam intelligit) *quædam per totum corpus* (aquam nempe & oleum baptiſmi) *quædam in fronte per ſignum crucis*; chriſma (vt videtur) ſignificat, quod ſacramentis hic quoque accenſet, quod id ſacra ſit & ſymbolica cærimonia.

In Pſal. 141.

Hic placet & ex Proſpero locum inſignem addere, quod Sententiarum liber, in quo is legitur, ex Auguſtini libris excerptus ſit. *Chriſti* (inquit) *nomen à chriſmate eſt, id eſt ab vnctione, quâ ideo omnis Chriſtianus ſanctificatur, vt intelligat ſe non ſolum ſacerdotalis & regiæ dignitatis eſſe conſortem, ſed etiam contra Diabolum fieri luctatorem.* Hæc ex Auguſtini tractatu in Ioannem XXXVI. Colligit præcipua munera, in quæ à Spiritu Sancto inungimur, regnum, Sacerdotium, pugilatum. Hæc vnctione, qua ſanctificantur fideles in Eccleſia, non *effici* dicit, vel *fieri*, ſed *ſignificari* docet. Vigilanter enim hoc ſcripſit, *vt intelligat ſe eſſe conſortem regiæ, &c. dignitatis.* Illa ſcilicet vnctio monet nos, quid per baptiſmum conſecuti ſimus, ex ea intelligimus, quid illud ſit, per eam non illud ipſum ſimus. Hæc vera eſt norma, ad quam exigenda ſunt cæterorum Latinorum de chriſmatis vſu & officio dicta.

Sent. 144. T. 3. Aug. in Append. p. 431. C. 2.

LIBER

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Innocentij Pontificis Romani decretalis anno XVI. V. ſaculi data; quâ presbyteris frontem baptizatorum chriſmare primo prohibitum eſſe diſertè reperitur.

NVNC ſequitur illa iam ſuprà non ſemel à nobis memorata Innocentij Romæ Epiſcopi decretalis; anno Domini 416 data; annis ante ipſius Auguſtini mortem circiter quatuordecim, ſed eo tamen tempore, quo Auguſtinus eorum, quæ nuper ex ipſo laudauimus, plæraque iam ſcripſerat. In illa ergo epiſtola Innocentius de nonnullis Eccleſiaſticis ritibus conſulenti Decentio, Eugubino Epiſcopo, inter cætera de infantium, ſiue neophytorum conſignatione ita reſpondet; *De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam presbyteri licet ſint ſacerdotes Pontificatus tamen apicem non habent: hac autem Pontificibus ſolis deberi, vt vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & illa lectio Actuum Apoſtolorum, qua aſſerit Petrum & Ioannem eſſe directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam presbyteris ſeu extra Epiſcopum, ſeu praſente Epiſcopo baptizant, chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem eo eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum. Verba verò dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.* Hæc Innocentius; cuius vere ne ſit hæc epiſtola, ſcio à doctis viris, neque ſane abs re, fuiſſe dubitatum; quorum rationes alibi referentur. Illud conſtat cuiuſcumque ſit, eam iampridem ſub Innocentij nomine, non à recentioribus modo Canoniſtis, & multo vetuſtioribus ſacrorum rituum interpretibus Rabano, Amalario, aliis, ſed etiam ab ipſo Iſidoro, quem Hiſpalis in Hiſpania Epiſcopum anno Domini 600. non omnino ducentis poſt Innocentij mor-

Epiſt. 1. c. 3. Tom. 1. Conc. p. 751.

tem annis, ordinatum fuiſſe clarum eſt. Miſſa ergo nunc quidem omni de autore quæſtione, rem ipſam videamus. Illud in primis obſeruandum, quod ipſa Decentij, id eſt non laïci hominis, ac ne gregalis quidem clerici, ſed Epiſcopi conſultatio oſtendit, nondum anno Domini 416. apud omnes Eccleſias receptum, vel apud viros Eccleſiaſticos certum & indubitatum fuiſſe, vt Epiſcopi ſoli chriſmarent. Hoc enim ius ſi liquidò vel ab Apoſtolis conſtitutum, vel maiorum ſaltem auctoritate, vel denique Romani alicuius Epiſcopi, puta Sylueſtri lege apud omnes Chriſtianos iam tum receptum fuiſſet, id profectò Decentius, qui Epiſcopus erat, & quidem Eugubij, ciuitate Romæ vicinâ, ac propemodum ſuburbanâ, neſcire non poterat. Neſciuiſſe tamen fatetur hæc eius apud Innocentium conſultatio. Nec enim Epiſcopi conſulere maiores, ac præſertim ſummum, ſolent de rebus, quas vel diuini, vel certe Eccleſiaſtici, ſed publici ac vniuerſalis iuris eſſe pro certo atque explorato habent. Non de aliis quam de dubiis, atq; obſcuris conſulere omnes ſolemus, ac præſertim perſonas graues, & in maxima auctoritate conſtitutas. Conſuluit tamen, vt liquet, Innocentium vrbis Papam Decentius Eugubij Pontifex de conſignationis miniſtro. Ne ergo dubitaueris ius illius miniſterij valde dubium, atque obſcurum etiam eo tempore fuiſſe; de quo ſcilicet etiam Epiſcopus ſummum Chriſtianorum Papam interpellandum putauerit. Dubium autem vel obſcurũ id ius tunc temporis minime futurum erat, ſi id conſtanti & vniuerſali Eccleſiarum vſu iam inde ab Apoſtolorum æuo apud omnes Chriſtiani nominis homines receptum, atque factitatum eſſet. Hoc ergo, quod tamen Latini hominibus perſuadere conantur, falſiſſimum eſſe neceſſe eſt. Iam & hinc vides quam exigua haberetur illis ſæculis Papalium decretorum ratio, quámque anguſtis circumſcripta eſſet finibus legum Romæ de Eccleſiaſticis ritibus poſitarum auctoritas. Nam quo tempore hæc quærebat ab Innocentio Decentius, anni iam erant elapſi centum, cum iſta de quibus quærit, definiuerat Sylueſter, vrbicus & ipſe Papa, quod nos ſupra ſuo loco demonſtrauimus. Ergo Sylueſtri lex toto illo tot annorum ſpatio, ne in proximam quidem Vmbriam, cuius erat Eugubium ciuitas, ereptare ex vrbe potuerat; nedum vt eam toto ſtatim orbe promulgatam, pronoque omnium obſequio receptam, veluti ſacroſanctum communis Monarchæ edictum, vel oraculum, fuiſſe putemus; quod eſt bellum ſanè, ac ſuaue, præſentium Latinorum de ſuis Papis ſomnium. Id Sirmondus, & pro ſua eruditione vidit, & pro ſuo candore obſeruauit his verbis; *In Italia ipſa* (inquit) *vix extra vrbem vicinas Eccleſias inſtitutum hoc* (de ſignanda à ſolis Epiſcopis fronte?) *tenuiſſe illa Decentij Eugubini in Vmbria Epiſcopi conſultatio declarat.* Innocentius quidem in ipſo epiſtolæ limine queritur, *quod vnuſquiſque, non quod traditum eſt,*

Antirrh. 2. c. 7. p. 53.

(id eſt

(id eſt, quod Romæ Epiſcopo placuit) *ſed quod ſibi viſũ fuerit, hoc æſtimet eſſe tenendum, indeque* arceſſit, *quod diuerſa in diuerſis locis, vel Eccleſiis, aut tenerentur, aut celebrarentur, ſcandalumque populis fieret.* Vides nondum eo ſæculo Chriſtianitatis vniuerſæ normam, aut canonem fuiſſe Romanum morem, quod diuerſis poſtea artibus, & fraude eo vi ſuâ, & hominum partim errore ac ſtultitia, partim etiam vel metu, vel ſtudio, aliquot poſtea ſæculis tandem aſſecuti ſunt vrbici Papæ. Eoque, vt vel ex huius epiſtolæ præfatione liquet, iam tum tendebat noſter iſte Innocentius. Sed & in ipſa epiſtola quanto ſupercilio ſua dictata profundit? *Manifeſtum eſt*, inquit, *non ab alio quam ab Epiſcopo conſignari infantes licere.* Quid ita, quæſo? *Nam* (inquit) *presbyteri licet ſint ſacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent.* Quid iſta ratiocinatione abſurdius fingi poteſt, *manifeſtum eſſe ab vno Epiſcopo conſignari infantes; quod presbyter (licet ſacerdos) pontificatus non habet apicem?* Primò, an ſit aliquis *Pontificatus apex*, quo presbyter careat, non immeritò dubitatur; & ab ipſo adhuc tum ſuperſtite Hieronymo definitum eſſe nullo iure diuino niti iſtum *apicem* facile ſcire potuit Innocentius. Iam ſi hoc, quod totius ratiocinationis fundamentum eſt, dubium ipſum & obſcurum, atque incertum, imò & falſo longè propius eſt, quo modo *manifeſtum* eſt, id quod hinc iſte colligit? Sed eſto tamen. Eo *Pontificatus apice*, quem habebant (ſed iure merè Eccleſiaſtico) illius temporis Epiſcopi, caruerint presbyteri; an propterea cõſequens eſt, vt ij *conſignare* non poſſint? Atqui etiam ſine illo apice baptizant, Euchariſtiam conficiunt, etiam ex te, Innocenti, *chriſmant*. Qui tot, tantaque, quamquam nullo apice inſignes, præſtant, quis eos quæſo, ſi ſanæ mentis ſit, *conſignare* non poſſe, non dico *manifeſtum*, ſed vel *probabile* eo fieri putauerit, quod illo tuo apice carent? Tu verò Decentio tuo illudebas, ô bone, cum hæc ita ſcriberes. Eiuſdem ſunt farinæ, quæ ſequuntur; primò illud, *conſuetudinem Eccleſiæ demonſtrare ſolis Pontificibus deberi, vt vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant.* Si de vniuerſa Eccleſia (quod abſurdiſſimè ſomniat Aurelius) hæc diceret Innocentius, falſi manifeſtus eſſet. Nam planè contrariam fuiſſe non modo Græcæ, ſiue Orientalis, ſed etiam Africanæ, & Hiſpanicæ, & Gallicanæ, imo & Sardinienſis, in Romæ vicinia, Eccleſiæ conſuetudinem, & fatetur ac probat Sirmondus, & ex iis quæ nos vel iam diſputauimus, vel poſtea etiam diſputaturi ſumus, manifeſtum eſt. Sed Innocentium (vt mihi quidem videtur) calumniatur Aurelius, dum hanc ei mentem fuiſſe vult. Ille verò de ſua vna, id eſt Romana, ſiue vrbica Eccleſia loquitur; Eius vnius conſuetudinem idoneum cenſet argumentum ad demonſtrandum, quid eſſet in ea cauſſa iuris. Nimirum Innocentius, qui iſtorum Romæ antiſtitum vetus eſt iam ab antiquiſſimis temporibus morbus, ſibi perſua-

ſerat nihil Romæ ſuæ fieri, quod non eſſet Apoſtolicum, ac diuinum, & omnibus omnino Chriſtianis ſequendum. Ergo iſte ſuæ (id eſt vrbicæ Eccleſiæ) hanc fuiſſe conſuetudinem intelligit, vt apud eam Epiſcopi, non alij conſignarent; quod ego facile concedo. Nempe id à Syluestro, qui hoc priuilegium Epiſcopis contulerat, primum inuentum, apud eam, cuius erat Epiſcopus Eccleſiam, hæſiſſe, & ad alias etiam aliquot ex illo exemplo ſi forte manaſſe nihil mirum eſt. Sed quod ille, velut principium quoddam notiſſimum aſſumit, ſuæ Eccleſiæ eam vim eſſe, atque dignitatem, vt quicquid illa obſeruat, id obſeruari debeat, nego: Negauerant iampridem Cyprianus & Firmilianus, neſciuerant omnes pænè Eccleſiæ, quæ etiam poſt inuectum illud Epiſcopis à Syluestro collatum priuilegium, ſuorum presbyterorum in neophytis conſignandis, manu & opera annis iam pænè centum in Africa, & in Hiſpania vtebantur; Neſciuerunt etiam poſt hanc Innocentij decretalem, Gallicanæ, Sardinienſis, Hiſpanicæ Eccleſiæ, quas (quod mox demonſtrabitur) diuerſum à Romano morem annis propemodum ducentis retinuiſſe conſtat. Sed neque leuior eſt Innocentij illa, quæ ſequitur, deliratio, qui *conſignationis*, ſiue *chriſmationis* ius ſolis Epiſcopis deberi, *demonſtrare* ait *illam lectionem Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Ioannem eſſe directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum*. Mitto iſtum fingere, quod nuſquam aſſerit illa Apoſtolicorum Actuum lectio, ea propriè de cauſſa miſſos fuiſſe duos illos Apoſtolos, vt *baptizatis Spiritum S. traderent*. Propius vero eſt *miſſos*, vt recens natam Samariæ Eccleſiam conſtituerent. Illud vero quale quæſo, eſt, quod iſte ſolis Epiſcopis licere conſignare ex eo colligit, quod Petrus & Ioannes orauerunt, & impoſuerunt manus ſuper eos, qui à Philippo baptizati fuerant, hique Spiritum Sanctum acceperunt? Primò, de *conſignatione*, ſiue *chriſmatione* nullum in Actis verbum. *Manus imponere* planè aliud eſt quam *chriſmare*. Ergo ridiculus eſt, qui ex eo quod Apoſtoli neophytis manus impoſuerunt, concludit ſolis Epiſcopis *chriſmandi* ius eſſe. Tum fac Apoſtolos (quod nulla Actuum, nulla diuinæ illius Scripturæ lectio aſſerit) neophytos *chriſmaſſe*; qua ratione inde conficies non aliis, quam Epiſcopis licere chriſmare? Sunt-ne Epiſcopi Apoſtoli? vel an quæ Apoſtoli fecerunt, ea Epiſcopis vel omnia, vel ſolis facere licet? Apoſtoli Spiritum linguarum, & prophetiæ dederunt; miracula ediderunt; plurima alia fecerunt, quæ nullum Epiſcopum facere videmus. Si hæc extraordinaria fuiſſe dicat Innocentius, ſe ſolos ordinarij miniſterij actus Epiſcopo vindicare; primò & hunc, quem dederunt Apoſtoli, Spiritum dare res fuit extraordinaria; adeoque perperam ordinario vlli miniſtro tribuitur. Fuit enim ille Spiritus linguarum, & prophetiæ, quod & nos ſupra ex ipſo Luca oſtendimus, & Innocentio multo doctiores

Act. 8. 15. 16. 17.

ctores Chryſoſtomus atque Auguſtinus apertiſſime docent. Sed & ſi rem ordinariam fuiſſe (quod falſiſſimum eſt) donauero illam Apoſtolicam Sancti Spiritus, vt ſic dicam, *traditionem*; cur eâ presbyteros magis excludam, quàm Epiſcopos? Nam & baptizant, & Euchariſtiam conficiunt, atque diſtribuunt presbyteri: quod idem Apoſtolos feciſſe ſcimus. Non ergo ſi Apoſtoli impoſuerunt manus, ſolis ideo Epiſcopis manus imponere licet. Neque eſt quod regerat Innocentius Philippum manus nequaquam impoſuiſſe. Primùm, hoc ſi ego negauero, vnde iſte probabit? Certè & Chryſoſtomus refert, & Oecumenius ſequitur hanc interpretationem; Philippum ideo manus non impoſuiſſe Samaritanis, non quod non liceret, ſed quod honoris cauſſa id Apoſtolis peragendum ſeruare maluerit, quàm ipſe peragere. Sed hoc quidem mitto. Illud rogo; quâ neceſſitate concludas presbyteris non licere, quod Philippo non licuit? Philippus enim non presbyter, ſed Diaconus fuit. Ergo hinc, etiamſi cætera omnia tibi, quod abſit, donentur; illud vnum ad ſummum concluſeris *diaconis* manum neophyto imponere non licere (quod ipſum tamen non conſuerant veteres Eccleſiæ) hoc quidem certe nunquam conficies, vt neque id presbytero, qui diacono maior eſt, miniſtrare liceat. Ad hæc omnia abſurda illud poſtremo accedit, quod ne ipſe quidem Innocentius ſuam hanc demonſtrationem quicquam valere, vel ſibi ſequendã eſſe putauit. Nam ſi quid ea valet, conficit ne presbyterum chriſmare fas ſit. Ipſe verô ſtatim, veluti repente omnis ſuæ demonſtrationis oblitus, presbyteris concedit, vt baptizatos, ſeu abſente, ſeu etiam præſente Epiſcopo, *chriſmate vngant*. Ergo ne ipſe quidem vllam vim habere putauit totum hoc ſuum argumentum; ac meritò quidem, quo vix aliud reperias ineptius, & ab omni parte futilius, ac ſolutius. Quod verò presbyteris chriſmare quidem concedit, ſed *extra frontem*, quam vni Epiſcopo ſeruat; id, inquam plane ioculare eſt, & dignum tanto Dialectico ſomnium. Vnde enim hoc habet? Ex quibus Actibus id hauſit? Ex quo ſaltem Eccleſiæ canone? Vt fingamus chriſmauiſſe Apoſtolos; vnde diſcemus quam partem corporis chriſmauerint? Cur frontem potius, quam vel pectus ſapientiæ domicilium, vel verticem, humani corporis apicem, & regiæ olim apud Iſrael vnctionis ſedem, chriſmaſſe eos ſuſpicabimur? Cũ ergo nihil habeat Innocentius, quo aſſequi poſſit, quam corporis partem vnxerint Apoſtoli, profecto ſi ſapit, omnem æque partem presbyteris chriſmandam vel concedet, vel negabit. Quod vero *frontem* illis eripit, temerè id & ex ſola libidine, abſque vlla ratione facit. In quo & hoc mihi abſurdiſſimum videtur, quod nouus hic legiſlator frontem presbyteros chriſmare vetans, ſimpliciter *extra frontem vngere* permittit, nulla propriè definita corporis humani parte, quam illi chriſment. *Presbyteris* (in-

 quit)

quit) *ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizant, chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis Epiſcopis debetur, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Extra frontem vngere iis licere dicit; quam partem vngere liceat, non dicit. Scapulas, cubitum, volam, pollicem, nares, aures, pedes, genua, quidvis denique, modo ne frontem, vngere presbyteris concedit; quæ mirabilis profecto eſt, planeque ſingularis noſtri huius legiſlatoris ſapientia. Sed in re noua, atque hactenus inuſitata fortaſſe iſti dubitare nonnihil, ac poſteris aliquid expoliendum relinquere licuit. Satis ipſi viſum eſt presbyterorum chriſma prima hac ſua lege fronte depellere; nouamque illam ſuam chriſmationis frontis, & extra frontem diſtinctionem ſtatuere. Arduum, & ſupra hominis modeſtiam putauit nouum ritum totum ſimul ac ſemel definire. Sed eius poſteri relictam ab eo Spartam magnis, longiſque, & plurium ſæculorum deliberationibus paulatim adornatam tandem perfecerunt; primò iubentes pectus à presbyteris chriſmari (quod diu obtinuit) denique & dimiſſo pectore in verticem ipſum ſcandere presbyterorum chriſma decernentes; quod hodieque apud Latinos viget. Atque hoc quidem primum eſt in omni Chriſtiana antiquitate *chriſmationis* presbyteralis ab Epiſcopali eo diſtinctæ, quod hæc in fronte, illa extra frontem fiat, monumentum. Nulla plane ante hunc Innocentium chriſmatio vſpiam occurrit, quæ ſic extra frontem fiat, vt non etiam in fronte. Græcos memini alias etiam præter frontem partes, pectus puta, & aures, &c. chriſmare; ſed nullum vel Græcum, vel Latinum memini, qui quem chriſmare ſinat, eum frontem chriſmare prohibeat. Neque ego ſatis capio, quid Innocentium impulerit frontem vertici, vel pectori præferre. Hoc vnum ſuſpicor, cum videret presbyteros chriſmandi iure, quo tot iam annos apud cæteras Eccleſias potiebantur, vix ac ne vix quidem toto, plane penituſque ceſſuros, illud, quo eos minus iratos haberet, cauiſſe, vt cætera, ſi liberet, chriſmarent; frontem quidem Epiſcopali chriſmati totam ſeruarent. Vtcumque ſit, illud quidem conſtat hanc Innocentij tam abſurdè, tamque nulla ratione ſcriptam, atque demonſtratam legem duplicem illam frontis & verticis chriſmationem diu poſtea in Occidente peperiſſe, cum noſtri homines variis artibus ſub Romani Epiſcopi iugum pene miſſi, quicquid ab illa ſede exierat, pro Apoſtolico dogmate venerarentur. Tum enim in hanc Innocentij decretalem incidentes, id quod anna decernit, ipſi pro vero, certoque confirmarunt. Sed hæc diu poſtea contigerunt. In præſens & ducentis (quod diximus) infra annis, in Occidente vel ignota, vel contempta ſic iacuit illa Innocentij lex, vt raræ in illo temporum decurſu Eccleſiæ occurrant, vbi ea bona fide ſeruaretur; quod ex ſequentibus patebit.

Capvt II.

Anno Domini 441. non fuiſſe obſeruatam Innocentij decretalem in Galliis; in quibus ſemel chriſmatos fuiſſe neophytos & chriſmaſſe presbyteros apparet ex Arauſicana Synodo I. cuius canon exponitur. Magna de eo Sirmondi & Aurelij certamina.

Nam in noſtra Gallia anno Domini 441. iam elapſis à morte Innocentij annis 24. Arauſicana Synodus vna chriſmatione contenta eſt, ea quæ in baptiſmo vel à presbytero, vel à diacono eſſet ex veteri more miniſtrata; epiſcopalem adeo illam ab Innocentio conſtitutam, velut inutilem vel repudiauit, vel certe neſciuit. *Nullum miniſtrorum* (inquit) *qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate vſquam debere progredi; quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate quacumque neceſſitate faciente non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos commonebitur. Nam inter quoſlibet chriſmatis vnius nonniſi vna benedictio eſt, non vt præiudicans quicquam, ſed vt non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* In Biniana vero editione eadem quidem habentur, ſed ſine longe diuerſo. Nam pro his Sirmondinis ex manuſcriptis aliquot exemplaribus expreſſis, *nõ vt præiudicans quicquã, ſed vt nõ neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Biniana editio contrario ſenſu legit, *non vt præiudicans quicquam dico, ſed vt neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Biniana editio *chriſmationem repetitam neceſſariam* eſſe ait, Sirmondina negat. Hinc natum nobile Sirmondum inter & Aurelium bellum, tribus vtrimque voluminibus, & quidem acerrimis, veluti totidem præliis geſtum: nec dum tamen finitum. Cum enim Aurelius emendationem canonis Sirmondinam reprehendiſſet obiter in quodam contra alium Ieſuitam opere, Sirmondus ſua tueri edita epiſtola eſt conatus; quam repetito paulò poſt certamine inuaſit Aurelius, acvt vir imos erat, aculeato, mordacique libello confutauit. Hunc Sirmondi *Antirrheticus I.* excepit; cui emiſſo ſane vægrandi *Anaretico*, mox viciſſim Aurelius occurrit. *Anaretico. Antirrheticum* alterum Sirmondus repoſuit; cui poſtremo Aurelius *Orthodoxum* oppoſuit. Tantum inter duos earumdem alioqui partium viros bellum conflarunt, non *quinque*, vt nuper apud quoſdam alios, *articuli*, ſed tres omnino litterulæ vnius voculæ *non*, quam alter eiiciendam, alter retinendam in illa canonis Arauſicani clauſula magnis vtrimque animis, contendunt. Libri exſtant, neque noſtrum eſt de certamine in alterutram partem iudicare. Tantum monebo de eo non falſo fortaſſe

cap. 2. Tom. I Conc. Gall. p. 71.

vſurpari poſſe illud Heſiodi vetus ---- ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. Nam & in Aurelio quædam ſunt bona; & in Sirmondo, vt vbique alias, plurima reconditæ eruditionis & ſingularis candoris plena. Quod ſi, quæ ſinguli habent vera, ea detractis vtrinque ſequioribus, coniungas ac permiſceas, de toto hoc chriſmatis negotio non malè, vt opinor, ſtatueris. Nam & Sirmondus *chriſmationem*, & Aurelius *manus impoſitionem* cærimoniam, non verum, aut integrum ſacramentum fuiſſe putant; quod vtrumque ſane verum eſt. Tantùm vtrinque reſecandum, ac repudiandum eſt, quod hanc ille, hic illam ſacramentum verum fuiſſe cenſent; quod vtrumque falſum eſt: & hoc ab illo non minus fœliciter euertitur, quam ab hoc illud profligatum eſt. Tum & Sirmondus ab Eccleſia chriſmationem traditam confitetur, & Aurelius vera ſacramenta nonniſi ab vno Chriſto iſtitui poſſe defendit, vere ſane vterque. Quod ſi vtrumque retineas, habebis quod veriſſimum eſt, & ab Aurelio fruſtra, licet magnis, & inuidioſiſſimis clamoribus vexatum, chriſmationem nequaquam eſſe veri nominis ſacramentum. Sed de Arauſicano quidem canone vereor ne tantæ iſtorum lites aërem fruſtra tamdiu verberarint. Omnis enim illa clauſula quæ ab his verbis incipit, *nam inter quoſlibet*, &c. de qua tam acriter, tamque pertinaciter inter ſe conflixerunt, omnino videtur, non Arauſicanæ Synodi eſſe, ſed recentioris alicuius ſcriptoris manù Arauſicano canoni aſſuta. Eò, vt ita credam, adducor primò vetuſtiſſimi cuiuſdam exemplaris auctoritate, quod eſt in Clariſs. Iuſtelli Bibliotheca; vt iam ante aliquot annos publice teſtatus eſt eruditiſſimus atque optimus D. Blondellus noſter. In eo autem codice tota hæc lacinia
Apol. Hieron. de Ep. ſect. 1. p. 145.
deeſt; & canon in his verbis deſinit; *quia inter nos placuit ſemel chriſmari.* Secundò; idem quoque ex eo confirmatur, quod in Concilio Arelatenſi ſecundo quod anno poſt Arauſicanum XI. Domini autem 452. habitum eſt, vbi hunc canonem laudari clarum eſt, plane vt in Iuſtelli codice, hæc quoque lacinia tota omiſſa deprehenditur, hoc
cap 17. Tom. 1. Conc. Gall.
modo. *Nullum miniſtrum, qui baptizandi recepit officium ſine chriſmate vſquam debere progredi, quia inter nos iuxta Synodi* (nempe Arauſicanæ) *conſtitutionem placuit ſemel chriſmari.* Tertiò; Burchardus & Iuo Car-
l. IV. c. 71.
notenſis licet ſæculo XI. ſexcentis poſt Arauſicanam Synodum annis
part. 1. c. 267.
floruerint, hunc tamen eius canonem ipſi quoque abſque illa lacinia exhibent, eumque in illis verbis, *ſacerdos commonebitur*, clauſiſſe videntur. Tametſi enim vterque hoc, quod deſcribunt capitulum, ex Synodo Vaſenſi cap. 5. citent; nonnullaque in eo paulo aliter legant, quam nunc in editione Arauſicanæ Synodi, vel Biniana, vel Sirmondina habentur; vix tamen vllus dubitandi locus eſt, quin hunc ipſum Arau-
Not. in de cõſec. d. 4. c. 125. Nullus.
ſicanum canonem in animo habuerint, quod & Gratiani decreti emendatores iudicarunt. Huc accedit manuſcripti codicis, ab Aurelio memo-

memorati conſenſus, in quo facta olim à Reginone Abbate circa ann. Domini 900. variorum canonum collectio continebatur. In ea enim collectione hunc ipſum Arauſicanum canonem legi, his omnino verbis, ſine illa, de qua diximus, clauſula ſcriptum, teſtatur Aurelius: *Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate vnquam debere progredi; quia inter nos placuit ſemel in baptiſmate chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos commonebitur.* Denique ipſa laciniæ verba addititia ſe eſſe tantum nō clamant. Náſiue illa cum Binio & Aurelio ſic legas, *non vt præiudicans quicquam dico*, ſiue cum Sirmondo ita malis, *non vt præiudicans quicquam, ſed vt non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*; vtrovis, inquam, modo legas, non videntur Synodi ipſius eſſe poſſe. Nam quicquid contra vitilitiget Aurelius, ineptum & abſurdum eſt, & veterum exemplo caret, vt Synodus, quæ ſcilicet ex pluribus conſtat Epiſcopis, in ſingulari numero ita loquatur, *non vt præiudicans quicquam dico*. Synodus haud dubie aliter eſſet locuta, ſi hæc eius verba eſſent, nempe ſic in numero plurali, *non vt præiudicantes dicimus*; idque cum ſentirent dictu fuiſſe neceſſarium, plane etiam ita ſcripſerunt (teſte Aurelio) Crabbus & Gratianus; vt ſcilicet (quod Latinis poſtremorum ſæculorum non eſt inſolens) adulterinæ laciniæ argumentum audaci correctione delerent. Quæ vero ad tuendam lectionem, *non vt præiudicans quicquam dico*, ex veteribus Synodis affert Aurelius, ea à re præſenti aliena ſunt. Nam in Synodis ſinguli, fateor, nonnunquam interfantur Epiſcopi; vt in Cartaginenſi ſupra à nobis laudata, *ſi iubet ſanctitas veſtra, ſuggero*. Sed quoties id fit, toties iſtius, qui vnus loquitur, nomen commemoratur, vt in illo loco, *Fortunatus Epiſcopus dixit*; Tum quid ille dixerit, recitatur. Sic in Sardienſi Synodo (quod notauit Sirmondus) frequens eſt, *Oſius Epiſcopus dixit*, &c. in Africanis, *Aurelius Epiſcopus dixit*, &c. vt nihil mirum ſit poſt rem ita narratam, in ſingulari numero efferri, quæ ab vno dicuntur. Et in Francofordienſi Synodo, quod exemplum maximè vrget †Aurelius, ex canone 4. clarum eſt Caroli Regis eſſe, non Synodi, quæ & eodem canone extremo, & ſequenti quinto habentur verba; *Statuit piiſſimus noſter, conſentiente Sancta Synodo*, &c. Hic nihil eſt ſimile. Non enim hic dicitur vnus aliquis ex Arauſicanis Patribus locutus (quod ſi factum eſſet, neminem turbaret vſurpatum in ſingulari numero verbum, *dico*) ſed hic canon velut vnius eiuſdemque cum cæteris cenſus decurrit; quibus non ſingulorum votum, ſed vniuerſorum ſententia liquido continetur, vt abſurdiſſimum ſit in huiuſmodi oratione verbum numeri ſingularis adhiberi. Itaque hoc Grotium, virum in Criticorum genere nobilem, concoquere potuiſſe miror. Iam, quod Sirmondus vt abſurditatem quam vidit ac confitetur,

resp. de Sirm. decan Arauſ. p. 301. exit.

Anæt. p. 431.

De conſec. d. 4 c. Nullus.

Concil. Cartag. 1. c. 3.

†Anæret. p. 431.

c. 4. Tom. 2. Concil. Gall. p. 194.

Epiſt. ad Gall. 146. p. 403.

tollat,

tollat, verbum *dico* expungit, & participium *præiudicans* cum nomine *chriſmatio repetita* conſtruit, atque ita interpretatur, vt ſignificet canon *nihil nocere* illam chriſmationem repetitã, non tamen eſſe *neceſſariam*; id inquam, ipſum non videtur poſſe conſiſtere. Nam vt codicum conſenſum plurimorum, & fortaſſe omnium, in quibus eſt illa lacinia, mittam, conſtanter legentium, *non vt præiudicans quicquam dico*, inuſitatum fuit Arauſicanæ Synodi temporibus *præiudicare*, dicere pro *nocere*. Recens eſt, & infimorum temporum proprius, eius vocis, tam ab origine ſua alienus abuſus; quod recte obſeruauit Grotius; qui Bartolum & Baldum putat verbum *præiudicare* in hoc nocendi ſenſu primos vſurpare cœpiſſe; & exortum ad iis auctoribus idiotiſmum hunc poſtea ad alios quoque ſcriptores diffuſum eſſe. Cum hæc ergo lacinia conſiſtere in Arauſicano canone abſque euidenti abſurditate non poſſit, ea omnino videtur ab aliquo antiquario, iis temporibus viuente, quibus chriſmationem repeti in vſum Eccleſiarum inuectum erat, primo in margine addita; mox, vt fit, librariorum negligentia in ipſum Synodi canonem irrepſiſſe. Huius verò laciniæ quiſquis fuit auctor, non inepte hic notat *chriſmatis vnam eſſe benedictionem apud quoslibet*, indeque colligit *vnum* quoque *eſſe chriſma*. Id enim vtrumque veriſſimum eſt. Quod addit ſe *non*, *vt præiudicantem quicquam hac dicere, ſed vt non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*; eo ſane & ſæculi ſui auctoritati, quo chriſmationem repeti mos erat, modeſte ac verecunde ſatisfacit, *ſe quicquam præiudicare* negans; & veritati tamen conſulit, dum *repetitam* illam *chriſmationem* docet nequaquam *eſſe neceſſariam*. Quæ poſtrema eius verba Latini cum à ſuorum temporum dogmate intelligerent eſſe aliena, expuncta negatione in contrarium ſenſum immutarunt, vt *neceſſariam*, quod negauerat, eſſe affirmaret repetitam chriſmationem. Inde illa Gratianeorũ, & editorum ac vulgarium exemplarium à manuſcriptis in huius loci lectione diuerſitas. (De conſec. d. 4. c. 125.) Veram eſſe, quam optima fide reſtituit Sirmondus, lectionem & vetuſtiorum codicum, ex quibus eam expreſſit, auctoritas, & res ipſa, quicquid oblatret Aurelius, demonſtrat. Ratio manifeſta eſt. Nam, quod non minus vere, quam ſcitè, atque eleganter dicit Grotius, *Inſerendi negatiuam tot libris, nulla ſcriptoribus fuit cauſſa; auferendi eam, Romanis correctoribus eadem, quæ ſæpe, nequid appareret diſſonum à Romanis moribus; quo omnia traducere, velut in imperij ſui argumentum, ingens illis ſemper ſtudium fuit.* (Vbi sup. p. 402.) Atque hæc quidem de canonis Arauſicani lectione; quam ex iis, quæ diximus, omnino ſic conſtituendam exiſtimo; *Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate vſquam debere progredi; quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate, quacunque neceßitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos admonebitur.* Atque ita etiam placuiſſe video ampliſſimo

piſſimo viro, in nouiſſima Cypriani editione. De ſenſu canonis etiam maior eſt altercatio. Ac Aurelij quidem expoſitio abſurda atque inſulſa videtur, neque verbis neque rebus ipſis conſentanea. Ille enim contendit hanc eſſe legem, & quidem tunc primum in Galliis noſtris latam, de chriſmandis à presbytero in vertice, vel in pectore baptizatis, antea non fuiſſe id apud noſtros receptum; neque aliud iis chriſma vulgò cognitum, quam quo, ſed in fronte & à ſolo Epiſcopo ſcilicet, vngebantur neophyti. Nunc vero Gallos Epiſcopos, cum ab Innocentio ſuperinductam ex Romano more aliam baptizatorum chriſmationem intellexiſſent, eam ipſos hoc canone apud ſuos in poſterum vſurpandam promulgaſſe. Sed hæc Aurelij figmenta ab omni veri ſpecie abhorrent. Quod ſi hæc Patrum mens (quod vult Aurelius) fuit, cur hoc illi non dicunt? cur aperte non profitentur? Cur Innocentij, vel Romanorum non meminerunt? Cur hanc nouam, quam ſi iſti credimus, promulgant chriſmationem, à veteri ſolemnique non diſtingunt? Cur non hanc à ſolis epiſcopis, illam etiam à presbyteris, hanc in fronte, illam in *pectore*, vel in *vertice*, vel neſcio vbi *extra frontem*, factitari docent? Cur pro lege ænigma condunt, quod nemo Gallorum illius memoriæ intelligere poſſet? non magis quam Hiſpani Toletanorum ante annos 41. decretum eadem de re, vt nuper diximus; intellexiſſent? Cui enim, quæſo, in mentem venire poterat Arauſicanæ huius legis, *inter nos placuit ſemel chriſmari*, hunc eſſe ſenſum, *presbyteros in poſterum neophytis in ipſo baptiſmate chriſma, ſed in pectore, aut in vertice miniſtraturos*; *Epiſcopos verò eos in fronte extra baptiſma, vt antehac, ita quoque in poſterum chriſmaturos*? Bene cum humano genere actum eſt, quod iſte Aurelius legiſlator non fuit. Miræ enim futuræ erant eius leges, qui hæc, quæ ipſe ſentit, ea qua Arauſicani Patres vſi ſunt, oratione ſignificari potuiſſe putat. Hunc quidem ſuos ſenſus eloquendi morem, atq; vſum ſi in ferendis legibus ſecutus eſſet, quos ille gryphos, quæ ænigmata dediſſet? Primo Arauſicani Patres *quemquam miniſtrorum, qui baptizandi receperit officium, ſine chriſmate vſquã progredi vetant. Miniſtros* Aurelius dictos hic vult pro *presbyteris*. Atqui veteribus *miniſter*, ὁ ὑπηρέτης *diaconus* eſt; vt & omnes fatentur, & vel ex Vaſenſi canone, mox recitando patet. Neq; reſponderi poteſt *miniſtros, qui baptizandi receperint officium*, hîc in genere omnes, quibus ius eſt baptiſmum miniſtrare, intelligi. Id enim ſi ita eſſet, ipſi quoque *Epiſcopi*, quibus baptiſmi conferendi ius primò & ante omnes cõuenit, eo vocabulo cõtinerentur; cõtineri autẽ ex Aurelij hypotheſi abſurdiſſimũ eſt, qui vult presbyteris proprie hanc eſſe poſitam legem, eamque de chriſmatione, non epiſcopali, ſed presbyterali decernere. Tum addunt Patres, *quia inter nos placuit ſemel chriſmari*. *Chriſmari* etiam nunc, cum duplex eſt chriſmatio, ita ſimpliciter dictum, de

Rigalt. in Cyprian. p. 87.

Reſp. ad Epiſt. Sirmondi p. 291 & paſſim in Anat. & Orthod.

cap. 3.

potiori, id eſt de frontis *chriſmatione*, vt alibi diximus, intelligitur, quanto magis tunc apud Gallos de eadem intelligebatur, quæ apud ipſos, etiam Aurelio fatente, ſola hactenus in vſu Eccleſiaſtico fuerat, ſola vulgo nota erat? Aurelius tamen *chriſmari* hic poſitum vult, pro ea chriſmatione, quæ extra frontem apud eos non quidem vel tum fiebat, vel vnquam antea facta, ſed in poſterum facienda erat; quam mirabilem & ſolis Sphyngibus dignam elocutionem eſſe nemo negauerit. Iam illam, quàm contorta, & longe petita ſunt, *ſemel chriſmari*, id eſt, inquit Aurelius, *ſemel chriſmare preſbyteros in baptiſmate permitti, non iterum extra baptiſma, inſtar Epiſcoporum*? Quo loco Sirmondum miris modis exagitat, quod voces duas *in baptiſmate* ex priori parte canonis eiecerit, in qua apud Gratianum, Binium, Reginonem, &c. legebantur; *quia inter nos placuit ſemel in baptiſmate chriſmari*. Sed ille quidem nequicquam tumultuatur. Sirmondus, quod ſui codices habebant, edidit; quod Arelatenſis Synodus exhibet, quod Patres denique Arauſicanos ſcripſiſſe omnino veriſimile eſt. Cum enim nulla apud eos alia eſſet chriſmatio, præter eam quæ in baptiſmo fiebat, quod ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, & ex iis quæ infra dicentur, ſatis conſtat, nihil neceſſe fuit eos cùm *chriſmari ſemel* dicunt, monere id in baptiſmo faciendum eſſe. Sed & illa duarum vocum *in baptiſmo* additio Aurelio plane inutilis eſt. Fac enim Patres, quod vult Aurelius ita ſcripſiſſe, *inter nos placuit ſemel in baptiſmate chriſmari*, ego reſpondebo eo ſignificari chriſmationem illam, qua vna ſemel facta contenti ſunt Patres, eam ipſam eſſe quæ fiebat in baptiſmo; cui nullam aliam ſuperinduci volunt, vt *in baptiſmate* additum ſit ἐξηγητικῶς, non διακριτικῶς; quo doceretur, quænam ſit illa chriſmatio, quæ ſemel fit, non quo ſignificetur eam eſſe ab alia aliqua diuerſam, quæ poſt eam fiat. Petrus verò Aurelius ne ſic quidem habebit, quo ſuum interpretamentum conſtituat. Vult Patres permittere preſbyteris, vt *ſemel chriſment in baptiſmate*; vetare ne iterum extra baptiſmum chriſment; quod vnis Epiſcopis conueniebat. At nihil huiuſmodi tinniunt Patrum verba. Mitto, quod preſbyteros nullos toto canone nominant; ſolos *miniſtros*, id eſt *diaconos* nominant; quibus ſi quid prohiberent, non ideo preſbyteris id quoque prohibuiſſe cenſeri poſſent; quorum eſt ſcilicet multo in Eccleſia, quam diaconorum, maior dignitas, multoque latius atque amplius miniſterium. Sed fac preſbyterorum æque ac diaconorum meminiſſe canonem. An ideo verba illa *placuit ſemel in baptiſmate chriſmari*, ſignificabunt quod vult Aurelius, non licere preſbyteris extra baptiſmum chriſmare? licere in ipſo baptiſmo chriſmare? Minime vero. Illa enim verba, vt liquet, ſignificabunt in baptiſmo ſemel, non iterum, neque ſæpius, chriſmandos neophytos, à quocumque miniſtretur baptiſmus, ſiue à diacono, ſiue à preſby-

Reſp. ad epiſt. Sirm. p. 198. 199. Anarret. p. 451. 460.

presbytero, ſiue ab Epiſcopo. De ipſis baptiſmi miniſtris, an in baptiſmo tantum, an etiam extra baptiſmum chriſmare legitime poſſint, nihil ſignificant. Aiunt ipſum neophytum ſemel in baptiſmo chriſmari; adeoque & qui baptizat, ſemel dum baptizat, chriſmare debere. An baptizatus poſtea chriſmari, an baptiſtes poſtea itidem chriſmare ritè poſſit, non dicunt. Nam & ipſum Epiſcopum, quem poſt baptiſmum vult Aurelius chriſmare potuiſſe, in baptiſmo tamen æque ac presbyterum vel diaconum ſemel tantùm chriſmare fas eſt. Ergo Patres Arauſicani ne ſi ſic quidem, vt vult Aurelius, locuti eſſent, ideo tamen quam iſte vult, legem tuliſſent, ſed aliam quandam ineptam, inutilem, atque ſuperuacaneam; hanc ſcilicet ne presbyteri bis quenquam in baptiſmo chriſmarent; quaſi vero quiſquam tum eſſet, aut vero etiam poſtea fuerit presbyter, qui neophytos in baptiſmo non ſemel, ſed iterum, terve, aut quater chriſmare in animum ſuum induxerit. Apage frigidas iſtas, & inſulſas nænias; verè quod ex noſtrate adagio dixit Sirmondus, *gloſſas Aurelianas*; quæ canonem euertunt, ac inuoluunt, non explicant, aut illuſtrant. Cætera mitto Aurelij in explicanda canonis lacinia, haud leuiora peccata, in quibus nonnulla ſunt falſa ac peruerſa; quædam etiam inepta, ac ridicula. Sirmondus ſatis ea pro inſtituto ſuo exagitauit; neque nauci ſunt ſ...a illa ...φάρμακα, quibus plagas ſuas curare fruſtra ſtuduit Aurelius. Nos, qui laciniam iſtam Arauſicanorum Patrum eſſe non putamus, in iſtis confutandis, immorari nihil neceſſe eſt. Eorum vero lex in ipſo canone aperta eſt; Primò, *miniſtris*, id eſt diaconis, qui quidem baptizandi officium receperant, non concedit modò, ſed etiam præcipit, vt chriſment, quos baptizant; eoque chriſma, quoties ad id officium progrediuntur, ſecum habeant. Secundò vero decernunt, vt *ſemel chriſmentur* Chriſtiani; atque ita duo capitalia Latinorum recentium dogmata euertunt; chriſma duplex eſſe; & alterum à ſolo Epiſcopo adminiſtrari fas eſſe; Suum verò Arauſicani Patres & vnicum eſſe ſtatuunt, & eius vſum adeo presbyteris non negant, vt etiam diaconis concedant. Atque hanc eſſe Synodi mentem quod ſequitur oſtendit, in quo non alij commemorantur à ſacerdote in Confirmatione chriſmandi, quam ij qui in baptiſmate ex aliqua neceſſitate chriſmati non fuerant; quod plane cum iis conuenit, quæ apud Iuonem cap. 267. habentur. *In baptiſmate quacumque neceſſitate faciente qui non chriſmatus fuerit, in Confirmatione ſacerdotis perficiatur.* Vnde nemo non videt, qui chriſmati in baptiſmo fuerant, iis nullum in confirmatione chriſma illis temporibus adminiſtratum fuiſſe. Quo & illud pertinet, quod mox ſubiicit laciniæ autor, *vnius chriſmatis nonniſi vnam eſſe benedictionem*. Vt enim *olei, & chriſmatis* diuerſa, non vna benedictio eſt, quia res ipſæ diuerſæ ſunt; ita & chriſmatis, ſi vnum non eſſet, duplex quoque eſſet

Antirrh. I.

Decret. part. 1.

benedictio; quæ cum nunc vna ſit, apparet ipſum chriſma vnum quoque eſſe, non duplex. Denique id ipſum confirmat, dum negat *ſe quicquam præiudicare.* Ea enim deprecatio eſſet hoc loco ſuperuacanea, & inepta, niſi ſentiret id quod dixit cum nonnullorum vſu pugnare; Non pugnaret autem, niſi vnam eandemque eſſe ſentiret, & quam iſti repetebant chriſmationem, & qua ipſe vna contentus erat. Quare diſerte quoque negat *repetitam* illam *chriſmationem* eſſe neceſſariam, qua vna voce omne Latinorum recentium Confirmationis ſacramentum, in repetita hac chriſmatione ſitum, penitus ſuſtulit. Nemo enim verum ac legitimum ſacramentum *neceſſarium* eſſe ita ſimpliciter negauerit. Idem quoque agnouit Bellarminus, [a] qui, vt eſt apud Anſelium [b]; *canone hoc primo Arauſicano permitti presbyteris ſacramenti Confirmationis adminiſtrationem putauit.* Quam autem vanum ſit & futile hoc eius de *conceſſione*, ſiue *permiſſione* effugium; & ſupra in genere ad Synodum Toletanam oſtendimus; & Aurelius proprie hic, & quidem valide ex eo probat, quod Arauſicana Synodus, veluti hoc effugium de induſtria ac ex profeſſo præcludere vellet, Epiſcopos etiam morbo laborantes, quicquam eorum, quæ ſui ſunt muneris, presbyteris agendum permittere diſertiſſime vetuit his verbis, *ſi poſt omnia occurrerit imbecillitas fragilitatis humanæ, vt ſi quis Epiſcopus per infirmitatem, debilitatem vel aliquam, aut hebetudinem ſenſus inciderit, aut officium oris amiſerit, ea quæ nonniſi per Epiſcopos geruntur, non ſub præſentia ſua Presbyteros agere permittat, ſed euocat Epiſcopum, cui hoc, quod in Eccleſia agendum fuerit, imponat.* Cum ergo *frontem chriſmare* fateatur Bellarminus presbyteris & diaconis per Patres Arauſicanos licere, non poteſt negare hoc ex iis tum nequaquam fuiſſe, *quæ nonniſi per Epiſcopos gerebantur*; ex quo genere ſi fuiſſet, nunquam per iſtos vel præſente & permittente Epiſcopo id attingere presbytero licuiſſet. Vnde poſtremo liquet ipſam frontis chriſmationem fuiſſe adhuc presbyterorum, imo & diaconorum cum Epiſcopis anno Domini 441. in Gallia communem. Atque hæc quidem canonis Arauſicani vtraque pars clara eſt; prior, ne miniſter baptiſmi vſquam ſine chriſmate progrediatur; poſterior *ſemel chriſmari placere.* Supereſt vt vtriuſque inter ſe nexum, qui obſcurior eſſe videtur, videamus. Non enim ex eo quod *ſemel chriſmari* oporteat, videtur eſſe conſequens, vt *baptiſmi miniſter ſine chriſmate nuſquam progrediatur*; quod tamen poſterius ex priori deducunt. Hanc enim eius quod ſtatuerunt, ne baptiſmi miniſter ſine chriſmate progrediatur, rationem ſubiiciunt, *quia inter nos placuit ſemel chriſmari*; abſurdè, vt videtur. Nam, vt obiicit Aurelius, *an extra baptiſmum alio tempore ſemel fieri non poterat?* Sirmondus, vt huic obiectioni occurreret, *ſemel* hic pro *vna & non diuiſim* à Patribus poſitum eſſe dixerat; quod cum tanquam obſcurum, & inuſitatum

illuſiſ-

a. Bellarm. de Confirm. c. 12. §. Eſt quidem
b Reſp. ad Sirmond. p. 192.

Can. 29.

Anthod. part. 2 c. 11. p. 624.

Apolog. p. 435.

illuſiſſet Aurelius, Sirmondus in altero Antirrhetico vindicat, locis ex idoneis Latinæ linguæ auctoribus prolatis, in quibus particula *ſemel* eo ſenſu accipitur. Sed Aurelius de more multa cauillatur; & pertendit ne ſic quidem explicari difficultatem. *Quis enim* (inquit) *ita accipiat illud.* Placuit ſemel chriſmari; *hoc eſt chriſmationem in aliud tempus non differri, ſed coniunctim fieri in baptiſmo?* Fateor, ſi iſta ſola, & ſeorſim ab omni de baptiſmo mentione dicta eſſent, haud facile fore intelligere mentem dicentis eſſe, vt chriſmatio vna cum baptiſmo, non diuiſim & ſeorſim ab eo fiat. Nunc cũ in canone Arauſicano non ſola ſint hæc verba, ſed iſta in eadem orationis clauſula præceſſerint; *Nullus miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate vſquam debet progredi*; non eſt (vt mihi quidem videtur) difficile intelligere id quod continenter ſubiiciunt, *ſemel chriſmari placere*, ad baptiſmum, qui proxime ſignificatus erat, referri; ſic vt velint Patres chriſmationem à baptiſmi miniſtro ſimul & ſemel cum ipſo baptiſmo peragi. Neque vllo Oedipo, quod clamat Aurelius, ad hæc capienda opus videtur. Sed tamen, quod auctorem laciniæ huic canoni, vt diximus, aſſutæ videam voculam illam *ſemel* hic in vulgari ſignificatione ſumpſiſſe, vt *chriſmatis*, non modo à baptiſmo diuiſionem, ſed etiam multo magis *iterationem*, ſiue *repetitionem excludat*; (negat enim eam eſſe neceſſariam) à familiari & communi huius particulæ ſenſu vix putem hic diſcedendum. Itaque aliter Aurelio ſatisfaciendum eſt. Negat ille ex eo quod *ſemel ſit chriſmandum*, ſequi vt baptiſmi miniſter nuſquam ſine chriſmate progredi debeat; quia, inquit, chriſmatio, etiamſi ſemel facienda ſit, poterit tamen extra baptiſmum fieri, adeoque nihil neceſſe erit miniſtrum baptiſmi chriſma, quo eam in baptiſmo peragat, ſemper in promptu habere. Fateor hanc Aurelianam obiectionem vim habituram, ſi chriſma veteres, perinde vt hodie aduerſarij ſacramentum per ſe à baptiſmo diuerſum eſſe putaſſent. Nunc nullam habet, cum veteres (quod ſupra demonſtrauimus, & infra ex aliis inſuper confirmabimus) chriſma baptiſmi cæremoniam eſſe, & ad eius perficiendum atque abſoluendum ritum pertinere ſenſerint. Hoc enim conſtituto, quod apud eos notum, receptumque erat, liquet *ſi chriſmari ſemel* oportuit, omnino id quod præcipiunt Patres, fuiſſe conſentaneum, *ne* ſcilicet *baptiſmi miniſter ſine chriſmate progrederetur.* Huc & illud acceſſiſſe videtur, quod aliqui Epiſcopi quibus manus imponebant (id enim officium illis ſolis iam ante annos 70. attributum fuiſſe ſupra ex Hieronymo didicimus) eos fortaſſe etiam chriſmarent, quod id aliquando ab Epiſcopis fieri præcipiebant canones; quoties ſcilicet ob aliquam neceſſitatem omiſſa fuerat in baptiſmate chriſmatio. Eò omnino reſpexiſſe videntur Arauſicani Patres; dum decernunt ipſos etiam diaconos chriſmare eos, quos baptizant, debere.

Antirrhet. 2. par. 2. c. 11. p. 149.

Orthod. par. 2. c. 11. p. 615.

Sibi enim placere vt *ſemel chriſmentur*, in ipſo ſcilicet baptiſmo, quoad quidem eius fieri poſſet. Si verò aliqua incidiſſet neceſſitas, quæ baptizatum chriſmari prohibuiſſet, eum verò Patres non negant poſtea chriſmari ab Epiſcopo, cum manum imponet, poſſe ac debere. Quò ſpectant illa, quæ ſequuntur, *De eo autem, qui in baptiſmate quacumque neceſſitate faciente non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos commonebitur*; nempe vt is (quod eſt apud Ivonem) *perficiatur*, hoc eſt chriſma quod ei deerat, accipiat. Extra hanc à neceſſitate ortam cauſſam, cæteros, qui in ipſa baptiſmi celebratione vel à presbyteris, vel à diaconis chriſmati eſſent, iterum à quoquam chriſmari nolunt, quòd *ſemel* ſcilicet *chriſmari* ſatis eſſe iudicent. Quod vt obtineat, neque vlla exiſtat turbandi, aut duplex chriſma inuehendi occaſio, ipſos quoque qui baptizant; diaconos eoſdem & chriſmare, ac idcirco ſemper cum chriſmate, ad peragendum officium progredi iubent. Atque hæc quidem de Arauſicano illo canone, quem Sirmondi, Aureliique certamina plurimùm nobilitarunt, ad inſtitutum noſtrum ſatis eſſe videntur. Ex quibus videre eſt, quàm varius diuerſuſque tum fuerit Eccleſiarum in hoc negotio vſus. Omnium Latinarum hoc commune iam tum fuiſſe videtur, vt *manus impoſitionem*, quæ olim & presbyterorum fuerat, ſoli miniſtrarent Epiſcopi; Chriſmationem verò in Hiſpania ex Toletano canone Epiſcopi & presbyteri, excluſis eo iure Diaconis, apud Gallias verò ipſi etiam Diaconi miniſtrarent; Romæ ſoli Epiſcopi in fronte chriſmarent; extra frontem, etiam presbyteri; ibique adeo duplex eſſet chriſmatio, alibi vna, vetus ſcilicet, quæ in fronte fiebat. Itaque hoc Epiſcoporum Romæ erat *προνόμιον*, vt ſoli neophytis manus imponerent, & chriſma in fronte miniſtrarent; In Hiſpaniis & Galliis (Africæ eadem fuiſſe videtur ratio) hoc tantùm, vt manus imponerent; ſic tamen, vt ſi quâ faciente neceſſitate, chriſmati in baptiſmo non fuiſſent infantes, iis tum cum manus imponebant, chriſma quoque miniſtrarent; Extra hanc auſam, nihil aliud, quam manus imponerent. Hæc omnino fuiſſe videtur per illa tempora vtriuſque huius ritus, quod ad miniſtrum pertinet, ratio.

Capvt III.

Chriſmaſſe in Gallia eorum temporum presbyteros probatur ex eiuſdem Synodi Arauſicanæ Can. 1. *& ex Synodo Vaſenſi I. cap.* 3. *& ex Arelatenſis ſecunda, cap.* 27. *Soluitur Leonis locus à Petro Aurelio obiectus.*

Qvod ipſum & alia multa præter ea, quæ diximus, confirmant. Nam & hæc ipſa Arauſicana in primis Synodus decernit, quod ſupra recitauimus, *hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi deſit Epiſcopus, à presbyteris cum chriſmate, & benedictione conſignari, ſi ij Catholici eſſe deſiderarent.* Vnde videre eſt hæreticorum receptionem, rem ſcilicet minus vulgarem, minuſque (vt ſic dicam) ordinariam epiſcoporum magis propriam fuiſſe, quam neophytorum initiationem. Hanc enim presbyteris vbique, & abſolutè; illam nonniſi in mortis diſcrimine permittebant. Neophytos paſſim & presbyteri & diaconi chriſmabant; ex hæreſi conuerſos, ſoli quidem Epiſcopi alias ſemper, in neceſſitate verò, etiam presbyteri. In quo & illud obſeruandum eſt presbyteros, ſi quos in huiuſmodi neceſſitatis articulo ex hæreſi conuerſos chriſmarent, iis *& benedixiſſe,* id eſt *manum impoſuiſſe*; non item neophytis, quos chriſmabant; Hos enim ex ritu ab Hieronymo tradito, videntur Epiſcopis manus impoſitione confirmandos reſeruaſſe. Con. 1.

Huc quoque pertinet Vaſenſis primæ Synodi anno ſequenti, id eſt Domini 442. habitæ canon; *per ſingula* (inquit) *territoria presbyteri, vel miniſtri* (id eſt Diaconi) *ab Epiſcopis non prout libitum fuerit à vicinioribus, ſed à ſuis propriis per annos ſingulos chriſma petant, appropinquante ſolennitate paſchali; nec per quemcumque Eccleſiaſticum, ſed ſi qua neceſſitas, aut miniſtrorum occupatio eſt, per ſubdiaconum; quia inhonorum eſt inferioribus ſumma committi. Optimum autem eſt, vt ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo vſurus eſt. Si quid obſtat, ſaltem is cuius officij eſt ſacrarium diſponere, & ſacramenta ſuſcipere*; id eſt, vt liquet ſubdiaconus. Similis fuit ſupra recitatus Cartaginienſis IV. Synodi canon 36. hinc ergo & in Gallia obtinuiſſe videmus, vt ſolus Epiſcopus, chriſma quidem conficeret; presbyteri tamen & diaconi *eo in tradendo vterentur*, id eſt chriſmarent. Id enim docet à Synodo allata eorum quæ ſtatuerat, ratio, *optimum eſſe, vt is* ab epiſcopo *ſuſcipiat, qui in tradendo vſurus eſt. Siquid obſtat, ſaltem is cuius officij eſt ſacrarium diſponere.* Statuerat autem Synodus, vt presbyteri & diaconi chriſma ab Epiſcopo ſuſciperent, ſi C. 3. Tom. 1. Concil. Gall. p. 77.

qua

quæ eſſet neceſſitas, ſaltem ſubdiaconus. Ergo illorum quidem erat *chriſmate in tradendo vti*; huius verò *ſacrarium diſponere*. Reſpondet Aurelius Patres Vaſenſes de chriſmate extra frontem illito intelligere; fruſtra, quod hoc tempore apud Gallias notum fuiſſe neque hic, neque alibi probauit. Quinimo anno ſuperiore, hoc eſt 441. nondum vlla lege apud Gallos receptum fuiſſe ipſe conſitetur Aurelius; neque alio decreto id noſtris innotuiſſe vult, niſi ſecundo Arauſicano canone; Cum ergo nullum de nouo illo extra frontem chriſmate verbum, in illo canone fiat, (quod fuſe nuper demonſtratum eſt) neceſſe eſt ne anno quidem ſequenti vſitatum, vel cognitum id apud Gallos fuiſſe. Vnde poſtremò conficitur Vaſenſem Synodum, quæ eo ipſo anno (hoc eſt, Domini 442.) habita eſt, ac de re nota, atque apud ſuos vſitata loquitur, de chriſmate intelligere, quo *in fronte* ex antiquo more, non quo *extra frontem* ex nupera Innocentij decretali neophytos vngi ſolenne erat. Synodus Arelatenſis, quæ anno Domini 452. habita eſt; *Nullum* (inquit) *miniſtrum, qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate vſquam debere progredi, quia inter nos, iuxta Synodi conſtitutionem, placuit ſemel chriſmari.* Canon, quod ipſi Patres ſignificant, Arauſicanæ Synodi eſt; de quo nihil eſt, quod ſuperioribus addamus. Tantum hinc obſeruandum eundem anno Domini 452. adhuc fuiſſe vſum, qui ante annos vndecim fuerat.

Iis temporibus Leo Romæ ſedebat, vir magni nominis; ex quo P. Aurelius hæc verba laudat; *Omnes Chriſto regeneratos crucis ſignum efficit Reges; Sancti vero Spiritus vnctio conſecrat ſacerdotes.* Si de chriſmatione locus intelligendus eſt, probat quidem eam tum fuiſſe in Eccleſiæ vſu; ſed & ad baptiſmum pertinuiſſe oſtendit, cuius munus eſt quod Chriſto inſerimur, & induimur, adeoque regiæ, ſacerdotaliſque dignitatis conſortes efficimur. Itaque quod nos *ſacerdotes vnctione effici* ait, id per ſymbolicam locutionem dicit, qua ſigno id tribuitur, quod baptiſmi, cui adhæret, propriè eſt. Atque ita accipienda Leonis verba altera pars docet, in qua itidem ait Chriſtianos *reges efficere crucis ſignum*; non quod *crucis ſignum* plenum aliquod & propie dictum ſacramentum ſit (quod ne aduerſarij quidem ipſi affirmarint) ſed quod *poteſtatis regiæ communicatio crucis ſigno, quo vnctio fieri ſolet, exprimitur*; vt ipſe ait Aurelius. Sed ex eodem Leone & Aurelius, & Bellarminus, & alij pæne omnes locum citant, quo negatur chorepiſcopis, adeoque & multo quidem magis presbyteris, ac diaconis licere, vel *chriſma conficere, vel eo baptizatorum frontes ſignare*. Tametſi verò hæc minimè nos petant, qui hunc Eccleſiæ vrbicæ vſum iam tum fuiſſe non negamus, tamen quod nonniſi veris, certiſque in hac diſputatione locum dare inſtituimus, reſpondemus epiſtolam, ex qua iſti obiectionem deſcribunt, falsò Leoni tribui. Reiecit eam & Sirmondus,

Orthod. p. 1. c. 6. pag. 148.

c. 27.

Orthod. part. 1. c. 4. p. 117.

Serm. 3 in anniuerſ. aſſumpt. p. 7. b.

vbi ſupra.

Anaretb. p. 448.

De confirm. c. 6 § octauo.

Epiſt. 86 (al. 88.)

monſtrans, *paulò acutiorum iudicio adulterinam eſſe* affirmatis. Merito; cuius & oratio à Leonina procul abeſt, & res omnes, paucis quibuſdam immutatis, ex ſecunda Synodo Hiſpalenſi, annis poſt Leonem 159. habita, furto manifeſto ſumptæ ſunt. Impoſtor qui eam confinxit, longam ad finem aſſuerat ex epiſtola Leonis 87. laciniam; quam quod impoſturam pateſaceret, Surius & Pariſienſes impudenter reſecuerunt; more noſtris Latinis iamdudum ſolenni; quo omnia falſi argumenta ex iis, quæ ſibi vtilia eſſe poſſunt, diligenter eradunt; ne talibus indiciis huiuſmodi librorum vitium & impoſtura deprehendatur. Eruditiſſimus Blondellus, ex quo hæc multo accepimus, omnia pro conſueta diligentia accuratiſſime notauit, quem videat, ſi cui animus erit penitius hæc noſſe.

Antirrh. 2. p. 19. c. 1.

Can. 7.

Cenſur. Epiſt. Papal. p. 568.

Capvt IV.

Recitatur & explicatur locus ex homilia de Pentecoſte; qua vulgò Euſebio Emiſſeno, ſed falsò tribuitur.

AD hæc quoque tempora pertinet homiliarum ſcriptor, qui vulgo ſub Euſebij Emiſſeni nomine, ſed falsò & inepte, vt eruditi omnes fatentur, laudari ſolet. Pars Fauſtum Regentem, vel Eucherium Lugdunenſem, [a] alij in quibus Blondellus & Sirmondus,[b] Hilarium Arelatenſem, fuiſſe volunt; qui vterque Leonis σύγχρονος fuit; Petrus verò Aurelius hominem mirifice faſtidit; Sirmondumque reprehendit, quod eum [c] *Hilarij Arelatenſis nomine ſæpius venditet, cum* (inquit) *ignotus & incertus ſit, homiliaſque illas non ab vno ſcriptas, ſed è variis collectas conſtet.* Ille vero ſcriptor etiam ſi libet, plane vt Apocryphus repudietur. Per me licet. Non equidem repugnabo. Quiqui ſit, eius tamen voces ſcitò diu pro primorum Pontificum oraculis apud Latinos habitas eſſe, etiamque hodie haberi ab iis, qui inuentis frugibus, glandes malunt. Ille ergo quæ ad hoc argumentum pertinent, iſta habet. *Quod nunc* (inquit) *in confirmandis neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc* (die ſcilicet primæ Pentecoſtes Chriſtianæ) *Spiritus Sancti deſcenſio in credentium populo donauit vniuerſis. Sed quia diximus, quod manus impoſitio, & confirmatio ei, qui iam renatus, qui iam regeneratus in Chriſto eſt, conferre aliquid poſſit; forte cogitat ſibi aliquis, Quid mihi prodeſt poſt myſterium baptiſmatis, miniſterium confirmantis? Aut quantùm video, non totum de fonte ſuſcepimus, ſi poſt fontem adiectione noui generis indigemus? Non ita eſt, dilectiſſimi. Attendat charitas veſtra. Sic enim exigit militaris ordo, vt cum Imperator quemcunque in*

a Bellarm. de ſcript. Eccleſ in Euſeb. Emiſſ.

b Antirrhet. 1. p. 70. & 2. p. 47.

c Ortho part. 1. c. 6 p. 55.

Homil. de Pente

militum receperit numerum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum; ita in baptizato benedictio illa munitio eſt. Dediſti militem; da ei adiumenta militiæ. Numquid prodeſt, ſi quiſquam parentum magnam paruulo conferat facultatem, niſi prouidere ſtudeat & tutorem? Paraclitus regeneratis in Chriſto cuſtos, & conſolator, & tutor eſt. Ideo dicit ſermo diuinus, Niſi Dominus cuſtodierit ciuita-
Pſal. CXXVI. tem, fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt eam. *Ergo Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. Quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inuiſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt, in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam, in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur. Ac ſic continuo tranſituris ſufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem neceſſaria ſunt confirmationis auxilia. Regeneratio per ſe ſaluat mox in pace beati ſæculi recipiendos; confirmatio autem armat & inſtruit ad agones mundi huius, & prælia reſeruandos. Qui autem poſt baptiſmum cum acquiſita innocentia immaculatus peruenit ad mortem, confirmatur morte; quia iam non poteſt peccare poſt mortem. Hoc ſi forte illud etiam requirendum velimus, poſt paſſionem & reſurrectionem Chriſti, quid Apoſtolis profuerit aduentus Spiritus Sancti, ipſe Dominus eis hoc euidenter exponit,* Quæ di-
Ioan. XVI. co, *inquit*, vobis non poteſtis ea portare modo. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, ipſe docebit vos omnem veritatem. *Vides, quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & conſtantiam dilatatur? Itaque ante deſcenſionem Spiritus Sancti, vſque ad negationem Apoſtoli deterrentur, poſt viſitationem vero eius, vſque ad martyrium, contemptu mortis armantur. Secundum hæc per Chriſtum redimimur; per Spiritum verò Sanctum dono ſapientiæ ſpiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, inſtruimur, conſummamur, vt illam Spiritus Sancti vocem audire*
Pſal. XXXI. *poſſimus.* Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via, qua gradieris.
1. Cor. II. *De Spiritu Sancto accipimus, vt ſpirituales efficiamur;* quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. *De Spiritu Sancto accipimus, vt ſapiamus inter bonum, malumque diſcernere, iuſta diligere, iniuſta reſpuere; vt malitiæ ac ſuperbiæ repugnemus, vt luxuriæ, ac diuerſis illecebris, & fœdis, indignisque cupiditatibus reſiſtamus. De Spiritu Sancto accipimus vitæ amore, & gloriæ ardore ſuccenſi, vt erigere à terrenis mentem ad ſuperna, & diuina valeamus.* Hæc hactenus illius de Pentecoſte homiliæ ſcriptor. Ac ea quidem, quæ fusè exſequitur de Spiritus Sancti ad nos confirmandos, & armandos contra quorumlibet hoſtium impetus, & de diuinis Spiritus illius in nos effectis, ſunt apud omnes in confeſſo. Neque quiſquam negat, quod & hinc apparet, & ex Hieronymo, aliiſque iam ſupra demonſtratum eſt, manum baptizatis & chriſmatis, ab Epiſcopo fuiſſe impoſitam. Quod hinc colligunt Latini ſuam

chriſ-

chriſmationem, verum & proprie dictum ſacramentum eſſe, id verò eſt quod negatur. Primum iſte de chriſmatione verbum nullum facit. De *manus impoſitione* omnis eſt eius ſermo. Atqui ea nulla nunc eſt apud Latinos. Ergo ſi quam iſte hic celebrat *confirmationem*, ea verum eſt ac propriè dictum ſacramentum; ſi per eam accepto Spiritu armamur, munimur, confirmamur denique; nullum eſt hodie apud Latinos *confirmationis ſacramentum*; omnes eorum milites nudi, atque inermes ſunt, qui ea ſcilicet *manus impoſitione* carent, qua iſte totum Confirmationis ſacramentum cenſuit. Quod ſi & Latinorum *chriſma* Confirmationis verè ſacramentum ipſum quoque eſt; profectò neceſſe eſt duo fuiſſe apud Chriſtianos confirmationis ſacramenta; vnum vetus *impoſitione manus* conſtans; alterum recentius (apud Latinos quidem) in ſola frontis chriſmatione ſitum. Quod enim Bellarminus cauillatur chriſmationem ipſam eſſe *manus impoſitionem*, id & ſæpe antea confutatum eſt, & hic locum habere nullum poteſt, cum iſte noſter ſiue Eucherius, ſiue Hilarius Chriſtiani militis *ſignationem*, quæ chriſmate fit, ab eiuſdem ὁπλίοις ſiue armatura (quam *manus impoſitione* fieri vult) apertiſſime veluti actum vnum ab alio diuerſo actu diſtinguat. Tum & Aurelius diſerte, neque ſemel confitetur *chriſmationem*, *& manus impoſitionem* duas partes olim fuiſſe, *quæ ſimul quidem* (id eſt eodem tempore) *ſed ſeorſim tamen, viciſſimque* (id eſt altera poſt alteram) *præbebantur*, item *primis & antiquiſſimis ſæculis diuerſas fuiſſe, ſaltem apud Latinos*; mutationis autem, quam in hoc negotio factam eſſe agnoſcit, poſteris à ſuperiorum conſuetudine nonnihil deflectentibus, initia non altius, quam à Beda, id eſt ab octauo ſæculo repetit. Certe ex iis, quæ nuper ad Hieronymum, & ad Toletanum, & Arauſicanum Concilium diſputauimus, ſatis conſtare arbitror & quarto adulto & quinto, in quo iam verſamur ſæculo, *chriſmationem & manus impoſitionem neophytorum*, adeo non fuiſſe vnum, eundemque actum, vt etiam à diuerſis vt plurimum miniſtrarentur, illa à preſbytero in ipſo baptiſmate, hæc ab epiſcopo poſt peractam initiationem, cuius ipſa erat veluti ſigillum, aut coronis. Cum ergo hic noſter teſtis circa annũ Domini 445. vixerit, pæne tribus ante Bedam ſæculis, non poteſt vel Aurelio iudice, ea cuius meminit, *manus impoſitio* idem numero actus intelligi cum *chriſmatione*. Neque melius eſt quod ipſe reſpondet Aurelius *Spiritum Sanctum manus impoſitione, & chriſmate infundi*, adeoque duos illos actus vnum eſſe Confirmationis Sacramentum; itaque noſtrum hunc ſcriptorem dum manus impoſitionem memorat, chriſmationem nequaquam excludere, ſed eam potius, veluti ſociam eiuſdem myſterij partem, comprehendere. Mitto, quod hæc iſte cõfingit ex mera ſua libidine, cauſſæ, quam defendit, iniquitate compulſus. Scio chriſmati multa Patres tribuere, vt Cyrillum verbi

Orthod. part. 1 c 7. p. 563. & 564.

Ibid. pag. 562.

gratia, & alios, de quibus ſupra. Sed iſtorum nemo, quod hunc comminiſcitur Aurelius, ex iſtis duobus actibus, veluti ex duabus partibus coniunctis, vnum ſeorſim ſacramentum fecit. Sæpe accidit, vt qui de chriſmate loquitur, verbi gratia Cyrillus, de manus impoſitione nullum verbum faciat; & contra, vt hic noſter ſtetis. Nam ille de chriſmate ne vnum quidem μῦ dixit. Sed qui ſtare poteſt Aurelij figmentum, cum nuper demonſtratũ ſit ſolenne illo æuo in Gallia & Hiſpania fuiſſe, vt chriſmaret presbyter, manum imponeret Epiſcopus? Quale quæſo, ſacramentũ iſtud fuit, & quomodo vnũ fuit cuius partẽ vnã presbyter, alterã nonniſi ſolus Epiſcopus miniſtrauit? Ad hæc quæro quo modo, quóve ſenſu dicat Aurelius, *Spiritum Sanctum manus impoſitione, & chriſmate infundi*? An propriè & æqualiter ab vtraque, tanquam à duabus rei vnius integrãtibus partibus? An ab hoc propriè & adæquatè, ab illa impropriè tantũ & metonymicè, qualiter interdum ſolent cæremoniis tribui, quæ eorum propriè ſacramentorum ſunt, quibus illæ adnexæ ſunt? Si prius illud dixerit, & ſuum Eſtium, & pleroſque omnes ſuarum partium Theologos oppugnat, diſerte docentes *manus impoſitionem* meram fuiſſe Confirmationis cærimoniam, *accidentalem* non *eſſentialem* (non enim accidentale ſed eſſentiale eſt id, a quo propriè effectum aliquod efficitur) tum & ad Sirmondum inuitus accedit, qui hoc effectum *manus impoſitioni* à veteribus propriè ac primario attributum fuiſſe defendit. Denique Latinam ſuam Eccleſiam intolerabilis ſacrilegij ream facit, quæ ex hac ipſius hypotheſi ex duabus ſacramenti Confirmationis partibus alteram expunxit, ac deleuit, hanc ſcilicet *manus impoſitionem*. Sin hoc poſterius malit, non equidem repugnabo. Gratulabor magis id, quod verum eſt confitenti, Patres ſæpe cærimoniis *impropriè ac figuratè* tribuere, quæ propriè ſunt, non ipſarum, ſed eorum ſacramentorum, quibus exornandis inuentæ ſunt, & adnexæ. Tantum negabo, quæ *manus impoſitioni* hic ab Eucherio tribuuntur, *chriſmatis* propriè eſſe (cui iſta non magis, imo etiam aliquanto minus, quam *manus impoſitioni* conueniunt) ſed vel baptiſmi, qui ea cærimonia claudebatur, ac (vt loqui ſolebant) *confirmabatur*, vel certe *orationis*, ſiue *benedictionis*, quæ cum manus impoſitione ſic arctè & indiuulſe cohærebat, vt eam Auguſtinus negauerit aliud eſſe, quam *orationem*. Denique figmentum Aurelij, ne ſi ſtet quidem, quicquam eius cauſam iuuat. Quicquid enim olim fuerit illa *manus impoſitio* ſiue Confirmationis pars integrans, ſiue accidentalis cærimonia, ſiue quid aliud; illud quidem clarum, certumque eſt eam nullam eſſe hodie in Latina Confirmatione; nihilque adeo ad Latinos pertinere veterum magnifice de eius vi dicta. Quod enim Aurelius contendit etiam nunc & quidem apertius quam olim, apud ſuos *manum confirmandis imponi*, dum eorum fron-

Orthod. part. 1. q. 7. p. 163.

tem

tum Epiſcopus pollice chriſmat; id inquam, omnem abſurditatem ſuperat. Quis enim tam ſtultus eſt, vt quem pollice tantum, vel digito ſummo pulſatum, aut perſtrictum vidit, ei *manum impoſitam* fuiſſe putet? Iſtæ vero meræ præſtigiæ ſunt; ſed craſſæ & impudentes, quibus iſte nobis vna ſua affirmatione perſuaſurum putat (adeo de noſtro ſtupore ſibi blanditur) vt quod aliud eſſe videmus, id *manus impoſitionem* eſſe credamus. Tum & hoc cum ipſo Aurelio pugnat. Concedit enim veterem *manus impoſitionem* actum fuiſſe à chriſmatione diuerſum. At Epiſcopalis pollicis per frontem ductus non eſt alius à chriſmatione actus. Ipſa chriſmatio eſt. Non ergo eſt, vetus certe *manus impoſitio*. Itaque cum ne ipſe quidem Aurelius pugnet aliud eſſe in Latinorum nupera Confirmatione, quod ad veterem illam manus impoſitionem pertinere, vel referri poſſit, aut debeat; profecto ipſum quoque, velit nolit, illud quod diximus confiteri neceſſe eſt nullam plane remanere in Latina Confirmatione manus impoſitionem. Quæ affert exempla, illa eius commentum adeo non iuuant, vt etiam iugulent. *Ita* (inquit) *in baptiſmo triplex merſio ad vnam redacta; hæc ipſa rurſus ad aſperſionem. In Euchariſtia corporis & ſanguinis Christi bina ſpecies in vnam redacta.* Atqui in his, inquam, manifeſtum eſt veterem ritum, non retentum, ſed antiquatum, & abolitum; & ridiculum fore, qui eum, qui vel nunc aqua baptiſmali aſpergitur, *merſum fuiſſe*, vel qui ſemel mergitur, *ter merſum fuiſſe* dixerit; vel *binas Euchariſtia ſpecies porrexiſſe*, qui hodierno Romæ ritu panem ſolum porrexerit. Itaque ſi appoſita ſunt exempla, ne *manum quidem impoſuiſſe* dici is poteſt, qui frontem tantum chriſmauit, nedum vt etiam, quam olim, *apertius impoſuiſſe* dicendus ſit; quod Aurelius, etiam Bellarmini inuerecundiam prætergreſſus, affirmare non dubitauit. Ac in baptiſmo quidem tam nobis ſemel, quam veteribus ter mergere, imo & tam nobis aſpergere quam illis mergere licet; quod Dominus Chriſtus non illud magis, quam hoc præcepit. Itaque etiam mutato hac in parte veteri ritu, nihiloſecius tamen conſtat noſter baptiſmus. In Euchariſtia idem licuiſſet recentioribus Latinis, ſi eadem eius eſſet ratio. Nunc cum & Chriſtus diſertiſſime præceperit, & omnis Chriſtiana Eccleſia, & olim ſemper, & nunc etiam præter Romanam ſeruet, vt ſpecies vini æquè ac panis communicantibus porrigantur; grauiſſimum Latinorum id crimen fuit, quod eam ex Euchariſtia exterminare ſic auſi ſunt, vt eam ſpeciem nulli ſumere liceat, niſi ei ſacerdoti, qui ſacramentum confecit. Cum ergo veterum patem fuiſſe in *manu* confirmandis *imponenda* religionem ex his Eucherij, & ſimilibus aliorum Patrum vocibus appareat; non modo confitendum eſt Latinos ritum mutaſſe, & eam, quæ apud veteres ſolennis erat, *manus impoſitionem* antiquaſſe atque aboleuiſſe; ſed & hoc inſuper admittendum, ſi *con-*

Ibidem.

firmatio vere ſacramentum ſit, grauiter eos hac in parte peccaſſe, & à maiorum ſuorum religione deſciuiſſe. Ex quibus iam illud, quod initio diximus, liquido perſpicitur, Encheriano ſiue Hilariano teſtimonio non modo non probari, ſed etiam refelli, atque euerti recentem Latinorum confirmationem, quæ illam in teſtimonio vnice laudatam, ac commemoratam *manus impoſitionem* nullam plane habet. Sed eo neque veterum Canoniſtarum, quam nunc Sirmondus videtur ſequi, ſententiam confirmari demonſtrandum eſt, docentium *manus impoſitionem* verum ac proprie dictum ſacramentum fuiſſe. Quid enim hinc ad id probandum afferent? An quod hic noſter ſcriptor ſpiritus in manuum impoſitione donum cum eiuſdem in Apoſtolos & credentes olim deſcenſione comparat? At illa vetus Spiritus deſcenſio nullum fuit proprie dictum ſacramentum. An quod *per manus impoſitionem* Spiritum Sanctum *ſingulis tribui dicit*? At & per *chriſma* Spiritum ſanctum dari alij Patres non parcius dicunt; neque tamen *chriſma* Canoniſtæ verum ac proprie dictum ſacramentum apud illos fuiſſe concedebant. An quod eam Confirmationem dicit? Atqui non tam id dicit, quam ea *confirmationem* ſignificari innuit; vt illud, quod poſtea accuratius dicetur, nunc mittam, calice quoque Euchariſtico *confirmari* communicantes dicere interdum Patres; vnde nemo colligit integrum, ac proprie dictum, & ab Euchariſtia diſtinctum calicis eſſe ſacramentum. An quod *benedictionem* illam (quæ fit per manuum impoſitionem) *munitionem* noſtram eſſe ait? Atqui & *oratio munitio* quoque noſtra eſt; neque tamen ſacramentum vllum eſt. An quod *in baptiſmo nos regenerari ad vitam; poſt baptiſmum confirmari ad pugnam, in baptiſmo ablui; poſt baptiſmum roborari*? Atqui & *confirmari*, & *roborari* ab eodē illo Paracleto, intelligit, à quo & regeneramur & abluimur; quod omnes veriſſimum eſſe confitentur. An denique quod poſt baptiſmum *in confirmatione augmentum nobis ad gratiam præſtari* ſcribit? Atqui id ipſum à Spiritu quoque præſtari ait; eodem ſcilicet gratiæ & donatore, & conſeruatore; & quidem in *confirmatione*, id eſt, dum nos baptizatos confirmat. Cæterum illius, quæ à Spiritu eſt, confirmationis ſymbolum ac ſignum olim fuiſſe manus impoſitionem, & hinc & aliunde conſtare confitemur; verum ac proprie dictum ſacramentum fuiſſe negamus. Itaque quod *ei, qui iam renatus eſt, aliquid conferre, Spiritum ſanctum ei tribuere*, &c. dicitur, id figurate dicitur, ex ea veterum loquendi ratione, quæ cærimonialibus ritibus ea tribuunt, quæ ſacramentorum proprie ſunt, ad quæ ritus illi pertinent. Quamquam & in *manus impoſitione* hoc peculiare fuit, quod ea nihil aliud eſſet, quam *oratio*. Ea ergo dicatur ſane & *Spiritum tribuere*, & *aliquid conferre*, & *confirmare*, & *augmentum ad gratiam præſtare*, & *armare* atque *inſtruere ad agones*, & alia huius generis ſexcen-

ſſecentia efficere; dummodo ea *efficere* intelligatur, non vt ſacramentum proprie dictum, ſed vt *oratio* ac *benedictio*, quo ſenſu *aſſiduam hominis iuſti deprecationem multum valere* Iacobus dixit; & nos vulgo Eliæ orationem cælos & clauſiſſe & reſeraſſe, dicimus; multaque alia fidelium precibus non minora tribuimus; quæ ſunt in omni & veterum & recentiorum ſermone obuia: Neque tamen ex iis quiſquam concludit orationem vllum eſſe ſacramentum. Ipſe hic noſter ſcriptor omnem hanc manus impoſitionis rationem ad baptiſmum referendam eſſe ſatis eo docet, quod *poſt fontem adiectione noui generis indigere nos negat*. Homini enim ex iis quæ dixerat colligenti *nos non totum de fonte ſuſcepiſſe, ſi poſt fontem adiectione noui generis indigemus*, exſerte reſpondet, *Non ita eſt dilectiſſimi*. Et mox, *qui Spiritus in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam, cum ait ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendiſſe illapſu*. Ergo & baptiſmi Spiritus eſt, qui in confirmatione accipitur. Quæcumque verò ſubiicit ea huc ſpectant, vt oſtendat nobis inter tot pericula verſantibus ſatis non eſſe, vt ſanctiſſimus ille Spiritus, nos in ſalutari lauacro ſemel regenerauerit, niſi operis & doni ipſe ſui & cuſtos, & conſolator, & tutor perpetuo adſit, niſique nos armet, & firmet ad pugnam; & omnibus iis præſidiis muniat, quæ ſunt ad perſeuerantiam in fide, & ad victoriam de hoſtibus neceſſaria. Quare & *morte confirmari* eum dicit, qui ex his certaminibus per mortem ereptus id aſſequitur, vt iam *peccare* amplius *non poſſit*; non quod vlla ei manus poſt mortem imponatur. Itaque *confirmare* huic ſcriptori proprie eſt, non *manum imponere*, ſed fidelem ita munire, ac cuſtodire, vt in peccatum, quo ab hoſte ſollicitatur, nequaquam incidat. Huius porro *confirmationis manus impoſitionem* ſymbolicam cærimoniam fuiſſe confitemur, eius hactenus conciliatricem, quatenus orationem coniunctam habebat, ſacramentum proprie dictum, neque ſine hic auctor docet. Sed nunc ad cætera pergamus.

Iacobi 5.16.

Capvt V.

Gelaſij Epiſcopi Romani, & Gennadij Maſſilienſis, ex quinto ſæculo extremo, loca ſeptimo ſæculo, anno Domini 517. *presbyteros adhuc chriſmaſſe patet, ex Concilio Epaonenſi, & in Hiſpania itidem, ex Martino Bracarenſi.*

Gelasivs iam præcipiti quinto ſæculo, anno Domini 492. in Romanam ſedem euectus, Syluestri & Innocentij exempla ſequens.

quens, & preſbyteros infra epiſcoporum faſtigium, quantum licebat, abiiciens, hanc de iis legem tulit. *Nec minus etiam presbyteros vltra modum ſuum tendere prohibemus, nec epiſcopali faſtigio debita ſibimet audacter aſſumere; non conficiendi chriſmatis, non conſignationis Pontificalis adhibendæ ſibimet arripere facultatem; non præſente quolibet antiſtite (niſi iubeantur) vel orationis, vel actionis ſacræ ſupplendæ ſibi præſumant eſſe licentiam; neque ſub eius aſpectu, niſi iubeantur, aut ſedere præſumant, aut veneranda tractare myſteria. Nec ſibi meminerint vlla ratione concedi ſine ſummo Pontifice, ſubdiaconum, aut acolythũ; ius habere faciendi, nec prorſus addubitent, ſi quicquam ad epiſcopale miniſterium ſpecialiter pertinens ſuo motu putauerint exequendum, continuo ſe presbyterij dignitate, & ſacra communione priuari.* Hæc Gelaſius; ad quæ vere obſeruauit Sirmondus, *nihil aliud iſtum de presbyteris cauere, quam ne conſignationem, aut alia epiſcopalia munera, temere ſibi arrogent; ſuoque, vt ait, motu aggrediantur, non adeò vetare, quin ea quæ Synodi vel Epiſcopi iuſſerint, impune ac ſine noxa exſequantur.* Male autem colligitur *conſignationem* iuris preſbyteralis non fuiſſe, ex eo quod eius *adhibendæ facultatem ſibimet arripere* preſbyteri prohibeantur; ſic enim concludendum eſſet neque iuris preſbyterorum fuiſſe *orationem*, vel *actionem ſacram ſupplere*, vel etiam præſente epiſcopo *ſedere, aut veneranda myſteria tractare*; (quod eſſet abſurdiſſimum) eo tantum collineat Gelaſius, vt preſbyteri in omnibus ſacris officiis, ab epiſcopo ſuo pendeant; velut à capite membra, quorum tamen ſua ſingulorum eſſe munia, ac iura nemo negauerit, tametſi ea ſine capitis nutu nunquam aggrediantur. Neque vero his obſtat id, quod non ſemel extollit Aurelius, *chriſmationem* hic à Gelaſio vocari *conſignationem Pontificalem*; quo nomine eam ſcilicet donat ex Eccleſiæ ſuæ more ac ritu, apud quam non alius frontem conſignabat, quam epiſcopus, vt ab Innocentio I. accepimus; non quod cæterarum Eccleſiarum eundem quoque eſſe vſum ſciret. Cupiuiſſe quidem, vt idem eſſet, ac pro virili ſua laboraſſe, facile eſt æſtimare, tum ex aliorum huius ſedis Epiſcoporum ingenio, quos fere videmus eò ferri, vt ſua omnium regulam ac normam eſſe velint; tum ex proprio huius typho, qui preſbyteros epiſcopis, quorum ſunt iure diuino pares, veluti totidem mancipia intolerabili ſupercilio addicit. Sed quæcumque Gelaſij mens fuerit, in chriſmatis vſu preſbyteris interdicendo, decretum quidem ipſum nullo iure, nulla ratione, ſolo Eccleſiæ vrbicæ vſu, eoque vna duorum Epiſcoporum, Syluestri, ac Innocentij libidine inuicto niti apparet; vt ex contraria non totius modo Orientalis, ſed & Africanæ, & Hiſpanienſis, & Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudine. contrariiſque Synodorum decretis patet. In Lucanis, ad quos ſcribit Gelaſius, Italiæ ipſius prouincia, preſbyteros ad id locorum chriſmaſſe ipſius tam atrox interdictum, tamque graui pœna

Epiſt. 9. ad Epiſc. Lucan.

Antirrh. 2. c. 6. pag. 42.

Orthod. part. 1. c. 6. pag. 545. bis.

ſancitum haud obſcure ſignificat. An iis quod volebat, Gelaſius perſuaſerit, vt in poſterum apud illius prouinciæ Eccleſias à chriſmanda fronte abſtinuerint preſbyteri, obſcurum & incertum eſt. Fuiſſe quidem nobiles Occidentis Eccleſias, in quibus & Gelaſij temporibus, & diu etiam poſtea, vetita à tribus Romæ Epiſcopis preſbyterorum in fronte chriſmatio perſeuerauit, ex eius ſæculi monumentis, quæ ad nos peruenerunt, ſatis, ſuperque manifeſtum eſt. Gennadius quidem Maſſilienſis preſbyter, Gelaſij σύγχρονος, de chriſmatis miniſtro nihil propriè dicit; tantum *chriſmate & manus impoſitione* ſuſceptos in Eccleſia Gallicana fuiſſe teſtis eſt ab ea hæreſi conuerſos, quæ in ſanctam Trinitatem baptizaret; quod teſtimonium, quia iam ſupra poſui, hic non repeto. Sed in noſtra Gallia, anno Domini 517. priſtinum vſum adhuc manſiſſe docet Epaonenſe Concilium; *Presbyteros* (inquit) *propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus, deſperatis & decumbentibus hæreticis, ſi conuerſionem ſubitam petant, chriſmate petimus ſubuenire. Quod omnes conuerſuri, ſi ſani ſunt, ab Epiſcopo nouerint expetendum.* Geminus eſt canoni Arauſicani primi, quem nuper exhibuimus; ex quo liquet, preſbyteris licuiſſe ex hæreſi conuerſos in mortis diſcrimine chriſmare; multoque adeo magis neophytos. Fuiſſe enim illorum receptionem, quam horum confirmationem operoſiorem, ex Arauſicana Synodo oſtendimus; quæ non minus diaconis, quam preſbyteris neophytos chriſmare, quoſcumque baptizarent permittit; ex hæreſi conuerſos *chriſmate & benedictione conſignare*, nonniſi preſbyteris, & quidem vrgente morbi neceſſitate, concedit; eorum extra hanc cauſam reconciliationem Epiſcopis reſeruans; quod diſerte hic expreſſerunt Patres Epaonenſes; dum id ipſum quod preſbyteris ſi graui morbo laborent conuerſi permittit, *ſi ijdem ſani ſunt, ab Epiſcopo expetendum eſſe* pronunciant. De Hiſpania idem multo etiam clarius teſtatur Martinus Dumienſis primo Abbas, poſtea Bracarenſis Epiſcopus, quem annū Domini 580. attigiſſe ex Gregorio Turonico pæne conſtat. *Presbyter* (inquit) *præſente Epiſcopo non ſignet infantes; niſi fortè ab Epiſcopo fuerit illi præceptum.* Qui canon cum ex Toletana prima Synodo excerptus ſit, de qua fuſe ſupra contra P. Aurelium diſputauimus, nihil eſt, quod in vindicando vero ac genuino eius ſenſu diutius immoremur.

De Eccleſ. dogm. c. 52. T. 3. Auguſt. in appendice.

Can. 16.

Hiſtor. l. 5. c. 38.

Coll. cap. 52.

Caput VI.

Sæculo ſexto extremo etiam in ipſa Sardinia, Italiæ vicina, chriſmaſſe presbyteros ex illuſtri Gregorij I. Epiſcopi Romani, loco probatur; qui ab aduerſariorum ſtrophis vindicatur. Alter eiuſdem Gregorij locus explicatur. Gregorij ſacramentarium, opus interpolatum.

SED nihil eſt, quod rem totam clarius illuſtret, quam Sardorum vſus, prouinciæ Italis vicinæ, & quidem (vt multi volunt) *ſuburbicariæ*; adeoque ex Nicæno canone Romano Epiſcopo proprie quodam ac peculiari iure ſubiectæ. Conſtat enim in hac inſula ad ſextum ſeculum iam præceps, neophytorum frontem chriſmaſſe presbyteros, tametſi id Romæ iam à Sylueſtri temporibus fieri deſiiſſet, & vero ne fieret, diſertiſſimis Innocentij anno Domini 416. Gelaſij poſt annum Domini 492. decretis prohibitum eſſet, quibus Aurelius, & alij Ioannis quoq; tertij epiſtolam quandã addunt anno Domini 571. datam. Sed ea epiſtola (præterquam quod chorepiſcopos *manum* neophytis duntaxat *imponere* vetat, de chriſmatione proprie nihil dicit) euidentiſſime falſa, atque ſpuria eſt. Baronius ex multis indiciis impoſturam arguit, eamque eſſe vult *ex ſuppoſitis mercibus Mercatoris, ſiue potius* (inquit) *ſubdoli* (verius dixiſſet *craſsi & ſtulti*) *venditoris*. Poſſeuini & Binij idem quoque eſt de ea iudicium; alicuius impoſtoris fœtum eſſe, idque multis manifeſtiſſimis argumentis deprehendi. Noſter Blondellus omnia nequiſſimi impoſtoris furta, vitia, *παροράματα* ita nudauit, vt cæcum eſſe neceſſe ſit, qui in tanta luce cæcutiat. Itaque miratus ſum inconditæ, ineptiſſimæque epiſtolæ, ſiue potius farraginis teſtimonium in hac diſputatione allatum eſſe, non quidem à Bellarmino (quid enim ille, quod modo ad rem faciat, repudiet, qui ne iis quidem aliquando abſtinet, quæ ſuo ipſe iudicio damnauit?) ſed à P. Aurelio, qui magnam vbique oſtentat veræ antiquitatis notitiam. Quin & ea hominis frons fuit, vt à Sirmondo de errore reprehenſus, adeo nõ erubuerit, vt etiam ſcripſerit *nihil ſe vidiſſe, cur* & hanc Ioannis III. & eiuſdẽ farinæ duas alias, Damaſi ſcilicet, & Leonis epiſtolas (quas nos quoque ſuis locis refutauimus) *improbaret*; *præſertim*, inquit, *ſi Damaſi epiſtolam demas, quam à nonnullis in dubium vocari non eram neſcius.* Quaſi vero & hanc Ioannis à compluribus ſuarum partiũ principibus Theologis, non, quod ait, *in dubium vocatam*, ſed reiectam, ac repudiatam, & notis infamibus compunctã fuiſſe, ſcire non debuerit tantus Theologiæ

Ann. Do. 572. § 3.

in Apparatu. not. ad Epiſt.

Orthod. part. 1, c. 6 p. 543.

logiæ & antiquitatis Eccleſiaſticæ magiſter. Ego vero, licet falſæ ſint & adulterinæ tres iſtæ Damaſi, Leonis, & Ioannis III. decretales, fateor tamen Romæ iam inde ab Innocentij temporibus prohibitum fuiſſe, ne presbyteri frontem chriſmarent; quod ex Innocentij ipſius, & Gelaſij ſupra recitatis epiſtolis patet. Illud vnum contendo aliter alibi etiam apud plæróſque Latinos factum. De Hiſpania & Gallia vidimus. Iam & in Sardinia presbyteros, etiam ſexto ſæculo extremo chriſmaſſe neophytorum frontes, ex Gregorio vt dixi, manifeſtum eſt. Is enim anno Domini 593. ad Ianuarium Caralitanum apud Sardos Epiſcopum ſcribens, (quem errore puerili Dominicus à Soto Conſtantinopolitanum Patriarcham vocat; Sardorum autem Græcorum Eccleſiam fuiſſe putat) ita decernit; *Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in fronte chriſmate non præſumant. Sed presbyteri baptizatos tangant in pectore, vt Epiſcopi poſtmodum tangere debeant in fronte.* Idem poſtea ad eundem anno Domini 594. ſuperius decretum refigens, ſcribit; *Peruenit quoque ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod presbyteros chriſmate tangere in fronte eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus, Et nos quidem ſecundum vſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus. Sed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, vbi Epiſcopi deſunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.* Atque hic obiter eſt obſeruandum, poſteriorem hunc Gregorij locum Latinos, quod eum opinioni de chriſmatis miniſtro ſuæ aduerſari intelligerent, impudentiſſime vitiaſſe, & pro eo quod auctor ſcripſerat, *eos qui baptizati ſunt*, &, *baptizatos chriſmate tangere*, peſſimo facto ſubſtituiſſe, *qui baptizandi ſunt, & baptizandos chriſmate tangere*, (quod in editione Pariſienſi anno Domini 1533. vtrumque ita excuſum eſt) quaſi Gregorius de neſcio qua, hactenus inaudita chriſmatione loqueretur, ante baptiſmum miniſtranda; non autem de ſolenni, quæ poſt tinctionem fit. Bellarminus hoc tam ſtolidum, tamque impudens ſuorum hominum facinus notauit ipſe, & confutauit his verbis. *Quia corruptus*, inquit, *eſt hic locus Gregorij, forte* (quaſi vero de hoc dubitandum ſit.) *à fautoribus contrariæ ſententiæ. Nam dicit ſe permittere*, vt baptizandos vngant (cum dicere deberet, *vt baptizatos*) *Conferatur hic locus cum epiſtola nona eiuſdem lib. 3. Inde enim manifeſte apparebit corruptio. Siquidem in epiſtola vigeſimaſexta dicit ſe id permittere, quod in epiſtola nona prohibuerat. Prohibuerat autem ne presbyteri vngerent in fronte baptizatos. Vnde etiam Gratianus & S. Thomas hunc locum ita citant, vt eſſe debet; non vt modo legitur in Codicibus impreſſis.* Hæc Bellarminus; quocum omnes eruditi hodie conſentiunt, non Sirmondi modo, ſed & Aurelij; id eſt non ij tantum, qui diſpenſandi hac in re ius Papæ tribuunt, ſed ij etiam, qui negant. Sed tamen inſignem hanc iſtorum corruptorum audaciam obiter obſeruare placuit, vt hinc diſcas quale ſit Latinorum

In 4. d. 7. art. 7.

Epiſt. l. 3 epi 9. C.

Ibid. Epiſt 26. extr.

Lib. de Confirm. c. 11. §. Eſt quidem,

noſtrorum gentis; quam nullius in tractandis ſacris antiquitatis monumentis religionis, aut pudoris; quam omnia ad ſuas opiniones trahere, torquere, mutare, inuertere facile; vt plane mirabilis, atque ſingularis cuiuſdam fuerit Dei prouidentiæ, quod quæ iſtorum erroribus, muſteiſque dogmatis repugnant, antiquitatis loca ſincera, & ab eorum manu, ac fraude intacta ad nos peruenire tam multa potuerint. Sed vt ad rem veniam, ex his Gregorij apertiſſime docemur in Eccleſiis Sardiniæ eum morem, etiam anno Domini 593. perſeueraſſe, vt presbyteri, vbi deerat Epiſcopus, baptizatos ipſi chriſmate in fronte inungerent. Niſi enim hic mos Caralitanorum; cæterorumque Sardorum fuiſſet, nihil cauſæ erat, cur vel Gregorius hanc, qua id vetabatur, legem primario eius inſulæ Epiſcopo Ianuario ſcriberet; vel cur accepta ac promulgata lege, Sardi *ſcandalizarentur*; quod ſcilicet non quæ ſolennia, legitima, ac vſitata, ſed quæ inſueta, noua, ac inuſitata ſunt, ea nos perturbare, & ſcandalizare ſoleant. Atqui & legem illam presbyteris chriſmatione frontis interdicentem Ianuario ſcripſiſſe Gregorium nona ipſius epiſtola loquitur; & accepta lege turbatos, ac ſcandalizatos fuiſſe Sardos altera, quæ 26ª. eſt, eiuſdem epiſtola, æque docet. Ergo fatendum eſt apud Sardos ad id vſque tempus ſolenne, atque vſitatum fuiſſe, vt presbyteri baptizatos in fronte chriſmarent; nouum & inſolens, & inuſitatum apud eoſdem fuiſſe, vt, quod lege lata decernebat Gregorius, ſolis epiſcopis id factitare liceret. Sed & ritum Romanum, vrbis proprium, aliarum adeo Eccleſiarum compluritum haud communem ipſe Gregorius (quod ſolerter & vere eſt à Sirmondo animaduerſum) eo tantum non fatetur, quod legem à ſe latam, oborto Sardorum ſcandalo, purgans, ait; *Et nos quidem* (inquit) *ſecundum vſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus. Romana*, inquit Sirmondus, *vt vides Eccleſiæ conſuetudinem dum memorat Gregorius, Eccleſiarum omnium, conſuetudinem non fuiſſe ſignificat.* Fruſtra hic tumultuatur Aurelius. Res clara eſt. Si enim (quod iſte inſciciſſime contendit.) lege præceptus à Gregorio ritus totius Occidentalis Eccleſiæ fuiſſet, non ab Epiſcopis, aut Synodis, ſed (quod idem iſte vult) à Chriſto ipſo, & ab eius Apoſtolis iam ab initio conſtitutus; frigida, ac nequid grauius dicam, inepta eſt Gregorij defenſio. *Vſum* affert *veterem.* Atqui, ſi Aurelio credimus, non *vetus*, ſed *perpetuus*, ſed ab ipſo initio ſolennis fuit. Vſum *Eccleſiæ ſuæ*, id eſt, vrbis Romæ dicit, Atqui is, ſi vera loquitur Aurelius, non vrbis modo, ſed orbis totius fuit; Latini quidem certe. Annon ſtultum eſt, cum tam firma, tamque inuicta habeas legis tuæ præſidia, his miſſis, tam molliter eam, tamque frigide defendere? Caralitano *vbiſci vrbis* tuæ morem opponere, qui vniuerſi orbis religionem poſſis, & *vetera* obiicere, quæ prima & ab initio poſita habeas? *At* (inquit Aurelius) *hæc frequentiſſima eſt*

Antirrh. 1. p. 67.

Anaret. p. 44.

Anaret. p. 44.

humili-

humilitas Patrum in loquendo, vt minus dicant, quam dicere poſſunt. Quaſi vero vel tantam cauſſam ita agere *humilitas* ſit, ac non præuaricatio; vel ita ſoleat iſte Gregorius, quo vix quiſquam eſt in Romanæ ſedis maieſtate, ac legibus defendendis ardentior; vnde & *Magni* cognomentum nactus eſt; quod egregiam operam Papali amplificando imperio nauarit. Quod vero obiicit Aurelius Innocentium hanc conſuetudinem iam antea *Eccleſiaſticam* dixiſſe, fateor; ſic dixiſſe; quod ea totius Eccleſiæ eſſet, nego; ſic dixiſſe, quod ſuæ Eccleſiæ eſſet, defendo; & firmat hic Gregorius; qui non aliam Eccleſiam, cuius ea conſuetudo fuerit, hic nominat, quam ſuam. *Eccleſiaſticum* enim dici etiam quod vnius, præſertim Romanæ eſt, nihil vetat. Vnde illud primo in genere obſeruandum eſt, quam nouum, quamque falſum, ac temerarium ſit, quod hodie contendunt, ac veluti totius Chriſtianiſmi fundamentum propugnant aduerſarij; vrbici Epiſcopi leges ab vniuerſis Chriſtianorum Eccleſiis inuiolabiliter obſeruari debere; atque ita ſemper iam inde à primis ad hanc vſque memoriam temporibus ab omnibus vere Chriſtianis eſſe factitatum. Atqui hinc videmus iſtius ſedis de chriſmatis miniſtro legem, non ab vno aliquo, ſed à tribus celeberrimis Epiſcopis Sylueſtro, Innocentio, Gelaſio, non nuper, aut nudius tertius; ſed iam inde ab anno Domini 325. latam; ac deinde iterum, atque iterum repetitam, adhæc in ipſa vrbe Roma iam ex antiquo (vt ex Gregorio hic diſcimus) obſeruatam, ne anno quidem Domini 593. (hoc eſt anno poſtquam ea primum lata fuerat, 268.) apud Sardos obtinuiſſe, id eſt in vna ex Italiæ prouinciis, pæne ſub vrbis oculis. Quinimo cum Gregorius, magni animi, maioris etiam famæ Epiſcopus legis obſeruationem vrgeret, repugnaſſe Sardos, atque ita quidem, vt vir prudens, quantumuis alioqui & ſuorum tenax, & Romani nominis ſtudioſus; concedendum iis putauerit, neque contra nitendum acrius. Quid Græcas, & gentes alias & longinquas, & nobiles feciſſe, qualiterve vrbici Papæ de religione leges habuiſſe putandum eſt, cum hæc & ſuburbana, & ſane (ſi cum Græcis & aliis non paucis comparetur) vilis Sardorum natio eius & antiqua & magnis nominibus commendata edicta tamdiu impune contempſerit? ab ipſo *Magno* (vt dicitur) Gregorio oblata faſtidierit, ac refutarit? atque hoc tandem euicerit, vt Romano more reiecto, ſuis id eſt contrariis moribus, ſibi viuere in poſterum liceret? Ac ne putes rem fuiſſe leuem, in qua boni illi Sardi ſibi licere exiſtimarunt à Romæ *vſu*, & Paparum legibus diſcedere; ac diſſentire; Petrus ecce Aurelius, grauis auctor, pronunciat eam rem tanti eſſe, vt ſi in ea *Occidentis Eccleſia ſedi* (vt loquitur) *Apoſtolica* (id eſt Romano Epiſcopo) *impune aduerſari potuerint, futurum quicquam eſſe*, neget; *in quo obtemperare eas debuiſſe*, ſibi perſuaderi poſſit. Eſto ſanè, quando ita ille vult. Non enim hoc, quod Orthod. part. 1. c. 5. p. 52.

ait, conſtituto, iam obſcurum eſt, nihil eſſe, in quo vel olim debuerint, vel etiam nunc debeant Chriſti Eccleſiæ vrbico præſuli obtemperare ex ſuo vnius arbitrio decernenti, (nam quæ à Chriſto & Apoſtolis tradita ſunt, in iis accipiendis, ac retinendis, non Romano Epiſcopo, ſed Chriſto & Apoſtolis obtemperare debent) Clarum enim eſt Sardinienſem, hoc eſt non modo Occidentalem, ſed etiam Italicam, ac pœne ſuburbanam Eccleſiam in ea re quam ipſe intelligit, vrbico Præſuli *impune eſſe aduerſatam.* Sed & ſecundo illud quoque quod ad præſentem controuerſiam proprie pertinet, ex hoc Sardorum facto obſeruandum eſt, quam falſa ſit omnis illa inuidia, qua idem Aurelius Sirmondum veris cedentem obruere paſſim iniquiſſime ſtudet, quaſi Papalis ſedis maieſtatem, ac iura eo minuat, quod apud Hiſpaniæ, Galliæque Eccleſias anno Domini 400. & ſequentibus, presbyteris præter Romanum morem chriſmationem frontis liberam fuiſſe ex Toletanæ Synodi, aliarumque decretis credere, ac docere auſus fuerit.

Ibid. & p. 521. & alibi paſſim.

Cum enim Sardos, id eſt Italicam & ſuburbanam Eccleſiam, nulla inuidia fuerit anno Domini 593. ritum Romanum refutare, qui & Innocentij, Gelaſiique legibus olim conſtitutus erat, & nunc grauiſſimo Gregorij viuentis præſentiſque, vt ſic dicam, edicto vrgebatur; intelligi non poteſt, cur inuidioſum ſit Toletanos Patres, longiſſime ab Italia remotos, quo tempore neque vllæ adhuc conditæ erant Innocentij, Gelaſiique decretales, neque vllus nouis de vrbe miſſis edictis vrgebat Gregorius, eundem illum, quem Sardi tam multis poſtea annis maluerunt, à Romano diuerſum ritum apud ſuos ſolennem retinuiſſe; Quod ſi id feciſſe Toletanos nulla inuidia fuit; certe neque vel idem feciſſe Gallos, vel id ab vtriſque factum credere nunc, ac docere, vlla inuidia eſt. Sed quid Gregorius de vtriuſque ritus iure cenſuerit, eius factum luculentiſſime docet. Ille enim cum ſua illa lege offenſos, ac ſcandalizatos fuiſſe Sardos intellexiſſet, præfatus quod huiuſmodi legem tuliſſet, id ſe *ſecundum vſum veterem Eccleſiæ ſuæ feciſſe*; continuo legem abrogat, ac Sardis, vt more ſuo vtantur concedit. *Sed ſi omnino aliqui* (inquit) *contriſtantur, vbi Epiſcopi deſunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.* Quid cuperet, lex ſatis oſtenderat. Nimirum quod iſtis vrbicis Epiſcopis ſolenne ſemper fuit, ſuæ Eccleſiæ morem ad alios propagare voluerat; vt religionem ipſa eius cum Romana conformitas ad hos ex vrbe veniſſe; ipſos adeo vrbis veluti coloniam eſſe, eiuſque legibus ac imperio ſubiacere oſtenderit. Quo argumento haud ſegniter vſus eſt Innocentius in ſuæ ad Decentium decretalis præfatione, vt Romanæ ſedi ſubiectas eſſe omnes Occidentis Eccleſias, & ab ea leges ac iura petere debere demonſtret, id in primis obtendens, quod eæ fidem Chriſtianam à Petro, & Petri diſcipulis (id eſt, à Romanis

præſuli-

præſulibus) acceperint. Hoc quidem Gregorio fuerat in votis. Sed cum res aliter cederet, & in eius legem obloqui auderent Sardi, vir minime ſtultus, ne de rebus leuioribus contra tendendo, ac nitendo, ſimplices homines exaſperaret, iugumque vel excutere, vel iniquius ferre ſubigeret, mutandam ſibi pro tempore velificationem putauit; & extemplo Romanam illam ſuam frontis chriſmationem Sardorum presbyteris nunc tam facile, tamque indulgenter conceſſit, quam dure atque inclementer antea negauerat. Non ergo iſte putauit frontis chriſmandæ ius ſolis Epiſcopis diuinitus attributum eſſe; neque poſſe à presbyteris ſine ſacrilegio inuadi, aut vſurpari. Non putauit diuerſam Eccleſiarum quarumdam ritum *à Canonibus & Scripturis* abhorruiſſe; quod Innocentius ſenſiſſe videtur. Non putauit irritum, nullumque eſſe chriſma à presbytero miniſtratum; Non cetera Latinæ Scholæ ſimilia placita, eo quo hodie habentur; loco ac numero habuit; qui tam facile Sardis hanc ſuam chriſmandi legem remiſit. Hoc vero Gregorij factum omne Latinorum genus mirifice conturbauit. Sunt qui dicant Gregorium *in hoc deliquiſſe*; vt Maior, vel *vt hominem errare potuiſſe*, vt Durandus, & Adrianus. Sed iſtorum opinatio, prætérquam quod paucorum eſt, & hodie ab omnibus reiicitur, tanquam in Papatum contumelioſa, temeraria inſuper eſt, ac pœne ridicula. Quod enim, obſecro, ius hac Gregorij conceſſione violatum eſt? An diuinum? Atqui in omnibus ſacris litteris; quibus ius illud continetur, nihil reperire eſt, quod chriſmationem Epiſcopis magis attribuat, quam presbyteris; imo quo vel chriſma aliquod, vel aliqua epiſcopalis ſupra presbyterum eminentia conſtitui poſſit. An Eccleſiaſticum? Quaſi vero quod fuerit tunc temporis Eccleſiæ ius melius nunc norit Durandus, vel Maior, quam tum Gregorius. Hoc verò vel ſuſpicari ſtultum ac ridiculum eſt. Et ex iis, quæ diſputauimus, liquet excepta vna Romæ Eccleſia, paucas fuiſſe alias, in quibus presbyteri chriſmandi facultate carerent. Si quid eſſet in Gregorio reprehendendum, potius culpanda erat illa ex nimio in res ſuas ſtudio temeritas, qua Sardos, mutato noua lege eorum ritu, turbauit, quam conceſſio, qua prioris facti imprudentiam correxit. Alij, quæ multo maxima aduerſariorum pars eſt, Gregorij factum ita interpretantur, vt ex Papalis poteſtatis plenitudine per extraordinariam diſpenſationem Sardorum presbyteris id permiſerit, quod alioquin erat epiſcoporum proprium. Sed & hi maximas patiuntur difficultates, quarum aliquas apud Durandum, & Eſtium videat, cui vel animus, vel otium non deerit. Mihi verò hoc merum videtur iſtorum figmentum, qui cum viderent non poſſe cum hoc Gregorij facto conſiſtere nuperum ipſorum de chriſmationis miniſtro dogma, ad hanc *ordinarij & extraordinarij miniſtri* diſtinctionem, velut ad ſacram aliquam anchoram, confugerunt. Non

Aurel. [illegible] p. 441. extr.

In 4. d. 7.

In 4. d. 7. art. 11. 12.

repetam Durandi, & Eſtij rationes, quibus ex Latini de ſacramento Confirmationis dogmatis hypotheſi conficiunt ne Papę quidem licere *cum presbyteris* de eius adminiſtratione, vt loquuntur, *diſpenſare*. Miſſa hac ſcholaſtica diſputatione, illud vnum nunc vrgeo, quod in toto Gregorij facto nullum cernitur huiuſmodi *extraordinariæ diſpenſationis* veſtigium. Primo enim non ſolent Papæ ad huiuſmodi extra ordinem diſpenſationes, niſi ob grauiſſimas, planeque ineluctabiles cauſas deuenire; quæ nullæ Gregorium vrgebant. Quid enim? An ſi Papa intellexerit *aliquos* de ſua aliqua lege *ſcandalizari* vel *contriſtari*, ſtatim eam, licet diuino iuri, Eccleſiæque totius canonibus conſentaneam refiget? Atqui videmus non aliquot modo inſulanos, ſed omnes fere orbis Chriſtiani gentes, de Papalibus cœlibatus clericalis, ἰχθυοφαγίας, communionis ſub vna ſpecie legibus, & aliis quampluribus; diuino iuri potius repugnantibus, quam conſentaneis, non heri, vel nudiuſtertius, ſed à centum & amplius annis, grauiſſime *ſcandalizari, cõtriſtari, & conqueri*; neque tamen quiſquam ex tam multis Papis fuit, qui earum vel minimum apicem demittere ſuſtinuerit; adeo rigida, & contra illis fibra eſt in iis quæ vel Eccleſiaſtici iuris eſſe putant, retinendis. Sed quid alia memoro? A quo hoc Latinorum dogma eſt *chriſmationem ſacramentum eſſe vnius Epiſcopi proprium*, nullius Papæ exemplum exſtare ait Eſtius, qui id presbyteris commiſerit; *etiamſi* (inquit ille) *in iis locis vbi Epiſcopi non ſunt, & quo vix vnquam accedunt* (vt hodie verbi gratia in Anglia, in Scotia, in Hollandia) *id presbyteris committi, & magna populi vtilitas, & quædam ſacramenti neceſſitas* poſtulare, atque exigere videatur. Cum ergo nonniſi ægrè, grauiſſimiſque ac plane neceſſariis de cauſis ad extraordinariam illam diſpenſationem venire ſoleat; non eſt credibile prudentiſſimum, ac callidiſſimum Pontificem Gregorium hac vſum eſſe in eo negotio, cuius, quod quidem appareat, vel nulla, vel certe leuiſſima erat difficultas. Præterea, qui ſic *extra ordinem diſpenſant*, antequam eo deueniant, nihil non tentant, atque experiuntur, ne eo venire neceſſe ſit. Nihil ſimile Gregorius. Non monet Ianuarium rem agi maximam; chriſma ſacramentum eſſe à Domino inſtitutum; auctoris maieſtatem violari, ſi ad alios transferatur, quod ille vnius Epiſcopi proprium eſſe voluit. Nullos Apoſtolorum Actus recitat, nullam Samaritanorum manus impoſitionem, nullum denique vel de Innocentij anteceſſoris ſui, vel de iſtorum recentiorum enthymematis, vel epicherematis profert; ſi forte ratione inſtituti expoſita à nefario errore Sardos iſtos nimium procaces deterrere poſſet. Nihil horum iſte vel leuiter tentauit. Tantum (ſed ſuæ potius legis purgandæ atque excuſandæ, quam Sardinienſis erroris coarguendi cauſa) illa pauca dicit, *Et nos quidem ſecundum vſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus*. Deinde huc illud accedit, quod, *qui extra ordinem di-*

In 4 d. 7. §. 21. extr.

nem di-

nem diſpenſant Pontifices id ſe facere ipſi diſerte profitentur, & cauſas cur faciant, enarrant accuratè; ne temere ea poteſtate vti videantur, qua nunquam vtendum eſſe intelligunt, niſi in extrema aliqua neceſſitate; præcipue ſi id ius, de quo diſpenſant, diuinum ſit, quale fuiſſe id dicitur, quod nunc à Sardis violari concedit Gregorius. Atqui is rem tantam concedens, ne vno quidem verbo ſignificat ſe quicquam in hoc negotio ex ſumma & extraordinaria poteſtate ſiue (vt loquuntur) *ex poteſtatis* Papalis *plenitudine* agere; & cauſas, quibus eo compulſus ſit, neceſſarias nullas narrat. Denique, ſi, quod concedit, id *extra ordinem*, & contra ius diuinum fieri ipſe putaſſet, quæ ante ſuam conceſſionem ita facta erant, ea irrita ac nulla *ipſo* (vt loquuntur) *facto* fuiſſe exiſtimaſſet. Iam non ita ſenſiſſe Gregorium inde apertiſſime intelligitur, quod neque chriſmationes apud Sardos à presbyteris ante ſuam illam conceſſionem factas irritas, & vitio factas pronunciat, neque edicit, vt ij qui eas acceperant, de integro chriſmentur, quo rite confirmati cenſeri poſſint, quod tamen neceſſario facere debuerat, ſi præter conſtitutum à Deo ordinem id antehac factum fuiſſe putaſſet, quod nunc, vt in poſterum fiat, concedit. His fortaſſe rationibus, vel aliis eiuſdem generis inductus Eſtius de hoc Gregorij facto aliter ſibi ſtatuendum exiſtimauit. Neque enim Gregorium *extraordinaria* illa *diſpenſatione* vſum; negat Sardorum presbyteris conceſſiſſe, vt confirmationis ſacramentum miniſtrarent. Quid ergo eſt? Nempe ille pertendit eam frontis chriſmationem, quam presbyteris Sardorum factitare concedit, non ſacramentum confirmationis, ſed meram baptiſmi cærimoniam fuiſſe, plane eandem, cum illa chriſmatione, quam Romani presbyteri tunc in pectore, nunc vero Latini omnes in vertice factitant. Id Eſtij inuentum, tacito licet eius nomine, auide arripuit P. Aurelius, qui & illum virum in ſcholæ Theologia, quantum obſeruaui, plurimum ſequitur. *In ea,* (inquit) *indulgentia nihil ſtatuit Gregorius ſuperiorum Pontificum decretis repugnans, in quibus toties presbyteris, imo chorepiſcopis interdicitur frontis chriſmatio. Hi de chriſmatione Epiſcopali, ex qua conſtat ſacramentum confirmationis, loquebantur. Gregorius vero non de illa agit, ſed de cærimonia chriſmandi in baptiſmo ab Eccleſia Romana in alias Occidentis Eccleſias transfuſa; quam in hoc ſolum mutat, Caralitanis indulgens, quod quæ in fronte nunquam erat facta, eam in fronte fieri concedat.* Hæc ille, quæ identidem aliis quoque in locis repetit. Sed id commentum, quantumuis in eo ſibi placeat Aurelius, conſiſtere tamen non poteſt, cuius vanitatem vel hoc in primis prodit, quod cum à quadringentis annis plurimum in ſcholis agitatum ſit factum illud Gregorij, nemo (quod ſciam) repertus eſt, (ſi duos iſtos heri natos exceperis) cui hæc de eo cogitatio in mentem venerit. Thomas, Durandus, Aureolus, Scotus, Gabriel, Maior, Soto,

In 4 d. 7. §. 12.

Anær. p. 444.

Orthod par. 1. c. 5. p. 536. c. 6. p. 541.

Tt Bellar-

Bellarminus, Valentianus, Conink, omnes denique veteres, recentioreſque, quotquot videre potui, licet in aliis plurimum inter ſe diuerſi, & in hoc negotio etiam aduerſi, in eo tamen conſentiunt, quod ſuæ confirmationis ſacramentum vere fuiſſe ſtatuunt, id de quo Sardis cōceſſit, ſiue *diſpenſauit* Gregorius. Quid, quod non Theologos modo ſingulos, ſed & ipſos Papas, ipſaque Concilia pulſat muſteum hoc Aurelij effugium? Florentini quidem, ac Tridentini Patres miniſtrum confirmationis duplicem faciunt; vnum *ordinarium*, *extraordinarium* alterum. *Ordinarium* epiſcopum eſſe omnes ſciunt. Quæro quis ſit extraordinarius? Si nullus eſt, nugatæ ſunt Synodi. Si eſt aliquis, is certe non alius potius, quàm presbyter eſſe poſſit. Si vero *extra ordinem* confirmatio presbytero committi poteſt, nihil eſt quod Eſtius & Aurelius id à Gregorio factum dicere vereantur; quos ad hoc negandum non alia, vt apparet, ratio impulit, quam quod metuerent, ne ſi id concederent, hoc quoque concedere cogerentur, confirmationem presbytero committi à Papa Romano poſſe. Sed diſerta ſunt Florentinæ Synodi verba; *Legitur tamen* (inquit) *aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili & vrgente admodum cauſſa, ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe chriſmatis Sacramentum.* Omnino hoc Gregorij cum Sardis factum reſpicit; neque enim aliud vllum ſimile exemplum in omni Eccleſiæ & ſedis Romanæ hiſtoria ante Florentinam Synodum occurrit, ad quod hæc eius verba referri queant. Eſtius reſpondet *Concilium non affirmare id aliquando factum eſſe; ſed id legi vel in decreto Gratiani, vel apud Scholaſticos doctores, qui factum Gregorij iuxta ſuam opinionem ſunt interpretati;* aliter ſcilicet quam decebat. Sed quod Eſtij pace dictum ſit, hæc mera eſt cauillatio, eaque frigida, & parum verecunda. Quis enim Synodum, hæc eius verba legens, non putet id quod *legi* ait, vere factum crediſiſſe? *legi* ideo dixiſſe, vt id ex eo quod legitur, verum eſſe intelligatur, ſcriptorum auctoritate ad confirmandam rei veritatem allata? ac denique illud verbum *legitur*, non ad Gratianum aut Scholaſticos, qui non ſunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, neque res Pontificum geſtas ex profeſſo narrant, ſed ad ipſum Gregoriani Regiſtri volumen referri, in quo rem ab iis ſignificatam, ipſe qui geſſit, breuiter ac perſpicue narrat? Profecto Florentinos iſtos Patres miros veteratores, miros inſidioſarum æquiuocationum artifices fuiſſe oportuit, ſi dum ita loquuntur, *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis,* &c. id, quod narrant, non in Gregorio, ſed in Gratiano & in Scholaſticis Theologis legi intellexerunt. Tum tota decreti ſeries oſtendit iſtos id, quod aiunt, vere factum putaſſe. Poſtquam enim ſuperioribus verbis definierant, ordinarium ſuæ chriſmationis miniſtrum eſſe Epiſcopum, non presbyterum, tum inſtituta quadam ad ſuperiora antitheſi,

vbi ſupra.

theſi, veluti cauſam reddentes, cur vnum Epiſcopum iſtius ſacramenti, non ſimpliciter miniſtrum, ſed *ordinarium miniſtrum* dixiſſent, illa quæ diximus, in hunc modum ſubiiciunt; *Legitur tamen aliquando*, &c. Vocula *tamen* horũ cũ ſuperioribus antitheſin ſignificat. Nulla verò erit antitheſis, ſi hoc, quod ſequitur, nunquam reuera factum eſt, etiamſi quidam factum opinati ſint. Quod ſi iſtorum ſententiam commemorare voluiſſent, ac teſtari ſe eam in medio relinquere; omnino hæc aut ſimilia, illis ſuperioribus ſubiuncturi erant; *Quod vero quidam opinantur aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem, ſimplicem ſacerdotem, &c. adminiſtraſſe, id nos in præſentia neque refellendum, neque probandum ducimus.* Nunc cum plane aliter loquantur, apparet eos, quod factum commemorant, id non ex aliorum opinione, ſed ex ſua ipſorum ſententia factum fuiſſe intelligere. Sed ipſe Gregorius Eſtianum commentum ſatis per ſe refellit. Nam poſteriori loco eam ſe Sardorum presbyteris chriſmationem concedere loquitur, quam priori loco noua lata lege iiſdem ademerat. Quam autem iis ademerat eam epiſcoporum chriſmationem fuiſſe ipſa illius lex docet; *Presbyteri*, inquit, *baptizatos infantes ſignare in fronte ſacro chriſmate non præſumant.* Quo, inquam, chriſmate? Quo ſcilicet epiſcopi chriſmabant, vt res ipſa loquitur, & verba continuo ſequentia neceſſario conficiunt; *Sed*, inquit, *presbyteri baptizatos tangant in pectore, vt epiſcopi poſtmodum tangere debeant in fronte.* Ergo velis, nolis, Aureli, chriſmatio presbyteris à Gregorio adempta, ea chriſmatio eſt, quæ & fiebat, vt fieri debebat ab Epiſcopis ex vſu Romanæ Eccleſiæ. Quam autem priori lege ademerat chriſmationem eam ipſam, eandem, inquam, non aliam, poſteriori conceſſione, vt planum eſt, reddidit. Ergo quam Sardorum, presbyteris conceſſit, ac reliquit, chriſmationem, eam ipſam fuiſſe neceſſe eſt, quæ ab Epiſcopis ex vſu Romano fieri debebat. Nullus hinc effugiendi locus eſt. Conſtrictus vndique & concluſus, ab ipſo Gregorio ſic teneris, vt euadere non poſſis. Quod vero hanc *chriſmationem confirmationis ſacramentum fuiſſe* negas; concedam equidem, ſi ita vis, ac intelligis, vt non fuerit proprie dictum ſacramentum; ſed ea tamen lege, vt confitearis neque eam, quæ ab epiſcopo fiebat, conſignationem proprie ſacramentum fuiſſe. Cum enim illam, quæ presbyteris à Gregorio conceditur, probatum ſit plane eandem fuiſſe cum ea, quæ ab Epiſcopo fiebat, ſi illam *Sacramentum* fuiſſe neges, hanc profecto fuiſſe non potes, niſi abſurde & ridicule, pertendere. Poſtremo id ipſum, quod hæc à Gregorio presbyteris conceſſa chriſmatio *in fronte* fiebat, ſatis eam probat cum epiſcopali eandem fuiſſe. Nemo enim Latinorum hactenus fuit, qui non epiſcopalem eſſe docuerit frontis chriſmationem. Ipſe Aurelius quoties de Toletani canonis, & conſimilium locorum ſenſu diſputat, hoc vnum affert, quo presbyteralem

Lib. 3. Epiſt. 9.

ab epiſcopali diſcriminet, hanc in *fronte*, illam *extra frontem* fuiſſe. Ergo qui hactenus quæcumque in fronte fit, eam epiſcopalem eſſe conſtituit, non poteſt hanc Gregorianam in fronte factam, negare epiſcopalem revera fuiſſe, niſi ſua ipſe vineta cædat, & quod potuit, euertat. Sed iſti ſcilicet res eadem, quod ſupra iam alibi diximus, aliud atque aliud eſt, non pro ſua natura, ſed pro diſputationis commodo. Ita vna eademque chriſmatio interdum ei eſt *ſacramentum*, cum neophytis; interdum *cærimonia*, cum ex hæreſi conuerſis datur; ſacramentum eſt, ſi in fronte; cærimonia eſt, ſi extra frontem; etiam in fronte facta, adeoque omnibus modis eadem, ſacramentum tamen ipſa & eſt, vt non eſt pro huius Vertumni libidine; eſt, ſi ab epiſcopo; non eſt, ſi à presbytero fiat, ac ſi dicas baptiſmum à presbytero, vel diacono datum aliud eſſe rei genus, quam ab epiſcopo miniſtratum; illud ſacramentum eſſe neges; hoc eſſe concedas. Quæ quam abſurda, atque inepta ſint omnes vident. Pugnat tamen Aurelius fuiſſe apud veteres olim frontis chriſmationes quaſdam, quæ eædem *ſacramenta* non eſſent. Atqui non id quæritur, quod ego facile concedo, qui ne ipſam quidem epiſcopalem chriſmationem vere ac proprie dictum ſacramentum eſſe, vel fuiſſe pertendo. Quæritur, an iſta in fronte à presbytero facta chriſmatio eadem res, ſiue idem ritus ſit cum ea chriſmatione, quæ ab Epiſcopo dabatur neophytis? Videamus an id probent quæ affert Aurelius. Ex Gregorio Turonenſi narrat Agericum Virdunenſem Epiſcopum puellæ energumenæ *frontem oleo ſancto perunxiſſe*. Id verò *oleum*, Aureli, oleum fuit energumenorum; *chriſma* non fuit. Ergo hæc nihil ad Gregorium; qui concedit presbyteris, vt chriſmate in fronte conſignent. Tum talem etiam vnctionem videri ait eam, qua Innocentius arreptitios curari ſcribit. Sed iſte vel fallitur, vel fallit. Nihil enim habet Innocentius de energumenorum per vnctionem curatione. De *conſignandis* interrogauerat Decentius, non de *curandis*; *De his vero* (inquit Innocentius) *baptizatis, qui poſtea à dæmonio, vitio aliquo, aut peccato interueniente, corripiuntur, quæſiuit dilectio tua ſi à presbytero, vel diacono poſſint, aut debeant conſignari.* Omnia docent de ea neophytorum conſignatione agi, quæ poſt baptiſmum Epiſcopi manu fiebat. Nam quod eiuſmodi arreptitij ad Epiſcopum, *ſi longe conſtituti eſſent*, perduci niſi magno cum labore & periculo non poſſent, reſpõdet Innocentius Epiſcopi eſſe in tali cauſa, vt *manus* energumeno *vel à presbytero, vel à cæteris clericis imponatur*; neq; id aliter aggrediendũ eſſe, *niſi Epiſcopus auctoritatẽ dederit id efficiendi*. Vnde apparet ne ipſum quidem Innocentiũ omnẽ presbyteris plane penituſq; ademiſſe *manus neophytis imponendæ*, adeoque & chriſmandi poteſtatem; ſed Epiſcopis conceſſiſſe, vt certis quibuſdam in cauſis manus imponendæ, chriſmandique officia iis committere poſſint, ac debeant;

Lib. VII. c. 41.

Epiſt. I. c. 6.

quod quiuis videt quam egregie ſcilicet Aurelij dogma confirmet, hoc chriſmandi munus ita epiſcoporum proprium eſſe ſtatuentis, vt id ne à Romano quidem Papa presbytero committi poſſit. Itaque confutatis reiectiſque omnibus Latinorum de hoc Gregorij facto futilibus, & ex ſolo ſui dogmatis ſtudio natis opinationibus; relinquitur id vnum, quod ſimpliciſſimum ac veriſſimum eſt, eſſe conſtituendum, nempe Gregorium; virum vt omnes fatentur, prudentiſſimum, nihil extra ordinem, nihil præter diuina, vel Eccleſiaſtica iura geſſiſſe, dum Sardorum presbyteris conceſſit, vt neophytos *in fronte* chriſmarent; ſed in re & à diuino, & ab Eccleſiaſtico iure libera ſua libertate vſum. Ac prius quidem, cum cuperet cæteras Eccleſias ſuæ ritus, ac cæremonias ad amuſſim imitari, præcepiſſe vt apud Sardos ſoli Epiſcopi in fronte chriſmarent; mox cum ſenſiſſet non poſſe id apud eos, ſine ipſorum ſcandalo, ac moleſtia conſtitui, rem in præſens omittendam ſapienter cenſuiſſe. Vnde id, quod diximus, neceſſario atque euidenter ſequitur; vel ipſius Gregorij iudicio, non fuiſſe Epiſcopum miniſtrum huius chriſmationis diuino iure conſtitutum; imo ne vniuerſali quidem totius Eccleſiæ iure; & quia diuerſi eſſent Eccleſiarum ea in re ritus, eos ad communem pacem, atque ædificationem ferri poſſe, ac debere; tametſi ipſe, ſi res ſine ſcandalo ac tumultu fieri poſſet, optaret apud vniuerſas vnum, eundemque conſtitui ritum, ac eum quidem ipſum, qui apud ſe erat, voto & Paparum ſolenni, & omnium fere hominum communi, qui ſua ſinguli magni, vt faciunt, ita & ab omnibus aliis fieri cupiunt. Cæterum ex hoc etiam Gregorij loco animaduertendum eſt presbyteros non *in vertice*, vt nunc apud Latinos mos eſt, ſed *in pectore* chriſmaſſe; adeo varium eſſe, anceps, atque mutabile Eccleſiaſticorum iſtorum rituum ingenium. Sed non eſt omittendus alter eiuſdem Gregorij de chriſmate locus; *In vineis Engaddi*, (inquit) *balſamum naſcitur; quod cum oleo, Pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimuntur.* Hinc liquet iam tum adhibitum fuiſſe balſamum in chriſmatis confectione. Sed & id diligenter eſt obſeruandum, quod *dona Spiritus ſancti* chriſmate ait exprimi. Nempe chriſma cærimonia fuit ad ea, quæ per baptiſmum nobis à Deo conferuntur; non quidem præſtanda, ſed tamen ſignificanda, ac *exprimenda*, à Patribus vt diximus, inuenta, baptiſmoque, vna cum multis aliis eiuſdem cenſus ritibus addita. In Cantic. I. 14. fol. 257. d.

Librum ſacramentorum, qui Gregorij nomine vulgo circumfertur, & nuper eſt ab Hugone Menardo, multo, quam antehac erat, locupletior & emendatior anno Domini 1642. in hac vrbe editus, prudens mitto; quod etſi primum operis auctorem fuiſſe Gregorium veriſimile ſit, tamen ex plurimis, quæ Gregoriani ſæculi, & ſequentium mores, rituſque cum hoc libro contendenti occurrunt, manife-

ſtum eſt librum ad nos ſincerum minime perueniſſe, ſed quod in huiuſmodi ritualibus libris vſu venire ſolet, multa ei pro temporum varietate, ſubinde addita, nonnulla etiam fortaſſe detracta, prout Gregoriani ſæculi ritus poſterorum ingenium, atque vſus interpolauerat.

Capvt VII.

Et in Hiſpania quoque iiſdem temporibus presbyteros chriſmaſſe, ex Barcinonenſis Synodi cap. 3. qui ab inepta, inuerecundaque P. Aurelij gloſſa fuſe vindicatur.

Satis eſt ea, quæ diximus, ex Gregorio obſeruaſſe; maxime vero id, quod multis argumentis confirmauimus, apud Sardiniæ Eccleſias presbyteros ad annum Domini 593. in fronte chriſmaſſe; poſt annum Domini 594. etiam concedente, qui primo repugnauerat, Gregorio eundem vſum retinuiſſe. Quo minus mirabile videri debet eum quoque ritum in Hiſpania, in qua anno Domini 400. eum fuiſſe oſtendimus, ad hæc vſque tempora conſtanter perſeueraſſe; vt ex Synodo Barcinonenſi, era 637. hoc eſt anno Domini 599. habita, cuiuis
C. 2. Tom. 4. Conc. p. 551. A. conſtare poteſt. *Simili ſtatutum conditione eſt* (inquit) *vt cum chriſma presbyteris diœceſanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur; ne gratia Dei pretio benedictionis affecta, Simoniacum interitum vendentibus, ementibuſque aſſociet.* Eum canonem, ſed miri-
Decret. cauſ. 1. q. 1. c. 102. Placuit. vt fice interpolatum & ex aliis vt videtur auctum in decretum ſuum Gratianus retulit. Iam hinc liquet presbyteros in Hiſpania tum quoque neophytos chriſmate ab Epiſcopis ſuis gratis accepto confirmaſſe; quæ lex iis ante annos 199. à Patribus Toletanis lata erat. Hic vero plane mirabilis eſt P Aurelij ſtropha, ita canonem non quidem interpretantis, ſed inſcita ac illiberali cauillatione peruertentis, vt hæc ſit
Orthod. par. 2. c. 5. p. 535. extr. eius ſententia; *Presbyteros iuberi chriſma petere, vt paratum habeant, cum Epiſcopus ad neophytos confirmandos de more excurret. Videntur enim* (inquit) *Barcinonenſes Patres, cum paræciam obirent, voluiſſe ſibi chriſma à presbyteris præberi, vt eos ſtudioſiores efficerent parandi illud, baptiſmoque adhibendi, cum id Epiſcopo paullò poſt venturo ad neophytorum Confirmationem à ſe ſuppeditandum ſcirent.* Hæc ille. Nonne bellus canonum interpres Aurelius? Atqui primo quod iſte ſingulari audacia pro vero affirmat, *presbyteros hic iuberi chriſma petere,* id totum vel confinxit, vel certe imprudens ſomniauit; Nihil in ipſo canone eſt ſimile; quo, non *presbyteri ab Epiſcopis chriſma petere* (id enim ſatis ſuperque ab aliis

anterio-

anterioribus Synodis cautum erat) ſed Epiſcopi potiuſ iubentur nihil *pro liquoris pretio* à preſbyteris diæceſanis accipere, cum iis chriſma dabant. Tum illa Patrum verba, cum *chriſma presbyteris pro neophytis confirmandis datur*, quis præter Aurelium, ita accipienda putet, vt ſignificent id chriſma datum ideo eſſe preſbyteris, vt neophytos non ipſi, qui accipiebant, ſed Epiſcopi qui dabant, confirmarent? Iam vt huius gloſſæ vanitas, atque abſurditas pateſiat, in primis meminiſſe nos decet duplicem ex Aurelij hypotheſi fuiſſe tunc temporis in Hiſpaniâ chriſmationem; alteram qua preſbyteri *extra frontem*; alteram, qua Epiſcopi *in fronte*, baptizatos vngerent; & vtriuſque materiam vnum idemque chriſma fuiſſe, ab Epiſcopo parœciæ confectum. Itaque ſi Aurelio credimus, neceſſe eſt eius chriſmatis, quod àb Epiſcopo preſbyteris diæceſanis dabatur, duplicem fuiſſe vſum; priorem quidem, vt eo ipſi baptizatos in peragenda initiatione in pectore chriſmarent; poſteriorem, vt eodem Epiſcopus paræciam, poſtea obiens, ſingulorum neophytorum frontes tangeret, atque ita eos confirmaret. Iam ſi vera eſt Aurelij gloſſa, Barcinonenſes Patres vetant quidem, ne epiſcopi quicquam pro eius chriſmatis pretio accipiant, quod ſunt ipſi in neophytis confirmandis conſumpturi. Sane ſapienter. Cur enim pro eo, quod in ipſorum vſum ceſſurum eſt, pretium exigerent? Nondum tamen ad accuratam iuſtitiæ diſtributricis normam, ſatis. Decebat enim eos, vt videtur decernere, vt Epiſcopi, non modo pro iſto à ſe ipſis ſcilicet conſumendo chriſmate, nihil à presbyteris exigant, ſed etiam vt iis operæ, quam erant in eo epiſcopis cuſtodiendo poſituri, mercedem aliquam ſoluerent. Sed fortaſſe tantillam opellam Patres epiſcopo à ſuis preſbyteris deberi putarunt. Ergo de illa quidem chriſmatis parte, quæ ab epiſcopis conſumenda erat, haud ſane incommode Patres ſtatuunt; neque videntur preſbyteri ſatis iuſtam habuiſſe cauſam, cur de hoc eorum iudicio expoſtularent. Sed cedo nunc alteram chriſmatis partem, quam erant ſcilicet ipſi presbyteri in chriſmandis baptizatorum pectoribus conſumpturi. Dic, Aureli, quid de ea decernunt Patres? nam & hoc, quo *extra frontem* vngebantur, probè noſti, æquè ac illud tuum prius, quo frons ipſa chriſmabatur, ab Epiſcopo fuiſſe & confectum, & presbyteris diæceſanis quotannis ante Paſcha diſtributum. Dic ergo ſodes, Aureli, quid de eo ſtatuerunt Barcinonenſes Patres? Nihil, inquit. Plane, inquam, nihil, ex tua quidem gloſſa; qui non aliud hic chriſma vis ab iis intelligi, quam illud ipſum, quo eſſent epiſcopi neophytos in fronte chriſmaturi. Ergo de eo quo eſſent vſuri presbyteri in pectore eorum quos baptizaſſent, vngendo, nihil plane pronunciant Patres. Ergo Hiſpanis Epiſcopis, ſi ij æque ac tu es, acuti, & ſubtiles, & tricoſi denique erant, licuit profecto per hunc canonem, pro huius chriſmatis, quo presbyteri ipſi

vſuri erant, *pretio* aliquid & poſcere & accipere. Quidni, cum ex tuæ ſubtilitatis legibus canon quidem interdicat quicquam accipere pro chriſmatis epiſcopalis pretio? pro chriſmatis presbyteralis pretio aliquid accipere non vetet? Atque hanc fuiſſe Patrùm mentem inde argumentari poterant, quod, vt diximus, iniquum eſſe videretur pretium eius rei accipere Epiſcopum, quam ipſe conſumpturus eſſet, eius vero, quâ non ipſe, ſed presbyter eſſet vſurus, æquum videri, vt qui eſſet vſurus, pro eius pretio aliquid ei ſolueret, à quo accipiebat; præſertim cum res illa ob admiſtum balſamum non poſſet ab Epiſcopo ſine ſumptu confici. Vides iam, ni fallor, Aureli, in quas ſordes præclara illa tua gloſſa hos Patres abiectura ſit; qua fit, vt ij presbyteris nonniſi dimidiam, ac ne dimidiam quidem chriſmatis partem gratis ab Epiſcopis dari ſtatuant; pro reliqua parte, pretium eos exigere & accipere permittant; certe non prohibeant, quod quam ſtultum ſit, & abſurdum, & à ſanctiſſimorum Patrum mente alienum, omnes intelligunt. Equidem nullum ante te mortalem exſtitiſſe credo; qui hoc canone non putaret decretum eſſe ne pro vllius omnino chriſmatis pretio quicquam exigerent Epiſcopi; idque ſuæ mentis fuiſſe ipſi Patres ſatis ſignificant, dum hanc ſui decreti præclaram ſane ac grauem rationem afferunt, *ne gratia Dei*, inquiunt, *pretio benedictionis affecta, Simoniacum interitum ementibus, vendentibuſque aſſociet.* Eſt & aliqua *Dei gratia* presbyterale chriſma. Ergo & hoc vendi canone illo ſuo vetuerunt Patres; Non autem vetuerunt, ſi ſtant illæ Aurelianæ gloſſæ; quæ chriſma non aliud ſcilicet hic intelligi volunt, quam Epiſcopale. Apage ergo tandem inficetas illas, & infauſtas gloſſas, quæ dum presbyteros Hiſpanæ frontis chriſmandæ iure ſpoliare ſtudent, Simoniacam labem in chriſmatis negotium inducunt. Huc accedit, quod vnicum gloſſæ huius tuæ, Aureli, fundamentum, hoc nimirum, quod Epiſcopi paræciam obeuntes, non chriſma ipſi ſecum ferrent, quo neophytos confirmarent, ſed eo vterentur in confirmandis neophytis, quod presbyteri ab Epiſcopis acceptum domi cuſtodiebant, paratumque habebant, hoc, inquam, totius tui commenti fundamentum, non probas, neque demonſtras. Tu vero homo diuinus es, qui res tam bellas reperire vnus mortalium potueris. Sed cum hic de veterum inſtitutis quæratur, te inprimis decebat demonſtrare hunc apud veteres vſum fuiſſe. Ego enim rogo vnde habeas? vnde didiceris? ex quibus vel Conciliis, vel veterum libris hauſeris? Equidem ſcio presbyteros chriſma ab Epiſcopo ſuo petere olim iuſſos; & chriſma quidem, quo ipſi vterentur. Chriſma aliud item petiuiſſe, quo non presbyteri, ſed ipſi qui dederant, Epiſcopi vterentur; beatus quidem es, ſi hæc ſcis, quæ cæteri hactenus neſcierunt; ſed tamen non ſatis, vt mihi videtur, prudens, qui iſta, quæ demonſtranda fuerant, dictare no-

bis, ve-

his, velut fueris, ſatis habuiſti. Nos vero non tua dictata, ſed veterum, inſtituta ex ipſorum monumentis probata, confirmataque exſpectabamus. Tu vero nihil ex veteribus protuliſti; nihil quod proferas, habes, ſed & huius moris, qui à te confingitur, abſurditas prohibet, quominus eum apud veteres fuiſſe credamus. Cum enim chriſmate ab Epiſcopo accepto ipſi presbyteri vterentur aſſidue vel in neophytis poſt tinctionem vngendis, vel in iis, qui ab hæreſi conuertebantur, recipiendis, quorum qui, quantúſve futurus eſſet numerus, certo ſciri non poterat; omnino neceſſe eſt neque epiſcopo, neque presbyteris conſtitiſſe, an pars aliqua eius, quod dabatur, chriſmatis ad epiſcopi vſum apud presbyteros ſuperfutura eſſet, quo tempore is parœciam eſſet obiturus. Itaque in re incerta ſtultum fuiſſet Epiſcopum chriſma à presbyteris, quod an eſſent adhuc aliquod habituri, nō conſtabat, exſpectare, non ipſum ſecum adferre. Vnde nemo non videt hoc verius eſſe, quam illud, quod tu fingis, Epiſcopos *voluiſſe ſibi chriſma à presbyteris præberi.* Ac vt baptiſmatis miniſtros Patres iubebant nuſquam ad hoc officium fungendum *ſine chriſmate progredi*; ita quoque credibile, imo certum eſt Epiſcopos, ſi *confirmationis* (quod tu vis) chriſmatis miniſtri erant, nunquam ad eam miniſtrandam ſine chriſmate proceſſiſſe. Cum ergo Epiſcopos, ſi (quod tu vis) chriſmate neophytos parœciam obeuntes confirmarent, chriſmate eam ad rem vſos eſſe manifeſtum ſit, non quod apud presbyteros inueniſſent, ſed quod ipſi ſecum detuliſſent; plane inepta, abſurdaque eſt ea, quam tu comminiſceris, canonis Barcinonenſis interpretatio; *vt chriſma presbyteris pro neophytis confirmandis datum,* ſignificet *pro neophytis ab eo ipſo epiſcopo qui chriſma dabat, confirmandis* datū fuiſſe; verus eſt, qui & ſimpliciſſimus, & vnicuique ſine ſtudio legenti obuius, ſenſus, vt presbyteris *chriſma* datum intelligatur, quo ipſi, non alij, neophytos confirmarent. Idque, etiamſi cætera deeſſent, vel ſupra ſuo loco recitatus Patrum Vaſenſium canon ſatis, ſuperque probat; qui chriſma ab epiſcopo petere ipſos, ſi fieri poſſet, presbyteros jubentes, hanc ſui decreti rationem ſubiiciunt; *Optimum autem eſt, vt ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo vſurus eſt.* Ergo quod *chriſma presbyteris* in Canone Barcinonenſi *datum* dicitur, datum intelligitur, quo *ipſi in tradendo*, non alij, *vſuri eſſent. Vſus* autem eius fuit *pro confirmandis neophytis*, quod diſerte ait canon. *Neophytos* ergo *confirmaſſe*, non Epiſcopum, ſed ipſos *presbyteros*, liquido intelligunt Patres Barcinonenſes. Iam cum eam chriſmationem, quâ *confirmabantur* neophyti, in fronte factam fuiſſe, ſacramentumque fuiſſe omnes Latini doceant, ac contendant; velit nolit Aurelius, neceſſario ex hoc canone confitendum eſt Hiſpanos presbyteros adhuc anno Domini 599. neophytos in fronte chriſmaſſe, nondum adeo apud ipſos Romanā illam ſolius epiſcopi propriam chriſ- Can. 9.

mationem obtinuiſſe; non magis, quam apud Sardos, quibus eam ante annos ſex, cùm obtruderet Gregorius, fruſtra vt diximus, fuerat.

Atque ita ad ſexti ſæculi finem peruenimus; quo exeunte in hoc fuiſſe apud Occidentis Eccleſias chriſmationis negotium patet; vt in Eccleſia vrbis Romæ, ac, vt credibile eſt, in proximis, bis chriſmarentur neophyti; ſemel ab ipſo, qui eos baptizauerat presbytero ſtatim poſtquam è lauacro egreſſi erant, in pectore: iterum poſtea ab Epiſcopo in fronte, cum ei manus impoſitione confirmandi offerrentur: Sardiniæ vero, Hiſpaniæque, ac vt ex ſuperioribus veriſimile eſt, etiam Galliarum Eccleſiæ, morem antiquum retinentes, vna chriſmatione contentæ eſſent, quam etiam presbyteri in *fronte* miniſtrabant, quæque *Confirmatio*, æque ac epiſcopalis manus impoſitio, diceretur.

Capvt VIII.

Obiter expenduntur tria teſtimonia; quorum auctores incerti ſunt, primum ex opuſculis de iis qui initiantur myſteriis, *&* de Sacramentis *apud Ambroſium; alterum ex ſermonibus à Sirmondo vna cum Auguſtini* 40. *editis. Tertium ex libello de ordinibus Eccleſiæ ad Ruſticum, Hieronymo affictò.*

Priusqvam ad ſequentia tempora pergamus, viſum eſt in hunc locum coniicere ſcriptores duorum opuſculorum, quæ ſub Ambroſij nomine, ſed falsò, vt ſupra diximus, circumferuntur, quod de eorum auctore nihil certi habeamus. Prius eſt *de iis qui initiantur myſteriis*. Alterum, ſed multo deterius, eſt *de Sacramentis*. Et hoc quidem fere totum ex priori compilatum eſt. Vtriuſque eadem eſt de hoc ritu ſententia. Prius quidem poſtquam & cæteros baptiſmi ritus, & tinctionem ipſam deſcripſit, ita pergit; *Poſt hæc vtique aſcendiſti ad ſacerdotem. Conſidera, quid ſecutum ſit. Nónne illud quod ait Dauid?* Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. *Hoc eſt vnguentum de quo & Salomon ait*, Vnguentum exinanitum eſt nomen tuum. Mox; *Quare hoc fiat, intellige, quia* oculi ſapientis in capite eius. *Ideo in barbam defluit, id eſt in gratiam iuuentutis. Ideo in* barbam Aaron, *vt fias electum genus, ſacerdotale, pretioſum. Omnes enim in regnum Dei, & in ſacerdotium vngimur gratia ſpiritali.* His non obſcure docemur neophytos è ſacro baptiſmi lauacro aſcendentes à ſacerdote vnguentum in capite accepiſſe; eoque ritu ſignificatum fuiſſe nos Spiritus Sancti gratia in regnum & ſacerdotium Dei myſtice vngi. Tum

Lib. de iis qui myſt. initiantur c. 6. apud Ambroſ. T. 4. p. 1283. B.

Tum narrat vnctorum à Sacerdote neophytorum pedes fuiſſe ablutos, ad inſtar eius lotionis, quam Chriſtus Apoſtolis apud Ioannem miniſtrat. Neophytos *poſt hæc veſtimenta candida accepiſſe refert; vt eſſet indicium, quod exuerint inuolucrum peccatorum, induerint innocentiæ caſta velamina.* Et plurima in eam rem elocutus, tandem in hæc verba totum de baptiſmo ſermonem concludit; *Repete, quia accepiſti ſignaculum ſpiritale, ſpiritum ſapientiæ, & intellectus, ſpiritum conſilij, atque virtutis, ſpiritum cognitionis, atque pietatis, Spiritum ſancti timoris; & ſerua quod accepiſti. Signauit te Deus Pater, confirmauit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* Operis *de ſacramentis* auctor, qui ſua fere omnia ex hoc expreſſit, eadem quoque tradit. Nam & ipſe præcedentes baptiſmi ritus libro primo & ſecundo exſecutus, in fine ſecundi vnctionem his verbis ſignificat; *Ergo merſiſti; veniſti ad ſacerdotem, Quid tibi dixit? Deus* (inquit) *Pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu Sancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te vngat in vitam æternam. Vide vbi vnctus es; In vitam, inquit, æternam. Noli hanc vitam illi vitæ anteferre.* Libro vero tertio lotos deinceps fuiſſe ab Epiſcopo neophytorum pedes narrat; *Aſcendiſti de fonte. Quid ſecutum eſt? Audiſti lectionem. Succinctus eſt ſacerdos, &c. Succinctus, inquam, ſummus ſacerdos pedes tibi lauit. Quid iſtud myſterium? Audiſti vtique quia Dominus cum lauiſſet diſcipulis aliis pedes, venit ad Petrum,* & cætera quæ ad illam ex Ioannis XIII. lectionem pertinent; & quibus hæc ſubiungit; *Non ignoramus quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat; cuius typum in omnibus ſequimur, & formam. Hanc tamen conſuetudinem non habet, vt pedes lauet. Vide ergo ne forte propter multitudinem declinauit. Sunt tamen qui dicant & excuſare conentur, quia hoc in miniſterio* (legendum *myſterio*) *faciendum eſt, non in baptiſmate, non in regeneratione, ſed quaſi hoſpiti pedes lauandi ſunt. Aliud eſt humilitatis; aliud ſanctificationis. Denique audi quia myſterium eſt & ſanctificatio.* Niſi lauero tibi pedes, non habebis mecum partem. *Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, ſed mea officia ipſe commendem. In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam, Sed tamen & nos homines ſenſum habemus. Ideo quod alibi rectius ſeruatur, & nos rectè cuſtodimus. Ipſum ſequimur Apoſtolum Petrum, ipſius inhæremus deuotioni. Ad hoc Eccleſia Romana quid reſpondet? Vtique ipſe auctor eſt nobis huius aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui ſacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ.* His & aliis quæ ſequuntur, de pedum lotione dictis; *Sequitur* (inquit) *ſpiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi, quia poſt fontem ſupereſt, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem ſacerdotis Spiritus Sanctus infunditur; Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij atque virtutis, ſpiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus ſancti timoris. Septem quaſi virtutes Spiritus. Et omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent; ſed iſtæ quaſi cardinales ſunt, quaſi principales, &c. Iſtæ ſunt ſeptem vir-*

Ibid. a. b.
Ioan. XIII.
Ibid. c. 7.
Ibid. c. 7. extr. p. 1134. C.
Lib. 2. de ſacr. c. 7. extr.
Lib. 3. c. 1. p. 1144. C.
Ibid. c. 2.

tutes, quando conſignaris. Hæc duo illi ſcriptores hactenus; ex quibus videmus neophytos in ſacro baptiſmo poſtquam tincti fuerant, & candidis veſtibus induti, vnctos deinde fuiſſe, ſolenni quadam oratione adhibita, quam & nono ſæculo in vſu fuiſſe poſtea audiemus; Tum Epiſcopum iiſdem & pedes lauiſſe, & manum impoſuiſſe Spiritum Sanctum aduocantem. P. Aurelius putat illam vnctionem, quæ hic ante pedum lotionem commemoratur, *chriſmationem fuiſſe baptiſmalem*, quæ non in fronte, ſed in vertice fieret. Epiſcopalem verò, quam ipſe ſolam ſacramentum eſſe putat, in ſequentibus poſt pedum lotionem illis verbis deſcribi; *Sequitur ſpiritale ſignaculum*. Sed hic Aurelius imprudens Ambroſium fuiſſe hunc ſcriptorem negat; quem tamen veluti verum Ambroſium laudat. Nam chriſmationem extra frontem, presbyteralem, ab Eccleſia (vt ipſe alibi ait) non à Chriſto Domino inſtitutam, in vſu apud Eccleſias non fuiſſe ante Innocentij decretalem confitetur, eoque factum dicit, quod Auguſtinus nuſquam de ea agat. Vnctionem vero *verticis* fatetur incognitam fuiſſe, etiam Gregorij Magni temporibus; quibus vt liquet, presbyteri neophytorum non verticem, ſed pectus chriſmabant. Quæ ſi (quod ponit Aurelius) vera ſunt (& ſunt ſane veriſſima) ſcriptorem operis *de ijs qui initiantur myſteriis*, item *librorum de ſacramentis*, cui, hoc eodem Aurelio auctore, nota fuit vtraque illa chriſmatio, non modo presbyteralis ſimpliciter, & epiſcopalis, ſed etiam frontis, & verticis; eum, inquam, ſcriptorem neceſſe eſt poſt Gregorium Magnum vixiſſe, hoc eſt minimum ducentis poſt Ambroſij mortem annis. Ergo nobis imponunt & Aurelius, & cæteri Latini, qui hunc auctorem pro ipſo Ambroſio identidem & in hac controuerſia, & in aliis non paucis laudant, atque obiectant. Sed hoc ipſo in loco ridiculus inprimis eſt Aurelius, qui vt id refellat, quod à Sirmondo veriſſime ac ſapientiſſime obſeruatum erat, nimirum *chriſmationis verticis mentionem nuſquam exſtare ante librum ordinis Romani*; obiicit eam in Ambroſianis ſcriptis occurrere; immemor eorum, quæ ipſe alibi dixerat, *verticalem vnctionem* ne Gregorij quidem temporibus notam fuiſſe; nedum, vt quod nunc tradit, Ambroſij æuo fuerit. Nos vero hunc ſcriptorem etiam infra ſeptimum ſæculum deiiciendum, & inter octaui ſæculi ſcriptores ablegandum exiſtimaremus, ſi allata ipſius verba non aliter, quam vult Aurelius intelligi poſſent. Non enim, Roma excepta, duplicem illam chriſmationem alibi vſquam in Occidente ante octauum ſæculum vſitatam fuiſſe reperimus. Sed nihil fortaſſe neceſſe eſt Aurelianam interpretationem ſequi. Hic quidem certe ſcriptor vnam vnctionem clariſſime commemorat; eam ſcilicet quam Aurelius à presbytero vult in vertice factam fuiſſe, illam alteram, quam idem *epiſcopalem* vocat, non deſcribit, neque vſquam exſerte ponit.

Orthod. par. 4. c. 7. p. 568.

vindic. p. 31.

Anarrep. p. 21. 439.

vind. p. 31.

Anat. p. 424.

Ibid. Orthod. p. 568.

Al-

Ait Aurelius *chriſmationem* ab hoc ſcriptore priori loco commemoratam eſſe *baptiſmalem*. Fateor; Eo fieri, vt præter eam aliqua alia fuerit chriſmatio, nego; qui nullam niſi baptiſmalem apud veteres fuiſſe contendo; & hactenus multis probaui. Ait deinde Aurelius eam chriſmationem fuiſſe verticis, non fuiſſe frontis; idque hinc probat, quod ea *paulo poſt dicitur fieri ſupra caput. Accipis autem myſterium, hoc eſt vnguentum ſupra caput. Quare ſupra caput? Quia* ſenſus ſapientis in capite eius, *Salomon ait.* Hinc ex capite ſexto libri *de iis, qui initiantur myſteriis,* deſumpta eſſe manifeſtum eſt; quo loco iſta ex Pſalmo CXXXII. allata erant, *ſicut vnguentum in capite.* Hinc eſt, quod obſeruauit *vnctionem Eccleſiaſticam in capite fieri;* & rationem addiderit, quod *ſapientis ſenſus ſint in capite eius.* Iam hæc ratio non exigit, vt extra *frontem* facta fuerit vnctio; ſuadet potius, vt in ipſa etiam *fronte* facta fuiſſe credatur; quæ *in capite* eſt. Sed neque cætera aliud probant. Certe illud ipſum Moſaicum ſacerdotale vnguentum, quod Pſaltes ait fuiſſe *in capite* על הראש Hebræi extra frontem fuiſſe hinc adeo non concludunt, vt contra magno omnes conſenſu fronti illitum, & quidem in formam Elementi Græci X. hoc eſt in crucis decuſſatæ figuram ductum fuiſſe (quod ſupra obſeruauimus) tradunt. Nimirum, vt ex Maymonide recitat Schickardus: *effundebant oleum capiti ſacerdotis, & illiniebant inde ſuper oculos ad ſpeciem Chi Græcorum.* Nihil vetat Chriſtianorum vnctionem prioribus ſeculis ſimili modo factam fuiſſe; ſic, vt chriſma capiti neophyti affunderetur; indeque frons in crucis figuram liniretur. Ergo non ex eo quod *capiti,* vel *ſupra caput* effundebatur *chriſma,* ſequitur non fuiſſe vnctam frontem. Viderint vltima poſt Gregorium ſecula; quæ duo illa vnctionis loca ita diuiſerunt, vt *verticem* presbyteri, *frontem* ſolus Epiſcopus vngeret. Gregorii æuo, & anterioribus temporibus, videtur quiſquis frontem vnxit, & caput quoque vnxiſſe; omninoque illa alterius partis ab altera diuiſio inuecta eſſe diu poſtquam duplex chriſmatio vna presbyteri, altera epiſcopi facta eſt. Sed pretendit tamen Aurelius præter hanc (quæcumque tandem illa fuerit, ſiue ſolius, vt ille vult, verticis, ſiue, quod nos genitus putamus, etiam frontis) chriſmationem, aliam quandam ab hoc ſcriptore commemorari capite ſecundo, libri tertii. Ego iſto loco, *manus impoſitionem* deſcribi confiteor; *quando* (inquit) *ad inuocationem ſacerdotis Spiritus Sanctus infunditur;* chriſmationem deſcribi nego. Nempe hic mos vetus erat, ab ipſo Hieronymo memoratus, vt neophyti à presbyteris vncti, & chriſmati ab Epiſcopo non vnctionem, ſed manuum impoſitionem poſtea ſuſciperent. Sed (inquit) hic tamen ſcriptor *ſignaculum* diſerte memorat. Memorat, inquam; ſed quale? Audiamus; *Sequitur* (inquit) *ſpirituale ſignaculum.* Ergo huic, vt vides, duplex quidem ſignaculum; ſed vnum externum, ſiue ſymbolicum,

L. 3. de Sacrament. c. 1.

Ibid. c. 2.

chriſma ſcilicet, quod præceſſerat, & iam à neophyto ſuſceptum fuerat; *ſpiritale* alterum, quod nunc per manus impoſitionem accipiebat, ſpiritus ſcilicet ipſius donum, non autem vtrumque (quod fingit Aurelius) externum & ſymbolicum. Hanc eſſe mentem huius ſcriptoris patet ex libro *de iis, qui initiantur myſteriis.* Nam in eo loco, ex quo hic deſumptus eſt, apertiſſimè docemur, quod ſit illud ſignaculum vtrique ſcriptori memoratum; *Repete* (inquit) *quia accepiſti ſignaculum ſpiritale, Spiritum ſapientiæ, & intellectus, ſpiritum conſilij atque virtutis*; & cætera quæ nuper deſcripta ſunt. Ergo *ſpiritale* illud *ſignaculum*, de quo vterque intelligit, eſt non vel frontis, vel alterius cuius quam partis externa vnctio (quod vult Aurelius) ſed *Spiritus* ipſe *ſapientiæ, qui ad inuocationem ſacerdotis infundi credebatur.* *Inuocabatur* autem à ſacerdote Domini Spiritus *in manus impoſitione*, non *in ſecunda chriſmatione*, vt patet ex libris ritualibus. Itaque hinc quidem concludere licet duplex his auctoribus notum fuiſſe *ſignaculum*; vnum *corporis*; alterum *ſpiritus*; vnum quo neophyti caput & frontem ſacerdos, alterum, quo eiuſdem cor Dominus Deus conſignabat; ille vnguento, hic ſeptem Spiritus Sancti donis. Prius huius poſterioris ſymbolum, quod poſt lotionē adminiſtrabatur; poſterius prioris res & myſterium, quod à Deo & dabatur in ipſo baptiſmo, & augebatur poſtea per *manus impoſitionem* ad inuocationem ſiue precationem ſerui Dei. Sed hinc nequaquam ſequitur, (quod fruſtra contendit Aurelius) duplicem chriſmationem externam, alteram presbyteralem, alteram epiſcopalem, his ſcriptoribus fuiſſe cognitam; qui vnam quidem diſertiſſimè memorant; alteram ne leuiter quidem innuunt. Tametſi ergo fatear vtrumque (quod aliis certiſſimis argumentis demonſtratur) diu poſt Ambroſij tempora vixiſſe, & quidem auctorem *de ſacramentis* multo fuiſſe & deteriorem, & poſteriorē alterius opuſculi ſcriptore; nego tamen quicquam eſſe, quod probet vel alterius, vel vtriuſque temporibus vſitatam adhuc in eorum Eccleſiis fuiſſe duplicem chriſmationem. In vtroque hoc ſingulare eſt, quod præter cæteros ab aliis auctoribus paſſim memoratos baptiſmi ritus, hic etiam *pedum lotionem*, & quidem ab ipſo *Epiſcopo* miniſtratam recenſent. Quo loco, neque illud prætermittendum eſt, quod poſterior quam fatetur non fuiſſe in Eccleſiæ Romanæ vſu, eam tamen retinendam percenſet; cum tamen alioqui ſe inter illius Eccleſiæ obſeruatores eſſe profiteatur. Vnde videre eſt, & quanta fuerit veterum Eccleſiarum in his & diuerſitas, & libertas, & quam exigua fuerit Romani moris præ cæteris auctoritas. Cæterum illud vterque hoc de ritu, ſatis incommodè & perabſurdè philoſophatur, quod prior quidem ea lotione peccatum originale ablui putet; *Ideo* (inquit) *planta eius* (Petri) *abluitur, vt hereditaria peccata tollantur. Noſtra enim propria per baptiſmum relaxantur.*

De iis, qui myſt. Init. c. 6. extr.

Poſterior

Poſterior vero neque ipſe ſatis ſanus videtur, dum fingit *ideo lauari pedes* neophytorum, *vt in ea parte, in qua inſidiatus eſt ſerpens* (Adamo ſcilicet) *maius ſubſidium ſanctificationis accedat, quo poſtea eos ſupplantare non poſſit.* Vtrumque ſomnium, quod vel plane, vel pœne idem eſt, ineptum & inſtituto à Chriſto baptiſmati contumelioſum, ſatis oſtendit neutrius opuſculi auctorem eſſe Ambroſium. Libro ſecundo de Sacra. c. 1. extr.

Sed his alium inſuper auctorem, dubium quoque & incertum, adiungere ideo placuit, quod eadem & ipſe cum iſtis *de vnctione* ſenſerit. Is eſt ſcriptor ſermonum, quos vna cum quadraginta Auguſtinianis in operis appendice ante annos 18. edidit eruditiſſimus, ac de his litteris optime meritus Sirmondus; non quod eos vere Auguſtini eſſe putaret, ſed quod ei in manuſcriptis Codicibus tribui vna cum aliis aliquot eiuſdem generis repeiiſſet. Si ergo ſcriptor, quiſquis fuerit, haud longe videtur vel à ſæculo, vel ab Eccleſia abfuiſſe, in qua vixerunt duo iſti à nobis nuperrime recenſiti. Profeſſus enim ſe de omnibus myſteriis locuturum, quæ neophyti in baptiſmo conſecuti erant; cum ſermone primo & de aliis & de oleo quo vncti erant, dixiſſet, eique accommodaſſet, quod alij ad chriſmationem referre ſolent, illud ex Cantico; *Poſt te in odorem vnguentorum tuorum currimus*; ſermone verò ſecundo de ipſa *tinctione*, & iis quæ cum ea coniuncta erant, egiſſet, tertio denique ſermone de *chriſmatione* tractat; quam & ipſe vnam commemorat, & quidem capiti infuſam; *Impleto baptiſmate* (inquit) *caput veſtrum chriſmate, id eſt oleo ſanctificationis infundimus; per quod oſtenditur baptizatis regalem & ſacerdotalem conferri à Domino dignitatem. Nam in veteri Teſtamento hi qui legebantur in ſacerdotio, vel in regno, ſancto vngebantur oleo, & vnctione capitis alij regnandi, alij ſacrificia offerendi accipiebant à Domino poteſtatem*, &c. *Vnde & in Pſalmo canitur*: ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. *Sed illud in veteri Teſtamento oleum, temporale regnum, temporale ſacerdotium conferebat*, &c. *Hoc autem chriſma, id eſt hæc vnctio, quæ vobis impoſita eſt, illius vobis regni, illius & ſacerdotij contulit dignitatem, quod cum ſemel collatum fuerit, nunquam eſt finiendum. Mirum manifeſte, quod diximus, vos illo chriſmate regnum futuræ gloriæ, & ſacerdotium conſecutos.* Eo refert id quod eſt apud Petrum; *vos autem genus regale, & ſacerdotale*, &c. Denique de lotione pedum tradit; *Impletis autem* (inquit) *omnibus ſacramentis, etiam mandatum vobis & exemplo, & ſermone tradidimus. Lauimus enim ſingulorum pedes, ad imitationem vos noſtram, imo ipſius Domini, & Saluatoris noſtri prouocantes; vt quemadmodum nos veſtros pedes lauimus; ita etiam vos pedes ſingulorum & hoſpitum lauare debeatis.* Hæc ille; de pedum quidem lotione ſimilis; quam duo ſuperiores qui ea peccatum originale tolli ſignificabant. [illegible]; eorum geminus eſt. Nam & vnam omnes chriſmationem

Serm. 1. & 2. init.

Serm. 2. p. 454.

Cantic. I. 4.

Serm. 3. init.

tionem

tionem non plures commemorant, & post eam, pedum lotionem collocant; aliis, quod ſciam, ignotam, certe non dictam. Vna porro illa chriſmatio quin baptiſmalis ſit, hoc eſt baptiſmatis cærimonia, ne Aurelius quidem ipſe dubitat. Et certe res eſt manifeſta. Nam & primus eam inter ritus recenſet, quibus neophyti myſteriis initiabantur; & ſecundus in eo opere deſcribit, in quo non alia, quam duo, baptiſmi & Euchariſtiæ ſacramenta explicat, tribus ſingula libellis. Tertius vero omniũ clariſſime id docet, cũ hunc de chriſmatione ſermonem ingrediens ita præfatur; *Huc vſque de myſteriis locuti ſumus, quæ vel ante baptiſmatis ſacramentum, vel in ipſo baptiſmate celebrantur. Nunc vero de his acturi ſumus, quæ iam baptizatus ſanctâ inſtitutione complentur.* *Myſteria*, id eſt ſacros illos ritus, de quibus diſputare, inſtituit, ritus trifariam, vt vides, diuidit; qui ante baptiſmum, qui in ipſo baptiſmo, qui poſt baptiſmum fiebant. Singulis vnum ſeorſum ſermonem tribuit. Vt ergo *myſteria ante baptiſmatis ſacramentum*, intelligit quæ ita baptiſma præcedebant, vt eius cærimoniæ eſſent, & ad id pertinerent, non diſtincta ab eo ipſa proprie ſacramenta eſſent; ita & myſteria, *quæ poſt baptiſmum*, ea quoque ſignificat, quæ baptiſmi (licet eo perfunctis complerentur) partes rituales, ſiue cærimoniæ eſſent, eodẽ plane modo, quo Bellarminus, & cæteri Latini presbyteralem chriſmationem inter eos baptiſmi cærimonias numerant, quæ poſt baptiſmum fiunt. Sed & illud in tertio hoc ad duorum ſuperiorum illuſtrationem eſt obſeruandum, quod & ipſe quoque tum veterem Moſaicam ſacerdotum vnctionem, qua frons, vt diximus, illinebatur, *vnctionem capitis* vocat; tum de recenti Chriſtianorum neophytorum vnctione ait, eorum *caput chriſmate infundi*. Quo firmatur id quod nos nuper ad duos ſuperiores ſcriptores coniiciebamus, apud veteres chriſma, antequam in duas vnctiones diuiſum, ac diſcerptum eſſet, ita adminiſtratum fuiſſe, vt & caput eo perfunderetur, & frons conſignaretur; eo plane modo, quo factam apud Iſraelem ſacerdotum vnctionem diximus. Neque vero quemquam apud hos turbet, quod baptiſmatis effecta, chriſmationi illi ſua tribuunt, ac de ea magnifice loquuntur. Is enim Patrum fere perpetuus mos eſt, quod nos non ſemel monuimus. Ait ille tertius Auguſtini nomen præferens, *chriſmate regni, ac ſacerdotij dignitatem conferri*; ait illo *chriſmate neophytos regnum gloriæ conſecutos*. Ait, fateor, ſed eodem modo, ac ſenſu, quo paulo ante veteres ſub lege dixerat *vnctione capitis alios regnandi, alios ſacrificia offerendi accepiſſe poteſtatem*; cum tamen eam vnctionem illius acceptæ poteſtatis, non cauſam, non ſacramentum proprie dictum, ſed ſignum ac ſymbolum merum fuiſſe nemo neſciat. *Vnctione acceptum* dicit, quod vnctione ſignificabatur, acceptum eſſe. Sic & ſua *chriſmatione conferri* dicit, quæ per eam ſignificari collata intelligit. Ipſe

vere ac proprie paulo ante hæc interpretatus erat, cum diceret *per chriſma oſtendi, baptizatis regalem & ſacerdotalem conferri à Domino dignitatem.* Ita, non aliter, vera erunt, quæ idem ſtatim ſubiicit, *Non ego vobis*(inquit)*ſed Apoſtolus Petrus, imò per Apoſtolum Chriſtus, conlatam hanc pronuntiat dignitatem. Sic enim loquitur ad fideles, id eſt qui baptiſmate abluti, & chriſmate conſecrati ſunt*; Vos autem genus regale, &c. Si hoc, quod dixi, voluit, oſtendi & ſignificari chriſmate, neophytos vtramq; illam dignitatem in Domino eſſe conſecutos; recte & appoſite Petrum induxit, id quod chriſmate ſignificatur, verum eſſe, adeoque vere ſignificari, docentem. Sin & chriſmatis vi, atque opere id actum proprie fuiſſe vult, vt eſſemus Chriſti regnum, & ſacerdotium; profecto nihil ad eum Petrus, cuius verba, vt liquet, de chriſmate illo externo plane nihil tinniunt. Sed cum aduerſariis quidem, non eſt quod iſta pluribus agamus; qui ſi huius tertij ſcriptoris æque ac duorum ſuperiorum, dicta de preſbyterali chriſmatione cum P. Aurelio accipiant; omnino coguntur de hoc iſtorum ſenſu nobiſcum fateri, qui preſbyteralem illam vnctionem ſcilicet non ſacramentum, cuius opere res efficitur, ſed cærimoniam, cuius ſymbolis res ſignificatur, eſſe doceant.

Hic quoque reddendus eſt libri vel epiſtolæ de Eccleſiæ ordinibus ad Ruſticum ſcriptor, quem in hunc locum diſtuli, quod totum opus neget, ſe eſſe Hieronymi, cuius nomine non modo à Gratiano[a] in iuris Pontificij decreto, ſed etiam à Micrologi[b] auctore ante annos 600. & ab Hincmaro ante octo propemodum ſæcula laudatum reperitur. Erudiţiſſimus ac Reuerendiſſimus Vſſerius[c] videtur putaſſe auctorem libri vixiſſe circa Leonis Pontificis Romani tempora; & ſub anno Domini 450. ſcripſiſſe quod is Ruſtico Narbonenſi inſcriptus ſit; quem Epiſcopum eius & nominis & ciuitatis eſſe exiſtimat, ad quem exſtant Leonis Romani litteræ. Sed leuius eſt argumentum: Nam Eraſmus[d] teſtatur fuiſſe codices in quibus *Damaſo*, fuiſſe & in quibus nulli inſcriberetur hoc opuſculum. Eraſmus[e], Eſtius[f], Cocus[g], Blondellus[h], & cæteri eruditi conſentiunt non eſſe Hieronymi; de tempore, quo ſcriptus fuerit, nihil habemus certi. Antiquum eſſe apparet ex iis, à quibus memorari tametſi alieno nomine diximus. Blondellus noſter in turbam eorum coniicit, quæ inter ſæculum VII. & IX. ſcripta ſunt. Auctor certe, quiſquis eſt, Hieronymianam de hoc, quod nunc tractamus, argumento ſententiam accurate ſecutus eſt; quod ſi vel vnum eſſet, dignum faceret, cuius verba expenderemus. Primo ergo iſte plane vt ſupra Hieronymus, conficiendorum omniũ ſacramentorum poteſtatem preſbyteris æque ac epiſcopis conuenire liquido definit. *Prædicare* (inquit) *presbyteros decet, vtile eſt benedicere, congruum confirmare, conuenit reddere communionem, neceſſe eſt viſitare infirmos,*

a d. 93. c. 13. d. 95 c. 6.
b c. 11.
c in Antiq. Britan. p. 1096.
d Cenſura T. 4. Hieron. fol. 36. a.
e Ibid.
f in 4. d. 7. §. 9. & 12.
g Cenſura p. 159.
h de Epiſc. p. 77.

Lib. de Ord. Eccleſ. ad Ruſtic. T. 4. Hieron. fol. 37.

infirmas, orare pro inualidis, atque omnia Dei ſacramenta complere, præſertim cum in Oriente eam conſuetudinem, & in Illyrico, & in Italia, atq; in Africa, omnibus in locis, temporibus Apoſtolorum fuiſſe manifeſtum ſit. Ac ſola propter auctoritatem ſummo ſacerdoti clericorum ordinatio, & virginum conſecratio reſeruata ſit, cum baſilica, altaris, & chriſmatis dedicatione, vel ſatisfactione *, *Ne à multis diſciplina Eccleſiæ vendicata concordiam ſacerdotum ſolueret, ſcandala generaret.* Tum hæc preſbyteris eo conuenire argumentatur, quod & corpus Chriſti conficiant; quod & Hieronymi olim, & poſtea Photij, & huius quidem in hac ipſa contra Latinos diſputatione, epichirema fuit. *Qui non vult* (inquit noſter) *presbyteros facere quæ iubentur à Deo, dicat, quis maior eſt Chriſto? aut quid corpori eius aut ſanguini poterit anteponi? Si presbyter Chriſtum conſecrat, cum in altario Dei ſacramenta benedicit; benedicere populo non debet, qui Chriſtum etiam meruit conſecrare?* Chriſma paulò poſt diſerte, ac magna vi preſbyteris eadem ratione vindicat. *Denique & chriſmatis* (inquit) *ea ratio eſt, atque hic ordo legitimus conſecrandi baptizatum Dominum & in ſimilitudine columbæ in ſpecie chriſmatis à Patre vnctum fuiſſe manifeſtum eſt, ac plenitudo ſacramenti corpus eius & ſanguis oſtenſus; quæ cum offerre licet, etiam reliqua quæ in eo ſunt conſecrare, quia in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat. Presbyteri ergo ſi neceſſe eſt, poſſunt chriſma conficere, quia in corpore eius chriſma eſt. Siquidem hæc regula etiamnunc ſeruatur à plurimis, atque in Eccleſiis multis ſic iſta faciunt.* (Vltima hæc verba arguere videntur multo ante ſeptimum ſæculum ſcriptum eſſe libellum, quo vix veriſimile eſt preſbyteris apud vllos nedum apud plurimos relictam chriſmatis conficiendi poteſtatem) Tum auctor vt pacis ſtudioſus, ſuam ſententiam ſic temperat; *Tamen mea hoc ſcito eſſe ſententia, nulli epiſcopo ſuper hoc iniuriam eſſe faciendam, nec legem à me apponendam eſſe ei, qui lex eſt presbyteri.* Hic altius inſurgit, & preſbyteros ab initio, quæ & Hieronymi ſententia eſt, eoſdem cum epiſcopis fuiſſe non obſcure ex ſcripturis exſtruit. *Ab initio vt legimus* (inquit) *negotiorum iudices eſſe mandati ſunt presbyteri interesse epiſcoporum concilio. Quoniam & ipſi presbyteri, epiſcopi, vt legimus, nuncupantur.* Quod, vt & Hieronymus ſolet, ex Paulinis ad Titum, ad Timotheum, & ad Philippenſes epiſtolis, & ex Ioannis altera epiſtola probat. *Vides*, inquit, *presbyterum epiſcopum dici, & Apoſtoli Pauli eſſe ſententiam.* Denique totum locum ſic concludit; *Propterea hæc ſcribo, vt ſi præteriti temporis error non poteſt iam reuocari, vel ad præſens in Eccleſiis ſeruetur humilitas, vt presbyteri hoc in Eccleſiis ſuis faciant, quod Romæ, ſiue quod in Oriente, quod in Italia, quod in Creta, quod in Cypro, quod in Africa, quod in Illyrico, quod in Hiſpania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias, quod in omnibus locis, vbi humilitas perſeuerat.* Atque hæc quidem hactenus ſcriptor ille ignotus, definiens preſbyteros

Margin notes: * leg. Sanctificatione. — Ibid. M. — Ibid. fol. 38. a. b. — Ibid. B. — Tit. 1. 5. 1. Tim. 3. 1. Phil. 1. 1. 2. Ioan. 1. — Ibid. C. — Ibid. D.

teros à prima Chriſtianiſmi origine eiuſdem cum epiſcopis nominis ac poteſtatis fuiſſe; quod mutatum eſt, errori deputans; chriſmatis quidem certe non miniſtrandi tantum, ſed etiam conficiendi ius iis apertiſſime vindicans. Quod reſpondet Eſtius non eſſe hæc Hieronymi, fateor, ſed eſſe veteris ſcriptoris; & ante multa ſæcula denati, & huiuſmodi qui diu pro ipſo Hieronymo, & quidem apud ipſos Latinos habitus ſit, ex iis quæ diximus liquet, quod ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt.

Caput IX.

Quæ qualiſque fuerit ſeptimi ſæculi de hoc capite doctrina, ac praxis. Synodi Hiſpalenſis illuſtris canon ſimilia eorumdem temporum ex Iſidoro Hiſpalenſi teſtimonia.

His ita explicatis, nunc ad ſequentia tempora veniamus, quibus magna facta eſt in omnibus Occidentis Eccleſiis mutatio. Omnes enim breui in Romanum morem conceſſerunt, ſiue quod iis cum denſiſſimæ pœne vbique eſſent ignorantiæ tenebræ; facile perſuaſum eſt externum morem ſuo præſtare; ſiue quod illæ vltro res Romanas, vrbis & Eccleſiæ ſplendore, ac pompa captæ admirarentur, atque æmularentur, ſiue denique quod Epiſcopi vrbici iugum paulatim iam admitterent, quod poſtea grauiſſimum eatum ceruicibus totum incubuit. Vtcunque ſit, illud quidem conſtat Romanam illam præter veterem morem à Syluestro primum, ſed leuiter, inchoatam, ab Innocentio poſtea conſtitutam, & à Gregorio nouiſſime explicatam ac confirmatam epiſcopalem chriſmationem in reliquas Occidentis prouincias, in quibus antea recepta non fuerat, ſeptimo, octauoque ſæculis fuiſſe tandem propagatam, vincente vrbicæ Eccleſiæ (quam *ſuarum traditionum inprimis tenacem eſſe* merito ſcribit Aurelius) pertinacia, & omnia paulatim ſuis ritibus exæquante atque conformante. Anzt. p. 414.
In Hiſpania quidem era 657. (hoc eſt anno Domini 619.) vix expletis poſt Synodum Barcinonenſem totis viginti annis, preſbyteris interdictum eſſe frontis chriſmatione, ex Synodo Hiſpalenſi clarum eſt, non tamen ſimpliciter & abſolute: ſed ita, ſi id miniſterium præter Epiſcopi ſui voluntatem inuaderent, vt ex Synodi verbis patet, quæ hæc ſunt.
Quamuis cum Epiſcopis plurima presbyteris miniſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam nouellis & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita nouerint; ſicut presbyterorum, & diaconorum, ac virginum conſecratio, ſicut conſtitutio c. 7. T. 4. Concil. p. 560. D.

 altaris,

altaris, benedictio, vel vnctio. Siquidem nec licere eis Eccleſiam, vel altaria conſecrare, nec per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel conuerſis ex hæreſi paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publice quidem in Miſſa quemquã pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita eſſe presbyteris, quia Pontificatus apicem non habent, quem ſolis deberi Epiſcopis auctoritate canonum præcipitur; vt per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur. Sed neque coram Epiſcopo licere presbyteris in baptiſterium introire, nec præſente antiſtite infantem tingere, aut ſignare; nec pœnitentes ſine præcepto ſui Epiſcopi reconciliare; nec eo præſente ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere, nec eo coram poſito populum docere, vel benedicere, aut ſalutare, nec plebem vtique exhortari. Hæc ex Garſiæ Loaïſæ editione. Nam vulgata Iſidori Mercatoris, impudentiſſimi corruptoris manu vitiata eſt. Sed & operæpretium eſt huius decernendi canonis occaſionem repetere; *Septimo examine relatum eſt nobis* (inquiunt Patres) *venerandiſſimum quondam Agapium, Cordubenſis vrbis Epiſcopum, frequenter presbyteros deſtinaſſe* (vulgata editio male habet *chorepiſcopos, vel presbyteros*) *qui abſente Pontifice altaria erigerent, baſilicas conſecrarent. Quod quidem non eſt mirum præcepiſſe virum Eccleſiaſticis diſciplinis ignarum, & ſtatim à ſæculari militia in ſacerdotale miniſterium delegatum. Ergo ne vltra talis à nobis licentia vſurpetur, communi ſententia ſtatui oportuit; ſcientes quia ſicut presbytero illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio.* At hunc Hiſpalenſium Patrum canonem primo obſeruandum eſt videri nullam fuiſſe antea de iis, quæ ab iſtis decernuntur, diſertam Hiſpanicæ Eccleſiæ legem, quam ſi qua fuiſſet, non erant hoc loco prætermiſſuri, quo ſuum hoc decretum ſtudioſe etiam petitis ex veteri teſtamento, rationibus confirmant. Secundò, videri itidem varium & ab iis, quæ nunc ſtatuuntur, diuerſum fuiſſe antea in Hiſpania vſum, quod Agapij factum, demonſtrat. Quod enim *diſciplinæ Eccleſiaſticæ ignarum* eum fuiſſe Patres inde colligunt, quod *ſtatim à ſæculari militia in ſacerdotale miniſterium delegatus ſit*; id quam parum ſit firmum vel Ambroſij exemplum oſtendit, qui licet à ſæculari quoque militia ſubito ad ſacra tranſlatus, maximus tamen, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus Epiſcopus fuit. Vero propius putauerim Agapium, virum ſimplicem, & exotico cultu carentem, ſimpliciter ac bona fide feciſſe, quæ apud ſuos & facta antehac eſſe, & nunc etiam fieri, nulla à maioribus in contrarium lata lege, intelligebat, hos vero, ac præſertim Iſidorum Hiſpalenſem Synodi principem, cum Romanorum epiſcoporum decreta, atque epiſtolas legiſſent, & hæc ab iis ita conſtituta fuiſſe didiciſſent, ea recta cenſuiſſe, praua, quæ ab Agapio aliter, licet ex patrio more, geſta erant, arreptaque occaſione, non ſolum

Ibid. B.

de al-

de altarium & baſilicarum conſecratione, in quibus peccaſſe exiſtimabant Agapium, ſed & de cæteris omnibus, quæ vrbici Antiſtites Epiſcoporum eſſe propria voluerant, ex eorum ſententia ad amplificandam ſui ordinis dignitatem, ſtatuiſſe. Tertiò, notandæ ſunt rationes, quibus hæc ſua decreta muniunt. Ius quidem altaris vngendi & conſecrandi vnius eſſe Epiſcopi ex Moſaïca lege conficiunt, in qua *ſolus Moſes in tabernaculo erexit altare, ſolus ipſe vnxit*. Atque hæc (vt id obiter dicam) fuiſſe videtur ratio, qua Montanus Toletanus in eadem Hiſpania Epiſcopus, *ſacrarum litterarum teſtimoniis affirmabat penitus non licere presbyteris chriſma conficere*, in epiſtola ad Palentinæ habitatores ſcripta, vt eſt ab Ildefonſo traditum. Hæc autem ratio quam vim habeat, vel pueri vident. Sed hinc tamen factum eſt, vt Iſidorus Mercator in ſua huius Synodi editione addiderit *quædam presbyteris auctoritate veteris legis eſſe prohibita*. Cætera, quæ longe plurima ſunt, omnia non aliis, quam *nouellis, & Eccleſiaſticis regulis* prohibita eſſe presbyteris, ipſi Patres Hiſpalenſes agnoſcunt ac profitentur. Cum ergo & in iſtis ſit tum quod *manus neophytis, & ex hæreſi conuerſis imponere*, tum quod *chriſmate baptizatorum frontem ſignare* ſoli debeant Epiſcopi: apparet vel horum iudicio, non iure vllo diuino, neque *Dominicæ diſpoſitionis veritate*, ſed *nouella Eccleſiæ regula*, & (vt olim loquebatur Cornelius) *canone Eccleſiaſtico* vtrumque inſtitutum fuiſſe; quod vnum omne Latinorum recentium dogma funditus euertit. Quartò, Idem quoque fatetur finis ob quem iſta ſic inſtituta eſſe docent, vt *per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur*, quæ Hieronymianis ſupra recitatis conſentanea ſunt, & ex eis ducta videntur. Quod ergo ſoli Epiſcopo *chriſmate frontem*, & cætera huiuſmodi facere *nouellis Eccleſiæ regulis* attributum erat, id iſti factum putant, non quod Deus ita præcepiſſet, ſed vt emineret Pontifex ſiue Epiſcopus, hoc eſt, quod aiebat Hieronymus, non *ad legis neceſſitatem*, ſed *ob ſacerdotij dignitatem*. Idque eo impenſius tenendum eſt, quod Iſidorus, qui Synodo præerat, alibi cum eodem Hieronymo docet initio ex diuino inſtituto eoſdem presbyteros cum epiſcopis fuiſſe, adeoque non aliter ſentire potuit, quam quos eoſdem fuiſſe putabat, eorum quoque communia fuiſſe officia, muniaque omnia. Quintò, Quæ fuerint *nouellæ iſtæ Eccleſiæ regulæ*, quæ ad euehendam epiſcopatus dignitatem tam multa presbyteris prohibuerint, ſatis res ipſa loquitur. Nam hunc ipſorum canonem totum, partim ex decretis veterum quarumdam Synodorum, Græcarum, Africanarum, & Hiſpanicarum, partim ex Innocentij, Gelaſiique vrbicorum Præſulum epiſtolis ductum, ac contextum eſſe facile animaduertit, quiſquis vtraque inter ſe comparauerit. Sextò, Notandum eſt ne iſtos quidem putaſſe abſolute, ac ſimpliciter presbyteris prohibitum.

Lib. de vir. illuſtr. c. 3. apud Iſid. opera.

L. 1. de offic. Eccleſ. c. 7.

bitum eſſe, ne chriſment. Nam *ſignare* non aliter prohibitum eſſe docent, quam *tingere*, quam *in baptiſterium introire*, quam *pœnitentes reconciliare*, quam *ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere*, quā denique *populum docere, vel benedicere, aut ſalutare, vel exhortari*. Hæc autem omnia preſbyteris vel abſente Epiſcopo, vel etiam præſente, ſi iuberet, vel annueret adminiſtrare licuiſſe, & conſtat, & apud omnes confeſſum eſt. Ergo & frontem chriſmare, cuius plane eadem eſt ac iſtorum ratio, preſbyteris per hunc canonem in Hiſpania licuit. Quod & ipſi Patres liquido ſignificant, dum preſbyteris, vt *in baptiſterium introire*, vt *pœnitentes reconciliare*, vt *ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere*, vt *populum docere* denique, *vel benedicere, aut ſalutare, aut exhortari*; ita & *infantem tingere, aut ſignare*, non ſimpliciter & abſolute, ſed *coram Epiſcopo*, ſed *præſente Antiſtite*, ſed *ſine præcepto Epiſcopi*, ſed *eo præſente & coram poſito* licere negant. Ergo preſbyteris abſente antiſtite infantem, vt tingere, ſic & *ſignare* licere volunt, quod vt ab hodierno Latinorum ritu alienum, ita & ſupra laudatis veterum Hiſpaniæ Synodorum placitis conſentaneum eſt. Septimò, Illud quoque in hoc canone obſeruandum eſt, quod baptizatos *in fronte* proprie *ſignatos* fuiſſe teſtatur. Octauò, Neque illud denique prætermittendum eſt, quod hi Patres *per manus impoſitionem* tam *ex hæreſi conuerſos*, quam *fideles baptizatos* in Eccleſiam receptos fuiſſe, tamque illis, quam his per eum ritum *Spiritum Paracletum traditum* fuiſſe nos docent. Vnde videre eſt nullum eos ſtatuiſſe inter *neophytorum & ex hæreſi conuerſorum manus impoſitionem* diſcrimen, vt ſi horum *manus impoſitionem* pro vero ac legitimo ſacramento minime habuerint (quod confitentur aduerſarij) nulla ratio dici poſſit, cur de altera, quæ neophytorum erat, aliter ſenſerint. Atque hæc quidem de Hiſpalenſi Synodo; quorum plæraque ex Iſidori ſcriptis certiſſime confirmantur, qui Synodo præfuit eiuſdem ciuitatis antiſtes. Is enim chriſma non vnum per ſe ac ſeorſim proprie dictum ſacramentum eſſe; ſed initiationis Chriſtianæ, (hoc eſt baptiſmi) partem clariſſime docet in opere Originum; vbi primo Sacramentum ita definit; *Sacramentum eſt* (inquit) *in aliqua celebratione cum res geſta ita fit, vt aliquid aliud ſignificare intelligatur, quod ſancte accipiendum eſt*. Quæ definitio omni ſacro ritui, ſiue ab ipſo Chriſto, ſiue etiam ab Eccleſia inſtituto conuenit, vt non ſit mirandum Patres, quod ita accipiebant, *Sacramenti* vocabulum chriſmati & aliis Eccleſiaſticis ritibus ſiue cærimoniis tribuiſſe.

Lib. 7. c. 19. de offic. p. 82. F.

Tum ſic pergit Iſidorus; *ſunt autem ſacramenta baptiſmum, & chriſma; corpus & ſanguis Chriſti, quæ ob id ſacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum virtus diuina ſecretius ſalutem eorumdē ſacramentorū operatur; vnde & à ſecretis virtutibus, vel ſacris ſacramenta dicuntur*. Hæc ille. Iam vt *corpus & ſanguis*, id eſt panis, & vinum Dominicæ menſæ,

vnius

vnius eiuſdemque ſacramenti partes duæ ſunt diuerſæ inter ſe, non tamen (ſi proprie loquendum eſt) duo diuerſa, diſtinctaque ſacramenta; ita baptiſmum & chriſma Iſidoro non duo proprie ſacramenta, ſed duæ vnius, eiuſdemque partes, quod Græcis *φωτισμὸς illuminatio*, Latinis *initiatio*, ſiue *regeneratio*, vtriſque *baptiſmus*, quod vocabulum hic Iſidorus ſtrictiori, & anguſtiori ſenſu, non pro toto regenerationis ſacramento, ſed pro altera tantum, eaque potiori, ac præcipua eius parte vſurpauit; nimirum pro *merſione*, ſiue *tinctione*, quæ proprie Græce βαπτισμὸς, vt omnes norunt. Vnum eſt inter hæc Iſidori *ſacramenta* (*id eſt ſacra ſigna*) diſcrimen, quod *ſanguis* ſiue *calix* Euchariſtiæ ſacramentum eſt ab ipſo Domino inſtitutum, & ab Apoſtolis traditum, *chriſma ſacramentum* ſiue ſacrum ſignum eſt, ſed ab Eccleſia inſtitutum, & ſola veterum auctoritate, atque conſuetudine in vſum receptum. Itaque Euchariſtiæ quidem *ſanguis*, ſiue *calix* pars eſt eſſentialis, materiæ ſcilicet eius, qua Euchariſtia conſtat, pars integrans, vt loquuntur, ac plane neceſſaria, ſine qua ipſa Euchariſtia conſiſtere non poteſt; chriſma verò τοῦ φωτισμοῦ ſiue myſterij initiationis Chriſtianæ pars eſt duntaxat *accidentalis*, ſiue *ritualis*, vna ſcilicet ex iis cærimoniis, quibus hoc myſterium exornare veteribus placuit; vnde eſt, quod abſque hoc ritu ſua nihiloſecius conſtet initiationis ſacramento veritas, & partium vere eſſentialium integritas. Hoc autem loquendi genus, quo *corpus & ſanguinem* Chriſti duo ſacramenta vocant ſecuti alij inferiorum ſæculorum Patres Theodulfus Aurelianenſis anno Domini 797. Synodus Cabilonenſis ſecunda, anno Domini 815. Ordinis Romani auctor circa eadem tempora, quorum teſtimonia ſupra ad Cyprianum exhibuimus. Sic etiam Rabanus, de quo breui dicendum erit, anno Domini 850. Fulbertus Carnotenſis, circa initia vndecimi ſæculi, *Duo* (inquit) *vitæ ſacramenta, id eſt Dominici corporis & ſanguinis*. Epiſt. I. T. 3.
Ita Ivo quoque, & Hugo de Sancto Victore, *Sacramenta vnitatis, id* Bibliot. Pat
eſt corpus & ſanguinem Chriſti, accipere debet, vel, *ſacramentis vnitatis, id* p. 434. A. ſermon. de Sacr.
eſt Chriſti corpore & ſanguine confirmatur. Sed redeo ad Iſidorum, qui neoph. de carim. & offic.
his quæ recitauimus, iſta paulò poſt ſubiicit, *ſicut in baptiſmo peccatorum remiſſio datur, ita per vnctionem Spiritus ſanctificatio adhibetur*. Eccleſ. lib. 1. c. 20.

Quo referatur vtrumque ſignum, docet; illud ad *peccati remiſſionem*, quia ablutio, qua conſtat baptiſmus, eam commodiſſime ſignificat, hoc ad *Spiritum*, cuius *vnctio* familiare ſymbolum eſt. Hactenus quidem hæc conueniunt. In hoc diſcrimen eſt, quod baptiſmi, (id eſt tinctionis) ab auctore Chriſto efficientia eſt, *vnctionis*, quæ ab hominibus eſt, nulla proprie niſi ad ſignificandum, vis eſſe poteſt. Iſidorus tamen de ea perinde loquitur, ac ſi eius aliqua eſſet vis ad conciliandum nobis Spiritum; more Patrum ſolemni, qui ea quæ ſignificantur, ſignis paſſim tribuunt. Gregorius idem, ſed proprie, ac ſine tropo dixerat,

chriſma-

In Cant. 1. 14. *chriſmate dona* (inquit) *Spiritus Sancti exprimuntur*; & diu ante eum Proſper, *Vnctione Chriſtianus ſanctificatur, vt intelligat ſe ſacerdotalis & regiæ dignitatis eſſe conſortem*. Inde ex Tertulliano docet Iſidorus *chriſma eſſe de priſtina* (id eſt Moſaica) *diſciplina, qua vngi in ſacerdotium & regnum ſolebant*. Ex eodem auctore iſta quoque ſumpſit, *vnctionem dum carnaliter fit, ſpiritaliter proficere, quomodo* (inquit) *& in ipſa baptiſmi gratia viſibilis actus eſſe, quod in aqua mergimur, ſed ſpiritalis effectus, quod delictis mundamur*. Tum de *manus impoſitione* ſeorſim quoque tradit, & quæ de ea dicit, plæraque ex eodem Tertulliano habet. Vnde intelligitur contra abſurdiſſimum Bellarmini commentum, *chriſmationem* & *manus impoſitionem* duos diuerſos, & à ſe inuicem diſtinctos actus eſſe, non (quod ille ſomniat) vnum eundemque; eoſque ita ſeorſim à ſe inuicem adminiſtratos adhuc fuiſſe Iſidori temporibus. Huc etiam pertinét, quæ idem in libro de Officiis Eccleſiaſticis tradit, tum de chriſmate, tum de manus impoſitione; quibus duobus officiis duo tribuit vltima illius operis capita. In priori commemorat oleum & *Moſaicum*, quo ſacerdotes, & *regium*, quo Reges Iſraëlis in Chriſti Domini typum olim vngebantur. *Sed poſtquam* (inquit) *Dominus noſter, verus rex, & ſacerdos æternus, à Deo Patre cœleſti myſtico vnguento eſt delibutus, iam non ſoli Pontifices & Reges, ſed omnis Eccleſia vnctione chriſmatis conſecratur, pro eo quod membrum eſt æterni ſacerdotis & regis. Ergo quia genus regale & ſacerdotale ſumus, ideo poſt lauacrum vngimur, vt Chriſti nomine cenſeamur*. Neque plura Iſidorus de chriſmate. De manus impoſitione ita perſequitur: *Sed quoniam poſt baptiſmum per Epiſcopos datur Spiritus Sanctus cum manuum impoſitione, hoc in actibus Apoſtolorum feciſſe meminimus Apoſtolos*. Tum loca recitat ex Actuum cap. 19. & c. 8. quibus Paulus quibuſdam diſcipulis, Petrus & Ioannes Samaritanis manus impoſuiſſe narrantur. Hinc pergit, & hæc ex Auguſtino ſumpta ſubiungit; *Spiritum autem Sanctum accipere poſſumus, ſed vt detur, Deum inuocamus. Hoc autem à quo potiſſimum fiat, quemadmodum Papa Sanctus Innocentius ſcribit, ſubijciam. Dicit enim non ab alio, quàm Epiſcopo fieri licere*. Atque hic locum Innocentij ex epiſtola ad Decentium ſupra deſcriptum recitat. Hæc Iſidorus: quæ diligenter ſunt obſeruanda. Hinc enim apparet primò, etiam tum in Hiſpania vnam fuiſſe chriſmationem; non ex Innocentiana & Gregoriana diſciplina duplicem. Nam cap. 24. quo de baptiſmo tradit, chriſmatis *extra frontẽ* illiti nullus meminit; quod eo loco non erat omiſſurus, ſi iã apud ſuos id factum eſſet, non magis quam poſteriores, rituũ expoſitores qui vtramq; chriſmationẽ memorant, quod ſcilicet eã in ſuis Eccleſiis fieri viderent. Iſidorus vnam tradit, quia vnam factitari in Hiſpaniæ Eccleſiis ſciebat. Hanc autem, quam commemorat, ipſam illam fuiſſe, quæ Romæ à ſolis Epiſcopis miniſtrabatur, hinc primo liquet, quod per

lib. 2. de offic. c. 25. Tom. X. Bibl. PP. p. 216. a. 1.

Ibid. c. 26.

eam

eam nos Chriſtianos cenſeri, & in Chriſti ſacerdotis ac regis membra iungi ait. Secundò, ex eo quod ex Synodo Hiſpalenſi didicimus ea conſignatos fuiſſe in fronte neophytos. Præterea ex his Iſidori diſcimus eam ipſam chriſmationem ad baptiſmum pertinuiſſe. Diſerte enim eam baptiſmo concludi atque contineri ſignificat, cum ait, *Sed quoniam poſt baptiſmum per Epiſcopos datur Spiritus Sanctus cum manuum impoſitione, poſt baptiſmum,* inquit. Ergo quicquid Epiſcopalem manus impoſitionem antecellerat, id baptiſmi cenſebatur. Chriſma autem manus impoſitionem præceſſiſſe ex toto hoc Iſidori ſermone manifeſtum eſt. Ergo & chriſma baptiſmi partem, ſiue ritum habitum fuiſſe neceſſe eſt. Vnde tria colliguntur. Primum, chriſma illud vnicum etiam à presbyteris, abſente Epiſcopo, vel ſi abeſſet, annuente, fuiſſe tum miniſtratum. Cum enim id chriſma baptiſmi ritus cenſeretur, id à presbytero, quem baptiſmi miniſtrum eſſe, nemo ambigit, eadem lege ac ratione qua ipſum baptiſmum, adminiſtratum fuiſſe neceſſe eſt. Quod & hinc confirmatur, quod Iſidorus de manus impoſitione dicens, de eius miniſtro diligenter monet, eum epiſcopum eſſe, non presbyterum, de chriſmate agens, nihil de miniſtro peculiare notat; vnde colligitur ab omni baptiſmi miniſtro indifferenter fuiſſe chriſmatos, ſiue is epiſcopus foret, ſiue presbyter. Secundò, Hinc etiam ſequitur *chriſmationem & manus impoſitionem* diuerſos fuiſſe, planeque inter ſe diſtinctos actus; contra ſtultiſſimum Bellarmini ſomnium, qui vnum eundemque eſſe vult. Tertiò, Denique hinc apparet, (quod eruditiſſimus Sirmondus obſeruauit) id omnibus iſtis temporibus iam inde ab anno Domini 370. quo aduerſus Luciferianos ſcripſit Hieronymus, ad Iſidorum, chriſma nonnihil ab impoſitione manus ſeiunctum fuiſſe, ita vt illud quidem baptiſmo, velut vnus ex eius ritibus, proprie adhæreret, & vna cum eo miniſtraretur; hæc vero ab Epiſcopo, ſi quis eo abſente baptizatus eſſet, aliquanto poſt conferretur. Atque hanc poſteriorem cærimoniam *confirmationem* vocatam fuiſſe, ex Eucherio, ſiue Hilario, & aliis ſupra audiuimus. Iam de ipſa manus impoſitione docet ex Auguſtino Iſidorus quod per eam Spiritus Sanctus ab Epiſcopo dari dicitur, id ita eſſe accipiendum vt intelligamus non ab ipſo proprie Epiſcopo Spiritum dari, ſed vt detur, *Deum ab eo inuocari*; quo id ipſum confirmatur quod ſupra ex Auguſtino audiuimus *manus impoſitionem* nihil aliud fuiſſe quam *orationem ſuper homine*; non adeo vllum proprie dictum ſacramentum. Libet hic commemorare, quod eſt ab eodem Iſidoro in alio opuſculo proditum, Eutropium quendam Eccleſiæ Valentinæ in Hiſpania Epiſcopum *ſcripſiſſe ad Papam Licianum valde vtilem epiſtolam, in qua petebat ab eodem pro qua re baptizatis infantibus chriſma poſt hac vnctio tribuatur.* Hæc certe eruditi viri quæſtio atque dubitatio oſtendit non fuiſſe tunc chriſma pro vero

Lib. de ſcript. Eccleſ. c. 32. p. 510. H.

ac legitimo & à Chriſto inſtituto ſacramento habitum. Cur enim quæ ſunt eiuſmodi fidelibus adminiſtrentur, ſtultum & abſurdum eſt virum eruditum ignorare ac quærere. Sed Eutropius ſcilicet cum per baptiſmum à Chriſto præceptum Spiritum Sanctum accipi ex ſacris litteris, & ex omni Eccleſiæ doctrina didiciſſet, non immerito ambigebat, quorſum baptizatis hæc vnctionis cærimonia adhiberetur, quiſque eius eſſet vſus, cum Spiritus donum, quod ea ſignificatur, iam abunde per Chriſti baptiſmum præſtitum eſſet. Atque hæc de Iſidoro ſatis.

Capvt X.

Octaui ſæculi ſenſus, & vſus ex Beda. Illuſtris eius locus; ex quo liquet Epiſcopalem chriſmationem idem eſſe cum presbyterali vnctione: adeoque meram eſſe baptiſmi cærimoniam. Illiberalis P. Aurelij cauillatio fuſe refellitur. Eiuſdem commentum exploditur, fingentis chriſmationem fuiſſe ipſam manus impoſitionem.

Hoc ergo loco adhuc erat apud Hiſpanos chriſmatio anno ſeptimi ſæculi XIX. Quid vel in ipſa Hiſpania, vel in vicina Gallia, aliiſve Occidentis prouinciis de ea deinceps toto ſeptimo ſæculo ſtatutum ſit, & an aliquid in hoc negotio mutauerint illæ Eccleſiæ, nos latet, qui nulla eorum temporum habemus in alterutram partem ea de re teſtimonia. Tantum monebo Sardorum, & Hiſpalenſium, & Iſidori ipſius exemplo nos doceri, quod Innocentij & Gregorij epiſtolis Romæ decreta, atque inſtituta eſſet duplex chriſmatio; vna presbyteralis, extra frontem, altera in fronte epiſcopalis, eo minime effici, vt vtraque in cæteris quoque Occidentis prouinciis recepta fuerit; cum & Sardi, qui Gregorij, & Iſidorus atque Hiſpalenſes, qui Innocentij leges norant, vna tamen chriſmatione ex veteri ſuorum more contenti, alteram à Romanis oblatam ſpreuerint.

Sed in ipſis octaui ſæculi initiis illuſtrem habemus ex Britannia ſcriptorem Bedam, quem anno Domini 735. fato ſuo functum eſſe fatis conſtat. In eius viri monumentis quædam ſunt, quæ huic diſputationi non parum lucis afferre poſſunt. Ac ipſam quidem Anglo-Saxonum in Britannia gentem, ex qua Beda erat oriundus, morem Romanum, vt in cæteris, ita & in hac parte ab eodem illo Auguſtino, Gregorij diſcipulo, accepiſſe, à quo ipſum Chriſtianiſmum acceperant, minime

minime dubitandum eſt. Quin etiam illud facile crediderim hanc fuiſſe omnium Occidentis extra Italiam gentium primam, quæ duplicem illam Romanam chriſmationem in vſum receperit. Cum enim Gregorius Auguſtinum in Britanniam iiſdem fere temporibus miſerit, quibus Sardos vrgebat, vt ſuam epiſcopalem chriſmationem ſuſciperent, non eſt credibile diſcipulum ſuis Britannis hunc ritum inuidiſſe. Atqui conſtat ex iis, quæ nuper diximus, nondum ſeptimo illo ſeculo duplicem fuiſſe in Hiſpania chriſmationem; idemque de Gallia noſtra veriſimile eſt. Ergo Angli-Saxones primi fuiſſe videntur, qui duplicem illam chriſmationem in Occidente vna cum Chriſtianiſmo à Romano emiſſario Auguſtino acceperunt. Itaque eam quidem Beda, fateor, memorat; ſed non diſſimulat tamen, quæ fuerit eius ratio. Luculentus eſt ea de re locus commentarij in Pſalmum XXVI. in illa tituli verba, *priuſquam liniretur Dauid, id eſt*, inquit, *priuſquam vngeretur vnctione tertia.* Obſeruat enim ex ſacris litteris ter vnctum fuiſſe Dauidem, quod eorum typum fuiſſe vult, *qui nunc* (inquit) *in Eccleſia initiati Domino per geminam vnctionem olei & chriſmatis, tertiam vnctionem perfectam quæ tunc erit, cum facie ad faciem videbimus, exſpectant.* In Pſalm. 26. in T. 8. p. 414. Tum notat olim duas perſonas vnctas Regem, & Sacerdotem; iiſque præfiguratum Dominum Chriſtum, à *chriſmate dictum*, verum, æternumque & Regem & ſacerdotem, *qui* (inquit) *ſe ipſum pro nobis obtulit concorporans nos ſibi, & faciens nos membra ſua, vt nos in ipſo Chriſto Chriſti eſſemus. Totus enim Chriſtus caput eſt & membra. Et ſic non ſolum ad ipſum, ſed ad nos quoque pertinet vnctio: vnde dictum eſt;* Vos eſtis genus electum; regale ſacerdotium, *& reliqua. Iſta autem vnctio tertia, de quâ in hoc titulô agitur, perficietur in nobis ſpiritualiter in vitâ, quæ promittitur nobis; videlicet cùm cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus.* Tum paucis aliis in eundem ſenſum interiectis: *Nunc autem* (inquit) *in Sacramentô olei, & chriſmatis vngimur, per quod ſacramentum quiddam mirum & ineffabile quod in fine futuri ſumus, ſignificatur, quod omni intentione deſiderare debemus; & ideò nunc in Sacramentô ſuſpiremus, ingemamus, vt tandem in re ſacramenti gaudeamus.* Ex his prima Pſalmi verba, *Dominus illuminatio mea & ſalus,* accipit velut ex perſonâ cuiuſlibet fidelis dicta *deſiderantis in ſe perfici vltimam vnctionem*, eaque ſic interpretatur, *Dominus animam meam, quæ prius in tenebris infidelitatis fuit, illuminauit per notitiam fidei, datam mihi & in prima vnctione olei, quando Satanæ & pompis eius abrenunciaui & in ſecundâ vnctione chriſmatis, quando nominis eius manifeſte profeſſor fui.* Et paulò poſt; *Poteſt quoque* (inquit) *ſi cui libuerit* illuminatio *ad primam tantum vnctionem, in qua ſimpliciter abrenunciamus Satanæ, referri.* Salus *verò ad ſecundam, in qua magis firmamur; quia & nomen Chriſti in eâ profitemur.* p. 415. *Et ab eô nomen accipimus ſcilicet vt Chriſtiani dicamur.* Et

congruè fidelis animæ hîc agit de duabus primis vnctionibus, vt quia ſe de his non ingratam oſtendit, ad tertiam, quam deſiderat, mereatur perduci. Sciendum autem, quod illa vnctio, quæ per manuum impoſitionem ab Epiſcopis, quaſi alia à duabus prædictis, & vulgo Confirmatio *dicitur, eadem eſt cum ſecundâ; propter arrogantiam tamen non conceſſa eſt ſingulis ſacerdotibus, ſicut & multa alia.* Hæc Beda, quorum plæraque ab Auguſtinô, vt ſolet, accepit. Docet autem, vt liquet, tres omninò fuiſſe hominis Chriſtiani vnctiones: quarum quæ vltima eſt, & in vltimâ ſacerdotij, regnique in Chriſto noſtri perfectione ex Auguſtinô ſita eſt, planè penituſque ſpiritualis, ac myſtica eſt, in cœlis fruenda, *cum facie ad faciem videbimus, cognoſcemuſque ſicut & cogniti ſumus.* Nunc eam expectamus ac deſideramus. Conſequi, niſi in patriâ non licet. Ac de iſtâ quidem nulla controuerſia eſt. Duæ ſuperſunt aliæ vnctiones prima, ac ſecunda. Primam, eam Beda definit, quæ ex oleô eſt, *quâ in ſacramentô olei vngimur, quando Satanæ & pompis eius abrenunciauimus:* Hæc autem, vt patet, ipſa illa ex oleô ſimplici vnctio eſt, qua in baptiſmo antequam aqua tingerentur, vngi & olim ſolebant, & nunc quoque apud Latinos ſolent. Hactenus duæ Bedæ vnctiones prima, & tertia. Reliqua eſt vna, ſecunda ſcilicet, quam ipſam quoque ita clare deſcribit, vt quæ qualiſque ſit, neſciri non poſſit. Ait enim *vnctionem eſſe chriſmatis, qua nos in Sacramento chriſmatis vngimur, quando nominis Chriſti manifeſte profeſſores fuimus*; hoc eſt, vt liquet, in baptiſmo, poſtquam Chriſti nomen, in quod tingimur, manifeſte profeſſi ſumus. Hæc præcipua ſunt doctrinæ à Beda hic poſita capita; ex quibus primo diſcimus excepta ea, qua olim in cœlis vngemur, duas tantum Bedam agnoſcere Chriſtiani hominis in hac vita vnctiones: priorem ex oleo; alteram ex chriſmate; tertiam iterum ex chriſmate vnctionem, quam nunc addunt Latini, & cuius ingenium ac genus ipſum à ſuperioribus plane diuerſum eſſe ſtatuunt, neſcire, imo ne dignatum quidem eſſe in tota hac Pſalmi expoſitione, eam memorare. Tantum, ne quis turbaretur, quòd de ea nihil dixiſſet, in fine monuiſſe ipſam vnam, eandemque rem eſſe cum ſecunda à ſe commemorata vnctione: quo fit, vt nemo mirari debeat, quod de ea nullum ſeorſum verbum fecerit. Atque hoc vno totum recentiorum Latinorum dogma penitus conuulſum ruit; qui tertiam illam ex chriſmate vnctionem, non tantum à ſecunda, quæ ex eodem chriſmate fit, immani quodam ſpatio diuidunt, atque diſterminant, ſed inſuper ſecundam ad primam, à qua eam Beda diuiſit, ac diſtinxit, multo propius accedere volunt, quam ad tertiam illam ſuam, cum qua ipſam Beda confudit, ac permiſcuit. Primam enim & ſecundam Latini baptiſmi ritus & cærimonias meras eſſe docent; tertiæque ſoli veri ac proprie dicti ſacramenti rem ac titulum vindicant. Illam ergo tertiam vnctionem ex chriſmate ab

Tract. 2. in Pſ. 26 præfat.

Epiſcopo

Epiſcopo ex Innocentij & Gregorij decretis factam norat fateor: Beda, & in ſua Eccleſia ex Auguſtini Monachi in Britanniam Roma miſſi traditione ac diſciplina factitari vt [illegible] videbat. Cæterum rem fuiſſe à ſecunda, quæ in baptiſmo fit, minime diuerſam putauit, & eam tantum ait *propter arrogantiam non fuiſſe conceſſam ſingulis ſacerdotibus*. Vnde videre eſt credidiſſe Bedam principio ac primis temporibus vna tantum hac ſecunda vnctione chriſmatos fuiſſe, qui baptizarentur: poſtea per accidens, nempe *propter arrogantiam*, negatum fuiſſe ſingulis ſacerdotibus, vt eam in confirmatione factitarent, idque ſolis Epiſcopis conceſſum. Ex quibus liquet eam verum ac proprie dictum ſacramentum eſſe non poſſe. Nam quæ vnctio eadem eſt cum chriſmate, quod à preſbyteris homini baptizato miniſtratur, ea ſacramentum proprie dictum non eſt, ſed *cærimonia baptiſmi*; quo titulo ipſi aduerſarij *presbyteralem* illam *chriſmationem* cenſent. Atqui vnctio, quæ fit ab Epiſcopo in neophytorum confirmatione, eadem ex Beda eſt cum chriſmatione illa preſbyterali, quam ipſe *ſecundam vnctionem* vocat. Ergo ipſa illa vnctio, quæ fit ab Epiſcopo in neophytorum confirmatione, verum & proprie dictum ſacramentum nullum eſt. Tum, Qui ritus non fuit ab initio, & per ſe, ſed per accidens, propter quorumdam arrogantiam inſtitutus, is verum ſacramentum non eſt. Chriſmatio Epiſcopi in confirmatione huiuſmodi eſt ex Beda, vt patet. Ergo ea Bedæ quidem iudicio, nullum eſt proprie dictum ſacramentum. P. Aurelius reſpondet *locum Bedæ eſſe corruptum, manifeſteque vitioſum*. Bellum vero effugium. Atqui id demonſtrandum erat, non ſimpliciter affirmandum. Alioqui pertinacibus hæc in promptu erit cauillatio, cauſari corrupta eſſe loca, quibus arguuntur. Ego vero quæ qualiſque ſit illa corruptela, non aſſequor; niſi forte hæc Bedæ vltima, *illa vnctio, quæ per manuum impoſitionem ab Epiſcopis, quaſi alia à duabus prædictis, & vulgo confirmatio dicitur*, ideo corrupta eſſe contendat, quod verbum deſit ad implendum ſenſum, vt videtur, neceſſarium. Quod ſi intelligit (quid autem aliud intelligere potuerit, non video) ſane leuiſſima eſt hæc menda, atque huiuſmodi quæ nemini cordato negotium faceſſat. Nam & ſiquid ſcriptores omiſiſſe dixerimus, id nemo non videt verbo *datur* eſſe ſupplendum hoc modo, *ab Epiſcopis, quaſi alia à duabus prædictis datur*; &, ſi Bedam ita vt eſt in libris ſcripſiſſe, ſcriptores nihil peccaſſe dicamus, nemo neſcit verbum ſubſtantiuum *eſt* in oratione ſæpe omitti, à quovis ex facili ſubaudiendum. Id vero ſi vel ante, vel poſt nomen *epiſcopis* hic ſubintellexeris, vt *vnctio, quæ per manuum impoſitionem ab Epiſcopis*, dictum ſit, pro *quæ per manuum impoſitionem eſt ab Epiſcopis*, vel *ab Epiſcopis eſt*, nihil erit mutilum vel hiulcum. Ergo inanis eſt hæc quidem Aurelij tergiuerſatio, neque vt hic locus intelligatur, expectandi ſunt vlli manuſcripti codices. Vt mit-

Orthod part. 1. c. 7. p. 566. init.

tam excluſam eſſe à Beda ex vnctionum Chriſtianarum numero epiſcopalem Latinorum chriſmationem non his modo verbis, ſed tota huius loci ſerie; in quo C[illegible]orum non plures, quam duas in hac quidem vita vnction[illegible]cenſuit; vt chriſmationem epiſcopalem (id eſt, ſi Latinos audimu[illegible]mnium nobiliſſimam, ac præſtantiſſimã) Bedam neceſſe ſit hoc loco vel plane penituſque omiſiſſe (quod incredibile eſt) vel certe eam ſecundæ nomine cenſuiſſe, adeoque cum presbyterali (quæ illi ſecunda eſt, vt liquet) eandem putauiſſe, quod ipſe diſertiſſime profitetur iis ipſis verbis, quæ corrupta eſſe non alia de cauſa ſomniat Aurelius, quam quod ea cum ſuo & ſuorum dogmate irreconciliabiliter pugnare videt. Sed & alio confugit, & coniectura quadam ſua *dum aliquis mendum tollat*, tantiſper nos ſolatur, reſpondens *Bedam velle verticis vnctionem eandem eſſe cum vnctione frontis non vſquequaque; ſed materia & vnguento, quo ad eandem quodammodo vnctionis ſpeciem pertinent, & cõmuni chriſmationis nomine dicuntur.* Sed non poteſt Aurelianum hoc gloſſema conſiſtere. Primo repugnat ipſa loquendi ratio. Cùm enim res forma præcipue & ſint, & cenſeantur, non ſolent quorum materia quidem eadem eſt, forma vero alia atq; alia, eadem inter ſe dici. Neque Aurelius alipticam, etiam ex oleo & balſamo vnctionem eandem eſſe dixerit cum ſacra ſua chriſmatione, neque cum baptiſmali lotione eandem eſſe lotionem balnearem; licet eadem ſit rerum iſtarum inter ſe materia. Quia ſcilicet forma alia atque alia eſt, cum hæc duo, chriſmationem & baptiſmum ſacramenta eſſe putet, illa conſtet res eſſe communes, & phyſicas. Cum ergo ſi Aurelij ſtet hypotheſis, abſurdiſſimum ſit dicere chriſmationem presbyteralem eandem eſſe cum epiſcopali, quarum formas ſcilicet ita diuerſas putat, vt hanc ſacramentum, & quidem nobiliſſimum; illam meram baptiſmi cærimoniam eſſe exiſtimet; Bedam, qui illud dixit, fatendum eſt vel ſtultiſſime & præter omnem rationem locutum eſſe (quod nemo cordatus credet) vel certe aliud de hoc chriſmationis ritu ſenſiſſe, quam Aurelium: quod nos contendimus. Non autem aliud Beda ſenſit, ſi chriſmationem epiſcopalem Sacramentum proprie dictum eſſe, vel presbyteralem non eſſe putauit. Ergo neceſſe eſt, vt Sacramentum proprie dictum vtramque pariter vel eſſe vel non eſſe ſenſerit. Non ſenſiſſe illud prius etiam aduerſarij confitentur, qui presbyteralem vnctionem neque eſſe nunc, neque olim vnquam fuiſſe ſacramentum proprie dictum docent. Ergo hoc poſterius ſenſit Beda, id eſt vtramque chriſmationem meram eſſe baptiſmi & confirmationis cærimoniam; quod nos defendimus. Præterea Aurelij commentum omnem hanc Bedæ orationem frigidam & ineptam efficit. *Sciendum autem* (inquit Beda) *quod illa vnctio, quæ ab Epiſcopis datur, eadem eſt cum ſecunda.* Qui ſic loquitur iubet vt mentem erigas;

vbi ſupra p. 356.

gas, pollicetur ſe aliquid dicturum auditu & obſeruatu dignum: Vnctionem vero epiſcopi ex chriſmate fieri æque ac presbyteralem, vt diſceremus, nihil Beda monitore opus erat. Hoc omnes iampridem ſciebant; neque id neſcire, qui vtramque modo viderit, quiſquam poteſt. Non ergo hoc ſcire hic Beda nos voluit; ſed aliud aliquid maiori obſeruatione dignum, nempe quod incautos facile fallit, vnctionem iſtam, quæ & ab alio miniſtro, & alio tempore fit, eandem tamen re vera eſſe cum ſecunda; id eſt eiuſdem eſſe cum ea ſpeciei, baptiſmalem ſcilicet vtramque cærimoniam, eiuſdem nominis ac cenſus. Tum neq; Aureliano ſenſui cõuenit, quod ait Beda de hac vnctione, *quaſi alia* (inquit) *à duabus prædictis*. Hoc enim ei tacite opponitur, quod ſtatim ait *eandẽ eſſe cũ ſecunda*; ac ſi dixiſſet, tametſi ea alia eſſe videatur, & quaſi alia ab imperito fortaſſe vulgo cenſeatur, alia tamẽ re vera nõ eſt, ſed eadem cum ſecunda. Hanc eſſe Bedæ mentem etiã ipſæ audientium aures ſentiunt. Iam vero omnem hanc verborum iſtorum antithesin delet Aurelij interpretatio. Nemo enim eſt, cui alia à presbyterali eſſe epiſcopi chriſmatio ideo videatur, quaſi diuerſam vtriuſque materiam eſſe putet (quam nemo eandem eſſe neſcit.) Ergo neque ad eius materiam reſpicit, quod ait Beda hanc eſſe cum illa eandem. Sed & Aurelij commentum inſuper refellunt verba ſequentia; cum Beda, poſtquam dixit ab Epiſcopo miniſtratam vnctionem eandem eſſe cum ſecunda, de ea ſtatim ſubiicit; *propter arrogantiam tamen non conceſſa eſt ſingulis ſacerdotibus*. Ineptiſſime: ſi cum ſecunda, quæ ſingulis ſacerdotibus conceditur, nulla alia re eadem eſt, quam materia; cætera (formam ſcilicet & finem & effecta) ab ea diuerſiſſima. Nam ſi *ſecunda*, baptiſmi duntaxat cærimonia eſt; hæc vero confirmationis epiſcopalis proprie dictum Sacramentum eſt; profecto nemo mirabitur, etſi vtriuſque eadem ſit materia, hanc presbyteris eſſe negatam, quibus illa conceſſa eſt. At particula aduerſatiua *tamen* oſtendit cauſam fuiſſe mirandi, cur quæ eadem eſt cum ſecunda, iis tamen negetur, quibus ſecunda conceditur. Ergo quod hanc *eandem cum ſecunda eſſe* dictum eſt, aliud ſignificat, quam materia ſola eandem eſſe. Quod idem quoque demonſtrat ratio à Beda adiecta. Ait enim quod hæc confirmationis chriſmatio tametſi eadem cum ſecunda, non æque tamen fuerit ſingulis ſacerdotibus conceſſa, id factum eſſe *propter arrogantiam*; quod bifariam poteſt accipi, vel de epiſcoporum, vel de presbyterorum arrogantia; vt vel illi hoc ſibi ſolis arrogarint quadam animi elatione ac ſuperbia, vt presbyteros negata confirmandi poteſtate altius infra ſe deiicerent; vel vt horum caſtigaretur, & coerceretur arrogantia, ne ſe Epiſcopis exæquarent, ſi omnia cum ipſis cõmunia haberent ſacra officia. At neutrum iſtorum ad Bedæ mentem valebit, ſi vtramque illam chriſmationem ſola materia inter ſe conuenire

uenire, ſtatuis; cæterum re & genere & Chriſti inſtituto, & Apoſtolorum mandato alteram ab altera diuerſam eſſe. Nam ſi hoc (quod vult Aurelius) verum eſt; etiamſi nulla fuiſſet vel epiſcoporum, vel presbyterorum arrogantia, non ideo tamen chriſmate confirmare quemquam fas, iuſque futurum erat: vt ſi id, quod vult Aurelius, ſenſit Beda, negari profecto non poſſit, quin ſtultiſſime atque abſurdiſſime hic dixerit *propter arrogantiam tamen* non eſſe ſingulis ſacerdotibus conceſſam confirmationis vnctionem, etiamſi eadem ſit cum ſecunda vnctione, quorumuis ſacerdotum communi. Hæc enim eius oratio euidentiſſime ſignificat vtramque vnctionem vtpote eandem, eorumdem quoque futuram fuiſſe miniſtrorum, niſi eam quibuſdam ex iis eripuiſſet, quæ eo acceſſit quorumdam arrogantia. Denique ſi verum eſſet, quod comminiſcitur Aurelius; tota hæc Bedæ de vtriuſque chriſmationis (vt ſic dicam) *identitate* admonitio inanis eſt, nullaque ratione facta. Cur enim & quorſum hoc loco lectorem admonet eandem eſſe vtriuſque ritus materiam? Nihil fuit in ſuperioribus, nihil eſt in ſequentibus, quod hanc obſeruationem requirat. At ſi, quod verum eſt, ſtatuas, putauiſſe Bedam vtramque vnctionem eiuſdem generis, ac cenſus eſſe, & (vt loquuntur in ſcholis) eiuſdem *ſpeciei*; manifeſta ratio eſt, cur id hoc loco commemorauerit, nimirum ne videretur vnctiones Chriſtianorum in ſuperioribus recenſens eam, quæ præcipua videri poſſit, omiſiſſe. Cui vel obiectioni, vel ſuſpicioni liquido nunc ſatisfacit, omiſſam à ſe negans; quæ ſcilicet cum ea ipſa, quam ſecundo loco poſuit, eadem ſit, eiuſque adeo nomine cōprehenſa ſit. Atque hæc quidem ratio huiuſmodi eſt, vt vnctionem, quæ ab Epiſcopo fiebat, eandem re vera Bedæ cum illa ſecundo fuiſſe, etiamſi id ipſe non dixiſſet, certo atque euidenter ſola conficiat. Qui enim duas illas vnctiones, vnam olei, alteram chriſmatis, quibus initiantur Chriſtiani, quaſque duæ priores Dauidis vnctiones figurauerant, commemorare ſe profitetur; quis illum putet eam in huiuſmodi ſermone omiſſurum fuiſſe, quæ potiſſima eſt? quæque vel ſola, vel certe maxime Dauidis vnctione fuerat adumbrata? Atqui eam plane, penituſque hoc loco omiſit Beda, niſi illius, quam ſecundam vocauit, nomine comprehenſam dicamus; Contineri porro ſecundæ nomine non potuit, niſi eadem cum illa fuerit. Auguſtinum quidem, quem hic vt liquet, vt alibi ſæpe, ſequitur Beda, typicam illam Dauidis vnctionem ad eam chriſmationem retuliſſe volunt etiam aduerſarij, quam ipſi, ſed falſo, verum Sacramentū eſſe docent, eiuſque ea de re verba ex hoc ipſo loco pro ſuo dogmate citant. Quis credat Bedam aliter voluiſſe, qui Auguſtini non modo expoſitionē ſequitur, ſed verba pœne ipſa deſcribit? Cum ergo ex his pateat Bedæ expoſitione epiſcopalem vnctionem neceſſario contineri; contineri autem non aliter poſ-

ter poſſit, niſi ſub *ſecunda vnctionis* nomine ea cum presbyterali intellecta à Beda fuerit, omnino fatendum eſt eam apud Bedam iſto nomine tenſeri; quo cenſeri ab eo profecto non potuit, niſi eadem cum ipſa fuerit, non ſola materia, ſed etiam ſpecie. Sed & res ipſa ſi penitius inſpiciatur, Aurelij commentum liquido refellit. Ille vult Bedam ſecum ſenſiſſe epiſcopalem vnctionem cum presbyterali nulla alia re, niſi materia & vnguento, ex quo vtraque fit, eandem fuiſſe; cætera (hoc eſt, quod ad formam & propriam, vt Logici loquuntur, ſpeciem pertinet) diuerſam ab ea fuiſſe. Iam presbyteralem vnctionem à Beda eam intelligi, quam ſupra ſecundam vocauerat, & ipſe diſerte hic ait, & fatetur Aurelius. Ergo ne hanc *ſecundam* nihil præter materiam cõmune cum epiſcopali habuiſſe putauit Beda? Ipſe vero quid ſenſerit, loquatur. Primo quod *Chriſti* à Chriſto dicimur, id ad hanc ſecundam vna cum prima, quæ ex oleo eſt, refert. Secundo eam *Sacramentum*, & quidem quater vno, eodemque loco vocat. Tertiò, hoc eius ſacramento ſignificari dicit *quiddam mirum & ineffabile, quod in fine futuri ſumus*: quod ipſum Auguſtinus de epiſcopali, ſiue pontificali vnctione, fatentibus aduerſariis dixerat. Quartò in hac ipſa *ſecunda chriſmatis vnctione datam ſibi* ait *notitiam fidei, per quam illuminauit eum Deus*. Quintò dicit ſe *in ea nominis Dei manifeſte profeſſorem fuiſſe*. Sextò ad hanc ait *referri poſſe* illa Pſalmi verba, *Dominus ſalus mea*. Septimò dicit nos in ea *magis firmari*; *quia & nomen Chriſti in ea profitemur, & ab eo nomen accipimus, ſcilicet vt Chriſtiani dicamur*. Eat nunc Aurelius; & Bedam neget quicquam præter vnguentum putaſſe epiſcopalis vnctionis cum presbyterali idem fuiſſe. Ille verò, vt ex his liquet, presbyterali vnctioni epiſcopalis & nomen, & res omnes, id eſt & ſignificationem & finem, & effecta, & omnia denique tribuit. Ergo non ſola materia, ſed toto materiæ inſtructu & apparatu, ac (vt Tertullianeo verbo vtar) *ſuggeſtu* eandem vtramque eſſe cenſuit. Quæ non vnius Bedæ, ſed & cæterorum complurium, qui poſt eum vixerunt, ſententia fuit; vt in ſequentibus docebimus. Quod vero affirmat Aurelius *perſpicua eſſe alterius ab altera diſcrimina*, apud Latinos quidem recentiores, qui ex vna re bifariam diſcerpta duas fecerunt, perſpicua eſſe confiteor; apud Bedam de quo quæritur, nego. Si inſtet & apud ipſum Bedam alteram in fronte, alteram in vertice, certe extra frontem factam eſſe (nam an vertex quod ait Aurelius, iam tum vngeretur, incertum eſt, quod equidem ſciam) confitebor ſane; negabo eo fieri vt ipſa rei natura diuerſa fuerit, & Aurelium eorum meminiſſe iubebo quæ ſupra ad Gregorium docebat, Sardorum presbyterorum vnctionem, tametſi in fronte factam, eandem tamen fuiſſe cum ea, quæ à Romanis presbyteris tum quidem in pectore fiebat, nunc vero in vertice fit. Nam ſi illa trium, quæ vnctæ ſunt, partium diuerſitas mi-

In Pſalm. 26. tract. 2.

nime tamen effecit, vt ipſa quoque vnctio triplex eſſet, vel ne vna, eademque eſſet, nempe vna quædam baptiſmi cærimonia, non prohibebit profecto ſiue verticis, ſiue pectoris à fronte diuerſitas, quin vna eademque fuerit, quæ apud Bedam in vtraque parte fiebat vnctio. Neque eſt, quod miniſtrum quiſquam obiiciat: quod hanc nonniſi epiſcopus, illam etiam presbyter factitaret. Nemo enim neſcit vnum, idemque ſacramentum eſſe Euchariſtiam, & quam presbyter paſſim itus, & quam certis quibuſdam in cauſis, atque occaſionibus ſolus Epiſcopus facit. Ita confutato Aurelij figmento fixum ac concluſum eſto Epiſcopalem chriſmationem eandem, etiam octauo ſæculo, Beda teſte fuiſſe habitam cum presbyterali; adeoque verum, ac proprie dictum ſacramentum eſſe non poſſe; quod hanc (quacum illa eadem eſt) eo numero, ac cenſu nunquam fuiſſe habitam vel ipſi aduerſarij fateantur, qui eam docent meram & eſſe nunc, & fuiſſe ſemper baptiſmi cærimoniam. Iam cum Beda liquido hoc pronunciet atque definiat epiſcopalem chriſmationem eandem eſſe cum ea, quam ipſe ſecundám poſuit; manifeſtum eſt & illi quoque conuenire quæcumque huic ipſe tribuit. Hoc autem ei tribuit inprimis, quod per hanc vna cum olei vnctione, fideles initiantur; *Nunc in Eccleſia* (inquit) *initiati Domino per geminam vnctionem olei & chriſmatis*, Initiationis porrò myſterium ſiue ſacramentum eſt baptiſmus. Ergo & olei, & chriſmatis vnctiones ritus baptiſmales fuiſſe putauit; quas & alibi (ni fallor) complectitur, vbi narrat Oſualdum Regem inter Scotos exulantem *baptiſmatis Sacramenta* cum his, qui ſecum erant, militibus conſecutum eſſe. *Sacramenta baptiſmatis* (vt etiam alij locuti ſunt) ſacros initiationis Chriſtianæ ritus intelligit, lotionem quidem inprimis, non tamen (vt liquet) ſolam, ſed & alios ei adiungi ſolitos ritus, vt vnctionem ex oleo, vt chriſmationem, & cætera eiuſdem cenſus. Idem mox ſignificat, cum vnctionem illam ſecundam tum dari ait; *poſtquam Chriſtianus Satanæ, & pompis eius abrenunciauit, & nominis Chriſti manifeſte profeſſor fuit*; quæ nemo non videt ad baptiſmum pertinere. Ergo & epiſcopalis vnctio ipſa quoque baptiſmi quædam ritualis pars & appendix fuit; qua totum initiationis myſterium ſolenni Epiſcopi (id eſt Eccleſiæ principis miniſtri) actu concludebatur, ac confirmabatur, vt poſtea ſuo loco explicatius tradamus. Sed & hinc conſtare poteſt, quo ſenſu veteres epiſcopalem vnctionem ſacramentum appellauerint. Cum enim hanc Beda cum presbyterali vnctione eandem fuiſſe dicat; apparet eam non alio ſenſu *Sacramentum* dictam eſſe, quam quo hanc Beda *Sacramentum* appellat; *In Sacramento* (inquit) *olei & chriſmatis vngimur, per quod Sacramentum quoddam ſignificatur. Nunc in ſacramento ſuſpiremus; vt tandem in re ſacramenti gaudeamus.* Presbyteralem autem vnctionem *ſacramentum* non proprie, ſtrictéque, ſed late &

Hiſt. Ang. l. 3. c. 3.

late & impropriè ſumpto pro quouis ſacro ritu vocabulo, dici, & *oleum*, quod vna cum chriſmate in huius nominis ſocietatem hic venit, clariſſime oſtendit, & aduerſarij omnes confitentur. Ergo & epiſcopalis vnctio *ſacramentum*, non proprie ſed late & communiter dicitur; quo ſenſu quivis ad ſacra pertinens ritus eo nomine à Patribus cenſeri ſolet. Tertiò hinc quoque intelligimus, quo ſenſu neophyti per epiſcopalem vnctionem dicantur à Patribus ſpiritualia dona accipere; nempe eodem, quo Beda dicit *per geminam vnctionem nos initiatos*, & *ſibi in vtraque datam notitiam fidei, qua à Deo illuminatus eſt*, & priori *Deum factum ſibi illuminationem*, poſteriori *ſalutem*, eaque ſe *magis firmatum*, & *nomen Chriſti*, in ea *profeſſum*, indeque *Chriſtiani nomen conſecutum*, & alia, ſiqua ſunt. Hæc autem omnia de oleo, & ſacerdotali chriſmatione, non proprie, ſed ſymbolice dicta eſſe, ſic, vt ſignificent, non quid ambæ illæ cærimoniæ efficiant, ſed quid repræſentent, atque exprimant, etiam aduerſarij fatentur. Ergo & ſiqua ſunt de epiſcopali chriſmatione ſimiliter dicta, ea hoc quoque ſenſu accipienda ſunt, teſte ac iudice Beda, qui hanc cum presbyterali vnctione eandem eſſe vult. Quartò denique hinc & illud habetur epiſcopalem chriſmationem non fuiſſe (quod nobis perſuaſum volunt Bellarminus & Aurelius) vnum eundemque cum manus impoſitione actum. Nam de presbyterali vnctione, quacum Bedæ eadem eſt epiſcopalis, nemo ſanus id dixerit. Sed quominus id ita ſentiamus, intercedit hoc ipſo in loco Aurelius, extremis Bedæ verbis ſignificari contendens vtramque rem, id eſt & chriſmationem, & manus impoſitionem *in vnam, ſingularemque actionem fuiſſe* iam tum temporis (hoc eſt paulò poſt octaui ſæculi initia) *concludi ſolitas*; ita vt Epiſcopus eodem, quo nunc apud Latinos fit, modo manus confirmando nullus quidem re vera imponeret, ſed impoſuiſſe tamen eo cenſeretur quod illius frontem chriſmate ſignaſſet: itaque & manus impoſitionem, *chriſmationem* ipſam fuiſſe vult, & chriſmationem ipſam quoque *manus impoſitionem* pariter fuiſſe; hoc tamen ni fallor, diſcrimine, vt qui quidem chriſmaſſet Epiſcopus, is eo ipſo manum quoque impoſuiſſe affirmaretur; non tamen qui manum impoſuiſſet, eo idcirco etiam chriſmaſſe cenſeretur. Hæ ſunt Aurelij ſolennes præſtigiæ; qui vt nuper ex vna eademque chriſmationis ſpecie duas diuerſiſſimas efficiebat, quarum vna ſacramentum, altera cærimonia tantum eſſet. ita nunc viciſſim duos diuerſiſſimos etiam ipſa ſpecie actus, in vnum non modo, quod aiunt, *ſpecie*, ſed etiam, quod magis mireris, *numero* eundem planeque indiuiduum, ac ſingularem compingit, ſuæque ſiue Dialectices, ſiue rhetorices, ſane potentibus & ſtupendis artibus coire iubet. Circen aliquam, Solis filiam, hunc hominem putes, qui perinde vt illa apud Poëtas, res ex ſua facie *in nouos vultus* potentibus, non herbis, ſed vocibus

Orthod p. 562.

 & litte-

& litteris repente, quoties libet, *induit*. Quin & ille Sirmondo, quod hęc ſua myſteria non viderit, illudens & triumphans inequitat. Sic enim illum de ſtupenda hac ſua obſeruatione affatur; *Quæ res* (inquit) *ne te angat, quoniam eam, vt video, non animaduertiſti, exponenda eſt ipſis veterum verbis.* Tum Bedæ noſtri locum hunc ipſum profert; *Sic enim* (inquit) *loquitur Beda; Illa vnctio, quæ per manus impoſitionem ab Epiſcopis fit, & vulgo confirmatio dicitur*, &c. Atque hic antequam iſtius miracula ſpectemus, obiter obſeruandum eſt Bedæ locum, quem nuper *corruptum & mendoſum* eſſe quiritabatur, nunc ei ſanum atque integrum eſſe, & ex quo Sirmondum quicquam in ſuam ſententiam argumentari vetabat, ex eo nunc ipſum tragœdias ſuas inſtruere; de quo denique *manuſcriptos libros ſcrutandos*, & *Criticen excutiendam* præſcribebat, hunc ſine vllius manuſcripti codicis ope, nulla excuſſa Critice, ipſum nunc vna tantum inſerta trium litterarum vocula *fit*, extemporanea medicina curaſſe, ac ſanaſſe. Sed hæc mitto. Ad illud horribile ſpectaculum venio, quo thaumaturgus Aurelius facturum ſe condixit, vt qui duo ſunt diuiſi per ſe actus, eos ambos in vnum, eundemque indiuiduum ac ſingularem actum coire, ac coaleſcere repente videamus. Ille ergo in primis eum quem nuper poſui, Bedæ locum deſcribit. Tum ſimilia Amalarij, Rabani, Caroli Magni, Rathramni, Iuonis, Edmeri, Hugonis Victorini, Innocentij III. Michaëlis denique Palæologi Græcorum Imperatoris teſtimonia colligit; in quibus plæriſque dicuntur baptizati *per manus impoſitionem inungi*, vel *conſignari & confirmari*; atque inde *prorſum liquere* ait *horum omnium ſcriptorum ætate non coniunctionem tantum chriſmationis & manus impoſitionis in confirmationis Sacramento, ſed etiam vnitatem factam eſſe.* Hæc Aurelius. Ego vero de poſtremis, qui poſt annũ Domini 1000. floruerunt, nunc quidem non laboro. Vnum mihi de Bedæ ſæculo, id eſt octauo, & duobus ſequentibus in præſentia certamen eſto. Ac illud in primis de nono ſæculo confiteor (quod neſcio an Bedæ æuo iam receptum fuerit) contra priſtinos veteris Eccleſiæ mores manus impoſitionem ab Epiſcopo ante chriſmationem miniſtratam fuiſſe; vt poſtea ad illius memoriæ auctores obſeruabimus. Sed eo tempore, quod Rabani & Amalarij, & Pſeudo-Alcuini fuit, vno eodemque actu cenſitum eſſe & chriſmationem fieri & manum imponi, ego tibi Aureli, non facile credo; nedum vt id Bedæ ſæculo iam obtinuiſſe aſſentiar. Hugo Menardus, tametſi ex tuis, à te tamen hic, non minus quam ego, vel Sirmondus, diſſentit, hæc diſerte ad Theodulfi Aurelianenſis (hoc eſt eius viri qui nono ipſo ſæculo ineunte floruit) verba quædam ita annotans; *Hæc verba* (inquit) *ſatis indicant chriſmationem à manuum impoſitione diſtingui, vt ſupra probauimus.* Sanè quid, & quo modo, & quibus actibus hæc duo miniſtrarint illorum temporum Patres ex ritualibus

Ibid. p. 566.

vbi ſupr. p. 563.

Not. ad Greg. Sacram. p. 145. init.

turalibus illius memoriæ libris, qui etiam hodie extant, ita clare, liquidoque diſcimus, vt nullæ ſint præſtigiæ, quæ nos, ſi vigilamus, fallere poſſint. Ordo Romanus; *Pontifex veniens ad infantes, tenente Archidiacono chriſma, inuolutis ſcapulis & brachiis ex panno lineo, eleuata & impoſita manu ſuper capita omnium, det orationem ſuper eos, cum inuocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus Sancti.* Numera Aureli; Hic iam vnus actus eſt, & quidem ſatis longus (ſequitur enim oratio ex veteri diſciplina, qua in eos, quibus manum imponit, Spiritum Sanctum Paracletum de cœlis emitti Deum precatur Pontifex.) *Deinde oratione expleta, interrogantibus diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in chriſmate faciat crucem in frontibus ſingulorum, ita dicendo. Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Nunc habes ſecundum actum. Eadem tradit pſeudo-Alcuinus; *Et poſtquam induti fuerint, dat Pontifex ſuper eos orationem, IMPOSITA ſcilicet MANV ſuper capita eorum cum inuocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus Sancti. Oratio: Omnipotens ſempiterne Deus,* &c. *Hac finita facit crucem de chriſmate cum pollice in frontibus eorum.* Niſi ergo Aureli, omnia conturbaueris, & in antiquum chaos commiſcueris, efficere non potes, vt vnus idemque ſingularis, & indiuiduus actus fuerint illa manus impoſitio, & hæc frontis chriſmatio; quas ſuo quamque ordine illam prius, hanc poſterius explicari, & euolui, ac peragi denique videmus. Neque eſt, quod hanc, quæ in Ordine Romano, & in pſeudo-Alcuino habetur, manus ſuper capita neophytorum impoſitionem, proprie dictum Sacramentum eſſe neges. Aſſentior. Eo fieri, ne ſit ipſa illa veterum manus impoſitio, qua Spiritus Paracletus tradi dicebatur, nego. Nam Spiritum iſtis, quibus manum imponunt, dari precantur; & quidem ſeptiformem. Plane ex Auguſtino, qui ait Eccleſiæ præpoſitos Spiritum Sanctum non dare quidem ipſos, ſed tamen Dominum orare, vt eum neophytis donet. Niſi hanc ipſam veterem manus impoſitionem fuiſſe conceſſeris, fruſtra aliam quæres. Nuſquam vel ante, vel poſtea alia, quam hæc fuit. Illud vnum inter antiquiores, & hos noni ſæculi mortales diſcrimen reperies, quod illi chriſmatis ex ſua diſciplina manus imponebant; hi contra quibus manus impoſuerunt, eos demum chriſmant. Cæterum vna eademque eſt, quæ ab illis poſterius, ab his prius fiebat manus impoſitio, apud vtroſque adeo à chriſmatione, quam antea ſequebatur, poſtea anteceſſit, clare diſtincta ac ſeparata. Vos apud quos chriſmationi nulla neque ante, neque à tergo adhæret manus impoſitio, plane nugamini, & mundo illuditis; dum eſſe aliquam in veſtra cõfirmatione manus impoſitionem iactatis, ſed chriſmatione, vt dicitis, concluſam & intextam. Tua vero iſta præ cæteris Aureli, mirabilia ſunt; *Manus* (inquis) *impoſitio frontis vnctioni admiſta, in eam quodammodo tranſiit. Vnde minime mirum, ſi nomen ei*

Bibl. Patr. T. 10. p. 83. B.

l. de Eccleſ. Offic. cap. de Sabb. Sancto.

vbi ſupr. pag. 364. med. Orthod. P. Aurel.

vb. ſup. p. 365.

 ſuum

ſuum conferat, quæ illi ſe ipſam contulit. Tu vero non dubito, quin iſta belle, & eleganter, & pene diuine dixiſſe tibi viſus ſis. Sunt enim ſcitula, & ſpeciem acuminis habent. Cæterum, ſi vis audire quod res eſt, nugas dixiſti. Quid enim quæſo iſta ſibi volunt? *Manus impoſitio frontis vnctioni admiſſa.* Atqui ne eſt quidem omnino, nedum vt admiſta ſit. Olim cum altera alteri continenter in eodem myſterio ſuccedebat, ambæ commiſtæ, vel hæc illi admiſta forte dici potuiſſet. Nunc cum quæ antea erat, nulla iam ſit amplius, tu nobis tragelaphū fingis, dum eam manus impoſitionem, quæ ante aliquot ſæcula fieri deſiit, alteri actioni cui olim adhærebat, nunc etiam admiſtam eſſe ſomnias. Paris eſt elegantiæ quod ſequitur *illam in hanc quodammodò tranſiiſſe,* &, quod omnia vincit, *illam ſe huic contuliſſe.* Quod in aliud tranſit, id ipſum exiſtere, antequam in illud aliud tranſeat, neceſſe eſt. Illa manus impoſitio, quæ dicitur in chriſmationem tranſiiſſe, ipſa ſane nulla eſt, antequam chriſmet epiſcopus. Quî enim eſt, quæ à nullo fit? Actio, niſi ab aliquo agente fiat, eſſe non poteſt. Deinde, ſubſtantia in aliam tranſire, ſeque *ei conferre* dicitur, cum eius materia rei, in quā tranſire dicitur, cedit, eiuſque formam ſua deleta, ſubit; vt cum alimentum in Chylum, chylus in ſanguinem, ſanguis in carnem naturæ vi elaborantur; vel cum Moſis virga in anguem, aqua Canæ in vinum omnipotenti Dei virtute mutatæ ſunt. Vt actio, quæ ex genere accidentium eſt, & quidem tranſeuntium, quæque non diutius eſt, quam dum fit, neque quicquam habet ſui, quod alij commodare poſſit, in aliam actionem æque tranſeuntem *tranſeat*, ſeque illi conferat; id inquam, neque per naturam rerum contingere poteſt, neque ex iis, vt opinor eſt, quæ vnquam fando antehac audita erant. Iſta ergo quæ eleganter dixiſſe viſus eſt Aurelius, vel ſunt chimæræ, & ſonori bellarum, ſed inanium vocularum ſtrepitus, vel certe, ſi quem ſenſum habent, ſignificant fuiſſe quidem olim manus impoſitionem cum chriſmatione in confirmandis neophytis adhibitam, nunc adhiberi deſiiſſe, & pro duobus ritibus, qui apud veteres ſolennes erant, vnum ſolum iam apud Latinos in vſu remanſiſſe. Vnde manifeſtum eſt illa, quæ ex Beda & aliis attulit Aurelius, non poſſe conſiſtere eo ſenſu accepta, quo iſte ea intelligit. Vult enim vnctionem per eam manus impoſitionem factam intelligi, quæ ipſa nulla fuit manus impoſitio. Vult neophytos ita per manus impoſitionem inunctos, conſignatos, & confirmatos dici, vt nulla tamen adhibita vera manus impoſitione initiati, conſignati, & confirmati fuerint. Atqui ne hæc ita intelligantur repugnant primo ipſi veteres, diſerte narrantes ſe manum initiatis, conſignatis, & confirmatis ſeorſum impoſuiſſe; quibus de ſe teſtantibus verius eſt, ni fallor, credi, quam Aurelio. Illi enim vt nuper diximus, diſerte narrant ſe iis, quos chriſmabant, initiabant,

bant, conſignabant, confirmabant diſtincto, & diuiſo, ſingularique actu manus impoſuiſſe. Tum neque id, quod vult Aurelius, hanc locutionem ſignificare, euidentiſſimo exemplo demonſtratur. Nam ipſe Aurelius fictitiam hanc manus impoſitionis cum chriſmatione vnitatem cæpiſſe vult circa Bedæ tempora; anterioribus temporibus diſtinctas fuiſſe, & à ſe inuicem diuiſas vtriuſque ritus actiones confitetur. Iam vero de manus impoſitione Romæ Syluestri temporibus (hoc eſt annis ante Bedæ mortem 400.) miniſtrari ſolita eodem quoque modo locuti reperiuntur veteres. Sic enim legimus in Romanæ ſub Syluestro Synodi actis; *Conſtituit* (inquit) *vt presbyterum Arianum reſipiſcentem nemo ſuſciperet, niſi Epiſcopus eiuſdem loci eum reconciliaret & ſacroſancto chriſmate PER epiſcopalis manus IMPOSITIONEM Sancti Spiritus gratia (quæ ab hæreticis dari non poteſt) confirmaret.* Hæc acta Synodi Romanæ; eademque iiſdem verbis de Syluestro habet Rabanus; *Epiſcopus baptizatum per manus impoſitionem cum ipſo chriſmate conſignat.* Si Aurelij Dialecticam ſequimur, ſtatuemus ipſius Syluestri temporibus iam in vſu fuiſſe, vt epiſcopi manum ſeorſum nequaquam imponerent ex hæreſi conuerſis, ſed eos tantum chriſmarent. Hic enim legimus *iſtos chriſmate per manus impoſitionem fuiſſe confirmatos, vel conſignatos.* At ipſe Aurelius (vt Menardum, Sirmondum, & alios mittam) fatetur tunc temporis, imo & aliquot etiam poſt Syluestrum ſæculis ſeorſum factitatos duos illos ritus. Ergo & hoc neceſſario fateri debet non eam, quam putat, habere vim iſtud locutionis genus, quod tanta cum exſultatione obſeruat, atque vrget, quaſi rem raram, ac ſingularis pretij nactus eſſet. Quid ergo eſt? inquis. Nempe inquam non eſt iſta locutio vexanda, præſertim in ſcriptoribus ſermonis parum accurati, parumque caſtigati, quales iſti ſunt ſequiorum temporum auctores. Aiunt *vnctionem per manus impoſitionem* dari, vt hic Beda; item *per manus impoſitionem cum ipſo chriſmate neophytum conſignari*, vt Rabanus; vel *confirmari*, vt acta Synodi Romanæ; vel vtrumque, id eſt *conſignari*, vel *confirmari*, vt Carolus Magnus [a], item *per manus impoſitionem inungi*, vt Amalarius [b]. Quid velit, clare expreſſit Rathramus Corbeienſis [c], (cuius cum iſtis locum etiam Aurelius [d] attulit.) *Gratia* (inquit) *Spiritus Sancti per manuum impoſitionem tribuitur ab Epiſcopis; quod tunc fit, quando frontes baptizatorum chriſmate ſancto linuntur ab Epiſcopis.* Item; *Donum Spiritus Sancti tribuitur per impoſitionem manuum, quando frontes baptizatorum chriſmate Sancto linuntur.* Dicit *imponi baptizatis manus, quando eos chriſmat epiſcopus*, id eſt eos, vt liquet, non diuerſis temporibus, ſed vno eodemque tempore & manus impoſitionem, & chriſmationem accipere: non quod duorum iſtorum rituum alter tantum vere fieret (nempe chriſmatio), alter (manus impoſitio ſcilicet) non fieret quidem, ſed tamen factus eodem

Orthod. Patr. l. c. 7. p. 563.

T. I. Concil. p. 314. E.

l. 1. de inſtit. Cler. c. 28.

a Capit. l. 7. c. 18.
b l. 1. de Offic. c. 27.
c l. 4. ad Oppoſ. Græc.
d vb. ſupr. p. 563.

eodem illo actu, quo chriſmatio fiebat, intelligeretur (quod Aurelij ſomnium eſt cum ipſa veterum in ordine Romano expreſſa praxi, eumque ipſius Aurelij de Sylueſtri temporibus confeſſione pugnans) neque item quod vno, eodemque indiuiſibili temporis puncto vterque ille ritus perageretur (quod eſt impoſſibile) ſed quia alter ſtatim poſt alterum in vna eademque confirmationis, cuius vterque partes erant, cærimonia miniſtraretur, ſic, vt manus impoſitione vna cum oratione expleta Pontifex continenter nulla interpoſita mora neophytos chriſmaret; vt eſt in Ordinis Romani nuper à nobis deſcriptis verbis clariſſime ac luculentiſſime expreſſum. Hic haud dubie eſt Rathramni ſenſus. Neque enim vel iſte, vel alij homines in communi ſermone quoties hoc vel illud fieri dicunt tunc, quando aliquid aliud fit, de στιγμῇ temporis philoſophica, ſiue indiuiſibili intelligunt: ſed communi ſenſu tempus late capiunt, pro breui ſiue exigua temporis parte, puta hora, vel aliqua horæ particula; vt ea ſimul facta cenſeantur, quæ non eodem quidem puncto temporis mathematico, ſed licet diuerſis, iis tamen momentis facta ſunt, quorum vnum alteri immediate ſucceſſerit, ita vt intra vnius horulæ, vel etiam horæ quadrantis, aut ſextantis ambitum omnia decurrerint, atque explicata ſint. Eadem cæterorum, quæ Rathramni, mens; tametſi nonnihil diuerſa, pauloque obſcurior, atque implicatior oratio. Aiunt illi *vnctionem per manus impoſitionem dari*; id eſt eo tempore dari, quo manus impoſitio datur; non aliis atque aliis ſpatio aliquo memorabili inter ſe diuiſis, ſed coniunctis & cohærentibus temporibus. Sic noſter Beda; *illa vnctio, quæ per manuum impoſitionem ab Epiſcopis datur*; id eſt quæ datur tum, cum ij manus neophytis oblatis imponunt; vel vno verbo, quæ vna cum manus impoſitione datur; non ſine ea, vt preſbyteralis. Ita & Amalarius intellexit, dum ſcripſit ab Apoſtolis aſſumptum eſſe, *vt ab Epiſcopis ſolis inungatur neophytus per manus impoſitionem*; id eſt vna cum manus impoſitione, ita vt præcedat manus impoſitio, ſequatur vnctio; ſitque adeo illa quædam veluti via per quam ad hanc deueniatur. Eum enim ordinem fuiſſe Amalarij temporibus ex Ordine Romano, & aliis illius ſæculi libris, quod nuper monuimus, conſtat. Itaque cum ex eo vſu manus prius imponeretur, tum vnctio fieret; non eſt mirandum *per manus impoſitionem vnctos* dici, qui non ante vngebantur, quam manus impoſitionem accepiſſent, per hanc ad vnctionem perducti. Rabani vero & Caroli dicta minus etiam difficultatis habent. *Epiſcopus* (inquit ille) *baptizatum per manus impoſitionem cum ipſo chriſmate conſignat.* Significat conſignationem ita fieri, vt confirmando manus prius imponatur; tum is ipſo chriſmate vngatur; non ſignificat, quod eſt abſurdum & impoſſibile, vno eodemque ſingulari & indiuiſo Epiſcopi actu & manum imponi, & chriſma illini. Carolus,

Neque

Ne quis à chorepiſcopis per manus impoſitionem conſignari, vel confirmari vſquam velit. Vetat nequis conſignationis, vel confirmationis ritum, qui adhibita ac præeunte manus impoſitione peragebatur, à chorepiſcopo ſuſcipiat. Non ſignificat in eo ritu manum impoſitam non fuiſſe, ſed vno tantum manus actu frontem chriſmatam; quod fruſtra pertendit Aurelius. Nam ſi, quod iſte vult, chriſmationis actus impoſitionem manus in ſe contineret & includeret, chorepiſcopis, quibus chriſmare concedebatur, eadem quoque opera manum imponere conceſſum eſſet. Denique abſurdum & ridiculum eſt, quod ille molitur; vt ex iis ipſis locis, in quibus ſcriptores manus impoſitionem in confirmatione diſerte nominant, ipſe nouis artibus conficiat nullam in confirmatione manus impoſitionem fuiſſe. Chriſmationem enim pollice in fronte factam, nullam eſſe manus impoſitionem, velit, nolit Aurelius clarum, certumque eſt. His, quæ ille fruſtra obiicit, ita explicatis, apparet Bedæ ſæculo morem fuiſſe, vt Epiſcopus quos chriſmabat; iis quoque manum ſeorſum imponeret; quod & ſuperioribus ſæculis factitatum fuerat ipſo confitente Aurelio, & ſequentibus manſit pæne ad infima tempora, vt mox patebit.

CAPVT XI.

Quid ſit veteribus confirmari. *Id & de Euchariſtia, & de calice ſolo dictum. Item baptiſmum confirmari manus impoſitione. Latinorum in eius vocabuli ſenſu error puerilis.*

VNVM ſupereſt ad hunc Bedæ locum obſeruandum, quod magni eſt in hac tota diſputatione momenti. Is enim teſtatur vnctionem illam, quæ ab Epiſcopo vna cum manus impoſitione dabatur, quamque ipſe eandem cum presbyterali cenſet, *confirmationem* vulgo dictam fuiſſe. *Illa* (inquit) *vnctio, quæ per manuum impoſitionem ab Epiſcopis quaſi alia à duabus prædictis, & vulgo Confirmatio dicitur, eadem eſt cum ſecunda. Confirmationis, & confirmandi* vocabula etiam alios ante Bedam Patres in hoc negotio vſurpaſſe ex Actis Synodi Romanæ ſub Syluestro, ex pſeudo-Euſebij Emiſſeni, & Gennadij, & Barcinonenſis Concilij ſupra recitatis teſtimoniis patet. Qui chriſma *vulgo confirmationem dici* prodiderit, neminem ante hunc Bedam reperio. Ergo credibile eſt eam nomenclaturam vel Bedæ memoria, vel paulo ante eius tempora vulgari apud Chriſtianos Occidentales cœpiſſe. Apud Græcos enim nihil tale occurrit; quibus vulgare huius vn-

ctionis nomen τὸ μύρον eſt, vel τὸ ἅγιον μύρον *vnguentum, ſanctum vnguentum*, à materia ſcilicet ex qua fit vnctio. *Confirmationis* vero nomen non à materia, ſed à fine, vſu, & effectu ritus ductum eſt. Nam etiam ſcriptores Bedæ vetuſtiores, quod vnctio, & manus impoſitio vſurparetur, id ad confirmandum factum fuiſſe docent. Inde ergo totus ritus *confirmationis* nomen nactus eſt. Sed id, quia aduerſarij ad fictitij ſui Sacramenti dogma detorquent, paulò diligentius eſt explicandum. Primò ergo obſeruandum eſt verbum *confirmare*, vnde dicta eſt confirmatio, etiam de aliis ſacris ritibus, extra hanc manus impoſitionem, & chriſmationem epiſcopalem ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus vſurpatum reperiri; nequid aduerſarij in eo vocabulo myſterij latere ſibi fingant. Ita Alcuinus; [a] *Confirmatur poſtea* (neophytus) *corpore & ſanguine Domini, vt ſciat per talia myſteria diabolum expulſum ab eius corde, ac Chriſtum inhabitare*. Sic & is, qui falſo Alcuini nomen præfert, de officiis diuinis ſcriptor; [b] *Sic* (inquit) *corpore & ſanguine Domini confirmatur* (neophytus ſcilicet tinctus & chriſmatus), *vt illius ſit capitis membrum, qui pro eo paſſus eſt, & reſurrexit*. Ita etiam Iuo Carnotenſis; [c] *His omnibus ſupra memoratis ſacramentis nouus homo, in vtero Eccleſiæ inchoatur, prouehitur, conſummatur, & vnitati Eccleſiæ aggregatur; vnde etiam, ſi eſt eius valetudinis, ſacramentis vnitatis, id eſt Chriſti corpore & ſanguine* CONFIRMATVR. Sed & de vna Euchariſtiæ parte ſeorſum ſpectata, id eſt de calice, idem quoque verbum vſurpant. Ordo Romanus; [d] *Epiſcopus primus accipit calicem de manu archidiaconi, & ſtat in cornu altaris, vt confirmet ſequentes ordines*; id eſt, vt calice communicet. Item; *Subdiaconus regionarius tradit pugillarem archidiacono cum quo confirmet populum*, id eſt, porrecto calice communicet. Mox eodem ſenſu ait *confirmari eos, quos Papa communicauerit*. Et, *Poſtea* (inquit) *epiſcopi communicant populum innuente Pontifice, & poſt eos Diaconi confirmant. Presbyteri autem iuſſu Pontificis communicant populum, & ipſi viciſſim confirmant*. Ibidem ait *Archidiaconũ cõfirmare*, quos ex Senatorio ordine *Papa cõmunicauerit*. Mox de Sacellario & acolythis; *Poſt Pontificem* (inquit) *archidiaconus eos confirmat*. Eadem fere totidem verbis iterum poſtea habentur hoc ipſo titulo extremo. [e] Neque vero ipſos tantum communicantes, vel tota Euchariſtia (vt Alcuinus verus, falſuſque, & Iuo) vel parte Euchariſtiæ, id eſt ſacro calice, vt Ordinis Romani ſcriptor; ſed ipſum etiam omnibus ſuis ritibus inſtructum, atque adminiſtratum baptiſmum adiecta Euchariſtia *confirmari* dicunt veteres. Rabanus Maurus, poſtquam omnes baptiſmi ritus tinctionem, vnctionem, veſtitum candidum accurate executus eſt; *Deinde* (inquit) *corpore & ſanguine Dominico omne præcedens ſacramentum in eo* (neophyto) CONFIRMATVR, *quia hæc ideo accipere debet, vt Deum habere mereatur in ſe habitatorem, & illius ſit capitis membrum, qui paſſus eſt & reſurrexit pro nobis*. Atque hæc quidem

a ep. de cęrim. bapt. ad Car. p. 1159. c.

b De off. diu. c. de Sabb. Paſch. T. 10. Bibl. Patr. p. 258. b.

c Serm. de Sacr. neoph. T. 10. Bibl. Patr. p. 772. c.

d in offic. miſſ. T. 10. Bibl. Patr. p. 6. c d.

e Ibid. p. 16. b. c.

f L. 1. de inſtit. cler. c. 29. T. 10. Bibl. Patr. p. 577. c.

dem illi hactenus; ex quibus cernere eſt, quid ſit *confirmare* veteribus, quamque ab eo ſenſu alienum, quo nunc vſurpatur à Latinis. Nam hocquidem ſenſu neque per Euchariſtiam *confirmari* is dici poteſt, qui baptizatus eam ſumit; multo etiam minus is, qui pane ſiue corpore Domini communicatus eius deinde calicem, ſiue ſanguinem accipit; multo vero omnium minime dixeris ipſum baptiſmi Sacramentum adiecta Euchariſtia *confirmari*. Neque ſane Latini nunc, quod equidem ſciam, ex illis Patrum dictis concludunt vel Euchariſtiam totam, vel ſacrum eius calicem aliquod eſſe *confirmationis* ſacramentum. Ergo etiamſi nihil aliud eſſet, vel hoc vnum oſtendit male eos & præter omnem rationem argumentari, dum vel chriſmationis, vel manus impoſitionis ritum eſſe proprie dictum confirmationis ſacramentum inde colligunt, quod vel altero, vel vtroque hoc ritu confirmari neophytos apud veteres legunt. Patebit enim ſi Patrum de vtraque hac re loca inter ſe diligenter contenderis, plane eodem modo ac ſenſu dixiſſe eos chriſmatione confirmari tinctos neophytos, quo eoſdem chriſmatos Euchariſtia, vel pane communicatos calice *confirmari* dixerunt. Illi namque vt Euchariſtia, ſic etiam chriſmate & manus impoſitione confirmari tam baptizatos, quam ipſum eorum baptiſmum dicunt. Ac baptizatos quidem primò. Ita Eucherius (qui primus, quod ſciam, eo verbo in hoc negotio circa [a] annum Domini 440. vſus eſt.) *Quod nunc* (inquit) *in confirmandis neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis,* &c. Mox; *Quid mihi prodeſt poſt myſterium baptiſmatis miniſterium confirmationis?* Patres Barcinonenſes [b] anno Domini 599. *chriſma quod pro confirmandis neophytis datur.* Theodulfus Aurelianenſis viuente Carolo Magno, id eſt ante annum Domini 814. [c] *Cur ab Epiſcopo confirmetur* (baptizatus ſcilicet) *per manus impoſitionem?* Pſeudo-Alcuinus; [d] *Si vero Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari eum oportet chriſmate.* Sed & baptiſmum ipſum his duobus ritibus, vel eorum altero *confirmari* haud parcius dixerunt; Ordo Romanus manus impoſitionis & chriſmatis ritum executus; [e] *Hoc autem* (inquit) *omnino præcauendum eſt, vt non negligatur; quia tunc omne baptiſmum legitimum Chriſtianitatis nomine confirmatur.* Eadem habet Pſeudo-Alcuinus; [f] *Sane* (inquit) *illud præcauendum, vt hoc non negligatur, quia in hoc omne baptiſmum legitimum Chriſtianitatis nomine confirmatur.* Valofridus Strabo, [g] *Primis temporibus impoſitione manuum baptiſmum confirmari ſolebat.* Hæc illi. Ego vero à Latinis noſtris quæro, quomodo ex ipſorum hypotheſi hæc intelligi debeant? Manifeſtum eſt ſi ſtent, quæ ipſorum ſcholæ de confirmatione magno ſupercilio docent, illa Patrum explicari non poſſe. Quale enim, quæſo, apud eorum Theologos prodigium eſſet, ſi quis hoc eorum chriſmate baptiſma confirmari diceret? Sed primi eorum Scholaſtici ſcilicet veterum quidem Patrum vocabula pleraque retinuerunt,

a Homil. de Pentecoſte.
b c. 2.
c de ord bapt. c. 7.
d de diu offi. c. de ſaob. Sancto.
e de Sabb. S. T. 10. bibl. Pa. p. 23. d.
f de Sabb. S. ibid p. 119. e.
g de reb Eccl. c. 26. ibid p. 690. d.

nuerunt; mentem, quam non aſſequebantur, miſſam fecerunt, & nouum priſcis vocabulis ſenſum ipſi pro ſui & ingenij & ſæculi captu affinxerunt, abſonum vt plurimum & abſurdum; atque ita nobis mirificam quandam à veris antiquitatis placitis plærumque abhorrentem Theologiam procuderunt. Id vero ipſis, vt in aliis non paucis, ita & in hoc ſane capite accidit. Cum enim quid veteribus *confirmare* fuerit neſcirent, quæ de Chriſtianæ fortitudinis dono, cœleſtiſque virtutis robore ad perſeuerandum in fide neceſſario didicerant, ea huc transtulerunt; & inde ſuum illud *confirmationis* muſteum ſacramentum confinxerunt. Patres vero plane alio, vt ex his apparet, ſenſu chriſma, vel manus impoſitionem *confirmare* dixerunt. Intelligebant enim cum ita loquerentur, ipſum à neophytis ſuſceptum baptiſmi ſacramentum vtroque illo ritu, vel etiam eorum altero (nihil enim hoc ad rem pertinet) *confirmari*. Vnde ſequitur (quod ſcitè ſane atque acute dixit Archiepiſcopus Spalatinus) hoc quicquid eſt ritus, non tam *confirmationis ſacramentum*, quam *ſacramenti* (id eſt baptiſmi) *confirmationem* dici ac cenſeri debere. Dum enim adhiberetur à veteribus vterque ille ritus, eo fiebat vt firmus ratuſque eſſet neophytorum baptiſmus, ab omni Dei Eccleſia ſolenni principis miniſtri vnctione ac benedictione dedicatus, atque approbatus; vt nihil amplius supereſſet, quo quiſquam de eius hominis Chriſtianiſmo dubitaret, qui ita conſecratus, omnibuſque initiationis myſteriis ac ritibus plane perfunctus eſſet. Eadem de cauſa baptiſmus Euchariſtia quoque confirmari dictus; quod cum ea eſſet ſummum, atque vltimum Chriſtianorum ſacramentum, nullique communicaretur, niſi qui baptiſmum & rite ab initio ſemel ſuſcepiſſet, & poſtea integrum & à peccatis excommunicatione dignis intactum cuſtodiiſſet; eo fiebat, vt eius baptiſmum valere, ratumque ac firmum perſtare argueret, quicumque ad illam admittebatur. Sed & quia ipſius Euchariſtiæ duæ partes erant *panis* & *calix* eo inter ſe ordine diſpoſitæ, vt panis prius, calix deinde miniſtraretur, neque hic aliter ex ſolenni more daretur, niſi poſt acceptum panem, ideo & calice communio ipſa *confirmari* dicta eſt; cuius ſcilicet calix conſummatio, atque complementum erat. Sic etiam, quod eos, qui ex hæreſi conuertebantur, in Eccleſiam epiſcopali, vel certe preſbyterali manus impoſitione recipi ſolenne erat; eadem de cauſa factum, vt & ſuſceptus ab iis retro apud hæreſim, vnde veniebant, baptiſmus, & ipſa præſens eorum conuerſio, manus quoque impoſitione *confirmari* cenſeretur. Nam donec eo ritu eſſent defuncti, videbatur eorum baptiſmus dubius, & conuerſio nondum plena, neque ante ad Euchariſtiam, vltimum Eccleſiaſticæ communionis ſignaculum, admittebantur. Itaque vt neophytos alij, ſic hos ex hæreſi conuerſos Acta Synodi Romanæ ſub Syueſtro, & Gennadius * manus impoſitione con-

De Rep. Chriſt. l. 5. §. 24.

* de dogmat. Eccleſ. c. 52.

ne con-

ne *confirmari* dicunt. Vt enim ipſum baptiſma accedente chriſmate, vel adiecta Euchariſtiâ, & euchariſtiæ communio calice eius complemento, & ex hæreſi conuerſio manus impoſitione *confirmabantur, confirmarique* apud veteres cenſebantur; Sic eodem ſenſu, eademque de cauſa perſonæ, quæ ſacris iſtis ritibus perfungebantur iis *confirmari* ipſæ quoque dicebantur; tinctus cum chriſmabatur, vel manus impoſitione adumbrabatur, rite pleneque initiatus, cum Euchariſtiam accipiebat, pane communicatus, cum de calice bibebat; ex hæreſi denique conuerſus, cum manus ei imponebatur. Eo enim quo iſti poſterius defungebantur, demonſtrabatur id quod ante habuerant, validum fuiſſe, ratumque ac firmum eſſe. Quare Rabanus initiationis ſacramentum Euchariſtia, non ſimpliciter, ſed *in neophyto confirmari* dixit; hoc eſt id ipſum ſacramentum, quod neophytus ſuſceperat. Ergo apud veteres & vnum Sacramentum vere, proprieque dictum altero æque proprie dicto ſacramento, vt baptiſmus Euchariſtia, & vnius ſacramenti vna pars altera conſequenti eiuſdem parte, vt panis communicatio calice, & ſacramentum ritu, ſiue cærimonia ei adhærente, vt baptiſmus chriſmate, vel manus impoſitione *confirmari* dicebantur. Ex quibus liquido apparet recentiores Latinos multipliciter in hoc negotio erraſſe; Primò quidem eo quod *confirmationem* vnum aliquod vnius cuiuſdam certæ cauſæ effectum eſſe putarunt; quæ apud veteres (vt liquet) non vna, ſed multiplex, & plurium rerum cõmunis erat. Cum enim quocumque aliquid confirmatur, id eius confirmatio & ſit, & dici merito poſſit; apparet totidem apud veteres fuiſſe *confirmationes*, quot ea fuiſſe diximus, quibus aliquid apud eos confirmabatur. Erat chriſma *confirmatio*; erat & manus impoſitio; Sed & Euchariſtia *confirmatio* apud eos fuit, & calix item Euchariſtiæ pars, *confirmatio* fuit, & quidem ſumma, ſanctiſſimaque; quæ cæterarum ſcilicet omnium conſummatio, atque ſignaculum vltimum fuit. Ex quo Latinos, vt hoc obiter dicam, de re veterum confirmatoria peſſimè eſſe meritos intelligitur, qui omnium confirmationum vltimam, ſanctiſſimam, atque perfectiſſimam, calicis videlicet Dominici communionem vniuerſæ Chriſtianorum plebi nefaria audacia eripere non dubitarunt; eam tantum confirmationem retinendam putarunt, quæ non vltima, vel ſanctiſſima, ſed initialis, ad hæc non à Domino, ſed ab hominibus inſtituta, ac præcepta erat. Fateor quidem ex his omnibus, quibus *confirmari* Chriſtiani olim dicebantur penes epiſcopalem cum manus impoſitione vnctionem vulgi vſu, ac conſuetudine nomen *confirmationis* hæſiſſe; fortaſſe, quod is actus, qui vnius ſcilicet epiſcopi, totius Eccleſiæ principis miniſtri, manu atque ore peragéretur, maxime ſolennis, conſpicuuſque videretur (obſeruat enim Beda eum ritum *vulgo confirmationem dici*, & Iſidorus

 Mer-

Mercator ſub Melchiadis nomine ac larua latens *confirmationis myſterium* appellat, & Iſaac Lingonenſis * *confirmationem Epiſcopi* vocat, vt eam ab iis confirmationibus diſtinguat, quæ etiam à preſbytero fiebant) Ergo confiteor equidem, quod dicere cœperam, *confirmationis* nomen vulgi vſu de hoc præcipue ritu etiam olim dictum; vt ſæpe contingit nomina plurium communia, vnius eorum, quorum communia ſunt, propria fieri, ſiue κατ' ἐξοχὴν, ſiue per meram κατάχρησιν. Sed neque hæc appellatio admodum antiqua eſt (non enim videtur diu ante Bedam vulgaris fuiſſe) neque viros Theologos decebat vocabula, quæ ſunt in vulgi poteſtate, ita attendere, vt rem ipſam negligerent. Cum enim ex recitatis veterum ſermonibus conſtet Chriſtianos Euchariſtia, & calice *confirmatos* fuiſſe; id quoque conſtare debet Euchariſtiam & calicem non minus, quam chriſma, vel manus impoſitionem, *confirmationem* & fuiſſe revera; & dici vere atque appoſite potuiſſe. Atque hinc ſecundo liquet eo etiam errare recentiores Latinos, quod in hoc ſacrorum rituum effectu (id eſt confirmatione) poſitam eſſe putauerunt rationem alicuius ſacramenti (vt loquuntur) *formalem*. Cum enim vniuſcuiuſque rei propria ſit, quæ eadem formalis eſt eiuſdem ratio; nullius profecto ſacramenti ratio formalis eſſe propria poteſt *confirmatio*, quæ plurium, vt oſtendimus, ex veterum ſententia communis erat: Nullius autem ex iſtis, quorum communis eſt, propriam eſſe liquet. Omnes enim iſti ritus, quibus confirmationis vim ac nomen tribuunt Patres, ſuam (præter hanc) ſinguli rationem propriam, ac formalem habebant. Euchariſtiæ propria ratio eſt vt corpus & ſanguinem Chriſti communicet, calicis, vt ſanguinem, chriſmatis, vt ſacerdotium, regnumque in Chriſto noſtrum, ſpiritale ac myſticum repræſentet, manus impoſitionis denique, vt Spiritum Paracletum aduocet, atque inuitet; quæ ſunt partim apud omnes confeſſa, partim in ſuperioribus demonſtrata. Quorum ergo propria ſingulorum formaliſque ratio alia quædam erat, nullum eorum proprie dictum *confirmationis ſacramentum* conſtituere potuit. Tertiò & in eo quoque grauiter peccaſſe Latinos, longeque à Patrum mente diſceſſiſſe hinc apparet, quod *cõfirmationem*, & proprie dictum, & quidem per ſe ac ſeorſum plenum atque integrum Sacramentum eſſe voluerunt. Fuiſſe enim veteribus confirmationem, quæ non eſſet eadem verum, ac proprie dictum ſacramentum; vt alia mittam, vel inde manifeſtum eſt, quod illi eos, qui ex hæreſi conuertebantur, manus impoſitione confirmari dicunt; adeoque eorum *confirmationem* eſſe putant manus impoſitionem, quam vel ipſi Latini ſacramentum proprie dictum fuiſſe negant; cærimoniam meram fuiſſe confitentur; ſacramenti titulum non alij, quam neophytorum manus impoſitioni (& ei ipſi non ſatis profecto

* Tit. 11. c. 12.

ex ſua

ex ſua quidem hypotheſi proprie) vindicantes. Sed & confirmationem veteribus fuiſſe eum ritum, qui integrum per ſe ac ſeorſum ſacramentum non eſſet, inde liquido deprehenditur, quod ſacro calice, qui Euchariſtiæ pars eſt, integrum ſacramentum non eſt, *confirmari* communicantes dixerint. Nihil ergo erat, quod Latini illum, quem retinent, ritum, quod is confirmatio ſit, ſacramentum vel proprie dictum, vel integrum eſſe putarent; cum & cærimonia (vt conuerſorum ab hæreſi manus impoſitio) & pars ſacramenti (vt calix) eſſe potuerit, etiamſi confirmatio eſſet. Veteres quidem certe, vt iam ſupra diximus, & mox confirmabimus, quatuor hæc ſacramenta numerant, *baptiſmum & chriſma, corpus & ſanguinem* (id eſt panem & calicem) *Domini*; vt omnino duorum priorum eadem, quæ duorum poſteriorum apud eos ratio fuiſſe videatur. Itaque vt panis & calix, non duo per ſe ac ſeorſum integra ſacramenta, ſed vnius integri partes duæ ſunt; ita & apud veteres baptiſmus, & chriſma, non duo integra per ſe ac ſeorſum ſacramenta, ſed vnius integri duæ partes fuiſſe videntur. Ac vt pane communicatum calice; ita & baptiſmi aqua tinctum chriſmate confirmari veteres exiſtimabant. Id vnum erat diſcrimen, quod calice quidem is, qui panem acceperat, ex Domini ipſius mandato; qui vero tinctus, chriſmate non ex Domini, ſed ex virorum Eccleſiaſticorum inſtituto ac more confirmabatur. Quartò denique ex his intelligitur vanam &, puerilem eſſe omnem iſtam, tam acrem, tamque vehementem Latinorum & vetuſtiorum & recentiorum de confirmatione inter ſe concertationem; dum eam alij chriſmationi, alij manus impoſitioni, alij ambabus, ſed coniunctis, alij epiſcopali tantum vnctioni, alij etiam presbyterali tribuunt; alij etiam ei, qua ex hæreſi conuerſi ſuſcipiebantur, concedunt, alij vero negant. Quo enim ſenſu veteres confirmationem intelligebant, manifeſtum eſt eum, qui tinctus fuerat chriſmate, quod à presbytero deinceps accipiebat, confirmatum fuiſſe (quod nos liquido ſupra docuit Barcinonenſis Synodus) eo enim valida, rata, ac firma eſſe demonſtrabatur eius lotio, ſiue tinctio. Sed & manu poſtea ab Epiſcopo impoſita *confirmatum* eundem fuiſſe liquet; cum hoc ritu teſtatum fieret principis totius Eccleſiæ miniſtriore ac manu validum ac legitimum fuiſſe iſtius baptiſmum, neq; nunc quicquam eſſe, quod eum vel Chriſtianitatis nomine, vel ſacra Euchariſtia (quod vltimum erat eius ſignaculum) prohibere poſſet. Poſtquam vero huic epiſcopali manus impoſitioni chriſmatio quoq; frontis acceſſit, tum vtraque pariter & quidem eodem modo ac ſenſu confirmatos fuiſſe neophytos manifeſtum eſt. Neque eſt quod de conuerſis ab hæreſi quiſquam dubitet, quos Gennadius æque ac alij neophytos, *manus impoſitione confirmari* diſertiſſime ſcripſit. Atque hæc quidem de *confirmationis*, & *confirmandi* vocabulis hactenus, quorum

ſimilia

ſimilia & pœne eiuſdem in toto hoc negotio ſenſus fuiſſe *perficiendi & perfectionis* voces, ſupra ad Eliberitanos canones oſtendimus.

l. 6. in Luc. c. 22. T. 5 p. 418. init.

Quod vero alibi ait Beda *Spiritus chriſmate confirmandos, qui in morte Chriſti baptizati ſunt*, id aliorſum ſpectare, myſticeque intelligendum eſſe videtur. Sic enim ille in hæc Lucæ verba, *Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem oliuarum*; *Pulchrè* (inquit) *ſui corporis, & ſanguinis myſteriis imbutos in montem oliuarum diſcipulos educit, vt omnes in morte ſua baptizatos altiſſimo Spiritus Sancti chriſmate confirmandos eſſe deſignet, qui dicere poſſint cum Pſalmiſta*; Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Dediſti lætitiam in corde meo. Hoc *chriſma* & montis oliuarum typus, & *altiſſimi* elogium, & laudatus è Pſalmo verſiculus, & ante acta Euchariſtiæ myſteria omnino videntur oſtendere, non *ſecundam*, quæ in Eccleſia fiebat, ſed *tertiam* illam, quam nos in cœlis exſpectamus, vnctionem à Beda intelligi; cum Spiritu cœleſti, cuius nonniſi primitias nunc habemus, plane penituſque perfuſi, ac delibuti in Domini monte firmi, ſtabileſque in æternum lætabimur.

a Orthod. p. 961.
b Beda hom. in Octau. Epiphan.

Neque nos neceſſe eſt in iis immorari, quæ ex eodem ſcriptore attulit prætera Aurelius [a]; *poſt acceptum vnda regenerationis lauacrum per vnctionem ſacri chriſmatis gratia Spiritus Sancti ſignamur.*[b] Vnctionem, vt vides, eam intelligit, quæ poſt ſacræ vndæ lauacrum fit, id eſt presbyteralem, quam ipſe *ſecundam* ſupra recenſebat. Huic vero vnctioni ne ipſe quidem Aurelius ſacramenti vel nomen, vel effectum tribuit. Ergo quod ait Beda per eam neophytos *gratia Spiritus ſignari*, id ſymbolice & figurate intelligere ipſe quoque debet Aurelius, vt ea gratia *ſignari per vnctionem* eos dicat, quæ & vnctione ſignificatur, & eo ipſo tempore accipitur, quo neophyti vnguntur, tametſi non ipſius proprie vnctionis, ſed ſacri baptiſmi, cui vnctio adnexa erat, vi atque efficacia gratia illa accipiatur. Atque hæc quidem de octauo ſæculo, ex quo præter hunc Bedam nullum alium habemus, qui doceat quo in loco chriſma & manus impoſitio in Occidente fuerint.

Capvt

Capvt XII.

Noni ſæculi ſenſus & vſus ex Ordine Romano, Theodulfo Aurelianenſi, Amalario, Rabano Mauro, Valafrido Strabone, Pſeudo-Alcuino. Tum receptum, vt baptizati bis chriſmarentur; prius à presbytero, mox ab Epiſcopo; ab hoc in fronte, ab illo extra frontem in vertice. Ratio diſcriminis & origo. Tum etiam inuentum, vt ad Euchariſtiam etiam non ab Epiſcopo chriſmatus admitteretur. Cauſa nouitatis.

EX nono vero ſæculo & plures, & quidem luculentiſſimi ſcriptores extant, qui clare teſtantur qua ratione, quóve ordine hi ritus in omnibus, vt videtur, Occidentis Eccleſiis adminiſtrarentur, & quid de iis Theologi illius memoriæ vulgo ſentirent. In quo numero primus occurrit ordinis Romani auctor; quem his temporibus vetuſtiorem fuiſſe haud equidem negauerim. Sed libro ipſi, qui ex genere ritualium eſt, poſt auctoris (ſiquidem is ante nonum ſæculum vixit) manum alia fuiſſe ab aliis addita vel inde certa fides eſt, quod alicubi memorat orationem *pro Rege Francorum, ſiue Imperatore* in diuinis officiis dici ſolitam; Regem autem Francorum conſtat nullum Imperatorem fuiſſe ante annum Domini 800. hoc eſt octaui ſæculi vltimum, quo Carolus Magnus ex Francorum gente primus Imperator eſt Romæ renuntiatus. Cum ergo hinc diſcamus Ordinis Romani libro, ſi hoc tempore vetuſtior eſt, quædam à poſteris fuiſſe addita, addititia autem à genuinis & ſinceris ſecerni nequeant; apparet huius voluminis auctoritatem certam ac indubitatam fidem non facere, niſi de nono tantum ſæculo. Iam vero omnis baptiſmi ordo fuſe ac perſpicuè in eo libro deſcriptus eſt. Nam, vt cætera mittam, quæ non ſunt huius loci, tradit is ſcriptor, quomodo à Pontifice conficiatur *chriſma* (vt ipſe appellat (*principale*, mixto oleo cum balſamo, atq; oratione benedicatur, in qua Deum precatur vt hos, *quamuis ex diuerſis creaturarum ſpeciebus creatos liquores ſanctæ Trinitatis perfectione benedicat, & benedicendo ſanctificet, concedatque vt ſemel permixti vnum fiant, & quicumque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur; quô omnibus ſordibus corporalis materiæ carens, ſe participem regni cæleſtis effici gratuletur.* Tum: *hæc commixtio liquorum* (inquit) *fiat* OMNIBVS *perunctis propitiatio, & cuſtodia ſalutaris in ſecula ſeculorum.* Inde chriſmate oleum ideo ſe exorcizare, ait, *vt fias* (inquit, chriſma ipſum alloquens) *omnibus, qui ex te vngendi ſunt, in adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum.*

e. de diu. offic. T. 10. Bibl. Patr. p. 54. A.

Ibid. p. 65. e. A.

Ibid. e.

Denique in longiori oratione quæ *præfatio* dicitur, Deum obſecrat, *vt* (Ibid p. 66. c.) *huius creaturæ pinguedinem ſanctificare ſuâ benedictione dignetur, & Sancti Spiritus ei admiſcere virtutem, cooperante Chriſti potentia;* mox: *vt Spiritalis lauacri baptiſmô renouandis creaturam chriſmatis in ſacramentum perfectæ ſalutis, vitæque confirmet, vt ſanctificatione vnctionis infusâ, corruptione primæ natiuitatis abſorptâ, Sanctum vniuſcuiuſque templum acceptabilis vitæ innocens odore redoleſcat;* vt (inquit) *ſecundum conſtitutionis tuæ ſacramentum, regio & ſacerdotali, propheticoque honore perfuſi veſtimentô incorrupti muneris induantur, vt ſit his, qui renati fuerint ex aquâ & Spiritu Sanctô, chriſma ſalutis, eoſque æternæ vitæ participes, & cœleſtis gloriæ facias eſſe conſortes.* Poſteà in aliâ voluminis parte, vbi ipſe propriè baptiſmi ordo traditur; *Vt autem* (inquit) *ſurrexerint à fonte* (Ibid. p. 82. e.) (nimirum infantes tincti) *illi qui eos ſuſcipiunt, leuantes ipſos infantes in manibus ſuis, offerunt eos vni presbytero. Ipſe verò presbyter facit de chriſmate crucem cum pollice in vertice eorum, ita dicendo; Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aquâ & Spiritu ſanctô, quique tibi dedit remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te linit chriſmate ſalutis in Chriſtô Ieſu Dominô noſtrô in vitam æternam.* Tum ſedens in ſacrariô Pontifex, dat *ſingulis infantibus ſtolam candidam, & chriſmale, & decem ſiliquas dicens;* (Ibid. p. 83. a.) *Accipe veſtem candidam & immaculatam, quam perferas antè tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam. Pax tibi, Reſp. Amen. Et ſic veſtiuntur.* Paulò poſt Pontifex (quod iam ſuprà recitauimus) *eleuatâ, & impoſitâ manu ſuper capita omnium dat orationem ſuper eos, cum inuocatione ſeptiformis gratiæ Spiritûs Sancti;* (Ibid. b.) *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos, & has famulas tuas, ex aqua, & Spiritu Sanctô, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum, emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum Sanctum Paracletum de cœlis, Amen; Spiritum ſapientiæ & intellectus, Amen. Spiritum conſilij & fortitudinis, Amen. Spiritum ſcientiæ & pietatis, Amen: Adimple eos Spiritu timoris tui, Amen. Et conſigna eos ſignô crucis Chriſti in vitam propitiatus æternam.* Denique *oratione* (inquit) *expletâ, interrogantibus Diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tinctô pollice in chriſmate, faciat crucem in frontibus ſingulorum, ita dicendo, Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Confirmatis omnibus, verſibuſque aliquot è Pſalmorum librô dictis, ita* pro iis precatur; *Deus, qui Apoſtolis tuis Sanctum dediſti Spiritum, & per eos, eorumque ſucceſſores cæteris fidelibus tradendum eſſe voluiſti, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ famulatum, & præſta, vt eorum corda, quorum frontes ſacrô chriſmate deliniuimus, & ſignô crucis deſignauimus, idem Spiritus Sanctus adueniens templum gloriæ ſuæ dignanter habitando perficiat.* Atque hoc loco illud auctor, quod diximus, monet *præcauendum* ne hic ritus negligatur, quod *tunc omne* (Ibid. p. 84. c) *baptiſmum legitimum Chriſtianitatis nomine cõfirmetur.* Addit poſtremo

omnes

omnes ſtatim communicari, & ait de *paruulis prouidendum ne, poſtquam baptizati fuerint, vllum cibum accipiant, neque lactentur ſine ſumma neceßitate, antequam communicent ſacramento corporis Chriſti.* Hæc Ordo Romanus, cui ſuccinit Theodulfus Aurelianenſis in libello de Baptiſmi ordine viuente Carolo Magno (hoc eſt ante annum Domini 814.) ſcripto, & nuper Menardi primum, mox & Sirmondi opera edito. Deſcriptis enim cæteris baptiſmi ritibus, titulo 15. explicat, *cur ſacro chriſmate caput neophyti perungatur*, idque refert ad myſticum Eccleſiæ regnum, & ſacerdotium; *Baptizatorum itaque capita* (inquit) *chriſmate liniuntur, vt in regno & ſacerdotio Eccleſia delibuti, & Chriſtiani nominis prærogatiuam accipiant, & eius membra, qui eos redemit, & eorum caput eſt, effici valeant.* Tum titulo decimo ſexto, de myſtico velamine agit, quo baptizatorum capita tegebantur; decimoſeptimo de epiſcopali manus impoſitione, quam frontis conſignatio excipiebat; eadem quæ alij, Innocentij verba, ſed tacito eius nomine deſcribens.

Amalarius Fortunatus, qui anno Domini 831. floruit, omnia pene eadem, quæ Ordo Romanus, tradit, quæ nihil opus eſt repetere. Quæ propria habet, annotabo. *Apoſtoli* (inquit) *hac arte, id eſt olei, vtebantur in redintegratione infirmorum; Apoſtolici viri in conſignatione neophytorum.* Tum addit *ab Apoſtolis traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione conſecrato. De eo oleo, quod infunditur ſuper neophytos, non tale quid legimus, ſed tenemus Apoſtolicam conſuetudinem, & auctoritatem ſuam accepimus à Romana Eccleſia, quam pro lege tenere oportet.* Alio eiuſdem libri loco de chriſmate ex profeſſo dicturus ait *in Pontificalibus geſtis* legi Sylueſtrum Papam inſtituiſſe, *vt à presbytero vngeretur neophytus in cerebro*; & locum deſcribit; ſed in quo, non magis, quam in libris hodie noſtris vlla ſit cerebri mentio. Neque veriſimile eſt à Sylueſtro eam corporis partem ad vnctionem eſſe deſtinatam, cum Gregorij temporibus non cerebrum, ſed pectus vngerent presbyteri. Ex Beda in Acta citat verba ex Innocentij ad Decentium decretali deſcripta; *frontem ex oleo ſignare ſolis deberi epiſcopis, cum Spiritum Paracletum baptizatis tradunt.* Quibus verbis hæc ipſe ſubiicit; *Quod ſi antea agebatur, ſuperflue conſtitutum à S. Sylueſtro, quod iam agebatur ſecundum hoc conſtitutum reor, quod ad hoc priore tempore de vnctione chriſmatis Pontifex expectabatur, vt per manus Epiſcopi omnis vnctio chriſmatis ageretur. Vſque ad illud tempus non generaliter omnes baptizabantur, præcipue cum Imperatores, & miniſtri eorum Pagani erant, ac ideo non facile neophytis potuit occurrere Epiſcopus, vel ipſi ad Epiſcopum venire.* Et multis interiectis ait *Sylueſtrum ob remedium difficultatis Epiſcopum conſequendi ante exitum animæ iuſſiſſe, vt liniretur neophytus à presbytero chriſmate ſalutis in vitam æternam.* Tum tractat

l. 1. de offic. Eccl. c. 12.

Ibid. p. 325. e.

Ibid. p. 326. a.

Ibid. c. 27. init. p. 351. e.

Ibid. p. 352. a.

Ibid. c. 34. A.

Ibid. p 352. d. 353. 354. quæſtionem, *an ſine impoſitione manus Epiſcopi poſſit neophytus poſſidere regnum cœlorum?* quam varie agitat, neganti propior.

Rabanus Maurus, qui his aliquanto iunior, Moguntiæ Epiſcopus anno Domini 847. factus eſt, eadem & ipſe habet. (l. 1. c. 28. de inſt. Cler. T. 10. Bibl. Patr. p. 577. b.) *Poſtquam* (inquit) *aſcenderit baptizatus de fonte, ſtatim ſignatur in cerebro à presbytero cum ſacro chriſmate; ſequente ſimul, & oratione, vt regni Chriſti particeps fiat, & à Chriſto Chriſtianus poſſit vocari.* Memorat & Syluestri conſti- (Ibid. c.) tutionem; quam ideo factam interpretatur, *quod neceſſarium ſit, vt ſtatim ſuccurratur baptizato cum chriſmatis vnctione, vt Spiritus Sancti participationem accipiens alienus à Chriſto non exiſtat.* Tum & chriſmati *caput tegi* ait *myſtico velamine, vt intelligat ſe diadematis regni, & ſacerdotalis dignitatis portitorem.* Inde *corpore & ſanguine Dominico omne precedens ſacramentum in eo confirmari.* Quibus deſcriptis; *nouiſſime autem* (inquit) *à ſummo ſacerdote per impoſitionem manus Paraclitus traditur illi* (Ibid. c. 30. init.) *Spiritus Sanctus, vt roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipſe in baptiſmate conſecutus eſt per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum chriſmate per ſacerdotem in capitis ſummitate; per Pontificem vero in fronte, vt priori vnctione ſignificetur Spiritus Sancti ſuper ipſum deſcenſio ad habitationem Deo conſecrandam; in ſecunda quoque, vt eiuſdem Spiritus Sancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis, & ſcientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur.* *Nec mirum* (inquit paulò poſt) *ſi homo bis eodem chriſmate, ad accipiendum Spiritum Sanctum vngatur, cum idem Spiritus bis ſit ipſis Apoſtolis datus.* Hæc Rabanus.

Qui iiſdem temporibus vixit Valafridus Strabo inter multa, quæ (l. de reb. Eccl. c. 6. T. 10. Bibl. Patr. p. 690. c.) de baptiſmo habet egregia; *Addiderunt* (inquit) *alii chriſmatis vnctionem, quam ex veteri ſumptam conſuetudine, nemo qui dubitet; cum primis temporibus impoſitione manuum baptiſmum confirmari ſoleret; &c. Quæ confirmatio & tunc ad primos Eccleſiæ Paſtores pertinuit, & nunc pertinere non dubitatur. Vnde in canonibus ſæpe interdicitur presbyteris, ne chriſma conficiant, neque baptizatos in fronte conſignent, quod ſolis debetur Epiſcopis. Teſtantur hoc decreta Innocentij Papæ, & ſtatuta Sylueſtri, quia & ipſe inſtituit, vt presbyter baptizatum chriſmate liniat propter occaſionem tranſitus mortis. Quod ſi à Diacono, vel quolibet alio homine baptizatus, caſu ante confirmationem tranſierit, credendum non eſt perire propter hoc: quia ſub fide, qua credidit, poterit eſſe ſaluus, ſi eum poſt commiſſa peccata non perimant. Lege Concilij Eliberitani decreta.*

Scriptor operis de officiis diuinis, qui ſub Alcuini nomine, ſed falſo, circumfertur, eadem quoque tradit. Hoc vnum obſeruandum, (l. de ... c. de Sabb. S. T. 10. Bibl. Patr. 259. c.) quod monet *poſtquam infans tinctus* fuerit, & in vertice à presbytero vnctus, & veſtitus; *Si epiſcopus* (inquit) *adeſt, ſtatim confirmari oportet cum chriſmate, & poſtea communicare, & ſi Epiſcopus deeſt, communicetur à*

tur à presbytero dicente ita, Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam, Amen. Sed & hæc omnia executus, *De hac vero* (inquit) *confirmatione S. Innocentius Papa, non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere aſſerit.* Et locum Innocentij ſupra ex epiſtola ad Decentium deſcriptum recitat totum. Neque id in iſto omiſerim, quod de Spiritu huius confirmationis quædam habet, quibus nihil in Ordine Romano ſimile fuiſſe memini: *Nouiſſime per impoſitionem manus à ſummo ſacerdote & ſeptiformis gratia Spiritum accipit, vt roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in baptiſmo per gratiam vitæ donatus æternæ.* Hæc eorum gemina ſunt, quæ nuper ex Rabano audiuimus, quo neſcio an iſte pſeudo-Alcuinus recentior fuerit. Vixiſſe quidem eum poſt Theodulfum Aurelianenſem conſtat, cuius verſiculos in diem Palmarum memorat,[a] anno Domini 817. annis poſt Alcuini mortem tredecim compoſitos, vt eſt ab eruditiſſimo Sirmondo[b] obſeruatum. Sed & Quercetanus[c] Præfatione in Alcuinum ſua alias, eaſque graues cauſas attulerat, cur hic liber Alcuini eſſe non poſſit.

Ibid. c.

Ibid. p. 258. b.

a c. 14.
b Not. in Theodulf p 284.
c pag. 17.

Ex hoc iſtorum ſcriptorum conſtanti teſtimonio patet, quæ fuerit in hoc negotio Eccleſiarum Galliæ, & cæterarum Occidentalium nono ſæculo praxis. Ac primo quidem vbique cernitur duplex neophyti chriſmatio; Vnde apparet à Gregorij I. temporibus (quibus vna tantum, vt videtur, in Galliis æque ac in Sardinia, & Hiſpania fuerat) ſæculo vel ſeptimo, vel, quod potius reor, octauo mutatum apud nos fuiſſe priſtinum morem, & Romanæ ab Innocentio, vt ſupra oſtendimus, inſtitutæ vſum tandem in noſtras, & quod inde ſequitur, in reliquas Occidentis Eccleſias inductum. Nimirum & Romanæ vrbis, atque Eccleſiæ ſplendor, & plærarumque Occidentis gentium per ea tempora ignorantia & horridus, ac pæne ad barbariem incultus ſquallor; ad hæc vrbici Epiſcopi longe lateque per eas occaſiones graſſans dominatio, plurimus denique cum eo Francorum ex Caroli Martelli domo Regum, hoc eſt Pipini, & Caroli Magni vſus, effecerant vt noſtri Romanos ritus ſuis deletis atque abdicatis reciperent. Ipſius Ordinis titulus id fatetur; qui cum *Romanus* dicatur, in Galliis tamen, vt apparet ex multis libri locis, in vſu erat, & fuiſſe etiamſi liber taceret, teſtantur Amalarius, & cæteri Eccleſiæ Gallicanæ homines, eadem cum Ordinis libro tradentes. Fortaſſe, quo mos Romanus reciperetur, aliquid etiam Alcuinus contulit, Anglo-ſaxonicæ Roma, vt diximus, propagatæ Eccleſiæ alumnus. Ergo ſub hæc tempora, id eſt Pipino, vel fortaſſe etiam Carolo eius filio apud nos regnante, in Galliæ Eccleſiis, recepta videtur illa Romana ex Innocentij lege duplex chriſmatio, omnibus ante Innocentium Chriſtianis, poſt eum Græcis quidem ad noſtra vſque tempora, Sardis, Hiſpanis, ac Gallis ad Gregorij ſu-

proſus ignota. Hinc omnis noni illius ſæculi à vetuſtioribus in hoc ritu diuerſitas. Primum diſcrimen ipſum illud fuit, quod cum maiores ſemel neophytos chriſmarent; iſti recepto Romano more bis chriſmabant. Inde cætera fere diſcrimina profluxerunt. Nam cum olim etiam presbyteri frontem chriſmate ſignarent (nihil certe ante Innocentium extat, vnde aliter chriſmaſſe coniici poſſit) vbi ſemel duplex chriſmatio recepta fuit, illud quoque inuentum, vt presbyter aliud quam frontem ſignaret. Abſurdum quippe videbatur (vt eſt ſane) à presbytero iam in baptiſmo datam vnctionem, ipſam ac plane modiſque omnibus eandem mox ab Epiſcopo quoque conferri. Vt ergo aliquid appareret inter vtramque diſcriminis, placuit aliam à presbytero, aliam ab Epiſcopo corporis humani partem ſignari. Ergo frontem & iamdudum ſolennem, & ſane aptiſſimam ac decentiſſimam vnctionis ſedem Epiſcopo, potiori ſcilicet, ac præſtantiori miniſtro ſeruarunt. Presbytero, quam vngendam partem Romani proximis poſt Innocentium temporibus aſſignauerint, incertum eſt. Illud, quod ſupra obſeruauimus, conſtat Gregorij æuo (id eſt pæne ducentis poſt Innocentium annis) pectus neophytorum Romæ à presbyteris conſignatum fuiſſe. Quamdiu id ſteterit, quóve tempore ac loco, & cur mutatum primum fuerit, parum habeo compertum; neq; quod ſciam, quicquam docent veteres. Hoc vnum ex nuper allatis Ordinis, & cæterorum locis certum eſt nono iſto ſæculo priorem à presbytero factitatam vnctionem vertici inſediſſe; cuius rei fortaſſe ratio hæc fuit. Quod vnctio hæc myſtica regni atque ſacerdotij in Chriſto noſtri ſymbolum ex veterum mente eſſet, non abſurdum viſum eſt, ſi vt eſt duplex myſterium, ita duæ eſſent vnctiones; quarum cum potior & antiquior Epiſcopo ceſſiſſet, ad ſacerdotium; altera recentior presbytero attributa ad regnum referretur, vtraque ex veteri Iudæorum more. Nam ſacerdotem apud illam gentem, quamdiu lex ſtetit, in fronte fuiſſe vnctum iam ſupra diximus. Reges vero in capite, vel in cerebro vnctos fuiſſe, & quidem in coronæ, ſiue circuli formam, cum ad regnum Iſraëlis inaugurarentur, vetus Iudæorum traditio eſt; vt docet eruditiſſimus Schickardus ex Maymonide, & Rabbi Salomone Iarchi, quorũ has voces refert מלכי בית דוד מושחין אותם כמין נזר על ראשן *Reges familiæ Dauid vngebant forma coronæ ſuper caput.* Item; כמו נזר סביב על ראשו *inſtar corollæ circa caput ſuum.* Cum ergo omnis hæc vnctio à Iudæorum ritu, ac diſciplina in Chriſtianam religionem traducta ſit, vt ex Tertulliano primum, & nuper ex Valafrido audiuimus; non inconcinne, neque inepte ſibi viſi ſunt homines noſtri id veteri mori addidiſſe, vt ea duplex quemadmodum apud Iſraëlem fuerat, vna regia in capite ſiue in vertice, altera ſacerdotalis in fronte, ita quoque apud nos eſſet; quarum prior ad regnum

De iur. regni Hebr. c. 1. p. 27.

gnum, altera ad ſacerdotium referretur; quod vtrumque, ſed ſpiri- 1. Petr. 2. 9.
tale & myſticum, in Chriſto Domino conſecuti ſumus; vere per eum facti, quotquot eius vere ſumus, *genus electum, regale ſacerdotium.* Sed ſiue hæc iſti reſpexerint, ſiue aliud in animo habuerint (fieri enim poteſt, vt Hebraica iſta neſciuerint; ea certe nuſquam memorant, neque priorem vnctionem ad regnum magis, quam ad ſacerdotium referunt) ſatis eſt, quod ex duabus, quas factitabant, vnctionibus prior à presbytero in vertice neophyti fiebat, & quidem pollice in crucis figuram æque ac ea quæ in fronte fiebat, ducto, *Presbyter facit de chriſmate crucem cum pollice in vertice neophytorum*, inquit Ordo Romanus. Hinc & altera à veteribus diuerſitas ſecuta eſt, quod Epiſcopus manum baptizato imponeret antequam eum chriſmaret; quod à prioris Eccleſiæ diſciplina vehementer abhorret, in qua Epiſcopus ſacras actiones ſuas omnes fere manus impoſitione claudebat, vt ſupra obſeruauimus, & apud Tertullianũ, Optatum, & plæroſq; Latinos audiuimus chriſmationem præceſſiſſe, ſecutam eſſe manus impoſitionem. In his vero noni ſæculi auctoribus Epiſcopus manum prius imponit, deinde chriſmat; quod eſt abſurdum, & præter antiquum morem. Vnde vero ad hoc incommodum compulſi deuenerint, facile eſt coniicere. Primò quidem cum manum imponeret idem qui chriſmabat miniſter, nihil erat difficile; nihil quod legitimum ordinem turbare ſuaderet. Poſtea cum manus impoſitio primo ſacerdoti ſola ſeruaretur, vt quos chriſmauerat presbyter iis deinde ſibi oblatis manum imponeret Epiſcopus; tum quoque manſit legitimus rerum ordo. Cum vero diu per annos ni fallor 300. vel etiam 400. aut 500. hic mos in Galliis, & aliis præter Romam prouinciis eſſet ſeruatus, Epiſcopi qui oblatis ſibi neophytis manus illico imponere hactenus ſoliti erant, id etiam quamuis recepta noua chriſmatione retinuerunt, vt neophytis manum æque ac antea ſtatim imponerent; tum recens inſtitutum chriſma adderent. Huc etiam fortaſſe & illud acceſſit, quod abſurdum eſſe viſum eſt, vt duarum chriſmationum vna alteram continenter, nullo alio interiecto ritu, exciperet; quod contingere neceſſe fuiſſet, quoties baptizante presbytero aderat Epiſcopus; ſi ex veteri diſciplina manus impoſitio vltimo loco peracta eſſet. Cum enim quem presbyter vnxerat is epiſcopo, ſi adeſſet, confirmandus ſtatim offerretur (vt in Ordine Romano patuit) ſi epiſcopus confirmationem à chriſmate inchoaſſet, in manus impoſitione (quod ex veteri diſciplina fieri oportebat) deſiturus, nemo non videt chriſmationem epiſcopalem ſtatim & ἀμέσως presbyterali ſucceſſuram fuiſſe, quod abſurdum videtur, vt vnus idemque homo ſcilicet bis eodem chriſmate à duobus miniſtris continenter vngeretur. Huic ergo incommodo vt mederentur, à veteri maiorum diſciplina deflexerunt, & interiecta loco non ſuo manus impoſi-

impoſitione duas chriſmationes ſeiunxerunt, alteramque ab altera diuiſerunt. Sed & tertium à veteri more diſcrimen recepta duplex chriſmatio inuexit. Nimirum apud veteres Euchariſtia cum ſacrorum omnium Chriſtianorum ſanctiſſimum, ac diuiniſſimum, cæterorumque finis ac conſummatio haberetur, eo fiebat, vt vltimo ſemper loco initiatis conferretur; quod videre eſt in omni ſacro eorum ritu. Nam ſiue infideles & Pagani per baptiſmum initiarentur, ſiue lapſi per pœnitentiam redintegrarentur, ſiue hæretici denique in Eccleſiam conuerſi reciperentur; omnis ritus, quo triplex illud miniſterium conſtabat, Euchariſtia vltimo claudebatur, quæ nunquam niſi iis, qui cæteris omnibus defuncti eſſent, tradebatur. Id vero & ab Albaſpineo fuſe demonſtratum eſt, & vel ab ipſo Rabano, vt vetuſtiores mittam, ſignificatum eſt, dum diceret ſupra *omne præcedens* (initiationis autem intelligit) *ſacramentum corpore & ſanguine Dominico confirmari, quia hac* (inquiebat) *ideo accipere debet* (neophytus) *vt Deum habere mereatur in ſe habitatorem.* Hinc enim liquet cum nihil maius, aut diuinius conſequi fidelis poſſit, quam hoc vt Deum in ſe habitantem habeat, Euchariſtiam, quâ hoc ipſum dabatur, ſummum ac vltimum eorum omnium eſſe finem, quæ in Chriſtianis τελεταῖς peraguntur; &, ſi ſacra cum profanis contendere fas eſt, ei myſteriorum Paganicorum parti reſpondere, quæ ἐποπτεία dicebatur. Atqui hunc vetuſtioris diſciplinæ conſtantiſſimum ordinem conturbauit ac peruertit apud noſtras recepta nono illo ſæculo Innocentiana, Gregorianaque confirmatio. Nam apud eos, vt nuper didicimus, plærumque accidebat, vt qui Euchariſtiam iam acceperat, is tamen poſtea ab Epiſcopo chriſmate confirmaretur. Plærumque id contigiſſe dixi. Fateor enim non ſemper id accidiſſe. Nam quod apud pſeudo Alcuinum obſeruauimus, ab epiſcopo, quoties quidem is aderat, *ſtatim* qui à presbytero tinctus, & vnctus erat, *chriſmate confirmabatur & poſtea communicabat*, ex priſcæ diſciplinæ ordine; vt in Ordine Romano, in quo præſens epiſcopus ab auctore inducitur, factum vidimus. Sed ſi deeſſet Epiſcopus (deerat autem cum baptiſmus in minoribus vicorum, caſtellorumque, & omnibus aliis paræciæ Eccleſiis, præter vnam epiſcopalem, fieret) tum neophytus à presbytero ſtatim vt erat vnctus, communicabatur, quod diſerte docuit Rabanus, communicatus alio poſtea tempore nouiſſime à ſummo ſacerdote (id eſt epiſcopo) per impoſitionem manuum & per chriſmationem confirmabatur, quod vt liquet; vehementer à priſca diſciplina abhorrebat, & ex eius legibus ſane erat peruerſiſſimum. Sic enim qui ſumma iam eſſet conſecutus, ad initia & rudimenta reuoluebatur, & qui ſupremam ac perfectiſſimam confirmationem per Euchariſtiam ſuſceperat, idem nulla ſua culpa ex illo faſtigio deturbatus minorem ac inferiorem confirmationem ac-

nem accipiebat; atque ita *perfectus*, *imperfectuſque* vno eodemque tempore erat. Cum enim Euchariſtiam accepiſſet, eum ex priſcis Eccleſiæ legibus *iuſtum perfectumque* fuiſſe neceſſe eſt; quod Euchariſtia nonniſi iuſtorum, ac perfectorum cibus eſſet. Idem tamen eo ipſo, *quod confirmaretur*, nondum perfectum ſe fuiſſe teſtabatur. *Conſimatio* enim quædam erat nondum conſummatorum perfectio. Ita vnus idemque homo & perfectus, & imperfectus, & confirmatiſſimus, & nondum confirmatus, & ἐπόπτης & ἀμύητος vno eodemque temporis puncto erat; quæ abſurdiſſima, ac ſtultiſſima, & à veteri more plane penituſque aliena eſſe omnes vident. Ita Innocentiana illa, Gregorianaque chriſmatio non modo præter omnem ſcripturæ regulam inducta eſt, ſed & maximam inuexit Eccleſiaſticorum canonum, ac morum perturbationem: qualia ſunt plæraque vrbicorum epiſcoporum inuenta, quæ ſi excutiantur, facile deprehenduntur & à diuina, & ab Eccleſiaſtica norma longe diſcedere. Itaque mirandum non eſt, quod res adeo abſurda tamdiu etiam ab iis, qui ſedi illi nimium erant alioqui obnoxij, ſpreta fuerit; neque niſi octauo demum ſæculo, cum iam fere in ſummo apud noſtros eſſet Romæ ſiue gratia, ſiue potentia, irrepere atque obtinere potuerit. Eius abſurditatis, quam notauimus, gemina eſt ea quæ hodie apud Latinos in vnctione infirmorum cernitur; quam ipſi præter conſtantem veterum canonem, ac morem, communicatis nouiſſime conferunt, vnde & *extrema* dicta eſt; cum veteres contra, ſi quos vngerent, eos ante communionem vngerent, vt in propria eius argumenti diſputatione demonſtrabimus.

Capvt XIII.

Chriſmationis nono ſæculo receptæ tria ab hodierna Latinorum diſcrimina; quorum ſecundum, quod vna cum manus impoſitione adminiſtraretur; tertium, quod pro baptiſmi cærimonia haberetur. Vtrumque aduerſus immanem Petri Aurelij pervicaciam valide probatum.

Sed veteres illos noni ſæculi mortales, vt in his à maiorum diſciplina ac moribus diſceſſiſſe confiteor; ita ab aliis peccatis, in quæ poſtea Latini noſtri inciderunt, longe abfuiſſe contendo, neque res, vt mihi quidem videtur, obſcura eſt. Primò hanc chriſmationem illi quidem vna cum ipſo baptiſmo, cuius erat confirmatio, quantum fieri

poterat coniungebant, Latini nunc à baptiſmo plane, penituſque ſeiunxerunt, ac diuiſerunt, velut ritum nihil ad eum pertinentem. Itaque apud hos Epiſcopus, etiam cum baptizat (quod tamen rariſſimum eſt) eum quem baptizat, nullus confirmat; ſed confirmationem (vt notum eſt) in aliud tempus reiicit, cum infans ad annos pubertatis perueuerit. Apud iſtos veteres contra, epiſcopus cuiuſcumque baptiſmo aderat, eũ extempore manus impoſitione & chriſmate confirmabat; quo fiebat vt plurimi in ſingulis paræciis confirmationem cum baptiſmo ſimul, & ſemel acciperent. Solenne enim erat & adultos catechumenos, & paruulos etiam fidelium liberos (niſi imminentis à morbo mortis neceſſitas aliter fieri cogeret) omnes duobus tantum anni temporibus baptizari Paſchate, & Pentecoſte. Quod in epiſcopali Eccleſia, niſi præſente epiſcopo, non fiebat. Cum ergo quos baptizari fas erat, illuc ex ciuitate pene omnes concurrerent, plurimi, quod dixi, vna cum baptiſmo chriſmatis confirmationem accipiebant. Qui vero in remotioribus paræciæ Eccleſiis, puta in vicis, & caſtellis, & pagis, à presbyteris ſolis baptizati & chriſmati erant, ij quamprimum ab epiſcopo confirmabantur vel ad ipſos ea de cauſa excurrente, vel certe ad eum ipſi venientes, aut ſi paruuli eſſent, delati. Quo hi pertinent temporum eorumdem canones, *Presbytero curandum* (inquit Aquiſgranenſis Synodus anno Domini 836.) *nequis ſine baptiſmo moriatur. Poſt acceptum autem ſacrum baptiſma ſine manus impoſitione epiſcopi non remaneat.* Item, *Vt omnes* (inquit Iſaac Lingonenſis) *maximam curam habeant, ne ſine confirmatione Epiſcopi quis vitam finiat, animaque periclitetur.* Ex his conſtat confirmationem epiſcopi iis temporibus vna cum baptiſmo vt plurimum coniunctam, vel certe quamminimo fieri potuit, ſpatio ab eo ſeiunctam fuiſſe; cum nunc ab illo ad hanc plurium annorum, minimum decem, aut duodecim, interuallum intercedere non modo liceat, ſed etiam neceſſe ſit. Secundò, Cum nono illo ſæculo nemo ſolo chriſmate ab Epiſcopo ſine manus impoſitione confirmaretur, hæc nunc apud Latinos fieri plane penituſque iamdudum deſiit. De noni ſæculi ritu & ex allatis Ordinis Romani, & pſeudo-Alcuini locis, conſtat, & nos, quod ſatis eſt, ſupra diſputauimus. Tantum iis, quæ illic recitauimus, teſtimoniis hæc addi nunc poſſunt, quæ ex ſuperiori diſputatione liquet de manus impoſitione, non fictitia, ac vt ſic dicam, *putatiua*, ſoliuſque tituli ac nominis, ac denique *Aureliana*, ſed vera vereque dicta accipienda eſſe. Pſeudo-Alcuinus; *Cenei* (inquit) *illuminantur Eccleſia, eo videlicet cauſa, vt prius accipiant* (neophyti) *impoſitionem manus Epiſcopi, & ſic eos credamus illuminari Spiritu Sancto.* Sic verus Alcuinus [a] *Nouiſſime per impoſitionem manuum a ſummo ſacerdote ſeptiformis gratiæ Spiritum accipit*; quæ pene totidem verbis & pſeudo-Alcuinus [b] in libris de officiis:

Syn Aq. 1. De mor. inf ord. e c. T 2 Conc. Gall p 581. Tit. 11. c 1. ex Capit. Anſeg. l. 6. c. 81.

c de Sabb. S. T 10. Bibl. Patr p. 260. d.

[a] ep ad Odu. in p. 1171

[b] c. de ſabb. S.

ſtolis, & Rabanus [c] quoque habent. Amalarius Fortunatus [d]; *De illis, qui per negligentiam amittunt Epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, penſandum eſt ne forte in iuſtitia illa damnentur, in qua negligenter exercent iuſtitiam.* Magno Senonenſis, & cæteri eiuſdem prouinciæ epiſcopi ad Carolum Magnum Imperatorem (vt eſt apud Sirmondum [e] ex Corbeienſi codice manu ſcripto) *Peractis omnibus baptiſmi ſacramentis, nouiſſime per manus impoſitionem à ſummo ſacerdote ſeptiformis gratia Spiritum accipiant, vt corroborentur in fide recta per Spiritum Sanctum.* Theodulfus Aurelianenſis [f], *Cur ab epiſcopo confirmetur* (baptizatus) *per manus impoſitionem.* Item [g]. *Denique ſciendum eſt, quia ſicut cætera baptiſmatis ſacramenta per ſacerdotes viſibiliter fiunt, per Deum inuiſibiliter conſecrantur; ita nimirum & Spiritus Sancti gratia per impoſitionem manuum, & miniſterium epiſcoporum fidelibus traditur.* Haimo Halberſtatenſis; [h] *Donum Spiritus Sancti datur in baptiſmate per impoſitionem manus Epiſcoporum.* Idem alibi, ſed in eodem opere [i]; *per impoſitionem manuum pleniſſime creditur accipi donum Spiritus Sancti, quod poſt baptiſmum ad confirmationem vnitatis in Eccleſia à Pontificibus fieri ſolet.* Cum ergo manus impoſitionem illi noni ſæculi Patres & factitarint, & vero vel præcipuam, vel certe neceſſariam huius confirmationis partem eſſe putarint; apparet Latinos qui ea carent, non modo à vetuſtiorum, ſed ab horum quoque dogmate ac ſententia plurimum abeſſe. Tertiò (quod præcipuum ac capitale eſt) confirmationis Epiſcopalis ritum Latini nunc quidem pro vero, proprie dicto, & à baptiſmo penitus diſtincto ſacramento habent; illi vero noni ſæculi Chriſtiani pro ſacro baptiſmi ritu, ſiue cærimonia cenſebant, æque ac vetuſtiores, omninoque ad baptiſmum ipſum pertinere putabant. Id vero primum ex eo demonſtratur, quod de hac epiſcopali ſiue chriſmatione, ſiue manus impoſitione nuſquã fere niſi in iis locis ac capitibus agunt, in quibus ipſius baptiſmi ritus tradunt; vt videre eſt apud eos omnes auctores, qui de Eccleſiaſticis officiis ſcripſerunt; quique nuper à nobis allati ſunt. Theodulfi librum *de Baptiſmi ordine* Hugonis Menardi, & Sirmondi beneficio habemus. Libelli caput, vt diximus, XVII. de epiſcopali confirmatione totum eſt. Ille profecto vel ſtultus fuit, qui de baptiſmi ordine ac ritibus dicturum ſe profeſſus, de re à ſuo argumento aliena temere & abſque ratione garrit; vel (quod verum, & ex toto libro manifeſtum eſt) hunc quoque confirmationis ritum perinde vt alios, quos diligentiſſime enarrat, exorciſmum, ſalem, ſputum, vnctionem ex oleo, albarum veſtium amictum, presbyterale chriſma, myſticum capitis velamen, ad baptiſmum pertinere, eiuſque cærimoniam eſſe exiſtimauit. Eadem eſt Alcuini ratio, qui Odulfo, *vt is cognoſceret rationabilem ſacri baptiſmatis ordinem, nihilque prætermitteret, quod à ſanctis Patribus ſumptum eſt in illo officio,*

c l. 1. c. 30.
d l. 1. de offic. Eccl. c. 27.
e antirrh. 2. c. 7. p. 56.
f de ord bapt. tis. 17.
g Ibid.
h in epiſt. ad Hebr. c. 13. extr.
i Ibid. in c. 6. 2.
k oper. Al. p. 1149. 1150. 1151.

de miniſteriis totius officij breuiter ſcribere inſtituens, in eo opuſculo, tametſi breuiſſimo, epiſcopalem confirmationem nequaquam prætermiſit. Quorſum, ſi ea nullus baptiſmi ritus, nullaque pars eſt? Sed & hoc ſenſiſſe illius ſæculi Theologos inde perſpicuum eſt, quod, vt ſupra Iſidorus, ſic ipſi quoque Chriſtianorum ſacramenta recenſent. Rabanus; [l] *De Sacramentis autem, quæ in Eccleſia ſiunt, oportet, vt ſequens ſermo exponat, atque declaret ritum ſacerdotalem. Sunt autem ſacramenta baptiſmum & chriſma, corpus & ſanguis.* Tum priorem huius argumenti partem exſecutus [m]. *Sed quia* (inquit) *de duobus ſacramentis, id eſt baptiſmo & chriſmate, iam quantū nobis Dominus dedit ſuprà diſſeruimus, ſupereſt, vt de reliquis duobus, id eſt corpore, & ſanguine Domini, quantum Dominus annuerit, inueſtigemus.* Hæc ille. Vides, vt corpus & ſanguinem duo ſacramenta æque numeret, vt baptiſmum & chriſma. Ergo hæc non minus, quam illa, duos ſed vnius proprie dicti myſterij ritus fuiſſe cenſuit. Myſterium autem illud vnum aliud eſſe non poteſt, quam baptiſma late ſumpto vocabulo pro totius initiationis ſacramento, ſuis præter tinctionem ritibus conſtante. Tertiò, id quoque clariſſime demonſtratur iis Haimonis Halberſtatenſis verbis, quæ Aurelius [n] Primaſij, vel incerti auctoris nomine citat (quæ enim Primaſij nomine circumfertur Paulinæ ad Hebræos epiſtolæ expoſitio ea potius Haimonis eſt, vt eruditiſſ. Blondellus noſter [o] obſeruauit (Haimonis verba *gratiam*, quam Apoſtolus Hebræis à Domino precatur, explicantis hæc ſunt [p]. *Gratia nomine debemus hic accipere fidem perfectam, &c. donum etiam Spiritus Sancti, quod datur in BAPTISMATE per impoſitionem manus epiſcoporum.* Hîc Sirmondum Aurelius rogat, *an hinc ſit exſculpturus manus impoſitionem etiam ad baptiſmi cerimonias pertinere?* Quid ſit facturus Sirmondus, neſcio. Ego vero id ipſum, quod iſte ait, hinc non quidem *exſculpo* (neque enim in re facili & per ſe fluente vel ſculpere, vel ſcalpere neceſſe eſt) ſed quod clariſſime docet Haimo, haurio atque accipio. Quomodo enim quæſo *Spiritum ſanctum IN BAPTISMATE per epiſcopalem manus impoſitionem dari*, vere & ex animi ſui ſententia ſcribere potuit Haimo, ſi hanc manus impoſitionem, per quam eum *in baptiſmate dari* dicit, putauit à baptiſmo alienam? Si nullam baptiſmi partem eſſe, ſed diuerſum, *ſpecie* ab eo (vt loquuntur) diſcrepans ſacramentum exiſtimauit? Certe ſi quid per aliquem ritum detur, quod in baptiſmo dari vere dici poſſit, eum ritum ad baptiſmum pertinere neceſſe eſt, eiuſque partem eſſe. Neque enim tu credo, Aureli, dixeris quæ per Euchariſtiæ eſum nobis dantur ea nobis in baptiſmo per Euchariſtiæ eſum dari; vel quæ nobis in baptiſmo per lotionem ex aqua datur regeneratio, eam nobis in Euchariſtia per lotionem ex aqua dari. Quam abſurda ſint iſta, etiam pueri intelligunt. Ergo qui

ad hoc

[l] De inſt. Cler. l. 1. c. 24. in.

[m] Ibid c. 31. in.

[n] Orth. Patr. 1. c. 6. p. 540.

[o] De epiſc. p. 72.

[p] in c. 13. ad Hebr.

adhoc exemplum *Spiritum nobis in baptiſmate per manus impoſitionem dari* ſcribit Haimo, eum neceſſe eſt vel ſtultum ac delirum fuiſſe, vel certe putaſſe manus impoſitionem & baptiſmum non eſſe duo inter ſe diuerſa ſacramenta (vt ſunt baptiſmus & Euchariſtia) quod tu vis; ſed quod ego contendo, vnum idemque eſſe ſacramentum, cuius adeo epiſcopalis manus impoſitio aliqua pars ſit vel eſſentialis (quod tu mecum æque negas) vel cærimonialis; quod hinc exſculpendum fuit. Vnde videre eſt, quo ſenſu Haimo alibi ſcripſerit manum ab Epiſcopis *poſt baptiſmum* imponi. Nimirum baptiſmum eo loco non pro toto regenerationis ſuis omnibus ritibus conſtante ſacramento; ſed ſtricte & proprie (quod cæteri Patres ſæpe faciunt) pro ſola tinctione ſumpſit. Aurelij vero ad ſuperiorem Haimonis locum reſponſio mirabilis eſt: *Hæc* (inquit) *tantum declarant veteres de ſacramentis baptiſmi & confirmationis velut de vno ſæpius locutos, quod vna peragi ſolerent, & alterum altero cumularetur & perficeretur.* At (inquam) baptiſmus & Euchariſtia, & confirmatio vna quoque peragi olim ſolebant, vt eruditi omnes ſciunt, & baptiſmus Euchariſtia confirmabatur. Neque tamen de iis quiſquam *velut de vno*, ſemel locutus reperitur. Vel vnum proferat Aurelius, qui de Euchariſtia id dixerit, quod hic Haimo de baptiſmo; ſcilicet in Euchariſtia vel regenerationem per lotionem, vel Spiritum Sanctum per manus impoſitionem dari. Iſta vero tam immania ſunt deliramenta, vt qui ſic locutus fuerit eum non ſanum eſſe hominem vel non ſanus Oreſtes iuret. Non ſolent Aureli, qui ſapiunt, de rebus natura & ſpecie diuerſis velut de vna loqui. Quod ergo te fatente, Patres de baptiſmo, & de illo confirmationis ritu; veluti de vno Sacramento loquuntur, id magnum & indubitabile argumentum eſt illos tinctionis, & confirmationis actus fuiſſe Patribus; non (quod tu nulla ratione vis) duo inter ſe ſpecie diſtincta ſacramenta, ſed (quod nos volumus) vnius, eiuſdemque ſacramenti (nimirum baptiſmi) diuerſas partes; vnam *eſſentialem*, ſcilicet tinctionem; alteram *cærimonialem*, nempe manus impoſitionem; illam à Chriſto inſtitutam; hanc ab Eccleſia additam. Idem quod Haimo, Rabanus quoque docet, ſi, quod putat Bellarminus*, is vere auctor eſt commentarij in Hieremiæ Lamentationes, qui vulgo Hieronymi nomine & inter eius opera circumfertur; *Chriſtianum nomen* (inquit) *quo gloriabamur, & quod in ſacro baptiſmate per ſacri chriſmatis vnctionem ſuſcepimus*; & paulò ante de Chriſtiano, ſed peccatore loquens, ait eum *polluere honorem regni, & principatum eius, quem* (inquit) *habuit in perceptione baptiſmatis, & ſacri vnctione chriſmatis.* Sed quid opus eſt argumentis, vt hoc probemus? Ipſe ecce Patres ita ſe ſenſiſſe diſerte teſtantur. Dic enim nobis ſodes, quæ ſint illa *baptiſmatis ſacramenta*, quæ non modo Beda (quod ſupra recitauimus) ſed alij etiam ſcripto-

In Hebr. 6.

vbi ſup.

* De Script. Eccl. in Hier.

T. 5. Hier. fol. 159. B.

Ibid. fol. 158. L

res octaui ſæculi præcipitis, & noni ineuntis, imo & adulti memorant? Ordo Romanus, vbi præfatur in ſymbolum, *Dilectiſſimi nobis* (inquit) *accepturi ſacramenta baptiſmatis, & in nouam creaturam S. Spiritus procreandi.* Magno, Senonenſis Archiepiſcopus, *Peractis omnibus baptiſmatis ſacramentis.* Cum baptiſmi nonniſi vnum vel ſit, vel eſſe poſſit proprie dictum ſacramentum, effugi non poteſt, quin iſti *baptiſmi ſacramenta* vocent eos ritus, quibus conſtat ſolennis baptiſmi adminiſtratio; cuius cum conſtet tinctionem vnum eſſe, eundemque ſimpliciſſimum ritum (qui quidem ſit eſſentialis) & illud præterea neceſſario confitendum eſt alios vnà cum proprie dicto baptiſmo, ſiue ante, ſiue poſt ipſam tinctionem celebrari ſolitos ritus his verbis à Patribus intelligi, & illo *ſacramentorum baptiſmi* nomine comprehendi. Atqui & chriſmationem, & manus impoſitionem vna cum baptiſmo peragi ſolitas & ipſe nuper Aurelius affirmabat, & clarum eſt nunquam hos duos ritus à baptiſmo, niſi ineluctabili aliqua neceſſitate (id eſt miniſtri inopia) diuulſos, aut ſeiunctos fuiſſe. Ergo inquam & hos duos actus Patres ſupra memorati inter baptiſmi ſacramenta, id eſt ſacras cærimonias, cenſebant. Ita accipienda ſunt illa Alcuini verba de baptizato in epiſtola ad Oduinum, *Nouiſſime per impoſitionem manuum à ſummo ſacerdote ſeptiformis gratiæ Spiritum accipit*; & hæc Magnonis ſimilia; *Peractis omnibus* (id eſt cæteris omnibus) *baptiſmi ſacramentis nouiſſime per manus impoſitionem à ſummo ſacerdote ſeptiformis gratiæ Spiritum accipiunt*; baptizati ſcilicet. Intelligunt ex omnibus ritibus, quibus baptiſmalis initiatio peragebatur, *nouiſſimum* ſiue vltimum fuiſſe illam manus impoſitionem cum chriſmatione epiſcopali coniunctam. Nam ſi de omnibus intelligas non proprie baptiſmalibus, ſed ſimpliciter iis, quæ eodem illo tempore ſuſcipiebant baptizati, horum non manus impoſitio, eique adnexa chriſmatio, ſed Euchariſtia nouiſſimum erat; quæ quoties aderat Epiſcopus, non ante, ſed poſt manum ab eo impoſitam baptizatis tradebatur; vt ſupra ex Ordine Romano patuit. Sed nequid tamen cauillari poſſit Aurelius, ecce diſertiſſimum Theodulfi teſtimonium; *Sicut CÆTERA* (inquit) *baptiſmatis ſacramenta per ſacerdotes viſibiliter fiunt, per Deum inuiſibiliter conſecrantur; ita nimirum & Spiritus Sancti gratia per impoſitionem manuum, & miniſterium epiſcoporum fidelibus traditur.* Manus impoſitionem baptiſmatis ſacramentis clàre accenſet, atque in iis apertè includit, dum vt *cætera*, ita & *hoc* peragi ait, quod falſo, & inepte, vt omnes vident, dictum eſſet, niſi & *hoc* ex illis cæteris, quæ dicit, vnum eſſet. Eodem modo ac ſenſu capienda ſunt, quæ Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus *baptiſmatis ſacramenta myſteria*, & alibi *baptiſmatis ſacramenta* in opere contra Scotum Erigenam memorat. Poſtremò Patres illos Epiſcopalem vnctionem pro baptiſmi cærimonia habuiſſe

T. 10. Bibl. Patr p. 41. b.

De Ord. bapt. c. 17.

c. 4. p. 161. & c. 16. p. 451.

ex eo quoque intelligitur, quod nunc eſt quarto loco obſeruandum, nempe eos, æque ac Bedam ſupra, hanc ab epiſcopo factam chriſmationem eandem cum presbyterali cenſuiſſe. Cum enim presbyteralem ipſi etiam aduerſarij baptiſmi cærimoniam & eſſe & ſemper fuiſſe confiteantur; epiſcopalem qui cum presbyterali eandem putarunt Patres, alio loco, numero, atque ordine habere non potuerunt.

CAPVT XIV.

Quartum noni ſæculi ab hodierno Latinorum inſtituto diſcrimen; quod illius memoria Patres vnctionem epiſcopalem eandem eſſe putarunt cum presbyterali. Quomodo accipienda ſint, quæ de vi huius ritus dicunt.

IV. ILLos autem Patres miniſtratam ab epiſcopo chriſmationem eandem cum presbyterali cenſuiſſe multifariam demonſtratur. Ac primò quidem inde, quod hac, id eſt presbyterali *confirmatos* quoque fuiſſe baptizatos cum Patribus Barcinonenſibus ſtatuebant, eamq; qui ſuſcepiſſet *confirmationem* accepiſſe credebant. Res clara eſt ex Valafrido Strabone; *Sylueſter* (inquit) *inſtituit, vt presbyter baptizatum chriſmate liniat propter occaſionem tranſitus mortis. Quod ſi à diacono, vel quolibet alio homine baptizatus caſu ante* CONFIRMATIONEM *tráſierit, credendum non eſt perire propter hoc. Ante confirmationem tranſire* non alios dicit, quam qui à diacono, vel *quolibet alio homine* (id eſt laïco), Baptizati mortui fuerint ab Epiſcopo non conſignati. Inter iſtos non cenſet eos, qui à presbytero baptizati, adeoque & vncti erant. Ergò hos quidem *ſine confirmatione tranſiiſſe* non putauit; quod falſum eſſet niſi & presbyteralis vnctio confirmatio fuiſſet. Hanc igitur, *confirmationem* ipſam quoq; fuiſſe cum Barcinonenſi Synodo ſentiebat Valafridus; eandemque adeo cum epiſcopali chriſmatione, cuius hunc proprium & eſſentialem, ac (vt ſcholæ loquuntur) ſpecificum characterem eſſe Latini volunt, quod *confirmet*, & *confirmatio ſit*. Secundò, Idem ex eo quoque probatur, quod & hic Valafridus, & Amalarius, & Rabanus tradunt (quos & alij poſterioribus temporibus ſecuti ſunt), præceptam, vt illi opinantur, à Sylueſtro presbyteris chriſmationem ideò eſſe, nequis ſine confirmatione moreretur. Rabanus; *Legimus & in geſtis Patrum quod Sylueſter Papa in Eccleſia Romana conſtituerit, vt ſicut poteſtas & priuilegium apud ſolum epiſcopum conſtat, quod ſacrum chriſma ipſe*

De reb. Eccl. c. 26.

De inſt. cler. l. 1. c. 28.

ma ipſe conficiat, & baptizatum per manus impoſitionem cum ipſo chriſmate conſignet propter hæreticam ſuaſionem, ita presbyter eodem chriſmate liniat baptizatum leuatum ex aqua propter occaſionem tranſitus mortis, quia ſcriptum eſt in Apoſtolo; Vos autem fratres, in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, &c. *Ac deinde profectò patet, quia quicumque non eſt Chriſti, regni ſui particeps fieri nequit. Ideoque neceſſarium eſt, vt ſtatim ſuccurratur baptizato, cum chriſmatis vnctione, vt Spiritus Sancti participationem accipiens alienus à Chriſto non exiſtat.* Hæc ille; quibus cæteri, vt dixi, ſuccinunt. Epiſcopo id præcipui concedit, vt chriſma & conficiat, & *per manum impoſitionem* (id eſt non, vt preſbyter, ſine ea) tradat, cæterum chriſmationem vtriuſque eandem, eademque vi præditam docet. Nam & baptizato ſuccurri ait preſbyterali vnctione, non autem ſuccurritur niſi eadem ſit eius, quæ epiſcopalis, vis & ratio. Sed & diſerte ait per eam *Spiritus participationem*, & *Chriſtum* haberi; quo neſcio quid epiſcopali vnctioni maius poſſit tribui. Tertiò, Idem multo etiam clarius apparet ex ipſa Patrum illorum praxi, & ritualibus Eccleſiæ illius ſæculi libris. Nam ipſum primò chriſma vnum, idemque & vna eademque benedictione conſecratum eſt, quo tam preſbyteri quam epiſcopi chriſmant (quod & Latini etiam nunc, tametſi illi quidem mutato dogmate perperam & abſurde, retinent.) Atqui ſi diuerſæ eſſent vnctiones, diuerſam quoque ipſam eſſe materiam, ſaltem diuerſa benedictione conſecrari decebat; vt ex aliorum ſacramentorum ſiue rituum exemplo patet. Deinde ipſæ orationes, quibus chriſma conficientes in Ordine Romano vtuntur id ipſum docent. Deum enim precantur, *vt QVICVMQVE exterius perunctus fuerit, ita interius liniatur.* Item, *vt chriſma fiat OMNIBVS perunctis propitiatio, & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum*; denique *vt fiat OMNIBVS qui ex eo vngendi ſunt, in adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum.* Iam *ex chriſmate vngi & perungi* etiã eos qui à preſbytero in baptiſmate chriſmantur, nemo dubitat. Ergo & eos ipſos quoque *interius liniri, propitiationem, & cuſtodiam ſalutarem in æternum, & adoptionem* poſtremo *filiorum per Spiritum Sanctum conſequi*, & volebant illi Patres, & intelligebant, & ita fieri credebant; ſi nullus quidem oppoſitus eſſet à ſuſcipientibus obex. Cum ergo his contineatur ſummum epiſcopali chriſmatione deſignatum effectum, neceſſe eſt preſbyteralem, cui id ipſum tribuebant illi Patres, cum epiſcopali ex eorum iudicio atque ſententia eandem fuiſſe. Neque vero eſt, quod obiicias epiſcopalem vnctionem certam quandam formam habuiſſe, non habuiſſe preſbyteralem. Suam tam huic, quam illi fuiſſe patet: & quidem ſi non verborum, ſed rerum habeatur ratio, eandem Epiſcopus conſignans aiebat, *Confirmo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.* Preſbyter vero quid? *Deus omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenera-*

generauit ex aqua & Spiritu Sancto, quique tibi dedit remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te linit chriſmate ſalutis in Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam æternam. Hæc illis, adeoq; non ſunt deteriora, vt etiam maiora & auguſtiora videantur, niſi forte quis putet maius eſſe ab homine, quam *à Deo Chriſti Patre lini*, vel minus eſſe lini *chriſmate ſalutis in Chriſto in vitam æternam*, quam *confirmari in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti.* Res vt apparet, vtrobique eadem; verba in preſbyterali formula aliquanto magnificentiora. Si vero actus ipſius formam reſpicias, eadem in vtraque chriſmatione fuit. Vterque enim baptizatum conſignabat; hoc eſt cruce ex chriſmate facta ſignabat. Id vnum intererat, quod preſbyter verticem; epiſcopus frontem chriſmabat. Sed in re nullum hoc, ſi bene putes, diſcrimen fuit. Nam frontis, quod diximus, vnctio ad ſacerdotium; verticis, ad regnum pertinebat. Iam regni ſi non maior & honoratior, certe non minor eſt, quam ſacerdotij dignitas. Quinimo hoc quidem in negotio, vtraque eadem eſt; & vna cum altera indiuulſo nexu in Chriſto cohæret, in quo (vt omnes fatentur) nemo myſtice rex, qui non & ſacerdos, nemo ſacerdos, qui non & rex quoque ſit. Nihil ergo in tota epiſcopalis vnctionis ſiue materia, ſiue forma apud veteres illos erat, quo aliam ab ipſa fuiſſe preſbyteralem coniicias; nihil quod non arguat eandem fuiſſe. Fateor Amalarium quærere, an ſine epiſcopali manus impoſitione poſſit neophytus regnum cœlorum poſſidere. Sed præterquam quod ea de re neque Valafridus, neque Eliberitani, quos laudat, Patres, neque alij olim, neque vlli nunc Theologi dubitant; clarum eſt ipſum Amalarium, ſiquid ei, qui epiſcopali confirmatione caret, periculi eſſe putauit, id omne ipſius hominis negligentiæ, non rei, qua caret, neceſſitati imputare. *De illis, qui per* NEGLIGENTIAM (inquit) *amittunt epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, penſandum eſt, &c.* Cæterum non diſſimulat rem ipſam, ſi abſit negligentia, ſatis eſſe. *Etiam verba S. Sylueſtri* (inquit) *qui ob remedium difficultatis epiſcopum conſequendi ante exitum animæ, iuſſit vt liniretur neophytus à preſbytero chriſmate ſalutis in vitam æternam, ſic ſonant quaſi poſſit recipi in regno cælorum ſine impoſitione manus epiſcopalis.* Poſtremo preſbyteri vnctionem eandem cum epiſcopali Patres illos cenſuiſſe ex iis diſcimus, quæ de vtriuſque officio & vſu tradunt. De preſbyterali ſic docent, *Baptizatorum capita chriſmate liniuntur* (inquit Theodulfus) *vt in regno & ſacerdotio Eccleſiæ delibuti, & Chriſtiani nominis prærogatiuam accipiant, & eius membra, qui eos redemit, & eorum caput eſt, effici valeant.* Rabanus; *Baptizatus ſignatur in cerebro à presbytero cum ſacro chriſmate, ſequente ſimul & oratione, vt regni Chriſti particeps fiat, & à Chriſto Chriſtianus poſſit vocari.* Pſeudo-Alcuinus; *Tunc ſacro chriſmate caput perungitur, & myſtico tegitur velamine, vt intelligat ſe diadema regni, & ſacerdotij*

L. 1. de offic. Eccl. c. 27.

De ord bapt. c. 15. extr.

De inſt. cler. l. 1. c. 28.

l. de offic. diu. c. de Sabb. S. Paſch.

cerdotij dignitatem portare, iuxta Apoſtolum; Vos *eſtis genus electum, regale ſacerdotium*. Atqui vetuſtiores omnes Patres Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus, Auguſtinus, & cæteri hunc quoque ſuæ chriſmationis (quam aduerſarij epiſcopalem fuiſſe volunt) vſum ac finem fuiſſe docent. Ergo hos quoque neceſſe eſt fateri paria de epiſcopali vnctione ſenſiſſe; niſi eos à maiorum doctrina hac in parte defeciſſe (quod nemo dixit) exiſtimemus. Fateor eos Spiritus Sancti gratiam, & quidem ſeptiformem, epiſcopali confirmationi plurimum tribuere ſolere; vt ex ſuperioribus eorum teſtimoniis patet. Sed hæc verborum, non rerum diuerſitas eſt. Nam Chriſti membrum, vnctumque & myſticum in eo ſacerdotem ac regem fieri (quod à presbytero chriſmatis tribuitur) id inquam nihil aliud eſt, quam illam Spiritus gratiam accipere (quæ ab epiſcopo chriſmatis datur.) Id vnum inter iſta diſcrimen eſt, quod illud proprium atque (vt loquuntur) *adæquatum effectum*; hoc proximam & continentem cauſam *formaliter* (quod dici in ſcholis ſolet) ſignificat. Res vero ipſa ſic vna eſt, vt nemo, niſi qui illam Spiritus gratiam accipiat, ſacerdotij regnique in Chriſto myſtici particeps fiat, neque illam quiſquam ſuſcipiat, quin hanc eò ipſo dignitatem in Chriſto conſequatur. Itaque ſi (quod illi Patres ſtatuunt) per chriſmationem presbyteralem regnum & ſacerdotium Chriſti fiunt neophyti, neceſſe eſt per eandem Spiritum quoque Sanctum dari, ſine quo ſcilicet nemo illius dignitatis compos eſt. Et viciſſim ſi ſtat, quod iidem dicunt, Spiritus Sancti gratiam per confirmationem epiſcopalem dari, itidem quoque neceſſe eſt per eam ſacerdotium & regnum myſticum conferri; quo ſcilicet carere non poteſt qui illam diuini Spiritus gratiam habet. Itaque ex his liquet, verbis licet diuerſis, gratiam tamen revera eandem à Patribus ſignificari. Sed & ipſi paſſim Spiritum Sanctum dari etiam per presbyteralem vnctionem docent; vt Rabanus, qui ad eam refert *Spiritus Sancti ſuper neophytum deſcenſionem ad habitationem Deo conſecrandam*, & mox hominem bis eodem chriſmate *ad accipiendum Spiritum Sanctum* vngi dicit. Item alibi; *ſtatim ſuccurri baptizato cum chriſmatis vnctione, vt Spiritus Sancti participationem accipiens alienus à Chriſto non exiſtat*. Ibidem paulò ante id docuerat; *Bene quidem baptiſmo continuatur chriſmatis vnctio, quia Spiritus Sanctus qui per illud chriſma ſuæ virtutis admixtione ſanctificat credentes, baptizato Ieſu ſtatim ſuper illum deſcendit in columba ſpecie; cuius videlicet typum præferebat columba illa, quæ in diluuio ad arcam reportauit ramum olivæ virentibus foliis; ſignificans vtique quod Spiritus Sanctus per chriſmatis vnctionem in baptiſmate virorum confert fidelibus cœleſtis gratiæ*. Ex his ergo concluſam eſto eandem iſtis noni ſæculi Theologis cum epiſcopali vnctione fuiſſe presbyterorum chriſmationem. Vnum eſt, quod obiici poſſit, ita loquutos eſſe iſtos de huius vnctionis gratia & efficacia, vt eam videan-

De inſt. cler. l. 1. c. 30.

id. ibid. c. 28. c

Ibid a. b.

videantur pro vero ſacramento habuiſſe. Sed primò hæc obiectio, ſi quid efficeret, ipſam quoque preſbyteralem vnctionem vere ſacramentum eſſe concluderet; de qua, vt patet, non minus magnifice, quam de epiſcopali, locuti eſſe deprehenduntur. Aduerſarios ergo, qui verticis vnctionem cærimoniam ſemper fuiſſe volunt, fateri nobiſcum neceſſe eſt nullam eſſe huius obiectionis vim. Itaque quod ex Græcorum Euchologio, & aliis paria obiectantibus ſupra reſpondimus, id ipſum nunc quoque reſpondemus; iſta de huius ritus vi, atque efficacia Patrum dicta ſymbolice eſſe accipienda, atque ad id referenda, quod ſiue chriſmatio, ſiue manus impoſitio, non quidem ipſæ vi ſua efficiunt, ſed effici tamen in nobis Chriſti manu, & inſtituto ab eo baptiſmi ſacramento ſignificant. Quò nos ipſi interdum Patres ducunt. Pſeudo-Alcuinus paulò ante allatus; *Tunc ſacro chriſmate caput perungitur, & myſtico tegitur velamine, vt* INTELLIGAT *ſe diadema regni, & ſacerdotij dignitatem portare.* Rabanus de vtraque vnctione in locis ſupra indicatis; *Signatur* (inquit) *baptizatus cum chriſmate per ſacerdotem in capitis ſummitate; per Pontificem verò in fronte; vt priori vnctione* SIGNIFICETVR *Spiritus Sancti ſuper ipſum deſcenſio ad habitationem Deo conſecrandam; in ſecundâ quoque, vt eiuſdem Spiritus Sancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiæ & virtutis venire in hominem* DECLARETVR. Dicit his ritibus *ſignificari & declarari* accepta à neophytis Spiritus dona. Conſimili verbo in eadem re vſus eſt auctor ſermonis tertij *de baptiſmi ritibus* à Sirmondo cum quadraginta Auguſtinianis in appendice publicatus; vbi de chriſmate loquens; *per quod* (inquit) *oſtenditur baptizatis regalem, & ſacerdotalem conferri à Domino dignitatem.* Eodem ſenſu accipienda ſunt Rathramni Corbeienſis verba, qui nono & ipſe ſæculo vixit, *Conſtat Spiritus Sancti gratiam per vnctionem frontis ex chriſmate ab epiſcopo donari.* Dixit *donari*, pro *donatam* in baptiſmo, cuius ille ritus appendix & cærimonia eſt, intelligi, ſignificari, vel oſtendi. Id docet ſequens eiuſdem locus; *Eccleſiaſtici viri* (inquit) *ſtatuerunt, vt frontes baptizatorum non à presbyteris, ſed ab Epiſcopis chriſmate Sancto linirentur, vt per eos Spiritus Sancti gratia conferretur.* Dicit ab Eccleſiaſticis viris id fuiſſe ſtatutum; Non ergo ab ipſo Domino eſt. Atqui non ab alio, quam ab ipſo Domino inſtituti ritus eam vim habent, vt Spiritum Sanctum conferant. Quod ergo huic ab Eccleſia conſtituto ritui id tribuit, vt Spiritus gratiam conferat, id omnino ita intelligendum eſt, vt gratiam eo non tam dari, quam datam ſignificari velit.

de Offic. diu. c. de Sabb. S.

l. 1 de inſtit. cler. c. 30.

l. 4. adu. oppoſit. Græc.

Ibid.

Sunt & alia nonnulla eorumdem temporum; ſed quæ ad hanc illuſtrandam controuerſiam non multum conferre poſſunt. Qualis eſt illa Caroli Magni lex in admonitione ad preſbyteros anno Domini 804. *Vt nullus presbyter, nec Diaconus, nec clericus chriſma alicui dare preſu-*

Tom. 2. Conc. Gall. p. 258.

præſumat pro aliqua neceſſitate. Quod ſi hoc fecerit, degradetur. Caroli legem firmat & illuſtrat Arelatenſis anno Domini 813. editus canon; *Vt presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ, vel cuiuſlibet rei dare præſumant. Genus enim ſacramenti eſt, & non ab alijs, quàm à ſacerdotibus contingi debet. Quod ſi fecerint honore priuentur.* Magis ad rem pertinet canon Pariſienſium Patrum anno Domini 829. qui præfati Epiſcopos Apoſtolorum, chorepiſcopos ſeptuaginta diſcipulorum locum tenere; *Cùm hæc ita ſe habeant* (inquiunt) *emerſit quidam reprehenſibilis, & valde iam inolitus vſus: eò quod quidam chorepiſcopi vltrà modum ſuum progredientes, & donum Sancti Spiritûs per manuum impoſitionem tradant, & alia quoque, quæ ſolis Pontificibus debentur, contrà fas peragant; præſertim cùm nullus ex ſeptuaginta diſcipulis, quorum ſpeciem in Eccleſia gerunt, legatur donum Sancti Spiritus per manus impoſitionem tradidiſſe.* Tum loca ex Actor. 19. & 8. de Apoſtolicâ manus impoſitione recitant, vt probent epiſcopalis officij eſſe manus imponere. Quæ argumentatio quàm ſit futilis ſupra ad Innocentium ea ad eandem rem vtentem demonſtrauimus. Sed ex hoc Pariſienſi canone notandum eſt etiam anno Domini 829. chorepiſcopos in Gallia *manus impoſuiſſe*: multoque adeo magis frontem ſignaſſe (hoc enim multo, quam illud ſerius, presbyteris ereptum eſſe patet ex ſuperioribus) eumque *vſum valde tum inolitum apud nos fuiſſe.* Nimirum chorepiſcopi, qui inter presbyteros ſingulari quodam iure ac loco erant, & velut minores quidam, ac ruſticani epiſcopi, ægrius quam reliqui presbyteri, in quorum ordinem iampridem erant redacti, dimittebant illum confirmationis ex manus impoſitione, & frontis chriſmatione conſtantem ritum. Hos coërceri neceſſe fuit auctoritate Synodali; quo ſpectat hic canon.

Conc. Arel. 6. c. 18. ibid. p. 271.

Conc. Parſ. 6. c. 27. Ibid. p. 502.

Capvt XV.

Expenduntur, & ad noni ſeculi vſum referuntur loca epiſtolarum, quæ Ioanni III. Damaſo, Euſebio, Melchiadi, Clementi, Vrbano, & Fabiano, priſcis vrbis epiſcopis, à nequiſſimo impoſtore circa noni ſeculi initia affictæ ſunt.

Ad hæc tempora pertinent vetuſtiſſimis Romæ epiſcopis affictæ epiſtolæ, quæ in Iſidori Mercatoris collectione extant, neque alibi vſquam ante eam reperiuntur; tametſi ij, quorum nomina præſcripta habent, viri multis ante Mercatorem ſeculis vixerint. Nam

nulla

nulla iſtarum epiſtolarum in omni Christiana antiquitate mentio ante annum Domini 830. inuenitur; Qui poſt id tempus vixerunt Eccleſiaſtici ſcriptores paulatim eos memorauerunt; donec collecta tandem auctoritate innoteſcere, ac vltimo pro veris & genuinis haberi in poſtremorū ſæculorum fæce cœperunt; vt eſt fuſe ab eruditiſſimo Blondello noſtro in propriò eâ de re opere demonſtratum. Hinc accedit, quod ex hac ipsâ Pariſienſi Synodô conficta, atque conſarcinata Ioannis III. nomine vna ex illis epiſtolis, arguit opus poſt annum Domini 829. quô habita eſt Synodus, confectum fuiſſe. Sed & ad huius noni ſæculi mores, rituſque, ac dogmata ea ferè omnia congruunt, quæ in epiſtolis illis habentur; paucis exceptis, quæ impoſtor vel de induſtriâ vt perſonis, quas aſſumpſit, ſeruiret, vel expreſſâ ſiue ignorantiâ; ſiue peruerſitate, operi identidem aſperſit. In hunc ergo locum, his rationibus adducti, coniiciendà exiſtimauimus quæcumque in illis Epiſtolis ad noſtram hanc diſputationem pertinent. Tametſi enim diuerſiſſimorum hominum nomina mentiantur, ſunt tamen omnia vnius, eiuſdemque auctoris; ſceleratiſſimi neſcio cuius impoſtoris, qui nequior, an ſtultior fuerit, in incertô habeo. Eadem vbique & ſenſuum ineptia, & ſermonis ſpurcities, eadem vox, geſtus, atque habitus, idem eundem ſub diuerſis perſonis latere artificem produnt.

De epiſt. pontif. Pont. Proleg. c. 5. 6. 11. 17.

Is itaque, vt hinc incipiam, cùm ſuis temporibus videret Chorepiſcopis interdictam confirmationis adminiſtrationem vnà cum cæteris, quæ Epiſcoporum propria cenſebantur, dignam rem exiſtimauit, quam effictis vetuſtiorum vrbis Epiſcoporum decretis & quidem pluribus firmaret, treſque in ſuam ſcenam induxit perſonatos Pontifices, qui miſeros chorepiſcopos indignis modis exagitarent, Damaſum, Leonem, & Ioannem III. Sed huic Ioanni furax cornicula Pariſienſis, vt dixi, Synodi (annis poſt Ioannem 256. habitæ) verba impudentiſſimè, atque ineptiſſimè commodauit. Sic enim Ioannem loqui facit; *Perlatum eſt ad ſedem Apoſtolicam emerſiſſe, &c. reprehenſibilem, atque oppidò inolitum vſum, eò quod quidam Chorepiſcopi, &c. vltrà modum ſuum progredientes, donum Sancti Spiritus per impoſitionem manuum tradant; & alia quæ ſolum Pontificibus debentur, contrà ſas peragant:* & cætera plane eadem, quæ in Pariſienſi canone; niſi quod Actuum Apoſtolicorum deſcripta à Synodo loca, hic noſter citare & indicare ſatis habuit. Tum iſta ex eadem Synodo continenter ſubiicit: *In Concilio verò Cæſarienſi ita de Chorepiſcopis habetur ſcriptum; Chorepiſcopi quoque ad exemplum & formam ſeptuaginta videntur eſſe; vt comminiſtri autem propter ſtudium quod ergà pauperes exhibent honorantur.* Is autem canon eſt non, (vt & Synodus Pariſienſis & ex ea impoſtor habent) *Cæſarienſis*, ſed *Neocæſarienſis* Concilij decimuſtertius. Reliqua impoſtoris deſcribere nihil neceſſe eſt; in quibus futilem illum Patrum

Ioan. 3. p. epiſt. vnica.

Pariſienſium ratiocinationem ineptiſſimè euoluit, vel vt veriùs dicam, conuoluit; quâ ſolius Epiſcopi eſſe manus neophytis imponere ex eô perperam concluditur, quod Apoſtoli Samaritanis à Philippô baptizatis manus impoſuiſſe in Actis leguntur.

Eadem agit ex pari furfure ab eodem agyrtâ effictus Pſeudo-Leo. Nam vt Pſeudo-Ioannis ex Pariſienſi Synodo, ita & Pſeudo-Leonis decrètum ex Hiſpalenſi ſecundo Concilio craſſus impoſtor conſarcinauit annis poſt veri Leonis mortem 159. habito. *A multis* (inquit) *lacrymabili vultu relatum eſt nobis, quod quidam Germaniarum, ac Galliarum vrbium epiſcopi frequenter chorepiſcopos, (qui iuxta canones Neòcæſarienſes, ſiue ſecundum aliorum decreta Patrum ijdem ſunt, qui & presbyteri) vel presbyteros declinarent, qui abſente Pontifice altaria erigerent, baſilicaſque conſecrarent. Quod quidem non eſt mirum id præcepiſſe viros Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignaros, quod eſt canonica regula contrarium, & ſtatim à ſæculari militiâ in ſacerdotale miniſterium delegatos, atque promotos. Ergo ne vltrà talis à vobis licentia vſurpetur; communi ſententiâ ſtatuendum oportuit; ſcientes, quia ſicut chorepiſcopo, vel presbytero illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio*; & cætera, eadem cum iis, quæ ſuprà locô ſuo ex Hiſpalenſi Synodô exhibuimus; ſi pauca quædam leuiter ab impoſtore interpolata exceperis: quale eſt, quod cum Patres Hiſpalenſes presbyteros ſolos nominent, iſte *chorepiſcopos* ſemper addit; & ſuam illam de ſeptuaginta diſcipulis rationem inſulcit de quibus nullum eſt apud Synodum Hiſpalenſem verbum. Denique cum Synodus dixiſſet ſimpliciter *quædam Epiſcoporum miniſteria nouellis & Eccleſiaſticis regulis presbyteris fuiſſe prohibita*; male feriatus ſimius de ſuô hoc inſuper adiecit, *quædam & authoritate veteris legis* eſſe prohibita. Hæc ergo ille cum cæteris quoque ex ea Synodo poſuit, *presbyteris non licere per impoſitionem manus fidelibus baptizandis*, * *vel conuerſis ex hæreſi Paraclitum Spiritum Sanctum tradere, vel chriſma cōficere, vel chriſmate baptizatorum frontes ſignare.* De his ſatis ad ipſam, vnde ea deſumpta ſunt, Synodum diximus; nihil vt neceſſe ſit diutius in iis immorari.

Leo ep. 88. ad vniu. Germ. Epiſc.

*Baptizatis Hiſp. Syn. 2.

Sed & apud hunc impoſtorem eadem quæ Pſeudo-Ioannes loquitur etiam in verboſiſſimâ de Chorepiſcopis epiſtola Pſeudo-Damaſus; *Quod autem* (inquit) *ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus proprij ſit officij tradere Spiritum Sanctum, liber Actuum Apoſtolorum docet; præſertim cum nullus ex ſeptuaginta diſcipulis, quorum iſti* (chorepiſcopi) *in Eccleſiâ ſpeciem gerunt, legatur donum Sancti Spiritus per manus impoſitionem tradidiſſe.* Hæc totidem verbis in Pariſienſi ſextâ Synodo cap. 27. habentur; verborum tantùm ordinem mutauit impoſtor. Tum iſta ſequuntur; *Hæc ergò quia omni caret ratione nullus deinceps vſurpet, aut conſentiat ſacerdotum, qui noluerit à noſtrô ſacerdotali collegiô ſeparari.*

ep. Dam. 5.

apud Blond. p. 536.

Denique

Denique impoſtori adeò cordi hæc res fuit, vt eandem hiſce quoque verbis à ſuo pſeudo-Euſebio affirmari voluerit; *Manus impoſitionis ſacramentum* (inquit) *magnâ veneratione tenendum eſt; quod ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis ſacerdotibus. Nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis Apoſtolis legitur, aut ſcitur peractum eſſe; nec ab aliis, ſicut iam dictum eſt, quàm ab illis, qui eorum locum tenent, vnquàm perfici poteſt, aut fieri debet. Nam ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum; nec inter Eccleſiaſtica vnquàm reputabitur ſacramenta.* Hæc inequiſſimi de nonô ſeculô impoſtoris Pontifices laruati de *manus impoſitione* decernunt; quæ fateor, eô quô ipſe viuebat tempore in Eccleſiâ Occidentali valuiſſe; vt ex veris illius memoriæ ſcriptoribus patuit, qui omnes huius ritus & chriſmationis cum eâ coniunctæ adminiſtrationem ſolis Epiſcopis ex Romanô more vindicant; eundem fuiſſe ſuperiorum temporum (hoc eſt ſeculi quarti ineuntis, quô vixit Euſebius) vſum nego. Nam ſuprà ex Eliberitanis canonibus demonſtratum eſt, anno Domini 305. etiam presbyteros manus neophytis impoſuiſſe, & eundem morem tertiô quoque ſeculo viguiſſe ex Cypriano probabile eſt; vt oſtendimus. Quod verò garrit de temporibus Apoſtolorum, id quam nullam vim habeat, ſatis ex ſuperioribus patet. Denique quod miniſtratam à presbyteris confirmationem irritam eſſe pronunciat, id neque Toletanis neque Arauſicanis Patribus, neque ipſi Gregorio vrbico Epiſcopo placuiſſe liquet; qui chriſmationem, confirmationis partem à presbyteris factitari conceſſerunt. Itaque apparet iſtum ſui ſeculi leges ſuperiorum temporum Epiſcopis temerè, ac ſtultè, vel fortaſſe etiam improbè ac dolô malô affinxiſſe. Denique ex vltimô huius ſcriptoris teſtimonio probationem eam habes, quam requirit à Sirmondô Aurelius. Cùm enim ille * ſcripſiſſet *manus impoſitionem ſacramentum impoſitionis manuum* dici, reſpondit Aurelius † *id probatum, non dictum oportuiſſe; Sacramenti enim nomen chriſmati paſſim dare Patres Latinos; manus impoſitioni, quod ipſe meminiſſet, nunquam.* Mirum eſt tantum antiquarium non fuiſſe huius ſcriptoris recordatum, quem à ſuis in deliciis haberi, & inter vetuſtiſſimos orbis Chriſtiani Papas locari; & quidem ab ipsô Bellarminô inter eos Pontifices Romanos, quorum in hac cauſâ teſtimonia adduxit, quintô locô appellatum non neſcit. Ego quidem eos confiteor grauiſſimè errare; ſed illud tamen expendo, quod negari non poteſt, [illegible] quiſquis [illegible] ſit, ante nonum ſeculum [illegible] vixiſſe, [illegible] in rebus Eccleſiaſticis locatum eſſe. Cùm itaque iſte [illegible] ſeculi noni homo & in Eccleſiâ Romanâ diu, imò etiam hodie pro Euſebio Pontifice vrbicô habitus ſcriptor diſertè hîc dixerit *manus impoſitionis ſacramentum magnâ veneratione tenendum eſſe*; cumque [illegible] Pontifex Melchiades [illegible] quæſitum à ſe

fuiſſe

Euſeb. epiſt. 3. ad Epiſc. Campan. extrem. Blond. p. 410.

* Sirm. Antirrhet. 2 p. 50.

† P. Aurel. Orthod. c. 6. extr. p. 557.

Bell. l. 2. De Confirm. c. 2. §. Quintus.

fuiſſe teſtetur *vtrum maius eſſet Sacramentum manus impoſitio epiſcoporum, aut baptiſmus*; cùmque ipſe id quærentibus ita reſpondeat, *Scitote* (inquit) *vtrumque magnum eſſe ſacramentum*; & mox, *coniuncta ſunt hæc duo Sacramenta*; non video quî excuſari poſſit Aurelij vel memoria, quæ iſta tam obuia ei non ſuggeſſit, vel temeritas, qui rem notiſſimam, & quæ pro Papali oraculô apud ſuos iampridem habetur, probari velut obſcuram aliquam & incertam opinationem à Sirmondô iuſſerit. Mirum verò eſſet, ſi veteres Latini *ſacramenti* vocabulum, quod, vt alibi obſeruauimus, cuivis in ſacris vſurpato ritui, etiam non admodum vel vtili, vel venerando, tam liberaliter tribuunt, *manus impoſitioni*, quæ tantoperè ab illis commendatur, negarent.

Sed ad noſtrum illum hiſtrionem redeamus; apud quem eandem quoque cum ſuperioribus cantilenam coccyſſat ab eo fictus & inſtructus & ornatus & pſeudo-Melchiades; *De his verô* (inquit) *ſuper quibus rogitaſtis vos informari, id eſt vtrum maius eſſet ſacramentum manus impoſitio Epiſcoporum, aut baptiſmus; ſcitote vtrumque magnum eſſe ſacramentum. Et ſicut vnum à maioribus fit, id eſt à ſummis Pontificibus; quod à minoribus perfici non poteſt; ita maiori veneratione venerandum & tenendum eſt. Sed ita coniuncta ſunt hæc duo ſacramenta, vt ab inuicem, niſi morte præueniente, nullatenus poſſint ſegregari, & vnum ſine alterô rite perfici non poteſt. Vndè ſcriptum eſt*, In diebus illis (dicit Dominus) effundã de Spiritu meô ſuper omnem carnem. *Aduertamus ſummas diuitias bonitatis Dei, Quod in cõfirmandis neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritus S. deſcenſio in credentium populos donauit vniuerſis*; & cætera, quæ nihil neceſſe eſt deſcribere, quod exceptis aliquot paucolis ab impoſtore interpolatis voculis, omnia planè eadem ſint cum iis quæ ſupra ex Eucheriô, ſiue Hilario Arelatenſi recitauimus. Hic enim perpetuus eſt iſtius impoſtoris mos, vt ſua ex malè conſutis Patrum vetuſtiorum centonibus contexat, ac conficiat. Ita nuper Pariſienſem & Hiſpalenſem Synodos; nunc Eucherium compilat. Sed in nullô fere, quàm in hoc, fuit impudentior; cuius non vnum, aut alterum verſiculum, ſed pagellas totas furatus eſt. Sed de Eucherianis quidem abundè ſupra diximus. Nunc quæ ſunt in hoc loco impoſtoris propria videamus. Ilud quidem quod ponit *manus impoſitionem à ſummis Pontificibus* (id eſt ab Epiſcopis) *fieri; à minoribus* (id eſt à presbyteris) *perfici non poſſe*; quod item ſtatuit, *baptiſmum & manus impoſitionem coniuncta eſſe, nec niſi morte præueniente ab inuicem ſegregari poſſe*; illa, inquam, cum cæteris ſui, id eſt noni ſæculi hominibus communia habet; qui (vt ſupra docuimus) & manus impoſitionem vna cum chriſmatione adnexa ſolis epiſcopis concedebant, & eam vnius eiuſdemque cum lotione, ſiue tinctione myſterij partem eſſe cenſebant, nomenque regenerationis Chriſtianæ, ſiue baptiſmi latius pro toto illo ſacramento

accepti

accepti. Fuit & hoc huius cum aliis commune, quod *vnum ex his duobus ſine altero rite perfici* negat. Nam & manus impoſitionem ſine baptiſmo, ſiue tinctione præcedente nullū habuiſſe locum conſtat, & baptiſmū ipſum, niſi ad eū manus impoſitio accederet, quod ritu ad eius ornamentum, ac confirmationem inſtituto careret pro *perfecto*, (id eſt rite, & ex Eccleſiæ more facto) ac, vt Ordo Romanus loquitur, *legitimo*, ſuiſque omnibus numeris plane abſoluto non habebant. Quod benigne ita accipiendū eſt, vt de perfectione nō eſſentiali, abſoluteque neceſſaria, ſed rituali, & Eccleſiaſtica, deq; integritate nō rei, ſed rituū, nō naturæ, ſed (vt ſic dicam) ſolennitatis ſacramenti intelligatur. Nam & Eliberitani Patres (quorūm hæc quoque doctrina eſt) & Valafridus Strabo, & cæteri etiam poſteriorum temporum, quod eos, qui accepto baptiſmo ante confirmationem moriuntur, iuſtos eſſe & regni cœleſtis conſortes docent, eo inquam ipſo confitentur nihil eorum baptiſmo defuiſſe, quod ad ſalutem, adeoque ad eſſentialem, & proprie dictam ſacramenti integritatem eſſet neceſſarium; idemque ſe, cum iis ſentire apertiſſime teſtatur noſter hic impoſtor, dum ait *vnum horum ſacramentorum* (baptiſmum autem intelligit) *præueniente morte ſaluare ſine altero poſſe.* Atque huc etiam illud ſpectat, quod paulò poſt Eucherianis verbis de ſuo inſulcit, quod *manus impoſitio & confirmatio ad baptiſmi perfectionem pertinet.* Perfectionem dicit non eſſentialem, ſed ritualem. Nimirum cum manus impoſitio vnus eſſet, & quidem nouiſſimus, eorum rituum, quibus Eccleſiaſtica, ſolenniſque baptiſmi miniſtratio explicabatur, atque peragebatur; videbatur ille ritus ad perfectionem baptiſmi pertinere, eoque adeo cum cæteris iam adminiſtratis addebatur, baptiſmus *perfici*, & omnibus ſuis Eccleſiaſticis numeris abſolui. Simili ſenſu hoc eodem ritu *baptiſmum confirmari* dicebant. Sed de his iam ſupra. Hæc ergo quæ hactenùs obſeruauimus poſſunt non incommode accipi, & cæterorum illius ſæculi ſcriptorum cum iſto communia cenſeri. Illa vero eius propria, ac priuata blaſphemia eſt, quod ex his falſo, & inepte colligit manus impoſitionem *maiori veneratione venerandam, ac tenendam eſſe, quam ipſum baptiſmum.* Hoc nullus, quod ſciam, ex omni veterum ſcriptorum choro præter iſtum, dixit, neque ſane dici poteſt ſine inſigni Domini Chriſti contumelia, cuius ſcilicet baptiſmus inſtitutum eſt; cum epiſcopalis & manus impoſitio & chriſmatio virorum Eccleſiaſticorum quidem, ſed tamen hominum inuenta ſint. Aduerſariorum gloſſas, & malagmata nihil moror, quibus hoc abſurdiſſimum, & inuidioſiſſimum ſui pſeudo-Melchiadis dictum mollire fruſtra ſtudent. Multo ſimplicius, ac facilius erat, quod verum ac manifeſtum eſt, fateri hæc non Melchiadis, quem Sanctum fuiſſe epiſcopum perhibent, ſed neſcio cuius de nono ſæculo plani eſſe, quorum nihil Melchiadi commune fuit, annis

iam quingentis apud Dominum quieſcenti antequam iſte maleferiatus morio ſuis quiſquiliis ac centunculis venerandum eius nomen impudenter præfigeret.

Clem. ep. 4. longe vltr. med. Superſunt tria eiuſdem ſcriptoris loca breuiter quoque inſpicienda. Primum in epiſtola quadam Clementi ab iſto affictâ in hæc verba legimus; *Omnibus ergo feſtinandum eſt ſine morâ renaſci Deo, & demùm conſignari ab Epiſcopô, id eſt ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti percipere; quia incertus eſt vnuſquiſque exitus vitæ. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodum ſeptiformi Spiritûs gratiâ ab Epiſcopô, vt memoratum eſt, confirmatus, quià aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſſitate, ſed incuriâ, & voluntate remanſerit, (vt à B. Petrô accepimus, & cæteri ſancti Apoſtoli, præcipiente Dominô docuerunt) & demùm ex operibus bonis oſtendat in ſe ſimilitudinem eius, qui eum genuit Patris.* Hactenus hæc pſeudo-Clemens; in quibus obſeruanda eſt impoſtoris, qui totum hoc drama compoſuit, fraus, ac ſycophantia inſignis. Cùm enim hanc, quam Clementi ſuppoſuit, quartam epiſtolam omnem ex quodam fictitiô Petri ſermone, qui in Recognitionum æquè adulterinô, & apocryphô opere extat, conſarcinarit, hoc locô iis, quæ in Recognitionibus Petro affinguntur verbis, nequiſſimus impoſtor quæcumque ipſe de confirmatione habet de ſuô impudentiſſimè intexuit. Hæc enim Recognitionum verba ſunt; *Omnibus ergo feſtinandum eſt ſinè morâ renaſci Deo; quià incertus eſt vniuſcuiuſque exitus vitæ. Cùm autem regeneratus fueris per aquam, ex operibus bonis oſtende in te ſimilitudinem eius, qui te genuit, Patris.* Ex his vides impoſtorem ſuis illis centunculis *& demum conſignari*, &c. *& poſtmodum*, &c. callidè inſutis & intextis totum illum, qualem exhibuimus, locum confeciſſe. Iſta autem additîtia noni ſæculi ſuprà recenſitis dogmatis apprimè congruunt. Tunc enim maximè ſolennis, atque vſitata fuit illa loquendi formula, quâ confirmationem *ſeptiformis Spiritus gratiæ perceptionem* vocabant, vt ex Rabanô, Theodulfô & aliis ſuprà memoratis ſcriptoribus patet. Ea autem, vt videtur, ex Siricio vrbis epiſcopo ſumpta eſt, qui primus ex priori omni antiquitate, & fortaſſe etiam vnus, eâ phraſi vſus in hoc negotiô reperitur, dum ſe ait Arianos hæreticos *per innouationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione, Catholicorum conuentui ſociare.* Quod verò ait Pſeudo-Clemens ſinè confirmatione *perfectum eſſe Chriſtianum nequaquàm poſſe* eum, qui baptizatus eſt, *nec ſedem habere inter perfectos*, id inquam de Eccleſiaſticâ & rituali, non de eſſentiali *perfectione*, intelligendum eſt, vt modò diximus, quod *perfecti*, ſine *initi*, apud veteres dicerentur, qui Euchariſtiam in Eccleſiâ percipiebant; ad quam vt ex Græcis, & ex ipsô Albaſpineô ſuprà oſtendimus, nemo

Recogn. l. 6. vltr. med. fol. 11. 18.

Ep. 1. ad Himer. c. 1. T. 1. Conc. p. 689.

niſi

niſi confirmatus, admittebatur. Ergo & hoc quoque noni ſæculi moribus congruit.

Eadem quoque ratione intelligenda ſunt, quæ idem impoſtor fictitij ſui Vrbani ore & nomine eâ de re alibi loquitur: *Omnes fideles* (inquit) *per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt baptiſma* (id eſt poſt tinctionem) *accipere debent, vt plenè Chriſtiani inueniantur* (quia cùm Euchariſtiæ perceptio vltimum ſit Chriſtianitatis ſymbolum, non cenſebantur *plenè Chriſtiani*, qui eâ carebant; carebant autem illis temporibus, qui nondum erant confirmati.) Cætera quæ ſubiungit, *Quia cùm Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam dilatatur*, & quæ ſequuntur ad finem, ea Eucherij ſiue Hilarij ſunt, & quidem vt hic Vrbano, alibi Pſeudo-Melchiadi, ab impoſtore accommodata, atque affictа. Tanti ſcilicet ea putauit, vt non modò apud auctorem legi, ſed etiam à duobus iampridem ante natum auctorem mortuis Pontificibus pronunciari, ac commendari voluerit. Epiſt. vnica. Blond. p. 170.

Hunc tantum, tamque impudentem ſycophantiarum, & impoſturarum artificem non eſt mirandum immanem illam de chriſmate fabulam confinxiſſe, quam ſui Pſeudo-Fabiani calamô deſcriptam ſpargere apud Chriſtianos ſtuduit. Fingit primò fuiſſe apud Orientales quoſdam *veſanæ mentis* homines, *qui non per ſingulos annos in Cœnâ Domini chriſma conficerent, ſed duos aut tres annos confectionem ſancti chriſmatis ſemel actam conſeruarent*, cauſſantes *non poſſe balſamum per ſingulos annos reperiri*. Tum nequiſſimus hiſtrio laruatum ſuum Fabianum facit iſtorum errorem ita coarguere; *In illâ die* (inquit) *Dominus Ieſus poſtquàm cœnauit cum diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes (ſicut à Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) chriſma conficere docuit. Ipſa enim lauatio pedum noſtrum ſignificat baptiſmum, quandò Sancti chriſmatis vnctione perficitur, atque confirmatur.* Tum decernit *nouum Sacramentum eſſe per ſingulos annos & iam dictô die innouandum, & vetus in ſanctis Eccleſiis cremandum*: mentiens *ſe hæc à ſanctis Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum accepiſſe*; & hæc *non Romanam modò Eccleſiam, ſed & Antiochenam à temporibus Apoſtolorum, & Hieroſolymitanam, & Epheſinam cuſtodire, ac tenere. In quibus* (inquit) *Apoſtoli præſidentes hæc docuerunt, & vetus chriſma incendi, & non ampliùs, quàm vnô annô vti permiſerunt atque deinceps nouô frui, & non veteri iubentes docuerunt.* Fabian. ep. 2. ad Orient. T. 1. Conc. p. 117. Blond. p. 171.

Atque hæc hactenus; in quibus Eccleſiæ illius temporis communia à priuatis huius impoſtoris mendaciis diſtinguenda ſunt. Chriſma, quô in confirmandis neophytis vtebantur, ab Epiſcopis Latinis in Cœnâ Domini confectum fuiſſe, & nonô ſæculo, & ſuperioribus, quin & ipſo quinto vetum eſt, & ex iis, quæ ſupra exhibuimus, Africanæ, & Hiſpanienſis Eccleſiarum monumentis, ſatis manifeſtum. Item quod

Conc. Carth. 4. c. 36. Tolet. 1. c. 20.

De Hier. Eccleſ. c. 4. Part. 3.

a in loc. Ioan. 13.
b Ep. ad Damaſ.
de 1. Cor. 5. 35.
c tract. 56. in Ioann.
d in Ioan. 13.
e l. 1 hiſt. c. 19.
f in loc. Ioan. 13.
g l. 9. ep. 39.
h Ep. 1.
i Serm. Cœn.
k de ep. decr. p. 29. c. 51.

l. de reb. Eccleſ. c. 6.

iſte ponit, *baptiſmum chriſmatis vnctione perfici, atque confirmari*, veteris quoque Eccleſiæ placitū fuit; eô ſenſu intelligendum, quô ſuprà nō ſemel explicauimus; Nimirùm cum chriſmatio nouiſſima eſſet omniū baptiſmi cærimoniarum, eâ ſemel ſusceptâ ritè confectus, planeque peractus habebatur baptiſmus. Ita pſeudo-Dionyſius chriſma ait eſſe *diuinæ generationis* (id eſt baptiſmi) *Sacroſanctam perfectionem*. Vndè (vt alibi obſeruauimus) liquet hanc cærimoniam, non ſacramentum propriè dictum per ſe, ac ſeorſim, ſed ſacramentorum baptiſmalium partem fuiſſe. Cætera, quæ habet Pſeudo-Fabianus propria ipſius, priuataque inuenta ſunt ab omni veteri Eccleſiâ aliena; quæ nemo omnium antiquorum ſcriptorum prodit, vel innuit. Falſum eſt & inauditum, quod ille verbi cauſsâ ſomniat *lotionem pedum noſtrum ſignificare baptiſmum*. Planè alias huius cærimoniæ ſignificationes tradunt Origenes [a], Hieronymus [b], Auguſtinus [c], Theophylactus [d], Nicephorus [e], Beda [f], Gregorius [g], Pacianus [h], Bernardus [i] & alij. Falſum eſt & inauditum, quod iſte audacter mentitur ſanctiſſimos Apoſtolos inſtituiſſe *chriſma quotannis renouandum, & vetus cremandum*. Falſum eſt, neque ab vllô aliô, quàm ab hoc tenebrione auditum, Græcanicas Eccleſias idem olim inſtitutum ſecutas. Imò (quod annotauit eruditiſſ. Blondellus [k], *omni tempore chriſma conficere licere, inter ſtatuta Eccleſiæ Orientalis refert Martinus Bracarenſis*; anno Domini 570. Canonis ipſius apud Martinum hæc verba ſunt; *Omni tempore Epiſcopis liceat chriſma conficere, & per ſuas diœceſes deſtinare; ita vt ad dirigendum chriſma Diaconus, aut ſubdiaconus antè diem Paſchæ de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum deſtinentur*. Propria denique huius vnius eſt fabula, quam nouus Euangeliſtes impudentiâ ſingulari confingit, narrans Dominum *poſt ſacram Cœnam docuiſſe Apoſtolos chriſma conficere*. Quis Euangeliſtarum Eccleſiaſticorum hoc tradidit? Quis Patrum vetuſtiorum litteris mandauit? Atqui Tertullianus, etiam vero Fabiano antiquior, vnctionem Chriſtianam, non à Chriſto Domino, ſed à *veteri* (id eſt Moſaïca) *diſciplina* repetit; & Cornelius proximus Fabiani ſucceſſor baptizatos conſignari, non ex Chriſti mandato, ſed *ex canone Eccleſiaſtico* ait. Neque ex omni Patrum, qui ante nonum ſæculum vixerunt, numero quemquam reperire eſt, vel Græcum, vel Latinum, qui chriſmatis originem ab ipſo Chriſto repetat. Sed quid ego vetuſtiores memoro? Ex tam multis noni ſæculi auctoribus, quorum libri de ritibus Eccleſiaſticis diligentiſſime conſcripti exſtant, ne vnus quidem inuenitur, ſi hunc falſarium exceperis, qui huiuſmodi aliquid de chriſmate tradiderit? inuenitur, qui contrarium diſerte affirmarit, Valafridus ſcilicet Strabo, iſtorum non poſtremus, cuius hoc teſtimonium iam ſupra recitauimus; *Addiderunt* (inquit) *alij chriſmatis vnctionem, quam ex veteri ſumptam conſuetudine nemo qui dubitet*. Valeat ergo cum ſuis

commen-

commentis perſonatus iſte fabulator; & ſuum ſibi habeat, cæteris omnis memoriæ Chriſtianis inauditum figmentum. Atque hæc quidem de nono ſæculo dicta ſunto; quo, vt ex ſuperioribus manifeſtum eſt, duplex quidem chriſmatio in vſu fuit, ſed ita tamen, vt licet à diuerſis miniſtris facta, vtraque eiuſdem naturæ, ac (vt loquuntur) *ſpeciei* eſſe cenſeretur; vtraque ad baptiſmum pertinere, neutra proprie dictum & à Domino inſtitutum ſacramentum eſſe putaretur; altera vero, nimirum epiſcopalis, nunquam niſi præuia vera manus impoſitione conferretur; quæ, vt notum eſt, ab hodierna Latinorum confirmatione aliena ſunt.

CAPVT XVI.

Ex eadem hypotheſi explicantur Fulberti Carnotenſis, Petri Damiani de vndecimo ſæculo; Iuonis & Goffridi de duodecimo teſtimonia. Honorij, Ruperti, & Hugonis dicta.

NEQVE quicquam occurrit, quod in hac noni ſæculi doctrina aliquid decimo mutatum fuiſſe ſuadeat. Eadem vndecimi quoque ſæculi ratio eſt. Nam eius initio Fulbertus Carnotenſis epiſcopus (quem Bellarminus, Baronius, & alij ad annum Domini 1028. vixiſſe tradunt) eodem modo, quo iſti noni ſæculi Theologi, de his philoſophatur, *Requiritur ſane* (inquit) *in baptiſmatis ſacramentis aqua propter ſepulturam, Spiritus Sanctus propter vitam æternam.* Et paulò poſt ait *miniſtrum baptizantem baptiſmi ſacra munera non à ſe arroganter dari, ſed ab ipſo Deo auctore, profiteri ſub verbis huiuſmodi,* Deus qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu ipſe te linit chriſmate ſalutis. Hæc ille, quibus & chriſma inter baptiſmi ſacramenta, æque ac ſuperiores, cenſet; & vnctionem ſalutarem, chriſmate ſignificatam pro vno ex baptiſmi ſacris muneribus habet. Neque eſt, quod obiicias hæc vltima verba, *Deus te linit,* &c. ad chriſma preſbyterale pertinere. Nam cum Spiritum Sanctum qui epiſcopalis vnctionis proprius cenſetur, in baptiſmi ſacramentis requiri diſerte profeſſus ſit, apparet eum vtramque vnctionem, preſbyteralem & epiſcopalem, pro vna eademque habuiſſe; quam fuiſſe & Bedæ & Theologorum noni ſæculi ſententiam demonſtrauimus. Epiſt. I. Tom. 3. Bibl. Patr. p. 436. B.

Petrus Damiani, quem anno Domini 1060. floruiſſe ait Bellarminus, confirmationis epiſcopalis ritum ſacramentis fateor, accenſet. Serm. 69. in dedic. Eccl. p. 168.

Sed quibus? His nimirum, quæ XII. numerat, & in quorū cenſu Pontificis conſecrationem, Regis inunctionem, Eccleſiæ dedicationem, Canonicorum, Eremitarum, Monachorum, & Sanctimonialium inaugurationem ponit; vnde liquet eum (quod & à nouiſſimo eius Scholiaſte in hunc locum obſeruatum eſt) Sacramenti nomen non proprie ſtrictéque vt nos nunc ſolemus, ſed late & improprie ex vſu Patrum accipere, pro quouis ſacro & in re ſacra adhiberi ſolito ritu. Neque id omiſerim, quod diſerte obſeruat Petrus, *decretales paginas & ſanctorum Patrum inſtituta decernere non eſſe differendam poſt baptiſmum ſacramenti huius* (id eſt chriſmatis) *virtutem*. Latini noſtri plane contra veterum diſciplinam decernunt differendam eſſe in aliquot poſt infantium baptiſmum annos.

Duodecimo vero ſæculo primi occurrunt Iuo Carnotenſis Epiſcopus, ad annū D. 1114. vixiſſe conſtat, & Goffridus Vindocinenſis Abbas, Eccleſiæque Romanæ Cardinalis, Iuonis æqualis. Vterque in veterum traditione hærent. *Completis iam baptiſmi ſacramentis* (inquit Iuo) *cum baptizatus de fonte aſcenderit, ſacro chriſmate vngitur in vertice; vt cognoſcat ſe promotum eſſe in regium genus, & ſacerdotale; id eſt vt à Chriſti conſortio vocetur Chriſtianus, & æterni regni ſit cohæres. Hoc ſacramento poſt aquam perfectio fit, quando ad inuocationem ſacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.* Tum de veſte candida, ſacroque velamine, & cereo exſecutus, *His omnibus* (inquit) *ſupra memoratis ſacramentis nouus homo in vtero Eccleſiæ inchoatur, prouehitur, conſummatur, & vnitati Eccleſiæ aggregatur; vnde etiam, ſi eius eſt valetudinis, ſacramentis vnitatis, id eſt corpore & ſanguine confirmatur.* In his Iuo primò ritus ſacros, quibus ſolennis baptiſmi celebratio peragitur, ipſe quoque, vt veteres, *baptiſmi ſacramenta* vocat. Et quod ait *completis baptiſmi ſacramentis*, idem eſt ac ſi dixiſſet *completis aliis, ſiue ſuperioribus ſacramentis baptiſmi*. Nam & chriſmationem ad noſtræ initiationis, ſiue baptiſmi late accepti ritus pertinere eo clariſſime ſignificat, quod mox concludens ait *his omnibus ſupra memoratis ſacramentis nouum hominem in vtero Eccleſiæ inchoari, prouehi, conſummari, & vnitati Eccleſiæ aggregari*. His enim verbis regenerationem in Chriſto noſtram deſcribit; ad quam adeo pertinere cenſuit chriſma, vnum ex ſacramentis, quibus eam perfici ait. Vt ipſum ſermonis titulum mittam, qui cum ſit de neophytorum *ſacramentis*, conficit chriſma, de quo in eo ſermone docet, ipſum quoque eſſe vnum ex neophytorum ſacramentis. Secundò, Hic quoque teſtatur Iuo vnctionem presbyteralem re eandem eſſe cum epiſcopali; primò dum illi id ipſum tribuit, quod omnes veteres epiſcopali tribuere, fatentibus aduerſariis, ſolent, nimirum fideles per eam fieri & nominis & regni Chriſti conſortes; quod quomodo ſit intelligendum obiter quidem, ſed tamen egregie oſtendit, dum ait per eam vnctionem

Serm. i. qui eſt de ſacram. neoph.

nem cognoſcere neophytum ſe promotum eſſe in regium genus, & ſacerdotale. Sic enim docet eo ritu non tam conferri, quam per baptiſmum collatam oſtendi ac demonſtrari vtramque illam dignitatem. Tum & vnctionem vtramque eandem eſſe liquido ſignificat, cum de ſacerdotali locutus, addit, *Hoc Sacramento poſt aquam perfectio fit, quando ad inuocationem ſacerdotis Spiritus infunditur.* Epiſcopalem enim vnctionem, vt liquet, intelligens eam vocat *hoc ſacramentum*, hoc ſcilicet de quo dixerat. Neque plura de ea tradit; nempe quam ſe prioris nomine complexum eſſe putabat. Denique & ex his patet non agnouiſſe Iuonem vnum aliquod proprium, ac peculiare, quale nunc Latinorum eſt, confirmationis Sacramentum, qui & Euchariſtiam *confirmationem* eſſe liquido ſtatuit, dum *eo confirmari* neophytos dicit. Idem quoque ſenſit Goffridus, eius æqualis & amicus, dum epiſcopalem chriſmationem *vltimam* (in baptiſmalibus ſcilicet cærimoniis) *confirmationem* vocat; *Hæc vltima confirmatio* (inquit) *fieri iubetur ab epiſcopis.* Nimirum iſti & preſbyteralem in baptiſmo chriſmationem, & ipſam poſt baptiſmum Euchariſtiam confirmationem eſſe cenſuerunt; quod quo ſenſu capiendum ſit ſupra ad Bedam diximus. Sed & idem chriſmationem epiſcopalem eandem eſſe cum preſbyterali clariſſime oſtendit; *Quamvis* (inquit) *prius in vertice, & poſtea in fronte homo chriſmate vngatur, non tamen iteratur ſacramentum; quia, vt ſuperius diximus, propter aliud, & aliud fit; ſicut & baptiſmus minime iteratur, etiamſi multoties poſt baptiſmum aquis baptiſmalibus aſpergamur.* Nempe idem tribui vult *ad virtutis* (vt dixit) *augmentum.* Priorem vnctionem baptiſmo comparat, vt ſi earum altera ſacramentum verum ſit; priorem id eſſe neceſſe ſit.

Opuſc. 8. p. 298.

Opuſc. 9. p. 299.

Sequitur ex eodem ſæculo Honorius Auguſtodunenſis, quem anno Domini 1130. floruiſſe ferunt. Is in eo opere, quod *Gemmam animæ* inſcripſit, docet quidem cum veteribus *chriſma ex lege exordium ſumpſiſſe, qua Dominus Moyſi hoc ex puriſſimo oleo & balſamo componere præcepit*; item *fideles hoc oleo tantum reges & ſacerdotes vngi; chriſmate templa Deo dedicari, & hoc in frontibus regno eius aſſignari*; quo loco obiter obſeruandum eſt iſtum vnctionem ex oleo ſimplici ad regni & ſacerdotij dignitatem referre; quod & à plæriſque veteribus & ab omnibus recentioribus alienum eſt. Sed & baptiſmi ritus tradens, *Quod in capite* (inquit) *cum chriſmate linitur, per hoc Chriſto anima deſponſata communicatur. Deinde mitra capiti eius imponitur, veſte alba induitur, quia in regnum & ſacerdotium aſſumitur. Per mitram, corona regni; per albam ſacerdotalis dignitas exprimitur, quia videlicet Chriſti regis & ſacerdotis membrum efficitur.* Hic iſte ad mitram & albam ea transfert, quæ veteres chriſmati tribuebant, chriſmati vero ipſe (quod à nullo vetuſtiorum audiuimus) hoc tribuit, vt anima Chriſto deſponſata

l. 3. c. 20. T. 10. Bibl. Patr. p. 1177.

Ibid. l. c. 12.

ſata communicetur. Vnde liquet, quam licenter veteres in horum
rituum myſticis ſignificationibus luſerint. Duas vero chriſmationes
Ibid. c. 114. ex ſerie diſtinguit, *Bis* (inquit) *baptizati chriſmate liniuntur; ſemel à
presbytero in baptiſmo, & in capite; ſecunda ab epiſcopo in confirmatione &
in fronte. Hoc ideo, quia bis Spiritus Sanctus datur Eccleſiæ, ſemel in terra,
ſecundo in cœlo. Per presbyteri vnctionem animæ Chriſto deſponſantur, per epi-*
Ibid. *ſcopi confirmationem regno Chriſti dotantur.* Hæc quidem iſtius ſcita an
cum veterum placitis congruant, non diſputo, ab hodierna quidem
Latinorum Theologia aliena eſſe manifeſtum eſt. Sed neque illud o-
Orthod. p. 551. 552. 576. mittendum eſt, quod idem auctor ſcribit, *Hanc* (inquit) *confirmatio-
nem fecerunt olim Apoſtoli per manus tantum impoſitionem; illorum po-
ſteri, eis tamen tradentibus, per chriſmatis conſecrationem.* Primò hîc
habet Aurelius, quod tam ſæpe, tamque improbe ſibi ex veteribus
probari à Sirmondo poſtulat, confirmationem ſola manus impoſitio-
ne factam, & quidem ab ipſis Apoſtolis. Secundò, Hic quoque cla-
riſſime euertitur Bellarmini de manus impoſitionis, & chriſmationis
(vt loquuntur) *identitate* ſomnium, quas Honorius à ſe inuicem eui-
dentiſſime diſcernit. Tertiò hic etiam innuitur, quod mox Hugo
liquidius docebit, iis temporibus nullam in epiſcopali confirmatione
manus impoſitionem, ſed ſolam chriſmationem adhibitam fuiſſe. Ho-
norius enim ſimpliciter ait *per chriſmatis conſecrationem confirmare A-
poſtolorum poſteros.* Quod vero iſte nobis narrat Apoſtolos aliter con-
firmaſſe ipſos, aliter diſcipulos confirmare docuiſſe, quærat, quibus id
perſuadeat. Nos, qui ſcimus Apoſtolos candidos, ſincerosque fuiſſe,
eaque, non alia, vel feciſſe, vel aliis facienda tradidiſſe, quam quæ à
Domino ſuo acceperant, & ſuos diſcipulos perpetuo hortatos eſſe, vt
ſe imitarentur; abſit, vt cum iſto ſomniemus, vel non chriſmaſſe i-
pſos, ſi quidem alios chriſmare docuerunt, vel alios inſtituiſſe, vt ali-
ter, quam *per manus tantum impoſitionem* confirmarent, ſi quidem ipſi
ita, quod iſte ait, confirmarunt. Sed quid Honorium in hæc abſurda
impegerit, clarum eſt. Negare non ſuſtinuit, quod intelligebat ex
ſcripturis liquere Apoſtolos manum quibuſdam impoſuiſſe, chriſma-
te neminem inunxiſſe. Itaque cum & chriſma ſuum, quod niſi ab A-
poſtolis traditum valere non poſſe norat, retinere omnibus modis
vellet, coactus eſt eo deuenire, vt quod abſurdiſſimum atque ineptiſſi-
mum eſt, diceret Apoſtolos præter ſuum ipſorum morem ac ritum,
chriſmationem, quam ipſi nunquam factitabant, diſcipulis ſuis fa-
ctitandam tradidiſſe. Denique & hoc ex illo ſcriptore diſcimus, quod
cum veteres baptizatis chriſma, ſtatim ſi fieri poſſet ab Epiſcopo dari
vellent, huius tempore mos erat id in octauum à baptiſmo diem dif-
Ibid. c. 113. ferri. *In octauâ die* (poſt baptiſmum ſcilicet acceptum) *baptizati* (in-
quit) *mitras deponunt, & ab Epiſcopô in fronte per chriſma ſignantur, & per*

hoc

hac per ſeptiformem Spiritum ad regnum Dei confirmantur. Vnctio confirmationis eſt nuptialis veſtis. Quam vnctionem iterùm per octô dies in albis ſeruant in octauâ die lauant; quod quidam in tertiâ die agendum putant. Atque hic primus fuit auulſi à baptiſmalibus ritibus chriſmatis gradus. Longiùs deinde proceſſum; inſtitutumque vt paruuli nonniſi aliquot poſt acceptum baptiſmum annis ab epiſcopô chriſmarentur, quæ mutatio maximum mihi videtur momentum eô attuliſſe, vt confirmationis à baptiſmô diſtinctum, ſeorſimque & per ſe conſtans ſacramentum eſſe exiſtimaretur.

Rupertus Abbas Tuitienſis vir eorumdem temporum vtpote A. D. 1124. denatus nihil ferè habet ſingulare, vel à veteribus diuerſum; *Poſtquàm* (inquit) *per ſe ipſum veniens Chriſtus Dei Filius, à Deô Patre, cœleſti & verô vnguentô eſt delibutus, iam non ſoli Pontificès & Reges, ſed & omnis Eccleſia, vnctione chriſmatis per impoſitionem manuum conſecratur.* Tum ſubiicit id ad ſolos pertinere Epiſcopos; ſed Syluestri decretô, ipſis etiam presbyteris attributum eſſe. *Legitur autem* (inquit) *in geſtis Pontificalibus quod Syluester Papa conſtituit, vt baptizatum linat presbyter chriſmate, leuatum de aquâ, propter occaſiones tranſitus mortis*; *ne propter abſentiam Epiſcopi,* & difficultatem eum conſequendi ſine manus impoſitione baptizati migrent. Hæc ille, eademque habet Hugo de S. Victore. Quod vterque aiunt id inſtitutum, *ne ſine manus impoſitione Baptizati migrent*; non ſignificat (quod ridicule cauillatur Aurelius) aliquam ineſſe in verticis vnctione manus impoſitionem, vel non ſine ea mori, qui vertice ſolo chriſmatus moritur; tantum oſtendunt, quæ Syluestrum cauſa impulerit, vt presbyteris chriſmare cóncederet, quod nimirum contingere poſſe intelligebat, vt multi ſine epiſcopali manus impoſitione, adeoque & ſine chriſmate morerentur; quod quibus manus non imponebant epiſcopi, eos neque chriſmabant, vt notum eſt. Itaque ne quis ſine chriſmate moreretur, decretum à Syluestro fuiſſe, vt non ij tantum, quibus ius erat manum baptizatis imponere (id eſt epiſcopi) ſed etiam presbyteri chriſmarent baptizatos. Vnde certum eſt & Rupertum & Hugonem putaſſe eandem eſſe vtramque chriſmationem. Ruperti quidem locum quiſquis diligenter expenderit, facile animaduertet iſtum id ipſum ſenſiſſe quod àduerſus Aurelium defendit Sirmondus; nempe ad Syluestrum ſolos chriſmaſſe Epiſcopos, à Syluestro primum inſtitutum, vt ipſi quoque presbyteri chriſma baptizatis miniſtrarent; chriſma inquam idem cum epiſcopali, eademq; vi atque efficientiâ præditum, quod Beda diſertè olim, vt diximus, docuerat. Certè nullum Rupertus inter vtriuſque vſum, ac ſignificationem diſcrimen obſeruat. Tantum in genere monet *chriſma Spiritus Sancti ſignum eſſe, eiuſque virtutem continere*: quô modô ſcilicet ſignum rem ſignificatam *continere* dicitur; ſymbolicè nempè &, analogicè

L. 5. de diu. off. c. 16. T. 10. Bibl. Patr.

P. 947. A.

L. 1. de Sacr. Part. 9. c. 5. Orthod. Part. 1. c. 7. p. 564.

Ibid.

gicè, quod ea in ſe exhibeat, quibus rei ſignificatæ virtus exprimitur, atque ob oculos ponitur. Meminit & hic Rupertus *ablutionis pedum*, ſed quæ non neophytis, ſed ſubditis ab Epiſcopo miniſtratur; feriâ quintâ maiôris hebdomadæ, non autem Sabbato ſancto. Vnde conſtat hanc ab ea diuerſam eſſe de qua docuerunt & Pſeudo-Ambroſius, & Pſeudo-Auguſtinus. Cæterùm an iſte, dum ait *Eccleſiam vnctionem chriſmatis per impoſitionem manuum conſecrari*, id intelligat, quod vult Aurelius, vnctionem vnum, eundemque actum fuiſſe cum ea manus impoſitione, quam memorât; nolim equidem quicquam in alteram partem ſtatuere, vel de eo cum quoquam contendere. Nam Hugo de S. Victore, quem Bellarminus confert in ann. Domini [illegible] id ipſum habet, docens chriſmationem eo manus impoſitionem dici poſſe quod manu fiat, quod quam ſit abſurdum pluribus ſupra neque ſemel aduerſus Bellarminum & Aurelium oſtendimus. Sed eo confugere coactus eſt Hugo, quod nulla eius tempore in conferenda confirmatione fieret manus impoſitio. Itaque hinc licet argumentari proximis ante duodecimi ſæculi initia temporibus deſiiſſe illam in veterum noni ſæculi chriſmatione ſolennem manus impoſitionem. Certè nihil, quod equidem ſciam, in auctoribus Hugone vetuſtioribus occurrit, vnde colligi poſſit eam ipſorum ſæculo iam deſiiſſe. Hic autem Hugo in eo cum veteribus conſentit, quod presbyteralem vnctionem ad regiam, ſacerdotalemque fidelium in Christo dignitatem refert; eo diſſentit, quod hanc ab epiſcopali chriſmatione, velut rem diuerſam, auellit. De priori eadem fere ſunt cum Iuone hæc eius verba; *Dehinc ſacro* (inquit) *chriſmate vngitur* (baptizatus ſcilicet) *in vertice, vt intelligat ſe promoueri in Regem, & ſacerdotem, non miniſterio quidem, ſed dignitate ſanctitatis &c. & vt à Chriſtô vocetur Chriſtianus, & æterni Regis ſit cohæres. Huic ſacramento poſt aquam baptiſmi Spiritum Sanctum infundi dicit; vt ſit renatus ex aquâ & Spiritu Sanctô, imò infuſus oſtenditur. Siquidem Spiritum Sanctum in ipſâ trinâ immerſione remiſſionem confert peccatorum, ſed non ſimul cum immerſione poterat exhiberi eius ſacramentum.* Hæc poſtrema Hugonis verba diligenter obſeruanda ſunt, ex quibus duo quædam diſcimus in hac omni diſputatione apprimè vtilia. Prius, rerum quæ iam ſunt in baptiſmô acceptæ, ſymbola interdum poſteriùs adhiberi, quæ ſcilicet ſimul cũ baptiſmo exhiberi non potuerunt. Alterũ, Spiritum aliquandò dici *infundi* pro eô quod eſt *infuſum oſtendi*. Atque ita planè accipienda ſunt quæcumque apud veteres de chriſmate & Spiritu per id collatô occurrunt. Spiritus ille, & ſpiritualia omnia chriſmate illô ſignificata, non ipſius chriſmatis vi conferebantur: ſed iam antè vnctionem per baptiſmatis intinctionem erant collata, quorum ſymbolum, quod ſimul cum intinctione exhiberi non potuiſſet, idcircò poſteà adminiſtrabatur. Et ſi quid ſpiritualis per chriſma conferri

Ibid. c. 20. & c. 21.

l. 1. de Sacr. Part. 7. c. 2.

l. 4. de cærim. & obſeru. Eccleſ. c. 16 T. 10. Bibl Patr. p. 1375.

Petri dicant Patres, id ex hac Hugonis interpretatione ita accipiendum eſt, vt ſpiritualia illa dona per chriſma ipſum non propriè *infundi, ſed infuſa oſtendi* intelligantur. De confirmatione (id eſt epiſcopali vnctione) propriô ſeorſim capite poſteà agit Hugo; ac in baptiſmô quidem *Spiritum ad remiſſionem, in hac verò ad robur dari* ait, huiuſque ſacramentum à ſolô epiſcopô *miniſtrari, ab alio traditum, haberi irritum.* Sed & hoc peculiare habet Hugo, quod ſeptenarium ſacramentorum numerum, quem nunc omnis Romana communio defendit, primus, quod ſciam, definit; *Septem ſunt* (inquit) *principalia ſacramenta, quæ in Eccleſia miniſtrantur.* Hanc definitionem, & qui Hugone haud multo iunior fuiſſe videtur Sententiarum Magiſter Petrus Lombardus tradit, & omnis ex eo Latinorum ſchola ſecuta eſt. Ibid. c. 12.

CAPVT XVII.

Arnoldi Bonæuallenſis dicta Cypriano falſo affićta expenduntur. Petri Lombardi ſententia. Diſputationis de chriſmate concluſio.

AD hæc ipſa tempora pertinet ſcriptor de cardinalibus Chriſti operibus Cypriani nomine falſo & impudenter gaudens; quem nos ſupra non Cyprianum, ſed Arnoldum Bonævallenſem Abbatem annis Domini 1155. 1156. & ſequentibus florentem, revera fuiſſe diximus. Iſte ergo tractatu, ſiue ſermone octauo, qui de vnctione eſt, multa de olei apud veteres ſub Moſaïco fœdere in ſacris vſu locutus, tandem de Chriſtiano vngendi ritu hæc ſubiicit. *Nec tamen ceſſantibus his, quæ ritu antiquo inoleuerant, cum iam in populo Chriſtiano circumciſio videretur damnabilis, & ſacrificia idololatriæ imputarentur, vnctionis myſterium religio Chriſtiana contempſit; Sed cæteris generali Sanctorum conſenſu damnatis, non ſolùm in Regibus & Sacerdotibus vnctionis honor permanſit, ſed in omnem populum Catholicum effuſa eſt huius gratiæ plenitudo. Vt ſicut Chriſtus à chriſmate dictus eſt, eô quod ſingularis excellentiæ oleô vnxerit eum Deus; ita & participes eius quotquot ſunt, conſortes ſint tam vnctionis, quàm nominis, & dicantur à Chriſtô Chriſtiani, vt ſint ſui Chriſto duce rectores, & duces, & offerant Deo quotidianum ſacrificium, ordinati à Deo ſanctimoniæ ſacerdotes.* Hæc ille. Vides, vnde rem repetat; nempe vt Tertullianus, & Synodus Hiſpalenſis II. & Valafridus ipſe Strabo, à veteri, ſiue Moſaïca diſciplina. Ac illa quidem Serm. 8. p. 436.

dem

dem, quæ inde colligit, vnctionem Chriſti in Regem, & Sacerdotem Eccleſiæ, & veteri ritu figuratam olim fuiſſe, & nunc nobiſcum in Domino communicari, recta ſunt, & cœleſtibus litteris conſentanea. Quod vero vnctione externa Chriſtianos in corpore inungi quoque debere exſtruit; id inquam & euidentiſſime abſurdum eſt, & iis ipſis refellitur, quæ Arnoldus hic ſcribit. Fatetur enim cætera *ritus antiqui*, licet longo prioris vſu *inolita*, ceſſaſſe. Ergo inquam, Arnolde, & vnctio, quam tu eiuſdem cum cæteris cenſus eſſe tradis, ceſſare quoque ipſa vnà cum cæteris debuit. Quam enim edere potes huius diſcriminis cauſam, vt qui Moyſi circumciſionem & ſacrificia abrogas, ejus vnctionem, cuius eandem eſſe cum illis rationem negare non potes, retinendam eſſe decernas? An hoc vis, quod certe innuis, *generali illo Sanctorum conſenſu & cætera damnata*, & vnctionem retentam? Tu vero ſi hoc vis, largiter erras. Non enim iſtic nobis Sanctorum generalis conſenſus ſacramenta vel figit, vel refigit; Sed vna Chriſti Domini lex, atque inſtitutio in qua conquieſcere, præter quam nihil audere omnes ſanctos verum ac neceſſarium eſt. Neque vero, quod tu nimium profecto ſecure ſcripſiſti, cætera illa Moſaica *Sanctorum conſenſu*, ſed Chriſti ipſius voluntate, auctoritate, atque mandato abrogata eſſe ſcimus, vt ſi inter iſtas veteris diſciplinæ ruinas vna illa tua vnctio cæteris peſſum euntibus ſeruata ſit, non ab alio, quam à Chriſto ſeruari potuerit. Ede ergo aliquam Chriſti vocem, qua eam à communi congeneris diſciplinæ excidio ac lege exceperit. At nihil habes, quod edas; ideoque pro Chriſti ſententia Sanctorum nobis conſenſum obiicis; callidè quidem, ſed tamen fruſtra, falſoque. Ergo cum vnctionem vmbratilis illius, qui apud veterem Iſraëlem obtinuit, cultus partem fuiſſe concedas; qui abrogatum generali Chriſti citra vllam exceptionem lege cultum illum negare non potes: omnino te fateri quoque neceſſe eſt abrogatam vna cum cæteris Moſäicis fuiſſe tuam, illam vnctionem. Idem etiam conficit Chriſti noſtri, quod tu his inſeris, exemplum. Cum enim Chriſtum eo chriſmate vnctum omnes ſciamus, non quod peregrinæ de Iudæa, vel de Indiis arbores ſudant, neque quod ex vernacula olea extundimus, ſed quod cœlitus miſſum myſtica columba detulit; hoc eſt Spiritu Sancto; quæ iſta quæſo eſt præpoſtera ſubtilitas ex Chriſti vnctione, in qua nullum oleum fuit, ſolus Spiritus fuit, argumentari, vt Chriſti & nomen & dignitatem ſortiamur, nobis oleo neſcio quo frontem neceſſario ſignandam? Ego vero longe fortius hinc concludo ad id nullo nobis oleo frontem, Spiritu ſolam animam eſſe inungendam. Nam Chriſtus vt aquæ baptiſmum, quem nobis inſtituit, ipſe initiare ac dedicare dignatus eſt; ita profecto & balſamum, & oliuum, ſi quo nos inungi voluiſſet, ipſe prior ſuſcipere dedignatus non eſſet.

Sed qui nullum nobis oliuum, nullum balſamum commendauit, Spiritum nobis in baptiſmo, quo animos vngamus, haudquaquam defuturum, ſui ipſe baptiſmi exemplo luculentiſſime confirmauit. Cætera, quæ de chriſmate ſuo prædicat Arnoldus, obiicit Bellarminus, nos in homine duodecimi ſæculi nihil miramur. Iamdudum enim acceptum erat, *vt mixto* (quod Arnoldus ait) *oleo balſamo, regia & ſacerdotalis gloria exprimerent vnitatem; quibus dignitatibus initiandis diuinitus eſt vnctio inſtituta*; ſub veteri ſcilicet teſtamento. Quo pertinent, quæ paulò poſt ſubiicit; *Non hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta; quia ſanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus diuina potentius operatur; ſed adeſt veritas ſigno & Spiritus ſacramento.* Significat non eſſe inane chriſmatis ſignum, ſed Spiritum vi ſua id in fidelium animis agere atque deſignare, quod oſtendit & pingit ſymbolum. Sed à baptiſmo eſſe, non proprie à chriſmate illud Spiritus donum, veteres quidem credebant. Viderit Arnoldus, quid ſenſerit; cuius æuo iam cœpiſſe in veri nominis ſacramentum paulatim dedolari, atque effigiari veteris vnctionis ritum non nego. Sed illa tamen eius verba, quæ Bellarminus ad ſuum chriſma rapit, ego de myſtica ſiue ſpirituali vnctione interpretor; & locus id poſcit. Verba ſunt, *Ex huius vnctionis beneficio & ſapientia nobis, & intellectus diuinitus datur, conſilium & fortitudo cælitus illabitur, ſcientia & pietas, & timor inſpirationibus ſupernis infunditur.* Vide præcedentia; intelliges vnctionem huic eſſe *excellentiam ſacerdotalis & regiæ dignitatis* in Chriſto quidem *omnia continentem*; in nobis vero omnes vitæ tum actiones, tum contemplationes *regentem, ac munientem.* Significat ergo quicquid nobis cœleſtis Spiritus infunditur, id ab illius olei excellentia profluere, quo Chriſtus in Regem & ſacerdotem inunctus eſt; id eſt ab illius Spiritus plenitudine, qua à Patre ſine menſura donatus eſt.

Ibid. p. 435. init.

Ibid.

Ibid. p. 436.

Petri Lombardi, qui & ipſe duodecimo hoc ſæculo floruit; eadem fuit quæ Hugonis de S. Victore, de hoc capite doctrina. Quibus vero diſputationibus decimo tertio deinceps ſæculo, & ſequentibus ab hominibus Scholaſticis totum hoc chriſmalis Confirmationis negotium agitatum, quibuſque definitionibus à Florentina primum Synodo anni Domini 1439. tum & patrum noſtrorum memoria à Tridentina conſtitutum fuerit, initio huius operis exſecuti ſumus; quibus hoc vnum nunc adiiciendum videtur, ipſis illis temporibus quibus Latinorum de hoc ritu dogma definiri atque inualeſcere cœpit, non defuiſſe inter ipſos Occidentis Chriſtianos, qui errori obſiſterent. Valdenſes enim (vt ij vulgo vocari ſolent) anno duodecimi ſæculi (vt Romani ſcriptores tradunt) ſexageſimo, exortos, ex Reinero[a] conſtat *Sacramentum confirmationis* nominatim inter cætera, in quibus putabant à Romanis peccari, *reprobaſſe*, *mirantes*

[a] contr. Vald. c. 5. Tom 4. Bibl. Patr. part. 2. p 750. d.

etiam cùm ſolis epiſcopis confirmare liceat. Pilichdorfius [b] pariter tradit exploſiſſe eos *chriſmatis, & olei vnctiones, dicentes illas res taliter conſecratas nihil omnino ſingularis ſanctitatis ex illis verbis percipere.* Sed hæc etiam clarius ex [c] quibuſdam eorum libris, quos Paulus Perrinus nactus excerpſit, atque ex parte publicauit, intelligi poſſunt, ac comprobari. Vnus erat *Almanachi* ſiue *Calendarij ſpiritualis* nomen præferens, veteri Prouinciæ noſtræ idiomate ſcriptus, in quo illi negant plura eſſe quam duo ſacramenta; *vnum aquæ alterũ alimenti*, ſiue *panis, & vini*, hoc eſt, vt quiuis videt, baptiſmũ & Euchariſtiam. Profert Perrinus & aliud eorum de Antichriſto opuſculum, anno Domini 1120. (vt ipſe codex præferebat) eadem lingua ſcriptum; in cuius capite quarto illi diſerte negant confirmationis ſacramentum *vllum habere in ſcriptura fundamentum*, ibidemque executi quo ritu, quibuſque verbis id apud Latinos peragatur, *Hoc* (inquiunt) *ſacramentum confirmationis vocant, quod neque à Chriſto, neque ab eius Apoſtolis inſtitutum, ſiue ordinatum fuiſſe reperitur. Chriſtus enim, qui totius Eccleſiæ exemplar eſt, nequaquam in ſua perſona hoc modo confirmatus fuit, neque huiuſmodi chriſma, ſed aquam meram in ſuo baptiſmate adhiberi voluit. Quare non videtur hoc ſacramentum ad ſalutem neceſſarium.* Alia addunt multo etiam in hunc ritum acerbiora. Vicleſum, & eius diſcipulos, qui *Lollardi* vulgo dicebantur, circa annum Domini 1370. eadem in Anglia de hoc Latinorum ex chriſmate ſacramento ſenſiſſe, ac docuiſſe patet ex Valdenſi, qui contra eos ingens opus ſcripſit, in quo aliquot Vicleſi de hoc argumento ſententias oppugnat. Sed & ſæculo ſequenti id eſt decimoquinto Taboritas in Bohemia paria quoque ſecutos locupletiſſimus teſtis eſt Ioannes Lukavvitz in libro, quo eorum confeſſionem anno Domini 1431. aduerſus Rokenzanam, ſchiſma ab iis molientem, docte profecto ac erudite pro eorum temporum ratione defendit. In eo enim opuſculo diſertiſſime negat chriſmationis confirmationem à Chriſto vel Apoſtolis fuiſſe inſtitutam; idque ita ſenſiſſe affirmat, non modo Vicleſum, quem *Doctorem Euangelicum* vocat, ſed etiam quoſdam ex ipſis Latinis; quod ex Thoma; & Petro de Taranto firmat. Tum allatas in contrariam partem à Rokenzana probationes ſoluit in alia operis parte, in qua iterum Vicleſi auctoritate & teſtimoniis vtitur. Quam recta vero fuerit Valdenſium & Vicleſi, & Taboritarum in hac parte doctrina, ſatis ſuperque docent ea, quæ ſuperius diſputauimus; ex quibus nunc quidem conſtare arbitror Confirmationis Latinæ Sacramentum, neque à Chriſto inſtitutum, neque ab Apoſtolis traditum, neque ab vlla Eccleſiæ Chriſtianæ parte agnitum, aut vſurpatum, ſi vnam eam exceperis, quæ vrbico epiſcopo paret; ſero poſt decurſa decem priora Chriſtianiſmi ſæcula in reli-

giorem

[b] contr Vald. c. 24. ibid. p. 796. a.

[c] Item in d. err. Vald. ibid. p. 831. §. 10.

Perrin. l. 1. de la doctrine des Vaud. c. 6. p. 212.

Ibid l. 3. p 6. 328. 329.

Vald. Doctrin. Part. II. c 111. 112. 113.

Lukavv. Confeſſ. Tab. c. 7.

Ibid. c. 32.

gionem inuectum eſſe; ex baptiſmali vnctionis cærimonia, variis modis mutata, atque interpolata, effictum ac formatum. Vnde videre eſt id & à Valdenſibus primo, & poſt à Vicleſo, & Taboritis, ac poſtremo ante centum annos, & quod excurrit, à noſtris hominibus iure meritoque fuiſſe reiectum & exploſum.

Atque hæc quidem de priori Latinorum vnctione diſputata ſunto. Nunc ad alteram, quæ extrema *vulgo dicitur, veniamus.*



DE EXTREMA VNCTIONE

LIBER PRIMVS

CAPVT I.

Præfatio, Operis argumentum, & partitio. Aduerſariorum de Extrema Vnctione ſententia Tridentinæ Synodi canonibus definita.

CVM Eccleſiæ miniſtris, quorum officium Paſtorum & imagine & nomine apud Chriſtianos ſignificatur, hoc ex munere incumbat, vt ouium ſibi a Domino creditarum magnam curam gerant, Et iis in omnibus vitæ huius partibus pro virili ſua adſint, & quæcunque ipſis vſui eſſe poſſunt, ſedulo adminiſtrent, docendo, hortando, conſolando. Nemo dubitat, quin piam hanc ſollicitudinem laborantibus graui aliquo morbo, & ad ſuprema vergentibus præcipuè debeant, quod nullum fere ſit tempus, quo hominum animus vel magis deiici atque affligi, vel verbi cœleſtis pabula, ac præſidia acrius deſiderare ſoleat. Itaque apud nos vel hæc præcipua ſacri illius miniſterij pars eſt infirmos viſitare, hortari, conſolari, ad pœnitentiam vrgere, afflictos ac iacentes erigere, contra mortis metum animare ac munire, precibus ad Deum iuuare, cæteris denique omnibus pietatis, ac caritatis chriſtianæ officiis confirmare. Ac tametſi nos infrà tanti muneris dignitatem multùm ſubſidere officiola noſtra confiteamur; hic tamen in Domino verè gloriari poſſumus noſtros homines, in illo ſiue morbi aliquius, ſiue etiam ipſius mortis articulo, multò quam aduerſarios diligentiùs, atque efficaciùs curari, quod ſciunt, quotquot nos, noſtraque norunt. Vnum eſt, quod iſti in noſtra hac ſedulitate ferè deſiderant; nimirum, quod noſtros morientes minimè vngimus; Id enim aduerſarij tanti in religione chriſtiana momenti eſſe putant, vt nos, quod id officij omittamus, velut à vera fide extorres, diris deuoueant. Videamus ergo cum bonô Deô quam iuſta ſit hæc

A iſtorum

iſtorum de nobis ſententia. Quod vt ordine fiat, Inprimis quæremus quod ſit ipſorum hac de vnctione dogma. Tum expendemus, quæcunque vel ex diuinis litteris, vel ex ipſo naturæ lumine ad id firmandum, ac conſtituendum afferre ſolent. Denique indagabimus, quæ veterum fuerit & ſententia & praxis; quod eos aduerſarij ſecum hac quoque in parte conſentire de more iactent.

Vt ergo à primo ordiamur, notum eſt, quid aduerſarij in Tridentina
Seſſ. 14. c. 1. nuper Synodo de *Extrema*, ſic enim vocant, *vnctione* decreuerint 1. Definiunt *Eam verè propriè que ſacramentum Eſſe noui Teſtamenti à Chriſto Domino inſtitutum* & ex apoſtolica traditione ad hæc tempora propagatum. Tum ſigillatim omnes huius inſtituti partes magna diligentia exſequuntur; *materiam quidem vnctionis Eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum; vnctionem enim illam aptiſſimè repræſentare, ſpiritus ſancti gratiam quâ Inuiſibiliter anima ægrotantis inungitur;* *Formam* vero *eſſe illa verba,* quæ à ſacerdote ſcilicet ægrotum inungente proferuntur, *Per iſtam ſan-*
Ibid. c. 2. *ctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum* &c. *Rem* huius, (vt quidem ipſi putant) ſacramenti *eſſe gratiam ſpiritus Sancti*; Effecta verò non pauca, neque aſpernanda memorant. Aiunt enim illâ ſpiritus Sancti vnctione quæ olei ſui ſcilicet cómes eſt, delicta (ſi qua ſunt adhuc expianda) ac peccati reliquias abſtergi, ægroti animam alleuari, & confirmari, magnamque in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitari, quâ infirmus ſubleuatur, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis *facilius reſiſtit, & ſanitatem corpo-*
Ibid. c. 3. *ris interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Sed & tradunt nemini fas eſſe hanc vnctionem adminiſtrare, niſi qui vel Epiſcopus, vel ſacerdos ab Epiſcopo rite ordinatus fuerit, neque aliis adminiſtrandum eſſe, *quam infirmis, iis præſertim qui tam* periculoſè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur; *indeque ſacramentum exeuntium appellari*; & ſi æger poſtea conualuerit, iterum huius olei ſubſidio iuuari poſſe, *cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderit.* Poſtremò hæc ita conſtituta quatuor anathematiſmis accuratiſſime
Ibid. can. de ſacr. Extr. vnct. c. 1. 2. 3. 4. ſanciunt, *ſi quis dixerit, extremam vnctionem non eſſe verè & propriè ſacramentum, à Chriſto noſtro Domino inſtitutum, & à B. Iacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum à Patribus aut figmentum humanum anathema ſit. Si quis dixerit ſacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema ſit. Si quis dixerit extremæ vnctionis ritum, & vſum, quem obſeruat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Iacobi Apoſtoli, ideoque eum mutandum, poſſeque à Chriſtianis abſque peccato contemni, anathema ſit. Si quis dixerit presbyteros Eccleſiæ, quos B. Iacobus adducendos eſſe*

ad

ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos ſed ætate ſeniores in quauis communitate, ob idque proprium extremæ vnctionis miniſtrum non eſſe ſolum ſacerdotem; anathema ſit.

CAPVT II.

Aduerſariorum de hoc argumento lites: deque vnctionis materia, forma, fine, effectis, nomine, nominiſque ratione diſcrepantes inter ſe opiniones.

Hæc Tridentini, plane pro illo imperio, quod ſibi in hominum omnium conſcientiis arrogant. Ac tametſi omnes Romanæ communionis homines hæc, vt pote ab vniuerſali ſynodo ſub anathematis pœna conſtituta, ſequi ſe & tueri profiteantur, tamen (quod omnibus iis accidere ſolet, qui res aut falſas aut incertas, & humana tantum auctoritate poſitas defendunt) magnæ fuerunt, ſuntque etiam hodie de toto hoc negotio inter eos lites ac concertationes. Principio enim ne de auctore quidem huius ritus ſemper apud iſtos concors fuit omnium ſententia. Nam conſtat Hugonem [a] à S. Victore, Lombardum [b] & Bonauenturam veteres ac nobiles illarum partium Theologos ſcripſiſſe hoc, quidquid eſt, ſacramenti ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum; quos Maldonatus hoc nomine reprehendit, valdeque erraſſe ait. Quamquam vt refert Gregorius à Valentia [c] Ioannes Eckius, famoſus apud iſtos Lutheri Antagoniſtes, *minime abſurdum* reputauerit, ſi quis ſentiat ſacramentum iſtud ab Iacobo auctoritate Chriſti, & iuſſu ſpiritus Sancti fuiſſe Inſtitutum. Sed eam opinionem acerrimè confutat Eſtius; [d] & cæteri hodie quotquot ſunt, diſerte explodunt Tridentinorum ſcilicet fulmine proſtratam, ac confoſſam. Iam cùm materiam huius vnctionis alij vulgo oleum eſſe velint conſecratum, & quidem ab Epiſcopo, idque ad huius (vt loquuntur) ſacramẽti Eſſentiam pertinere velint; [e] Maldonatus vtrumque fortiter negat, ac refutat probans conſecrationem olei *tantum eſſe neceſſariam propter præceptum ac diſciplinam Eccleſiæ, quæ conſueuit materiam omnis ſacramenti prius benedicere, quàm ſacramentum conficiat; non autem ad veritatem ipſius ſacramenti* Victoria [f] referente Becano, [g] idem quoque cenſet, Caietanus, vt eſt apud Eſtium, [h] etſi oleum benedictum neceſſario requiri concedat, eò tamen propendet, *vt exiſtimet ratam fore benedictionem, ſi fiat per quemcumque Presbyterum*

Cæteri pæne omnes oleum non ab alio, quam ab Epiſcopo benedictum ad hanc vnctionem valere putant. Neque de forma (vt

a li. 2. de ſacr. part. 15 c. 1.
b 4. ſent. d. 23.
T. 1. de ſacr. de extr. vnct. q. 1 p. 204.
c T 4 diſp. 8. q. 1 puncto 1. p. 1469. b.
d in 4. d 23. §. 3
Bell l de extr. vnct. c. 7.
Eſtius in 4. d. 2. §. 1. Et alii paſſim.
e Tom. 2. de ſacr. de ext vnct. q. 1. p. 209.
f ſacr. n 116. de
g ſum de ſacr. de extr. vnct. q. 3.
h in 4. d 23. §. 9.

vocant) huius ſacramenti minùs litigant quàm de materia. Multi enim, vt Thomas,[a] Bonauentura. Vaſques[b] Konin[c] & alij non putant *ratam eſſe formam enunciatiuo modo prolatam*, qualis fuiſſe perhibetur ea, quæ dicitur Ambroſiana, his verbis expreſſa, *vngo te oleo ſanctificato in nomine Patris & Filij & ſpiritus ſancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen, aereas poßis ſuperare poteſtates*; cuiuſmodi etiam erat illa, quam in eccleſia Veneta olim obtinuiſſe ex libro eius ſacramentali à Leone X. approbato refert Michael Palatinus, *vngo te oleo, vt hac vnctione protectus fortiter ſtare valeas aduerſus aereas catervas in nomine Patris & filij, & ſpiritus Sancti*. Itaque ſentiunt iſti vnctionis formam præcationis modo fieri neceſſario debere pro Eccleſiæ Romanæ more, *Per iſtam ſanctam vnctionem & ſuam piißimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid d[illegible]ſti* &c. Richardus vero, & Eckius referente Eſtio, & ipſe etiam Eſtius, grauis auctor, cenſent nihil vetare, huius (vt loquuntur) ſacramenti *formam vel enuntiatiuè, vel deprecatiue, vel optatiue recitari*. Becanus, etſi mentem ſuam liquido non aperiat, videtur tamen in hanc quoque ſententiam propendere.

a apud Eſt in 4. d. 23. ſſ. 10.
b in 3. Thom. T. 4. q. 84 ar. 3 dub. 3. nu. 8.
c de extr. vnct. dub. 4.

in 4. d. 23.

in 4 d. 23. §. 10.

vb. ſupr q. 4.

Sed & de ipſa vnctione inter ſe diſſentiunt. Florentina quidem Synodus, vel potius Eugenius Papa, *iubet vngi infirmum in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem*. Enimuero ex ſeptem iſtis vnctionibus ſeptimam omittendam plærique nunc cenſent, *quia vix*, inquiunt, *honeſte fieri poteſt, præſertim in fœminis*; ob quam cauſſam à multis etiam ſextam omitti notat Suares vnde liquet, quam graues quumque ſancti fuerint Florentini Patres, qui ea præcipunt, quæ ipſi iſti eorum ſeruij, atque cultores *vix honeſte fieri* poſſe confitentur. Quinque reliquas vnctiones eſſe de ſacramenti eſſentiâ, planè adeò penituſque neceſſarias arbitrantur Solus, Bellarminus, Valentia, Henriques, Suares, grauiſſimi iſtarum partium Theologi, & plurimi alij, vt videre eſt apud Ægidium, Konink. Contra, Paludanus, & Ioannes Medina, eodem referente putant *eſſentiam huius ſacramenti perfici vna quauis vnctione, quæ ex dictis prima adhibetur, reliquas vero eſſe tantum partes integrales integri ſacramenti*; eam ſententiam, eodem teſte, approbauit tota vniuerſitas Louanienſis anno 1588. eique fauere videtur Thomas, Eſtius eadem ſequitur, cenſens *non improbabiliter dici poſſe, quod etſi ad integritatem huius ſacramenti requirantur quinque ſenſuum conſuetæ vnctiones non tamen ad eſſentiam, ad quam* (inquit) *fortaſſe ſufficit, vt corpus quacunque parte vngatur*. His addendus eſt Maldonatus; *D. Thomas* inquit. *Et omnes Theologi fere ſcholaſtici dicunt eſſe neceſſarium ad ſacramenti*

inſtruct. ad Armen.

Konink. diſp 9 de extr vnct. dub. 1. Suar. d ſp 40. ſect. 2 num 6.

in ſupple. in q. 29 art. 2.
in 4. d. 23. §. 15.

menti eſſentiam vt vngantur ſedes quinque ſenſuum, non enim eſſe ſacramentum, antequam abſoluatur vltima vnctio. Ego non arbitror de eſſentia ſacramenti quidquam affirmandum eſſe, niſi ſuppetant maiores rationes. Martinus Becanus Ieſuita idem quoque ſentit, Tametſi, inquit, *plures vnctiones fiant in hoc ſacramento, tamen videtur vna ſufficere, ſiue fiat in capite, ſiue in pectore*, mox; *Hoc ſacramentum ſtatim confert gratiam, quando vnica vnctio peracta eſt, cum ſufficiente verborum forma. Reliqua tamen vnctiones ob receptam conſuetudinem non facile ſunt omittenda. Si autem omittantur, fit ſine detrimento ſacramenti, & effectus illius.*

2. de ſacr. de extr. vnct. q. 5.

Sum. Theol. de ſacr. q. 7. de Extr. vnct. §. 6. 7.

Sed neque apud iſtos caret controuerſia, qui-nam vngendi ſint. Cuncti quidem conſentiunt non alios, quàm ægrotos inungendos eſſe; ſed non quoſuis ægrotos ad hanc vnctionem admittendos putant. Primo enim hinc excludunt qui baptiſmo tincti non fuerunt, item infantes, & ſi qui ſemper amentes fuerint. Hoc etiam omnes nunc ſtatuunt, vt ne vngatur, *niſi grauiter infirmus ſit, ita vt de vita periclitetur.* Sic cenſent Bellarminus,[a] Becanus, Eſtius,[b] Gregorius de Valentia,[c] Ægidius Konink,[d] & cæteri, quos longum eſt numerare. Itaque Eſtius diſerte eos vngi vetat, *qui cum ſano ſint corpore, vel certum vel certè probabile vita periculum adeunt, vt qui mare tranſmiſſuri ſunt aut prælium commiſſuri, aut etiam ij qui capitis condemnati ad certum mortis ſupplicium ducuntur* & Eckius cauet *ne ægroto hac vnctio conferatur, quamdiu in ea vita ſpes eſt; quia vnctio vocatur extrema, locum,* inquit, *non habitura in paruis, vel diu durantibus morbis, & qui alicui vitam tantum prorogant, vt ſunt podagra, calculus, & catera.* Sic etiam Tapperus; *Dicitur extrema vnctio eo quod extreme laborantibus hoc eſt de quibus metus eſt, quod ex infirmitate morientur, miniſtratur.* Quibus paria ſcribit Altenſtaig; *Ideo dicitur extremum ſacramentum ſicut nomen ſonat, quia poſt id aliud non ſperatur; vnde ſolum infirmis & periculoſe ægrotantibus, ita quod de vita eorum deſperetur, debet dari.* Sic etiam Cluuaſinus in ſumma Angelica ait *conferri infirmis exiſtentibus in periculo mortis, de quibus probabiliter dubitatur de morte.* Neque alius eſt apud eos vſus, qui non alios vulgo inungunt, quam eos de quorum valetudine nulla ſpes eſt. Sed hæc tanto ſuorum conſenſu conſtituta, Maldonatus Ieſuita conuellere, ac euertere non dubitauit. Negat enim diſerte *ſolis ægrotis de quorum vita deſperatum eſt prabendum hoc ſacramentum: Nam, inquit, priſca Eccleſia omnibus, qui grauius ægrotabant, dabat extremam vnctionem.* Item *Reſpondeo,* inquit, *abuſum eſſe, quod vulgus putat non eſſe dandum hoc ſacramentum, niſi illis de quorum vita deſperatum eſt. Non enim vocatur extrema vnctio vt popularis fert opinio) propterea quod in extremo vita ipſa danda ſit ſed quod cùm multa ſint vnctiones in Eccleſia, hac ſit poſtrema.* Hæc ille

a. l. de extr. vnct. c. 9. ſupr q. 10.
b vb. ſupr. §. 12.
c vb. ſupr. pund. 2.
d vb. ſupr. dub. 9
Eck. de ſacr. 12.

art. 12.

verbo vnctio.

vb. ſupr p. 108. col. 1.
p. 113. col. 1.

modeſtiſſimus Ieſuita, quibus Eckium, Tapperum, & Alſtentaig, omneſque pene ſcholaſticos, & cæteros ſuarum partium Theologos, præter ſe vnum, vulgo accenſet, & inter proletarios ac capite cenſos refert. Sed præter immodeſtiam, videtur etiam illa Maldonati ſententia & ſophiſtica & quidem inſcita, ac frigida laborare. Nam ſi ea ratio, quæ ipſi placet, valeret, *hæc vnctio poſtrema* potius, vel *vltima* dicenda fuiſſet, quàm *extrema*. Certè eam appellationis rationem quæ populo placuit, & perpetuus iſtorum vſus conſtituit, non alios quam deſperate ægrotantes vngentium, & ſæculorum infimorum cum nono, octauo, & ſeptimo comparatio confirmat. Illis enim ſæculis maxime ab a. D. 1200. non aliter ferè quam *exeremam* dictam reperies; his anterioribus nunquam (quod equidem meminerim) *Extrema vnctionis* nomen occurrit. Atqui (vt poſtea demonſtrabitur) quæ his quidem citimis temporibus ægrotis in exitu datur, olim ſuperioribus illis ſæculis non ſolebat in illo articulo dari ex quo vtriuſque temporis diſcrimine apparet à nouiſſimis Theologis extremam ideo appellatam, quod hominibus in exitu detur. Quo accedit Innocentij I. in repari auctoritas. Is enim *extremam communionem* vocat, quæ pœnitentibus in exitu dabatur, plane vt iſti vnctionem extremam dicunt quæ in eodem articulo confertur. Idem quoq; maldonatus aliam ſuorum de hocaliptico negotio κυρίαν δόξαν reiicit, ac deſpuit. Illi enim omnes vna omnes negant vnctionem iſtam eidem infirmo bis in eodem morbo adminiſtrandam. Quid maldonatus? *Ægrotus*, inquit, *non ſemel tantum, ſed per ſeptem dies continuos vngebatur* olim ſcilicet, &c. *tantum abeſt vt verum ſit, quod ſcholaſtici dicunt, hoc ſacramentum non poſſe iterari in eodem ægroto, & in eodem morbo.*

[Margin: Ep. 3. c. 2.]
[Margin: Eſtius in 4. d. 23. ſ. 17.]
[Margin: vb ſupr. p. 215. col. 2.]

Ita quod ab iſtis nunc omnibus recipitur ſolis ſacerdotibus fas eſſe ægrotos vngere, id quoque à non nemine negatum eſt, Thomas enim Valdenſis, vt eſt apud Eſtium, *exiſtimat, vbi deeſt ſacerdos, laico permitti, vt hoc ſacramentum infirmo in articulo mortis adminiſtret.* Idem ante Valdenſem ſenſit Bonauentura, &. ſanctitatis & eruditionis nomine nobiliſſimus apud iſtos Theologus.

[Margin: Bell. Konink. Becan. &c. Tom 1. de ſacr. c. penult. in 4. d. 23. §. 12.]
[Margin: in 4. d 23. q. 1. art. 2.]

Sed. Iſtorum In nulla huius diſputationis parte maior eſt & fœdior inter ſe diſcordia, quàm in ea, à qua totum hocalipticum inſtitutum pendet, nimirum de fine & effectis huius ſuæ vnctionis. Tridentini quidem quod nuper diximus, oleo huic ſuo iſta omnia confertim, ac confuſe tribuunt, *vt delicta, ſi qua ſunt adhuc expianda ac peccati reliquias abſtergat; vt ægroti animam leuet, & confirmet magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua is morbi incommoda ac labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis facilius reſiſtit; vt ſanitatem poſtremo corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, conferat.* Et hæc ipſa

[Margin: Seſſ. 14. c. 2.]

ipſi omnes ſynodi auctoritate coacti retinent. Cæterum quæ ſint *illæ peccati reliquiæ* à ſuis aliptis abſtergendæ, & quid iſtorum quæ tam multa, tamque diuerſa ſunt, in hoc ſuo ſacramento præcipuum ac palmarium ſit, non leuiter diſſentiunt. Eſtius ita ſtatuit; *Quatuor eſſe vnctionis iſtius effectus.* Primum, *peccatorum remiſſionem*, non tamen originalis aut mortalium, ſed venialium, ſine quibus hæc vita non ducitur. Alterum, *reliquias peccatorum auferre atque abſtergere, hoc eſt propenſionem ad malum, languorem & torporem ad faciendum bonum & mentis infirmitatem ad intuenda & meditanda cœleſtia.* Tertium, *ægroti animam alleuiare, & confirmare*; Quartum *denique ſanitatem corporis, non quidem abſolute, ſed quatenus animæ ſaluti expedit, Sanitatis autem nomine quamlibet etiam modicam, corporalis morbi releuationem comprehendendam eſſe, cum ſit quædam inchoata ſanitas*, apte ſanè ac eleganter. Sin quæras horum quatuor, quod primarium ſit huius ſacramenti effectum, reſpondet Scotum quidem & alios plæroſque poſt Bonauenturam hanc laudem primo ex iſtis quatuor tribuere; ſibi verò aliud videri, primarium ſcilicet huius vnctionis effectum *non ſimplicem eſſe, ſed ex pluribus* (nimirum ex tribus prioribus) aggregatum. Quæ ſane ratio & ingenioſa & mirabilis eſt, & hactenus quod ſciam inaudita, vt quærenti, quid ex quatuor primum ſit, reſpondeas tria priora primum eſſe. Bellarminus aliter, Concedit huic ſuæ vnctioni duos effectus, vnum, *quod ſanat corpus, ſi ita expedit animæ ſaluti*, alterum, *quod abſtergit reliquias peccatorum.* Negat *peccatorum reliquias eſſe peccata venialia*, negat *eſſe pronitatem ſiue habitum ex peccato relictum*, vtrumque multis confutat; ipſe vero ſtatuit eſſe primo peccata, *quæ interdum remanent poſt omnia alia ſacramenta, ſiue mortalia, ſiue venialia ſint.* Secundo *torporem & mœrorem & anxietatem, quæ ex peccato relinqui ſolet.* Maldonatus reiectis itidem & acriter (vt ſolet) refutatis duabus illis opinionibus de peccatis venialibus, & de procliuitate ad peccandum, *reliquias peccatorum* accipit de peccatis mortalibus nondum per alia ſacramenta remiſſis, huncque vnum ſtatuit ſuæ vnctionis finem, vt illius generis peccata deleantur. At Vaſques æque ac Maldonatus, Ieſuita venialia iſto ſuo oleo tolli vult: idque ait eſſe de fide. Becanus pugnat *hoc ſacramentum ad tollenda venialia non fuiſſe principaliter inſtitutum*, quod tamen fatetur à Bonauentura, Richardo, Durando, Maiore, Scoto, Almayno, Carthuſiano, Altiſſiodorenſi, Alenſi, Abulenſi, & Nauarro affirmari. Tum commemorat ac confutat eorum ſententias, qui per *reliquias peccatorum* intelligunt vel peccata in anima relicta poſt aliorum ſacramentorum ſuſceptionem, ſeu venialia vt alij, ſeu mortalia, vt Bellarminus & Maldonatus, vel reatum pœnæ temporalis, vel prauos habitus ex peccatis relictos, vel

In 4. d. 23. §. 4.

vb. ſupr. c. 8.

vb. ſupr. q. 2. p. 112. 113.

T. 4. in 3. Thom. q. 87. art. 3. dub. 2. num. 4. & dub. 3. num 6. Becan. vb. ſup. q. 3.

Ibid. q. 6.

vel pronitatem ad malum. Ipſe vero, licet concedat & culpas & pœnas interdum hac vnctione aboleri, id tamen vult ſecundariò tantum & ex conſequenti fieri, hoc autem quidquid eſt ſacramenti *primario & per ſe inſtitutum fuiſſe ad confortandum animum hominis ægrotantis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis: ſpecialem adeo ſive ſacramentalem eius gratiam non conſiſtere in ſola remiſſione, ſeu expulſione alicuius mali culpa aut pœna, ſed præcipue in collatione auxiliorum gratiæ, quibus homo in tali caſu iuuetur & corroboretur. Sed & hoc ſacramentum ſecundario inſtitutum eſſe ait ad diſponendam & præparandam animam, quantum in ipſo ſacramento eſt, ad introitum gloriæ.* De ſanitate quam vna cum aliis huius quoque vnctionis

Ib. q. 8. effectum eſſe vult, ſane per quam dilutè philoſophatur. Neque profectò facile capi poteſt, qua ratione ad hominem morbo corporis liberandum inſtituta fuiſſe ea vnctio dici poſſit, quæ per ſe ac primariò eo tradita eſſe defenditur, vt eum occurrentibus in articulo mortis difficultatibus expediat, & facilem ei in cœlum introitum præbeat, quibus effectis corporis ſanitas non modo non continetur, aut iuuatur ſed iis etiam aduerſari, quodamque modo opponi videtur. Gregorius à Valentia proprium & principalem iſtius vnctionis finem eſſe contendit *quandam mentis ſanitatem:* quam eo ægrotis confert, quod ex eorum animis *abſtergit peccatorum reliquias*, id eſt, vt ipſe quidem definit, *quandam procliuitatem ad malum & difficultatem ad bonum quatenus in peccato fuit quoddam experimentum rei vtilis, aut delectabilis, aut etiam ipſius vſus humanæ libertatis, quod experimentum propter ipſam peccati illecebram animum reddit pronum ad rurſus peccandum, atque adeo etiam ineptum ad bonum.* Eam autem procliuitatem ad malum, & difficultatem ad bonum ait *eſſe non qualitatem aut rem aliquam abſolutam, ſed potius reſpectum quemdam rationis, in eo conſiſtentem, quod ſi quis peccauit, eo ipſo intelligimus ipſum magis eſſe expoſitum periculo peccandi, quam ante.* Ad hanc autem opinationem (quæ quàm inuoluta, ſtulta, & vana ſit, nemo non videt) eo adductus eſt Gregorius, quod præter ſuum illud figmentum, nihil ſibi occurrere videret, quod pro *reliquiis peccati* haberi poſſet: quo loco cæterorum omnium in hoc argumento ſententias explodit, qui eo nomine cenſeri putant vel *maculam peccati*, vel *obligationem ad pœnam* ſiue temporalem, ſiue æternam, vel habitum vitioſum, ſanitatem corpora-

Diſp. 41. Sect. 3. num. 11. lem concedit huius ſacramenti effectum eſſe, ſed *minus principalem*, quod & cæteri omnes ſentiunt. Suares, & qui eum ſequitur

a de extr. vnct. dub. 5. Conink [a] defendunt hanc vnctionem *primario inſtitutam eſſe vt per gratiam habitualem, quatenus habet adiunctas actuales huic effectui proprias, animum infirmi vi morbi infirmitatum ac corpore quodam depreſ-*

ſum

ſum roboret & excitat ad ſpem & fortiorem ſpiritualem, & eum præparet ad fortiter ſuſtinendos Diaboli inſultus, qui nos tum maxime impugnat. Tum ſecundariò huic vnctioni illud quoque tribuunt, *vt deleat in attrito peccata, quæ iam per alia ſacramenta deleri non poſſunt: pœnaſque* adeo *peccato remiſſo reſtantes, ſed aliquas tantum, non autem omnes, quia ſic vix vlli inuncti irent in purgatorium,* ac denique vt *conferat ſanitatem corporis, non abſolute & ſemper ſed interdum, & ſub conditione.* Hæc aduerſariorum eſt de aliptico illo ſuo myſterio doctrina, varia ac multiplex; vt quiuis videt, denſiſque ſpinis ita vndique obſita, & implicata, vt vix reperias inter iſtorum inter ſe pugnantium mucrones, atque aculeos, vbi pedem tutò figere queas. Sacramentum quidem omnes iactant, ſed huiuſmodi, cuius quis ſit propriè finis, vſus, effectus, quæ forma, quæ cæteræ partes, nondum conſtitutum habent. Illud laudo, quod poſtquam multùm, diuque inter ſe conflixerunt, ſeque ſinguli in omnes partes verſarunt, poſtremo pæne omnes disertè confitentur hoc quidquid eſt minime eſſe *neceſſarium vlla vel medij vel præcepti* vt loquuntur) neceſſitate, Item *nullo nos præcepto diuino vel humano ad id obligari, non eſſe id ad ſalutem neceſſarium,* Neque eius *effectum* huiuſmodi eſſe, vt vel *ſine eo ſalutem conſequi,* vel eum ipſum qualiſcumque ſit, non aliunde *comparare poſſimus.* Nos, qui rem ipſam negamus, nihil neceſſe eſt in iſtorum expendendis controuerſiis, ſingulorumque opinionibus excutiendis immorari. Itaque miſſo inutili hoc labore, nunc quod ſecundo loco diſputandum ſuſcepimus, Videamus, an ex diuinis litteris probari poſſit *vnctionem* illam quam tuentur *extremam* vel ab ipſo Domino vel certè ab eius apoſtolis Eccleſiæ fuiſſe traditam, aut inſtitutam.

Bec. vb. ſupr. q. 11. Conink. vb. ſup. q. 10. Vaſq. in 3. Thom. T. 4 q. 90. dub 4. nu. 6. Eſt. vb. ſup. §. 16.

CAPVT III.

Aduerſariorum inter ſe pugna de duobus Noui Teſtamenti locis, in quibus mentio fit vnctionis ex oleo Marci 6. 13. *& Iacobi* 5. 14. 15. *quorum alij neutrum, alij vtrumque, alij alterum tantum ad ſuam vnctionem pertinere contendunt. Tridentinorum abſurda in hoc argumento verſutia.*

ADuerſarij non ſunt in probando, quàm in conſtituendo & definiendo dogmate magis concordes. Cùm enim duo omninò ſint noui Teſtamenti loca, in quibus vnctionis ægrotis adminiſtratæ fit mentio, alij neutrum, alij vtrumque, alij denique alterum tantùm de ſuo myſterio intelligendum putant. Prior locus extat apud Mar-

cum qui de apoſtolis à Chriſto Domino miſſis hæc habet.

Marc. 6. 12. 13.

Et exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant. Alter locus eſt apud Iacobum: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Neutrum horum locorum ad ſuorum vnctionem pertinere diſerte confitetur Caietanus Cardinalis apud iſtos celeberrimus. Ac primo quidem in Marci verba hæc habet. *Hæc vnctio,* inquit, *non ſacramentalis intelligitur* (*qualis* eſt vnctio extrema, quâ vtitur Eccleſia, ſed initium quoddam, & mox, *Apparet* inquit, *quod oleo vtebantur Apoſtoli ad ſanandum non ad ſacramentum miniſtrandum.* Tum Iacobi ex profeſſo itidem enarrans, *Nec ex verbis* (inquit) *nec ex effectu verba hæc loquuntur de ſacramentali vnctione extremæ vnctionis, ſed magis de vnctione, quam inſtituit Dominus Ieſus in Euangelio à diſcipulis exercendum in ægrotis.* Textus enim non dicit. *Infirmatur quis ad mortem? ſed abſolutè Infirmatur quis? Et effectum dicit infirmi alleuiationem, & de remiſſione peccatorum nonniſi conditionaliter loquitur: cùm extrema vnctio nonniſi propè articulum mortis detur, & directè, vt eius forma ſonat tendit ad remiſſionem peccatorum. Præter hoc quod Iacobus ad vnum ægrum multos presbyteros, tum orantes, tum vngentes, mandat vocari, quod ab extremæ vnctionis ritu alienum eſt.* Hæc ille, quæ Ambroſium Catharinum ita pupugerunt vt is nullâ habitâ aut Cardinalitiæ purpuræ, aut ſummæ, quâ Caietanus vbique pollet, eruditionis ac formæ ratione, in virum inuolet non aliter exclamans, quàm ſi de ſua eccleſia actum ſit. Ait futilia eſſe Caietani argumenta, Ait *eum ſanctiſſimam Eccleſiæ & Sanctorum doctrinam euertere, ſed nihil inde lucrari, quàm pro gloria, quam forte appetit ex nouitatibus, infamiam & confuſionem.* Denique hanc ſuam in virum inter ſuos ſummum, ad hæc de Pontifice Romano optimè meritum, intemperiem ſic excuſat, vt dicat *ſe cogi interdum libero Zelo pro veritate & confidenter loqui.* Sed licet ille plurimum ſe iactet, numquam tamen efficiet vt non præ Caietano pumilio ſit. Viderint, quorum intereſt, Nobis ſatis eſt, hanc ab addictiſſimo Romani Epiſcopi ſeruo, infenſiſſimoque Lutheri hoſte, aduerſus quem etiam legatus ab illa ſede in Germaniam miſſus eſt, vi veritatis extortam liberam confeſſionem. Nam ſi hunc aduerſarij audiunt, nullam nobis de fictitio hoc ſuo ſacramento litem; ex diuinis quidem litteris mouebunt: ex quibus quæ duo ſola in hoc argumento ab iſtis afferuntur loca, ille ingenuè fatetur, & acriter defendit ab hac cauſſa penitus eſſe aliena. Quod vero Ambroſius eius rationes eluit, *futileſque vocat*, id quo iure faciat

Iacob. 5. 14. 15.

In Marc 6.

in Iac. 5.

Annot in Caiet. de extr. vnct. p. 191. 192. 193.

mox

mox expendemus. Sed ex aduerſariis multi ſunt, qui vtrumque illum, hoc eſt & Marci & Iacobi locum, ad ſuam vnctionem pertinere contendunt, vt hic ipſe verbi gratiâ, Caietano-maſtix Ambroſius, & Alphonſus à Caſtro, & Lindanus, & Eckius, & Clingius, & Horantius, & alij, quos recenſere nihil neceſſe eſt, vt eos mittam, qui ante exortas noſtras cum Romanis controuerſias nati pœnè omnes eandem eſſe putarunt vtriuſque loci rationem: Ex recentioribus autem illis nemo has partes maiori cum animi contentione tutatus eſt, quam Maldonatus, qui & in controuerſiis ex vtroque loco pro ſuo aliptico mysterio fuſe argumentatur, [a] & in commentariis ad Marcum [b] impotenter more ſuo in eos ex ſuis catholicis bacchatur, qui Marci locum aliò pertinere iudicant. *Hoc loco*, inquit, *agendum non ſolum contra Hæreticos, qui pertinaciter contendunt hic non eſſe ſermonem de ſacramento extremæ vnctionis, ſed etiam contra quoſdam Catholicos, qui penè idem videntur docere, quos tamen magna ex parte ætas nouas nondum experta hæreſes excuſat. Quid autem iam attinebat, vigente iam Lutheranorum & & Caluinianorum hæreſi quoſdam auctores dicere, ſcriptiſque mandare oleum iſtud ab Apoſtolis non tanquam ſacramentum ad ſanandos animos, ſed tanquam medicamentum ad curanda corpora adhibitum fuiſſe? Neque hic de ſacramento, quo nunc catholica vtitur Eccleſia, extremæ vnctionis agi? Quod idem Lutherani & Caluiniani docent. At non negamus (inquiunt) nos eſſe ſacramentum. Vbi ergo ſacramentum eſt, ſi hîc non eſt? aut cur hîc non, ſi alibi eſt? enimuero qui hic de ſacramento extremæ vnctionis agi negat, ad tollendum omninò hoc ſacramentum, aut malignè ſi hæreticus, aut imprudenter ſi catholicus eſt, gradum facit.* Hæc ille: & in nos, vt ſolet contumelioſiſſimè, & in ſuos, non tantum immodeſte, ſed etiam mendaciter, ac ſycophanticè, dum eos fingit de hoc oleo ita exiſtimaſſe quaſi medicamentum fuerit ab Apoſtolis, velut medicis ad curandos morbos ægrotis adhibitum, ſerioque in ſequentibus contra hoc opinionis monſtrum multis diſputat: quod vix puto vlli vmquam ſerio in mentem veniſſe, cùm clarum ſit morbos ab Apoſtolis, non naturali olei, aut alterius medicamenti vi, ſed diuino, planeque mirabili Chriſti dono ſanatos fuiſſe. Neque aliter eâ de re ſentiunt quotquot vidi ex aduerſariis, qui Marci locum ad ſuam vnctionem pertinere negant: vt mera ſit hæc Maldonati in eos calumnia: qui videlicet ira & cauſæ ſtudio de more excæcatus, & animi impotentiâ atque κακόηθείᾳ impulſus, ſuis iſtud *de medicamento* figmentum tribuere non dubitauit. Sed quantumuis ille hanc Euangelici loci de alia, quam de ſua vnctione interpretationem exagitet, catholicisque hominibus indignam putet, non deſunt tamen ex illo, quem

[a] vb ſupr. q. 2.
[b] in Marc. 6.

ipſe pro Catholico habet, grege plurimi, & quidem magni; Mal-
donatoque aut pares, aut etiam ſuperiores, qui eum conſtanter
tuentur; neque rabidi illius ſcriptoris clamoribus, quò minus in
ſententia perſeuerent, hactenus deterreri potuerunt. Bellarminus,
l. de extr vnct. c. 2 toto. & Ieſuita, quod fuit Maldonatus, & Cardinalis, quod ille non fuit,
in eo ordine eſt, diſerte negans ſacramentalem fuiſſe vnctionem ab
Apoſtolis apud Marcum adminiſtratam, idque multis rationibus pro-
a Explic art. 11. bans, Ruardum,[a] & Ianſenium,[b] & Dominicum à Soto[c] idem ſen-
b in Ioa. c. 6. ſiſſe, & ipſe teſtatur & verum eſt. Ac ne Loioliticum ingenium in eo
c in 4. d 23. q. 1. art. 7. deſideres, candide profitetur *hanc ſententiam ſibi eò etiam nomine gra-*
tiorem eſſe quod *videat Lutherum, Caluinum & Kemnitium eſſe in priore*
illa opinione, exiſtimareque eandem eſſe vnctionem Marci 6. & Iacobi
quintô. Mirum quod tam potens ratio Maldonatum ab ea ſententia
T 4. diſp. 8. q 1. puncto 2. p 1470. non dimouerit. Idem cum Bellarmino ſentit, ac fusè diſputat Gre-
gorius Valentianus, multiſque rationibus probat, *quod ad modum*
& efficaciam & ſignificationem, non eandem, *ſed longè diuerſam eſſe*
vnctionem de quâ Iacobus, eâ de qua Marcus, hanc enim ſacra-
mentalem propriè loquendo minimè fuiſſe. Sic etiam Ægidius Co-
diſp. 19. de extr. vnct. dub. 1. num. 3. nink ex eodem Ieſuitarum ſodalitio, Credo, inquit, *verius eſſe vnctio-*
nem illam quâ vtebantur diſcipuli Marci ſexto, non fuiſſe ſacramentalem.
Martinus Becanus, ipſe quoque vnus de iſtis Ieſu ſociis, credo, ne
de ſacr. c. 27. de extr. vnct. q. 7. Maldonatum haberet iratum, probabile eſſe dixit, *Marcum loqui*
de vnctione ſacramentali, Idem tamen vt Bellarminum puto, placa-
ret, ſcripſit mox, ac defendit *probabilius eſſe vnctionem illam de quâ*
in 4. d 23. §. 2. *Marcus non fuiſſe ſacramentalem.* Non eſt dubitandum, quin Eſtij
idem quoque ſenſus fuerit, ſcribentis Chriſtum *hoc ſacramentum*
Marci ſexto ſecundum Typum, & inchoationem quandam inſtituiſſe, quæ
nunquam iſte ita dixiſſet, ſi putaſſet reipſa ſacramentalem fuiſſe com-
memoratam à Marco vnctionem. Atque huic ipſi quæ tantopere
Maldonato diſplicuit, iſtorum ſententiæ apertè fauent Patrum Tri-
dentinorum verba, qui aiunt ſuum illud extremæ vnctionis ſacra-
mentum *à Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem inſinuatum,*
Seſſ. 14. c. 1. *per Iacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem, fidelibus commenda-*
tum, ac promulgatum. Quo loco non videtur prætermittenda ratio,
quæ Tridentinos impulit, vt ſuum hoc decretum ita conciperent
verbis in ſpeciem abſurdis, neque vel rerum ipſarum ingenio, vel
inſtitutæ orationis contextui ſatis conuenientibus. Eam autem ſic
exponit, qui illius Synodi hiſtoriâ Italicâ linguâ compoſuit, vir, quod
ex hoc eius opere apparet doctiſſimus atque ſapientiſſimus, *Ne quis*
vero, inquit, *miretur, cur in primo doctrinæ capite ita loquantur Pa-*
l. 4 med. p. 343. *tres, vt dicant hoc ſacramentum*, à Chriſto Domino noſtro apud
Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum, ac

Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum, *cum vniuerſa orationis ſeries, antecedentium & conſequentium ratio poſtularet*, vt inſtitutum à Chriſto apud Marcum, non autem duntaxat inſinuatum *diceretur, ſciendum eſt primum quidem ita ſcriptum fuiſſe; ſed cùm vnus ex Theologis Patres monuiſſet, Apoſtolos, quo tempore infirmos oleo vnxiſſe à Marco narrantur, nondum fuiſſe ſacerdotes ordinatos, quibus eccleſia ſcilicet Romana in vltima demum cœna collatum à Chriſto docet Sacerdotij ordinem. Viſum eſt abſurdum & à ratione alienum, ſimul, ſemelque & miniſtratam ab iis tali tempore vnctionem ſacramentum affirmare, & hanc ipſam vnctionem negare ab aliis quam à ſacerdotibus, miniſtrari poſſe. Ac tametſi nonnulli, qui Apoſtolicam illam vnctionem pro ſacramento habebant, & à Chriſto tum inſtitutam cenſebant, ad hoc reſponderent Chriſtum Apoſtolos eo ipſo quod vnctionem illam miniſtrare iuſſit, ſacerdotes quod ad hunc ſolam actum pertinet, conſtituiſſe, non ſecus ac ſi Papa ſimplicem presbyterum Chriſmatis ſacramentum adminiſtrare iuberet, eum quod ad hunc quidem actum pertinet, Epiſcopum conſtitueret, tamen nimis periculoſum viſum eſt id abſolutè aſſirmare. Eo factum eſt, vt pro eo quod initio ſcriptum erat inſtitutum fuiſſe hoc ſacramentum, Immutato vocabulo poſtea ſcriptum fuerit id* inſinuatum. *Quam autem apposite hoc loco vocabulum* inſinuatum *adhibuerint, quidque id hac in re ſignificare verè valeat, facile iudicabit quiſquis intellexerit, quid ſit inſinuare, idque accurate retulerit & ad ea, quæ tam Apoſtoli feciſſe apud Marcum narrantur, & ad ea quæ Iacobus in epiſtola ſua præcipit, & cum iis denique compararit, quæ ſunt ab illa Synodo hac de re definita.* Atque hæc ille hactenus. Iam ex ſuperioribus liquet, quàm fluxa & incerta ſit omnis hæc aduerſariorum ratio, qui ea ad probandum ſuum dogma afferunt quæ non certa, non euidentia, non ipſis quibus cum agunt aduerſariis, agnita ac confeſſa, ſed adeo obſcura & dubia ſunt vt ne apud ipſos quidem, qui ea afferunt, conſtent. Duo enim illa ſcripturæ loca, ex quibus alipticum ſuum myſterium conſtituunt ex ipſis pars eò pertinere omnino negant, vt Caietanus, pars variis diuerſiſque interpretationibus vexant de eorum ſenſu inter ſe digladiantes, vt cæteri. Quis non videt ex rebus adeò incertis, ac dubiis nihil certi fieri ac concludi poſſe? Monendoſque iſtos, vt priuſquam nobis ſuum dogma probare aggrediantur, ipſi primum inter ſe conſentiant. Marci verba vrget Maldonatus, & niſi ibi ſit ſuum dogma, alibi eſſe negat. Ibi eſſe negant non modo Caietanus, ſed & Bellarminus, & multi alij, Ergo ſi vera hi dicunt, neque apud Iacobum ex Maldonato eſt, quod vltro concedit Caietanus. *Vbi eſt*, inquit *Maldonatus ſi hic* (apud Marcum) *non eſt?* Non eſſe autem apud Marcum, Bellarminus & cæteri conſentiunt. Ergo ne apud Iacobum quidem eſſe, fateri certe ex Maldonato debent.

Ipſa illa iſtorum tam vehemens inter ſe pugna ac concertatio fatetur nihil ſcripturas liquido de hoc ipſorum dogmate docere, vel definire. Ac ipſæ quidem ſcripturarum voces claræ ſunt; neque quicquam habent obſcuri, aut dubij. Refert Marcus Apoſtolos *oleo* ægrotos complures *inunxiſſe & ſanaſſe*: Præcipit Iacobus, *ſi quis ægrotat* presbyteros ſuper eum orare, & *oleo in nomine Domini vngere*; pollicerurque fore, vt *oratio fidei ægrotum ſeruet*, & peccata, ſi qua ſint, remittantur ei. Quid clarius aut ſimplicius dici potuit? vnde ergo eſt omnis hæc iſtorum in re tam aperta diſſenſio, æſtuatio ac pugna? Nimirum ab vnô cauſæ ſtudiô eſt: quod cum in his locis leui rerum ſimilitudine decepti, dogma illud alipticum reperire omninò velint (quod tamen nuſquam re verâ in iis eſt) coguntur, vt quod cupiunt, teneant, ſcripturæ vim inferre, & quæ in eâ dogmati ſuo aduerſantur tollere ac exterere. Inde eſt, quod alius aliter ſentit; quod non omnibus eadem vel commoda vel incommoda videantur. Caietani quidem laudanda magnanimitas quem ne cauſſæ quidem tametſi cariſſimæ, ſtudium ſic peruertere potuit, vt non confiteretur quod res eſt; nullam eſſe in duobus illis locis Romanam vnctionem. Cæterorum ideo magnæ, ac turpes pugnæ, quod apertæ huic, quam Caietanus confitetur veritati, repugnare & aduerſari maluerunt. Sed quamquam contumax illis in verum animus fuit, non potuerant tamen à ſe impetrare vt id totum planè, penituſque repudiarent. Partem quiſque eius aliquam tenuit: partem dimiſit. Verum eſt, quod defendunt Maldonatus, & alij cum eo ſentientes, eandem eſſe vtramque tum Marco, tum Iacobo memoratam vnctionem. Verum quoque eſt, quod Bellarminus, & plures alij tuentur, quæ à Marco commemorata eſt vnctio, eam non eſſe ſacramentum extremæ (vt vocant) vnctionis. Si vel hoc Maldonatus, vel illud Bellarminus admitterent, vtramque veri partem haberent. Sed obſtitit dogmatis aliptici ſtudium, quod vt retinerent, coacti ſunt aliquam eius veri partem cum quo toto id conſiſtere non poteſt, dimitere. Itaque hanc quam Bellarminus omnino retinendam putauit, reſpuit Maldonatus (nimirum Marci vnctionem non eſſe extremam Romanorum vnctionem) viciſſim eam partem abiecit Bellarminus, quam Maldonatus dimitti non poſſe iudicauit (nimirum eandem eſſe & Marci & Iacobi vnctionem) Nos quibus liber eſt à cauſæ ſtudio animus, quod quiſque iſtorum ſeorſim habet, amplexabimur, atque ita verum, quod iſti in partes diſcerpſerunt, redintegrabimus. Ac cum Maldonato quidem primum & ante omnia conſtituemus eandem eſſe & Marci, & Iacobi vnctionem. Tum cum Bellarmino aſſumemus quæ apud Marcum extat vnctio

eam,

eam minimè eſſe id *extrema*, vt vocant, vnctionis ſacramentum, quod hodie celebrat Papæ Romani communio. Vnde poſtremo cum Caietano concludemus, neque ad id ſacramentum pertinere eam vnctionem quæ à Iacobo commemorata eſt. Sed vt conſtet quàm hæc omnia vera ſint, quamque fruſtra iſti vel in Marco, vel in Iacobo ſuum illud myſterium quærant, iam vtriuſque ſcriptoris loca ſeorſim expendamus.

Capvt IV.

Explicatur locus Marc. 6. 13. ſoluitur argumentum quod hinc Maldonatus pro extrema vnctione petit.

AC Marci quidem ſimpliciſſima narratio eſt, referentis miracula à Chriſti Apoſtolis in prima illa miſſione edita, quorum duo genera commemorat: prius quod *dæmonia multa eiicerent*: alterum *quod multos ægros oleo vngerent & ſanarent*. Nimirum Chriſtus, dum eos mitteret, hanc iis poteſtatem dederat, vt obſeruarat diſerte Marcus: & Matthæus ſuo more fuſiùs, ac explicatiùs rem eandem enarrans, *Dedit*, inquit, *illis poteſtatem ſpirituum Immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem*. Mox Chriſtum Inducit dum eos dimittit ita præcipientem, *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite*. Neque aliter Lucas, *conuocatis inquit, duodecim diſcipulis, dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia & vt languores curarent, & miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos*. Tum euentum miſſionis ſubiicit. *Egreſſi autem* (inquit) *circumibant per caſtella, Euangelizantes, & curantes vbique*. Planè, vt Marcus, *& exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant*. Nunc omnia clara & aperta ſunt. Mittit Chriſtus Apoſtolos *prædicare regnum Dei & ſanare infirmos*, vt habet Lucas. Iubet eos, quod habet Matthæus, *prædicare dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum, infirmos curare, mortuos ſuſcitare, leproſos mundare, dæmones eiicere*: Et quod Matthæus, Lucas, & Marcus pariter obſeruant, *dat in poteſtatem* mira illa patrandi. Illi ex Domini mandato exeunt, prædicant, dæmonia eiiciunt, morbos curant, & quidem, vt Marcus monet, adhibito ægrotis oleo. Quis, niſi ſtupens, non videt hæc omnia ad illam Apoſtolorum miſſionem pariter pertinere? Duo Chriſtus præceperat vt diſerte docent & Matthæus

Marc. 6. 7. & 3. 15. Matt. 10. 1

Ib. v. 8.

Luc. 9. 1. 2. Ib. v. 6.

Luc. 9. 2. Math. 10. 7. 8.

thæus & Lucas, *vt prædicarent regnum Dei*, atque mira illa facerent, hoc eſt dæmonia eiicerent, languores curarent &c. Quorum prius fateor, omnium Chriſti miniſtrorum cum Apoſtolis commune eſſe, nimirum regni cœleſtis prædicationem; alterum, nimirum miracula edere, extraordinarium, & primorum miniſtrorum proprium, non autem omnium omnino Epiſcoporum & preſbyterorum commune eſſe, & res ipſa clamat & aduerſarij fatentur. Itaque iſtis concedo quidem, vt hinc concludant preſbyterorum, Chriſtique miniſtrorum hoc eſſe munus, vt *Euangelizent regnum Dei, & prædicent pœnitentiam, Vt vero ægrotos oleo vngant, & ſanent*, id quoque omnium eſſe officium, profecto non aliter hinc conficient, quam ſi probauerint & miniſtros omnes mitti *ad ſanandos infirmos* & omnibus præcepiſſe Chriſtum, *vt infirmos curent*, & omnibus denique hanc à Domino poteſtatem datam, vt *omnem languorem & infirmitatem curent.* Præterea ſi hinc habetur quorumuis preſbyterorum eſſe *ægrotos inungere & ſanare*, hinc etiam neceſſario efficietur, vt cuiuſuis preſbyteri ſit, *& dæmonia eiicere & mortuos ſuſcitare & leproſos mundare.* Omnium enim iſtorum eadem omnino apud diuinos ſcriptores ratio eſt; Neque Chriſtus ſuis, vt hæc facerent minus aut aliter præcipit, quam vt *ægrotos curarent*; *Infirmos*, (inquit apud Matthæum) *curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite.* Ergo neceſſe eſt Romanos preſbyteros aut hæc vltima ſibi quoque aſſumere aut certe illud primum de vngendis, ſanandiſque ægrotis dimittere. Iſta enim ita cohærent, ac conſerta ſunt, vt nullum horum ab aliis diuelli poſſit. *Vnxerunt*, inquit *ægrotos Apoſtoli*; ergo & quiuis preſbyter ægrotos vngere poteſt ac debet. *Curarunt*, inquam ego, *omnem languorem* Apoſtoli, *dæmonia eiecerunt, mortuos ſuſcitarunt, leproſos* mundarunt. Ergo & cuiuſuis preſbyteri eſt, *omnem languorem curare, dæmonia eiicere, mortuos ſuſcitare, leproſos mundare.* Illud obtinere non potes, niſi & hoc concedas. Sin hoc reſpuis, & quidem meritò, non eſt, quò illud obtinere te poſſe ſperes. Vtrumque pariter aut concedendum aut negandum. Negandi vero ratio manifeſta eſt. Nam Apoſtolis quidem iſta disertè præcepit Chriſtus; Et quò ea ederent, facultatem dedit, ac poteſtatem; vt apud Euangeliſtas legimus. Quibuſuis preſbyteris eadem Chriſtum præcepiſſe, & poteſtatem res huiuſmodi patrandi dediſſe, neque vſquam legimus neque ſane verum eſt. Ergo Apoſtolis quidem iſta facere licuit; Quibuſuis preſbyteris eadem vel patrare, vel audere & tentare vt liceat, nulla ratio eſt. Preſbytero, quâ preſbyter eſt, id tantum ex Chriſti voluntate, & Apoſtolorum totiuſque Eccleſiæ diſciplina incumbit, vt *Euangelizet & baptizet, & panem calicemque* ſacrum adminiſtret. Sin tibi id quoque conceſſum pertendis, vt ægrotos ſanes, & mortuos reſuſcites,

&

& dæmonia eiicias; primo denuncio poteſtatem eſſe experimentis confirmandam; hoc eſt ægrotos reapſe curandos, mortuos reſuſcitandos, dæmonia eiicienda, leproſos mundandos quorum tu nihil pręſtas, nihil adeo à Chriſto huiuſmodi in mandatis habes, qui nunquam ſcilicet eam ſuis poteſtatem dat, quæ vana ſit, & inanis, & effectu ſuo careat. Tum ſi quid etiam huius generis pręſtares, tu id peculiari & extraordinario, non autem omnium presbyterorum communi iure, præſtares; nihil adeo Aduerſariorum hac in parte cauſam promoueres, qui id vngendi ius, quod in presbyteris, quæſitum volunt, non vnius, aut alterius, ſed omnium commune, & ordinarium, vt loquuntur, non autem extraordinarium eſſe ſciſcunt.

Capvt V.

Vindicatur noſtra Marci expoſitio à Maldonati obiectiunculis, eiuſque ſententia & rebus ipſis, ex Bellarmini & aliorum de eodem grege teſtimoniis, ac rationibus refellitur.

Sed cur, inquis, Chriſtus hoc Apoſtolis conceſſit, ac præcipit; nobis qui Apoſtolis ſucceſſimus, negauit? Primò impudens eſt hæc interrogatio, quaſi Domino non liceat quod vult, facere in ſuis, ac de ſuo? Matth. 20.15. Tum & clara eſt diſcriminis ratio. Nimirum, ſignis ac miraculis fidem in principio confirmari decuit, eadem nunc abundè confirmata, nihil iſtis amplius eget; Ideo Dominum, quam primis prædicationis miniſtris dedit miraculorum edendorum poteſtatem, eandem nobis qui primis ſucceſſimus dare, nihil neceſſe fuit. Quid ad hęc Maldonatus? Ille vero audaci, & ante ipſum inaudito facinore, negat ad morborum curationem pertinuiſſe illam ægrotis ab Apoſtolis adhibitam vnctionem, quos diſertè ſcribit *oleum adhibuiſſe propter curationem animi, non propter curationem corporis.* T. 2. de ſacr. q. 1. de extr. vnct. p. 204. col. 2. extr. Vult nimirum illius vnctionis præcipuum ac formalem effectum fuiſſe peccatorum remiſſionem, non autem corporis ſanitatem. Et ſanè, ſi hæc vnctio propè ſacramentum fuit, omnino alio, quam ad corpus curandum pertinuit; quod *omnia ſacramenta*, vt ipſe Maldonatus verè obſeruauit, *per ſe pertineant ad animum, per accidens ad corpus.* ibidem 9.2. p. 211. col. 2. in. Itaque ille qui vnctionem Apoſtolicam ſacramentum fuiſſe vult; dogmati quidem conſentanea loquitur, dum eandem *ad corporis curationem pertinuiſſe negat*? Marco vero exſerte contradicit,

qui ad ſanandum corpus pertinuiſſe eô ipsô clariſſimè ſignificauit, quod ſcripſit Apoſtolos, *ægrotos complures oleô vnxiſſe & ſanaſſe.* Quod *eos ſanaſſe* ait, ne ipſe quidem Maldonatus de corporis curatione intelligendum eſſe negat. Quorſum verò illud de vnctione promiſſum fuit, niſi vt vnctos, ſciamus, qui ſanati ſunt, & eo quidem vnctos, vt ſanarentur? Qualiter vbi narrat ſcriptura, *iuſſiſſe Iſaiam vt tollerent maſſam de ficis & cataplaſmarent ſuper vulnus Ezechiæ, & ſanaretur*; nemo non intelligit idcirco id factum fuiſſe vt Ezechias curaretur, non autem vt peccata ipſi remitterentur. Sic vbi refert Ioannes Chriſtum cæci oculis factum ex ſputo lutum illeuiſſe; iuſſiſſeque, vt oculos in natatoria Siloe lauaret; eoque facto cæcum veniſſe videntem: nemo niſi furat, non perſpicit lutum illud non ad remittenda cæco peccata, ſed ad id quod Chriſtus agebat, pertinuiſſe, nimirum viſum illi reſtituere habebat in animo, quod & fecit. Cæterorum de hoc genere, eadem eſt ratio. Ergo cum Marcus eodem planè modo narret, *ægrotos ab Apoſtolis oleo inunctos, & ſanatos fuiſſe,* planum eſt hic à Marco commemoratam iſtorum vnctionem ad ſanandos eos fuiſſe adhibitam: omninoque iſta Euangeliſtæ verba, καὶ ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους, καὶ ἐθεράπευον, idem valere ac ſi dixiſſet, καὶ ἀλείψαντες vel ἢ ἀλειφθέντας ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους ἐθεράπευον, hoc eſt, *& ægrotos multos oleo inunctos, vel cum inunxiſſent, ſanarunt,* cuiuſmodi locutionum exempla paſſim obuia ſunt in ſacris litteris. Quod ſi hæc *vnctio* non ad corpus, ſed ad animum, vt vult Maldonatus, pertinuit, eam Marcus in priori, non autem in poſteriori, quod fecit, commatis parte, commemoraſſet. Duo enim diſtinctè recenſet in hoc commate operum Apoſtolicorum genera, quorum prius ad animos hominum, poſterius ad corpora refertur. Prius eſt, quod Apoſtoli *prædicabant, vt pœnitentiam agerent,* poſterius quod *dæmonia multa eiicerent.* quorum illud, vt quiuis videt, ad animos pertinet, hoc ad corpus. Si ergo *vnctio* ad prius genus propriè pertinuiſſet, quod vnus pertendit Maldonatus, eam procul dubio Marcus in priori quoque ordine commemoraſſet hoc modo, *Prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & oleo ægrotos vngebant,* quanquam ne ſic quidem Maldonatus haberet, quod cupit. Nunc cum planè aliter Marcus inſtituerit, & poſt commemoratam *dæmonum eiectionem,* quæ ad corpus pertinet, vnctionem ægrotorum continuò ſubiecerit, planum eſt eam quoque ad corpus pertinuiſſe, non autem ad animum, ad quem quæ referebantur Apoſtolorum opera, non hoc, ſed priori loco recenſuit Marcus. Huc accedit, quod nemo veterum, nemo recentiorum aliter hanc quæ apud Marcum extat, *vnctionem,* intellexit, Omnes enim eam confitentur ad corporis ſanitatem pertinuiſſe, eamque vel ſignificaſſe, vel etiam, tanquam myſticum

Iſa. 38. 21.

Ioan. 9. 6.

aliquod

aliquod ſymbolum, ſuô quodam modô effeciſſe; vt ſingularem oporteat fuiſſe Maldonati audaciam, atque impudentiam, qui eam vnus contra cæterorum omnium ſententiam, contra ipſius Euangeliſtæ verba, ac mentem, *propter curationem corporis ab Apoſtolis adhibitam* negare non dubitauit. Atque hæc quidem nobis ἐν παρέργοις dicta ſint. Nobis enim qui hac in parte diſputationis, non quæ ipſi ponimus, demonſtramus, ſed aduerſariorum allatas ad id, quod ipſi ponunt, demonſtrationes expendimus, ſatis eſt negare id, quod affirmat Maldonatus, ſcilicet illos ægrotos ideò ab Apoſtolis propriè inunctos fuiſſe, vt peccata illis remitterentur; & quærenti quorſum ergo inungerentur, id reſpondere quod & Marcus ſtatim ſubiicit, & omnes qua veteres, qua recentiores confitentur, *vnctos fuiſſe vt ſanarentur*; Sed pugnat tamen Maldonatus vnctionem illam non pertinuiſſe ad corporum curationem; verùm rationibus ita futilibus, vt vix dignæ ſint, quæ recitentur. Primò affert *oleum non eſſe medicamentum ad curanda genera omnia morborum* Quid tum? Neque enim quiſquam putat adhibitum fuiſſe ab Apoſtolis oleum, velut *medicamentum*, cuius vi naturali ſanarentur ægroti, ſed velut ſymbolum curationis, quam ſupernaturali Chriſti virtute præſtabant. Tum obiicit, *Apoſtolos, ſiquidem voluiſſent miraculo curationis homines conuertere ad Euangelium, non curaturos fuiſſe oleo; quia omnes exiſtimaſſent naturaliter ægrotos fuiſſe ſanatos*. Quaſi vero quiſquam ita ſit ſtupidus, aut rerum naturalium imperitus, qui vi olei ægroto illiti putet morbos, præcipuè graues, ſtatim curari poſſe, qualiter ab Apoſtolis tum curabantur. Addit commentariis in Marcum, *nihil opus fuiſſe eiuſmodi ſigno, cum ſecuta ſtatim ſanitas fidem miraculi faceret, quam poterat quidem oleum non augere, ſed abrogare exiſtimantibus hominibus qui oleo adhibito ægrotos ſanari viderent non virtute vlla diuina, ſed naturali olei proprietate, curari. Tum negat vti nos ſolere ſignis ad ea, quæ oculis cernuntur*. Ego verò reſpondeo falſum & ridiculum eſſe, quod ait *oleum abrogaturum fuiſſe, miraculi fidem, ſi in curatione morborum adhibitum eſſet*. Quis enim neſcit non ſolere naturali olei vi morbos, præſertim vt dixi, graues curari? & quidem ſtatim, Si quis eſſet Ieſuita, qui illito corpori oleo communi quibuſuis ægris ſanitatem ſtatim repræſentaret, quis dubitat, quin hominem omnes pro viro diuino, vel certè ſupernaturali aliqua poteſtate prędito ſint habituri? Quod verò negat ad miraculum decuiſſe vti ſigno aliquo, aut ſymbolo externo, eo non nobiſcum, ſed cum Deo, & Chriſto & Apoſtolis pugnat. Nam & Deum ad Ezechiam grauiſſimo, lethalique morbo liberandum cataplaſmate ex ficis vſum ex Iſaia nuper audiuimus, & piſcinæ lauacro ad infirmitates Iudæorum curandas, & Iordanis aqua ad Naamani lepram pur-

vb. ſupr. q. 1. p. 200. extr.

in Marc. 6.

gandam, & rarò denique vllum inſigne miraculum ſine ſymbolo edidiſſe. Chriſtus vero itidem, cœcum vt ſanaret, & puluere ſaliua diluto aſperſit, & in Natatoria oculos abluere iuſſit; quæ & ſymbola quædam erant, neque miraculum vllo modo obumbrabant. Apoſtolos poſtremò adhibito oleo ægrotos curaſſe, & affirmat diſertè Marcus, & omnes hactenus, præter vnum Maldonatum, crediderunt. Ergo iſte hac ſua argumentatione, non tam ſententiam noſtram confutat, quam Deum, Chriſtumque & Apoſtolos per immanem blaſphemiam ſtultitiæ incuſat, qui ſignis in hoc genere vſi ſunt, in quo ea, ſi iſti credimus, non modo vana & inutilia, ſed etiam noxia & damnoſa erant; qui rè quæ (vt affirmare non veretur) diuinorum miraculorum fidem *abrogabant*. Quod addit poſtremò, *nos non ſolere vti ſignis ad ea, quæ oculis cernuntur*, & falſum eſt, (vix enim fit in vita humana quicquam maioris momenti ſine aliquo ſigno & ſymbolo) & tametſi verum eſſet, nihil tamen concluderet, cum hic non de hominibus, ſed de Deo, eiuſque miniſtris agatur, quos ex nuper memoratis exemplis patet ſigna etiam in rebus manifeſtis adhibuiſſe. Mitto quod quærit Maldonatus, *quorſum Apoſtoli medicamentis vſi fuiſſent, qui non medicinam, ſed Euangelium profitebantur*. Non enim ij ſumus, qui vel putemus, vel dicamus olei vi, velut phyſici medicamenti, curatos ab Apoſtolis ægrotos. Oleum illi vt ſignum, & ſymbolum morale, non vt medicamentum naturale adhibebant. Quod idem aſſeuerat Apoſtolos à Chriſto diſertè iuſſos fuiſſe, oleum ægrotis adhibere, id & incertum eſt, & ἀπροσδιόνυσον. Incertum quidem; non enim vllus Euangeliſtarum narrat, tale quid à Domino præceptum. Hugo quidem Grotius ſcribit *id ex antiquo Hebræorum more* aſſumptum fuiſſe, *qui* inquit, *vt manuum impoſitionem precibus pro aliquo ſuſceptis abiungere ſolebant, ita & vnctionem per oleum circa ægrotos, pro quibus preces ſuſcipiebantur, in ſpem impetrandi, a Deo leniminis & gaudij, quæ per oleum ſignificatur*. Quod ſi verum eſt, Apoſtoli ita oleum, vt preces, quibus à ſuis vnctionem abiungi ſolenne eſſe videbant, in his curationibus adhibuerunt. Neque fuit, quod vererentur ne eo additamento miraculum corrumperetur, qui ex ſimplici corde preces ad rem magnam eo maximè modo conceperunt, quo à ſuis in ſimili occaſione concipi ſciebant, id eſt etiam adhibito ad confirmandum ægroti animum oleo. Mihi tamen probabilius videtur vel ab ipſo Chriſto, vel certè ab eius ſpiritu admonitos Apoſtolos, vt etiam oleo vterentur, non quidem vt neceſſario, ſemper & vbique, ſed pro re & occaſione, quoties id commodum & conſultum, videretur. Alioqui enim certum eſt non ſic affixam huic ſymbolo fuiſſe facultatem miraculorum, etiam curationum, iis à

in Marc. 6.

ibidem.

in Marc. 6.

Chriſto

Chriſto datam, vt non ſæpè ſine eo morbos curarent; qualium ſanationum ſine oleo hiſtoriç aliquot in Actis narrantur, vt cum Petrus claudum ad portam templi ſanauit. Reſuſcitatorum verò ſine oleo exempla perperam huc à Maldonato afferuntur. Aliud enim eſt reſuſcitare mortuum, aliud morbum curare. Vnde patet quid ei ſit reſpondendum, quęrenti, cur oleo Apoſtoli, ſi id ſymbolum miraculoſæ curationis fuit non in omnibus curandis ægrotis vſi ſint? Nimirum quia id non neceſſario & ſemper, ſed liberè & pro re & occaſione ex ipſorum arbitrio vtendum, inſtitutum & commendatum erat à Chriſto id ſymbolum. Ergo concluſum eſto oleum hoc extraordinariæ & miraculoſæ curationis ſymbolum, ſiue ſignum fuiſſe, nulla quidem neceſſitate, ſed tamen ordinis & decori gratia, interdum pro vt e re eſſe iudicabant ab Apoſtolis adhibitum, vnde liquet minime conſequi, vt id pro ſacramento habeatur, idque quibuſuis presbyteris adhibere ægrotis liceat, niſi forte ſint, quibus extra ordinem miraculoſã ſanationum facultas à Deo data fuerit. His enim ſi qui fuerint, liberum fore exiſtimamus Apoſtolorum more ægrotos eos inungere, quibus Sanitatem dono Apoſtolici chariſmatis gemino præſtituri ſunt. Pluribus contra Maldonati ſententiam nihil eſt opus quæ nunc vbique apud aduerſarios deſerta iacet, pœnè omnium, qui de hoc argumento ſcripſerunt, iaculis & argumentis confoſſa. Menochius quidem, & Tirinus eam diſerte, prior etiam appellato nominatim Maldonato repudiant. Tirinus ait vnctionem illam *nudam cæremoniam fuiſſe, ad hoc ſolum adhiberi iuſſam à Chriſto, vt congruo ſymbolo teſtatum facerent Apoſtoli ſe miſſos a Meſſia, ſeu à Chriſto, id eſt, vncto, virtutemque qua ægrorum corpora curabant, ab eo promanare, quem vnxit Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis.* Sed hæc quidem ſymboli huius ratio paulo ſubtilior videtur. Nos ſimplicius putamus ideo delectum à Deo hoc potiſſimum ſignum, quod ex eius gentis vſu oleum eſſet gaudij, & ſpei ſymbolum, vt ait Grotius in quam erigebantur ęgroti, quibus Apoſtoli manus admouebant. Vel quod oleum in corpore humano magnam vim etiam à natura habeat, appoſite eius inunctione admonebantur ægroti fore, vt morbi vi lenita, ac commitigata, ſanitatem à Domino reciperent, Qualis itidem fuiſſe videtur illarum ficuum vſus, quæ Ezechiæ vulneri ab Iſaia admotæ ſunt. Sic & Chriſtus hominem ſurdum & mutum curaturus in eius aures digitos immiſit, & linguam eius ſaliua tetigit, vt his ſignis hominis mentem erigeret in ſpem certam miraculi, Nimirum his ſignificabat fore, vt vi ſua ac nutu aures eius aperirentur, & lingua ſolueretur. Neque aliter olim Moyſes petram, ex qua aquas eduxit, baculo primum percuſſit, ſignificans, vt liquor ex teſta baculi ictu effracta effluit, ſic ex

Act. 3. 6.

ad Marc. 6. 13.

pſ 45. Amo. 4. 4. 8.

Marc. 7. 33.

Num. 20. 11.

rupis vi Dei ac manu diffiſſæ viſceribus erupturam aquam.

Antequam hinc digrediar, operæpretium puto quædam ex Bellarmini argumentis deſcribere, quibus ille Maldonati ſententiam impugnauit: quod ea ſint huiuſmodi, vt nobis in ſequenti de Iacobi loco diſputatione vſui eſſe poſſint. Sic ergo ille agit; *Primo* (inquit) *illa vnctio qua vtebantur Apoſtoli referebatur ſolum aut præcipue ad curationem morbi corporalis, vt ex eo loco* (*Marci 6.*) *patet. Vnde etiam ſanabantur omnes, qui tum inungebantur. Sacramenta autem per ſe ad animam pertinent, ad corpus per accidens aut certe ſecundario.* Vnde conficitur illam ab Apoſtolis adhibitam vnctionem non fuiſſe ſacramentũ. Mox aliud argumentũ ſubiicit; *Accedit* (inquit) *quod Apoſtoli tũc promiſcue vngebant quoſlibet ægrotos* &c. At *ſacramentum vnctionis non datur, niſi iis, qui decumbunt cum periculo vitæ, vt omnes concedunt.* Item Apoſtoli tunc cum *inungerent, non quærebant eſſent ne baptizati, qui inungendi erant & omnino probabile eſt, multos ab eis inunctos, qui infideles erant. At certe ſine baptiſmo nihil proſunt ſacramenta cætera, nec dari poſſunt, aut debent non baptizatis ſine peccato.* Ex his (cætera enim mitto) concludit, & recte quidem Bellarminus vnctionem illam qua Apoſtoli ægrotos oleo vnxiſſe & ſanaſſe à Marco narrantur, non eſſe vnctionem quam nunc Romanæ communionis homines in vſu habent, quamque ſacramentum Eccleſiæ Chriſtianæ ſolenne ac perpetuum eſſe contendunt. Vnde poſtremo liquet fruſtra ac perperam tum à Maldonato, tum ab Alfonſo Caſtrenſi, Thoma Valdenſi, Lyrano, & aliis pro extrema ſua (vt vocant) vnctione adductum hunc fuiſſe Marci locum omninoque recte feciſſe Caietanum, qui eum alio pertinere ſcripſit, quidquid Catharinus oggauniat; cuius eo minus ferenda eſt in Caietanum petulantia, quod Synodus Tridentina, cui ipſe interfuit, Caietani hac de re ſententiam, Bellarmino teſte; approbauit, dum dixit *hoc ſacramentum Marci ſexto inſinuatum.* Dicitur enim, (inquit Bellarminus) *id inſinuari, quod non expreſſe proponitur, ſed adumbratur & obſcure indicatur.*

vb. ſupr c. 2. 5. De priore.

vb. ſupr. p. 101.

vb. ſupr 5. Denique Tridènt.

Capvt VI.

Soluitur cæterorum aduerſariorum pro extrema vnctione è Iac. 5. ductum argumentum, vnctionem Iacobæam plane eandem eſſe cum Apoſtolica de qua Marc. 6. Exponitur Iacobi locus, & noſtra expoſitio Caietani ipſius teſtimonio confirmatur.

NVnc ad Iacobi locum veniamus, in quo explicatis Marci verbis nihil ſupereſt difficultatis. Primo ſi Maldonatum audimus, res

res peracta eſt. Is enim, quod ſupra commemorauimus, de Marci loco verba faciens, *Vbi*, inquit, *ſacramentum* (extremæ ſc. vnctionis) *eſt ſi hic non eſt? Hic autem*, ideſt apud Marcum, *non eſſe*, Et rebus neceſſariis, & omnium aduerſariorum, qui recentiori memoria ſcripſerunt, Tridentinorumque adeo ipſorum Teſtimoniis ac confeſſione demonſtrauimus, Ergo Maldonato quidem Iudice, neque apud Iacobum, neque alibi vſpiam in diuinis litteris eſt extremæ vnctionis ſacramentum. Idem quoque concludendum tum ex Maldonati tum ex eorum omnium ſententia, qui, quod ſupra diximus, eandem eſſe vtriuſque ſcriptoris, Marci ſcilicet, & Iacobi, vnctionem arbitrantur. Nam ſi vtriuſque eadem eſt cùm quæ à Marco commemoratur, eam Romanum ſacramentum minime eſſe probatum ſit, patet neque ei, quæ à Iacobo commendatur, id nominis conuenire. Sed iſtos quidem mittamus. Rem ipſam per ſe putemus. Te Bellarmine, hic appello, te Gregori Valentiane, voſque, ô Cæteri, qui cum Bellarmino ſentitis. Dicite, quæſo, quid cauſſæ ſit, cur qui Marci vnctionem ſacramentum veſtrum eſſe negatis, non idem de Iacobea confiteamini? dicite quid ſit inter vtrumque diſcriminis? Marcus ægrotos vnctos fuiſſe ait. Iacobus infirmos, ſeu morbo laborantes vngendos dicit, & quidem vterque oleo, & à miniſtris Domini. Ille qui vncti erant, ſanatos fuiſſe ait. Hic qui vngentur, morbo ereptum iri. Eadem vtrobique res, eadem rei cauſſa, materia eadem, idem finis, idem denique effectum. Quæ vero affertis diſcrimina, ea non à Iacobo, ſed à veſtro ingenio ſunt omnia, Neque quicquam, niſi in eos valent, qui nobis id ipſum, quod nos negamus, ac de quo diſputamus conceſſerint, nimirum Iacobæam vnctionem eſſe ſacramentum. *Vnctio, de qua Marcus*, inquit Bellarminus, *referebatur ſolum, aut præcipue ad curationem corporis, ſacramenta autem per ſe ad animam pertinent.* Vera omnia ſed falſum quod iſte, ſi aduerſus me diſputat, non modo perperam, ſed etiam ſtulte, ac ridicule aſſumit, nempe vnctionem Iacobæam ſacramentum eſſe. Id enim nego, ac pernego. Itaque nulla per me inuidia eſt Iacobæam vnctionem ipſam quoque ad corporis curationem vel ſolum, vel præcipue pertinere, vt ne hac quidem in parte quicquam ab vnctione Marci differat. Tum addit Bellarminus Apoſtolos, quo tempore apud Marcum vngebant, nondum fuiſſe preſbyteros, qui autem apud Iacobum vngunt, eos eſſe ac dici preſbyteros. Quid audio? Qui Apoſtoli erant, ij preſbyteri non fuere? Hoc vero monſtrum eſt, nouum & inauditum, quod à nobis non modo reiicitur, ſed etiam exploditur ac exſibilatur. Atqui Chriſtus eo ipſo tempore Apoſtolos iubet *pœnitentiam prædicare & Euangelizare* eoſque eodem illo tempore baptiſmum adminiſtraſſe aliunde diſcimus, vb. ſup. c. 2.

cimus,

cimus, quę qui iure, ac ritè & ex officio faciunt, cur ij presbyteri non ſint, dici non poteſt. Hæc enim presbyteratus præcipua ſunt, ac potiſſima munia. Sed Tridentini (inquit Bellarminus) docent Apoſtolos non ante vltimam cœnam factos fuiſſe ſacerdotes. Quaſi vero vllam apud nos auctoritatem habeant Tridentinorum ſomnia. Apud Iacobum vngunt *Presbyteri*, Non *vero ſacerdotes*, ideſt ἱερεῖς, *ſiue ſacrifici*, (hos enim Tridentini propriè intelligunt.) Apoſtolos equidem concedo eo ſenſu non modo ante, ſed & poſt vltimam cœnam ſacerdotes non fuiſſe neque enim vllum, præter Chriſtum Dominum agnoſcimus Eccleſiæ Chriſtianæ de hoc genere ſacerdotem. Sed quod Apoſtoli *ſacerdotes, ſiue ſacrifici* non fuerunt, eo nequaquam fit, vt presbyteri quales apud Iacobum, vngunt, minimè fuerint. Ergo ne hactenus quidem vllum eſt inter vtramque vnctionem diſcrimen. Quod tertio loco addit Bellarminus Apoſtolos quoſlibet ægrotos permiſcue vnxiſſe, non autem eos ſolos, *qui cum periculo vitæ decumbebant*, eo fateor Apoſtolicam vnctionem à Romana hodierna diſcriminari, à Iacobæa, Nego. Nuſquam enim ſignificat Iacobus non aliis adminiſtrandam eſſe, quam ægrotis in mortis periculo verſantibus. Contra, clariſſime docet, quod infra oſtendemus, omnibus ægrotis nullo diſcrimine miniſtrandam, vt eo non diuerſam ab Apoſtolica, ſed eandem plane, fuiſſe, demonſtretur. Denique quod Apoſtolos etiam quoſdam inunxiſſe vult Bellarminus, qui non eſſent baptizati, credo equidem. Sed ille Iacobum nullos niſi, qui baptizati eſſent, vngi oleo ſuo fas putaſſe, nullus probat. Si quis infirmaretur inter eos ad quos ſcribit, eum à presbyteris vngendum eſſe dicit. An nemo, niſi qui ex iis eſſet, an ex iis qui eorum communionem amplectebantur ſoli fideles, non autem & catechumeni, iſto oleo vngi poſſent, non dicit. Itaque nullum omnino verum, ac perſpicuum Iacobææ vnctionis ab Apoſtolica diſcrimen hactenus attulit Bellarminus. Ergo de ea ipſa intelligendus Iacobi locus. Nimirum datum initio Apoſtolis miraculorum, ac nominatim ſanationum donum vigebat tum in Eccleſia, viguitque diu poſtea & Apoſtolorum temporibus, & poſt eorum etiam mortem. De ſecutis temporibus dicemus alibi ſuo loco. Apoſtolis vero adhuc ſuperſtitibus plurimos paſſim in Eccleſia fuiſſe, qui miraculoſa hac ægrotos ſanandi poteſtate à Chriſto donata pollerent, patet ex Paulo in priore ad Corinthios Epiſtola, in qua dum recenſet extraordinaria ſpiritus ſancti chariſmata, quę in prima, illa Eccleſiâ ſuo æuo florebant, inter cætera diſertè memorat χαρίσματα ἰαμάτων, *gratiam ſanitatum*, vt habet Latinus, ſiue potius *dona ſanationum*, ſi vim græcorum verborum tenere ac repreſentare velimus Et quidem huius doni ſic meminit Paulus quaſi tum inter Chriſtia-

1. Cor. 12. 9.

nos

nos vulgaris. *Alij* (inquit) *per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem* 16. 8. 9. 10.
ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Mox iterum meminit in eodem capite; *Quoſdam* inquit, Ib. v. 28.
poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde χαρίσματα ἰαμάτων, *gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.* Tum continuo, *Numquid omnes virtutes? numquid omnes habent gra-* verſ. 30.
tiam curationum χάρισμα ἰαμάτων? Hoc χάρισμα ἰαμάτων ſanationum *ſiue curationum donum* eadem facultas eſt, quam apoſtolis initio à Chriſto adhuc in terris verſante datam, & ab iis equidem iuſſu exercitatam teſtatur Marcus, *Dedit illis poteſtatem, inquit, curandi infirmi-* Marc. 3. 15.
tates & eiiciendi dæmonia. Tum loco à nobis nuper explicato, Marc. 6. 13.
exeuntes &c. *dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant.* Cum igitur illo tempore multi eſſent in Eccleſia, qui hoc ipſo Apoſtolis primum, mox & aliis pluribus diuinitus collato curationum dono præditi eſſent, merito ſi qui ægroti eſſent, eos hortatur Iacobus, vt tanto Domini munere vtantur, presbyteroſque accerſant, qui ipſos mirabili hac ſua facultate morbo liberent. Eſt enim fidelium, ac vere piorum hominum dona Dei, ſi qua offerantur, ſiue ordinaria ſiue extraordinaria, non negligere, aut aſpernari, ſed cum gratiarum actione adhibere, & in vſum ſuum, qua licet, conuertere. Nam Deus, vt naturales rerum vires ac facultates, ita & ſupernaturalia dona non fruſtra, ſed in vſum noſtrum inſtituit, vt ea (quod de alio genere dixit Apoſtolus) *cum gratiarum actione percipiant fideles,* 1. Tim. 4. 3.
& ij qui cognouerunt veritatem. Ita ſi qui tum fideles à dæmone vexabantur, aut arripiebantur, nemo dubitat, quin eorum officij fuerit, ad eos confugere, quibus data erat illa à Marco commemorata facultas dæmonia eiiciendi, eórumque opera vti. Similiter ſi quis tum aut in diſcernendis ſpiritibus aut inintelligendo peregrino ſermone laboraret, quis non videt ei tum adeundos fuiſſe, quibus hæc cœleſti munere gratia contigerat, vt *ſpiritus diſcernerent, vel ſermones interpretarentur?* Eadem quoque erat prophetiæ ratio; qua ad res obſcuras, ac menti humanæ imperueſtigabiles, intelligendas ac cognoſcendas, fidelibus vti licuit; modo ſobrie ac reuerenter nullaque praua curioſitate, aut in Deum diffidentia eas quærerent. Qualiter Agabum legimus Paulo licet non roganti, aperuiſſe, quis futurus eſſet Hyeroſolimis itineris ab eo ſuſcepti euentus. Cum his igitur ſupernaturalibus Dei donis vti, quandiu ea nobis Domini benignitate ſuppeditantur, officij noſtri ſit; Apoſtolorum vero & aliorum Dei ſeruorum ſit, nos de iis, quæ ad officium noſtrum pertinent, monere;

nemo mirari debet, quod Iacobus fideles ad vtendum fruendum illud, quod tum paſſim Dei munere vigebat, curationum donum, cohortatus ſit. Neque ad alios ea cohortatio trahenda eſt, quam ad eos, quibus ſuppetit eadem copia; id eſt in quorum Eccleſia reperiuntur viri illo ſanationum chariſmate præditi; vt ſi quis Apoſtolorum eos ad quos epiſtolas ſcribunt, iuſſiſſet presbyteros adire, ſi quando vel arreptitios aliquos apud ſe haberent, vel ipſi ſermonem aliquem non intelligerent, vel ſpiritus diſcernere nequirent, vt eorum opera & arreptitij curarentur, & ipſi difficultate liberarentur; nemo non intelligeret huiuſmodi præceptum non alibi valere, quam vbi dona illa dæmones expellendi, ſermones interpretandi, ſpiritus diſcernendi vigerent. Itaque ſi qui eſſent hodie in aliqua Eccleſia presbyteri hoc ſanationum chariſmate præditi, apud eam (fateor,) valeret hoc Iacobi præceptum, nullaque eſſet inuidia vel ægrotos huiuſmodi presbyteros ad ſanitatem recuperandam accerſere, vel presbyteros iis oleum illinire, & ſanitatem reſtituere. Nunc cum conſtet (neque vero negent aduerſarij) illud ſanationum chariſma deſiiſſe, clarum eſt merum eſſe ludibrium, quod qui facultate ipſa carent, eius tamen actum ac functionem inuadere non dubitant. Hæc optime vidit ex aduerſariis ipſis Caietanus; ideoque pro ſuo candore, quod ſupra diximus, confeſſus eſt Iacobi verba *de ea vnctione eſſe intelligenda, quam inſtituit Dominus Ieſus in Euangelio à diſcipulis exercendam in ægrotis*: quam miraculoſam fuiſſe, hoc eſt ad morbum miraculo & extra ordinem curandum pertinuiſſe, palam eſt. Sed vt res tota clarior ſit, ſoluenda nunc ſunt, quæ tum Bellarminus, tum alij, qui hoc vehementer negant, in contrariam partem attulerunt.

Capvt VII.

Soluuntur ac refelluntur ſeptem Bellarm. obiectiones contra noſtram Iacobæi loci expoſitionem.

vb. ſupr. c. 3. §. Quod autem.

Bellarminus igitur Iacobum de *ea vnctione non loqui, quæ ſanaret corpus ex dono miraculorum*, probare conatur *ex ſingulis*, (vt ait) *huius loci vocibus*. Primo, inquit, ait Iacobus infirmatur quis in vobis? *At ſi de miraculis ageret generalius loqueretur. Non enim ſolum conſuleret iis, qui decumbunt, grauati periculoſo aliquo morbo, vt facit, ſed etiam cæcis, ſurdis, claudis, aliiſque miſeris hominibus, qui non decumbunt, nec de vita periclitantur, & tamen egent curatione.* Reſpondeo: ſi de miraculis omnibus in genere ageret Iacobus, fateor cauſam

fuiſſe,

fuiſſe, cur generalius loqui debuerit. Nunc cum de vno ſanationum dono agat, vt ex verbis conſtat, *Infirmatur quis in vobis?* ridiculè ac inepte obiicitur, generalius eum loqui debuiſſe. Nam cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis membrorum integritatem ac firmitatem reſtituere, non videntur ad hoc ἰαμάτων donum, quod tum vulgare in Eccleſia fuit, pertinuiſſe; ſed ad vim quandam maiorem, eandem illam ſcilicet, cuius erat mortuos reſuſcitare, quamque Apoſtolus Paulus in loco ſuperius deſcripto *operationem virtutum* videtur appellare. Itaque non ſi Iacobus ex morbo decumbentibus vſu tum vulgaris in Eccleſia ſanationum doni conſulendum monuit; ſequitur eum ſurdis quoque & cæcis, & claudis (addere potuit Bellarminus & mortuis) conſulere debuiſſe; quod ſcilicet iſtis medendi ac auxiliandi donum longe rarius in Eccleſia eſſet, & omnino paucorum proprium ac ſingulare. Quamquam ſi pertinax eſſe vellem, merito contendere poſſim verbo ἀσθενεῖ infirmatur, quo vſus eſt Iacobus, etiam *claudos, & ſurdos & cæcos* comprehendi. Sed nihil vt dixi neceſſe eſt Iacobum hoc loco omnibus omnino miſeris conſulere. Neque hanc diuinis ſcriptoribus fixam audiui legem, vt numquam de vna vel miraculorum, vel miſeriarum ſpecie agant, quin & de cæteris omnibus ſpeciebus loqui neceſſario debeant. Secundo & Bellarminus, & Eſtius, [a] illud vrgent, quod Iacobus *presbyteros Eccleſiæ aduocari iubet.* At ſi de *miraculo ageret*, inquiunt, *diceret potius, inducat prophetas aut alios, qui donum habent curationum, nec enim ſoli, aut omnes presbyteri etiam tunc habebant donum curandi.* Reſpondeo primo quod de Prophetis affert Bellarminus, ineptum eſſe. Non enim Prophetarum propriè fuit morbos curare, ſed vel futura, vel abdita, & arcana reuelare, & Paulus diſertè *Prophetas* ab iis diſtinguit, ac ſecernit, qui *gratia curationum* pollebant. Itaque non minus ſtultum fuiſſet Prophetam ad curandum morbum accerſere, quam eum, qui chariſmate ſanationum pollebat, ad futura prædicenda requirere. Sed hæc obiter. Nunc ad rem, fateor equidem & aliis præter presbyteros fidelibus aliquando conceſſum tunc fuiſſe illud curationum donum. Sed nemo tamen negauerit iis maxime id indultum fuiſſe à Domino, qui præerant Eccleſiæ, id eſt presbyteris, vt & reliqua prophetiæ, linguarum, & cæterorum miraculorum chariſmata, quod iſtorum ſcilicet munus præcipue in Eccleſia eminebat, & in promouenda Chriſti gloria, Euangeliique veritate confirmanda, quibus iſta dona inſeruiebant, totum verſabatur. Itaque Apoſtoli ſtatim & hoc & alia eiuſdem generis chariſmata à Domino acceperunt. Cum ergo in eius ordinis hominibus maxime, ac præcipue floreret curationum donum,

a in 4. d. 23. §. 6.

1. Cor. 12. 28. 29. 30.

D 2 idque

idque ad cohoneſtandum, ac iuuandum ipſorum miniſterium comparatum eſſet: non eſt mirandum, quod eos, qui huius doni ope egebant, id eſt ægrotos, Iacobus ad preſbyteros potiſſimum ablegarit. Neque ex eo, quod iſtos ordinarij miniſterij nomine appellauit, ſequitur ordinariam ac non miraculoſam fuiſſe curationem, quam eorum vnctio ægrotis præſtabat. Sed neque prætermittendum eſt quod hic obiter obiecit Bellarminus, neque neglexit Eſtius, *Non eſſe probabile Apoſtolum iuſſiſſe fidelibus, vt miracula quærerent; quod ſigna infidelium ſint, non fidelium* 1. Cor., 14. Reſpondeo id quidem eſſe prauum & Infidelium proprium non aliter Deo credere, quam ſi miracula edat, eoque ab illo miracula expoſcere, vt credas; non aliter niſi ea ediderit, crediturus. Sed neque hic Iacobus, neque alibi quiſquam Apoſtolorum fideles iubent miracula eo ſenſu quærere aut expetere, Oblato vero diuinitus miraculi alicuius dono frui velle, eoque cum gratiarum actione vti, non modo non abhorret à fide aut à pietate, ſed etiam officij noſtri pars eſt, vt vel ex eo conſtat, quod Iſaias Regem Achaz oblatum à Domino ſignum honeſto fidei nomine repudiantem, negantemque *ſe ſignum petiturum, & Dominum tentaturum*, acerrime obiurgauit. Atqui Nihil aliud hic iubet Apoſtolus, niſi vt fideles eo, quod tum in Eccleſia proſtabat, miraculoſo curationum dono humiliter, & cum gratiarum actione vterentur, non vt iſto ſigno ad credendum Chriſto permouerentur, quaſi ipſi hactenus increduli fuiſſent, ſed vt amiſſam ſanitatem Domini munere recuperarent, eamque receptam in eius cultum ac proximorum ædificationem magis magiſque impenderent.

1. vb. ſup.

Iſai. 7 11. 12. 13.

4. Quartum Bellarmini argumentum inde ductum eſt, quod Iacobus præcipiat, *iſtos orare ſuper ægrotum, eumque oleo vngere. At ſi de miraculis* (inquit) *ageretur, non præſcriberet Iacobus materiam. Qui enim donum habet curationis, is adhibet quod Deus illi inſpirat, nec poteſt alligari, certa alicui rei virtus miraculorum.* Id quod ſatis *patet ex diuinis litteris & exemplis omnium ſanctorum.* Reſpondeo Apoſtolos etiam oleum vulgo ac plærumque adhibere ſolitos, vt conſtat ex Marci loco de quo nuper diſputauimus, & Tirinus Ieſuita ſcribit eam *vnctionem à Chriſto iuſſam adhiberi*, velut congruum ſymbolum. Neque tamen quod & ab Apoſtolis plærumque adhibita, & à Chriſto iuſſa fuerit, eo negandum putat Bellarminus miraculo ſanatos ab Apoſtolis, quicumque illa vnctione ab iis ſanabantur. Eſt enim in eorum (vt diximus) numero, qui Apoſtolicam illam vnctionem à Iacobæa ſecernunt. Non ergo non miraculoſam fuiſſe curationem morbi Iacobæam ex eo conficitur, quod Iacobus preſbyteros præceperit eos, quos ſanaturi ſunt, oleo inungere. Fateor, cum vnum, aut alterum vnius generis miraculum

lum editur, non ſolere à diuinis viris vnum idemque ſymbolum adhiberi: qualiter legimus aliud fuiſſe ab Iſaia in curando Ezechia, aliud ab Eliſæo in mundando Naamane ſignum vſurpatum. Sed cum plurima eiuſdem generis mira fiunt, nihil vetat vnum idemque vt in re vulgari ac pæne ordinaria, ſymbolum adhiberi. Ita Moyſes qui eſſent à ſerpentibus læſi, eos omnes vno eodemque adhibito ſigno, & quidem à Deo præſcripto, nimirum ſerpente æneo, ſanauit. Ita & Apoſtoli, Apoſtolicorumque temporum presbyteri; quod illa, cuius chariſma habebant, ſanatio, licet miraculoſa, plurimis tamen contingeret, ac pæne vulgaris in Eccleſia eſſet, in ea procuranda vnum idemque, vt plurimum, ſymbolum adhibebant, ſcilicet oleum; Eo impenſius quod eius vſus ne apud Hebræos quidem, à quibus multa & Chriſtus & Apoſtoli mutuati ſunt, in hoc genere ignotus eſſet; quod è Grotio ſupra diximus. Cæterum quod res vſitata eſſet, non ideo neceſſariam, perpetuoque vſurpatam fuiſſe crediderim, quaſi virtus miraculi ei (quod ait Bellarminus) alligata eſſet. Nam & Apoſtolos, quos Marcus complures oleo vnxiſſe, & ſanaſſe memorat, etiam aliquos ſine oleo curaſſe ſcimus. Nihil vetat presbyterorum eandem fuiſſe rationem. Apud vtroſque oleo vngere vſitatum, ſolenne, ac vt ſic dicam, ordinarium in hoc genere erat, perpetuum, neceſſarium, fixum, immotum, ac inuiolabile non erat. Cur ergo (inquis) dixit Iacobus, *Orent ſuper ægrotum vngentes eum oleo?* Quia inquam plærumque ita fieri ſolebat. Chariſmatis illius vſum deſcribit ab eo, quod vſitatum & ſolenne erat; tametſi & aliter fieri poſſet, imo etiam interdum fieret. Ita & *orationem* præcipit, ſine qua tamen multos ab iis qui iſto dono præditi erant, ſanari potuiſſe, imo & ſanatos eſſe veriſimile eſt, & ſine ea etiam ſuum ſacramentum conſtare ij ex aduerſariis fatentur, qui *formam* eius *enunciatiue* (vt loquuntur,) recitatam valere exiſtimant. Non ergo Iacobi conſilium eſt hoc loco hominibus ſanationum dono præditis legem preſcribere, ac veluti trabalibus clauis ita defigere, vt ne latum quidem vnguem ab ea diſcedere debeant. Tantum fideles ægrotos hortatur, vt eorum operam ad valetudinem recuperandam adhibeant. Ipſi quid acturi ſint, & qualiter hoc iis beneficium præſtituri, exponit ea commemorando, quæ illi vt plurimum in hoc genere agere ſolebant.

Quinto Bellarminus, ex his Iacobi verbis, *& oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*, ſic argumentatur. *Hæc*, (inquit) *promiſſio abſoluta eſt, proinde referri non poteſt præcipue ad corporalem ſanitatem. Nam aut ſemper ſanati fuiſſent ægroti illi, qui vngebantur, vt Iacobus preſcribit, aut non ſemper. Si ſemper ergo nulli* 5.

 fuiſſent.

fuiſſent mortui Apoſtolorum tempore, niſi illi qui Iacobo non obediiſſent, qui pauciſsimi fuiſſent. Et praterea ſanitas corporalis quia non ſemper vtilis eſt anima, non etiam ſemper obtinetur à Deo, quicumque ſit, qui oret, etiamſi donum habeat curationis. Quare non ſemper ſanabantur, qui vngebantur. Ergo vel falſa eſt abſoluta illa promiſsio Iacobi; quod fieri non poteſt; aut quod veriſsimum eſt, ad animam pracipue, & abſolute referenda eſt. Reſpondeo primo hoc argumentum in Aduerſarium non minus, imo magis, quàm in nos valere. Nam, ſi abſoluta eſt hæc Iacobi promiſſio, ſicque ad animam præcipue & abſolute referenda eſt, vt iſte vult, aut ſemper ſaluantur ægroti illi, qui vnguntur, vt Iacobus pręſcribit, aut non ſemper. Si ſemper, ergo nulli damnantur niſi aliqui ex iis qui non vnguntur qui pauciſſimi ſunt, adeoque ſaluantur etiam ij qui ſine vera fide & pœnitentia, ex more tantum, vnguntur (tales enim ſępe vngi palam eſt) quod eſt longe abſurdiſſimum. Si non ſemper, ergo falſa eſt abſoluta illa Iacobi promiſſio, quod cùm fieri non poſſit, neceſſario concludendum eſt, vel non eſſe illam Iacobi promiſſionem abſolutam, vel certe de animæ ſalute, non eſſe intelligendam, quod vtrumque tamen ponebat aduerſarius. Secundò, Iſtud quicquid eſt argumenti, Iacobum ipſum rectè ferit. Ille enim quicquid obſtrepat aduerſarius de corporis ſanitate manifeſtiſſime loquitur, vt ſupra demonſtrauimus, ac vt omnes hactenus interpretes & veteres & recentiores conſentiunt, ſi vnum forte Maldonatum exceperis. Quin & ipſe Bellarminus parum ſibi conſtans & vi veritatis victus alibi hæc ipſa Iacobææ promiſſionis verba, *oratio fidei ſaluabit infirmum* de corporis non de animi curatione accipit, vbi de tribus ſuæ vnctionis effectis diſputans, S. Iacobus, inquit, *breuiſsime omnes tres effectus ſacramenti huius complectitur, ac primo incipit à leniſsimo, id eſt à ſanitate corporali, cum ait,* Oratio fidei ſaluabit infirmum. Ergo ex ipſo Bellarmino, etiam corporalem ſanitatem iis Iacobus pollicetur, qui vncti fuerint. Ergo tam in ipſum quam in nos valet allatum argumentum. Cum enim ipſe quoque concedat his verbis, *oratio fidei ſaluabit infirmum*, ſanitatem corporalem comprehendi, æque in ipſum ac in nos ſic agi poteſt. Aut ſemper ſanantur ægroti illi, qui ex Iacobi præſcripto vnguntur, aut non. Si hoc dixeris, falſa eſt Iacobi promiſſio. Sin illud, ergo nulli moriuntur, niſi qui ex eius præſcripto non vnguntur, quod vtrumque (vt liquet) vehementer abſurdum eſt. Itaque neceſſe eſt illum, ſi ſua tueri, ſibique conſtare velit, hanc quam in nos torquet obiectionem, ipſam ſoluere, quod ſi fecerit, nos quoque eadem opera ſuis illis vinculis, exſoluerit. Neque vero eum iuuat, quod Iacobæa vnctione corpus quidem ſanari concedit, ſed tamen minus præcipue

vb. ſupr. c. 8. §. ſecundo nomine.

pue

pus, quam animum, quodque hoc eius effectum cæteris leuius eſſe affirmat. Fatemur pluris eſſe animi, quam corporis ſanitatem. Donamus etiam id quod iſti, tametſi liquido falſum, aſſumunt, nempe ſanitatem corporis non primario ſed ſecundario tantum hic promitti, non ideo tamen hinc ſe explicabunt. Nam qualecumque ſit bonum corporis ſanitas, & quocumque loco ea promittatur, ſeu primo ſeu ſecundo, ſeu tertio, id ad rem, quam agimus, nihil intereſt. Satis eſt, quod eam clare promittit Iacobus, & quidem eadem verborum forma, qua quæ ad animum ſpectant, id eſt (vt vult aduerſarius) *alleuiationem ægroti & remiſſionem peccatorum*. Ergo hinc euadere non poteſt, quin telum, quod in nos fruſtra mittit, in ſe totum admittat, eoque adigatur, vt vel neminem ſuorum vnctorum mori defendat, vel certe mentitum fuiſſe (quod abſit.) Iacobum dicat, qui (vt quidem iſte vult) corporis ſanitatem iis pollicetur ſcilicet quos aliptæ Romani more ac ritu ſuo perunxerint. Præterea vt vt ſe habeat Iacobi locus, certe iſti negare non poſſunt *ſanationum donum*, quod Paulus τὸ *χάρισμα ἰαμάτων* vocat in prima illa Apoſtolica Eccleſia diu viguiſſe. Atqui ſi hæc valet Bellarminiana argumentatio, ea perinde hinc conficiet nullos tum mortuos fuiſſe ægrotos, niſi ſi qui eo dono præditos curando morbo minime adhibuerant. Quis vero tam facile tamque certum remedium ſpreuiſſe illius temporis fideles crediderit. Quoſcumque ægrotos oleo vngebant Apoſtoli & alij eodem chariſmate præditi, eos ſanabant. Alicui ægroto opem poſcenti oleum ſuum illos negaſſe non concedet Bellarminus, ergo nulli tum in Eccleſia ægroti moriebantur, niſi qui vel Apoſtolos, vel alios eo dono præditos minime accerſiuerant, quod cum abſurdum exiſtimet Bellarminus, neceſſario ipſi fatendum eſt vanam & ſophiſticam eſſe ſuam illam argumentationem ex qua id concluditur. Quod vt eluceſcat obſeruandum eſt & Apoſtolos, & hos preſbyteros qui apud Iacobum commemorantur, & cæteros denique, qui vel curationum, vel aliorum miraculorum dono præditi erant, nihil in ſuo quemque genere aggreſſos eſſe ſine fide. Alioqui enim ſi quid aggreſſi eſſent de cuius euentu non fuiſſent certi, ſe & religionem Chriſti ludibrio expoſuiſſent. Iam vero, hoc erat iſtud donum, non vt miracula quoties vellent & in quos vellent nullo diſcrimine ac pro ſua libidine ederent, ſed quoties id ad gloriam Dei & hominum ſalutem vtile erat. Id autem diiudicabat idem ille ſpiritus qui eos in his regebat, cuiuſque nutui atque arbitrio ſe permittebant. Quod ergo quærit Bellarminus, An ſemper ſanati fuerint, qui Iacobæo illo oleo rite vncti fuerant, aio ſemper ſanatos fuiſſe. Clara enim & certa Iacobi promiſſio, *Oratio fidei ſaluabit infirmum*. Quod idem colligit nullos

fuiſſe

fuiſſe tum mortuos ægrotos, niſi qui non hoc modo vncti eſſent, id quoque admitto. Si enim ſanati, quotquot rite vncti, certe nulli mortui, niſi qui non vncti. Quod poſtremo concludit, Ergo pauciſſimos ægrotos illo tempore mortuos fuiſſe, id vero nego ex ſuperioribus confici. Non enim (quod iſte temere ac falſo ſupponit) vncti quicumque id poſcebant; ſed ij tantum quos morbo liberari & gloriæ diuinæ, & ipſorum ſalutis intererat. Sin aliter eſſet, (an autem ita eſſet, qui dono hoc pollebant, certe ex ſpiritu Dei intelligebant) oleum omittebant. Quod autem ait Bellarminus *non ſemper ſanatos fuiſſe, qui vngebantur*, præterquam quod cum diſertis Iacobi verbis pugnat, qui ait *oratione fidei ſeruatum iri ægrotum*, prudentiæ Apoſtolorum & aliorum hoc dono præditorum, aduerſatur. Fingit enim iſte Apoſtolos etiam quos certo neſciebant ſanatum iri, iis oleum ſuum adhibuiſſe, quod ſi feciſſent, & ſuum, & Domini nomen ludibrio, vt diximus, imprudenter expoſitum iuiſſent, quod non eſt de tantis viris credibile. Itaque Paulum tametſi hoc ſanationum dono præditum neque Timotheo ſtomachi infirmitate, & aliis morbis laboranti, neque Trophimo Mileti ægrotanti vnctionem illam administraſſe legimus; quem tamen virorum cariſſimorum valetudini conſultum cupiuiſſe non eſt dubitandum. Sed obſtabat nimirum huic eius cupiditati ſpiritûs, quo regebatur, nutus atque arbitrium, ſine quo in hoc genere nihil vel Paulo vel cæteris Dei miniſtris licebat. Eadem ergo haud dubie fuit eorum preſbyterorum ratio, de quibus hic Iacobus. Nunquam illi ſanationum donum, quo pollebant, numquam oleum, quod eius ſymbolum erat, diſpenſabant. niſi iis quibus intelligebant ſpiritum velle id adminiſtrari. Hoc ergo Iacobus hic in primis ſupponit (vt loquuntur) cum ait, *oratio fidei ſaluabit infirmum*, imo hoc ſe requirere eo ipſo ſignificat, quod *orationem*, cui id effectum tribuit, vocat *orationem fidei*, quod non diceret, niſi orantis certam de euentu fidem eſſe intelligeret. Non ergo quoſuis ægrotos temere ac ſine vllo diſcrimine à preſbyteris vngi vult; ſed eos tantum qui rite & ex ſpiritus voluntate vncti ab iis fuerint, morbo liberatum iri intelligit. Eodemque modo accipienda ſunt prima illius verba, *Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Hæc enim verba, *& orent ſuper eum*, finem ſignificant ad quem illi inducendi ſunt, nimirum *vt orent &, vngant ægrotum*, idemque quod *vt* hoc loco valet particula *&* quo ſenſu ſæpe in ſacris litteris eam vſurpari ſciunt, qui eas cum aliqua diligentia legerunt. Preſbyteros ergo oraturos, & vncturos ægrum ſignificat, imo id vt faciant præcipit; ſed recte & legitime; hoc eſt, ea lege, qua iſta adminiſtrari decebat, ita vt ex ſpiritus voluntate adminiſtrarentur, non ex

1. Tim. 5. 23.
2. Tim. 4. 20.

propria ac priuata cuiuſque cupiditate. Ergo verum quidem eſt, quod ait Bellarminus, *ſanitatem corporalem quia non ſemper vtilis eſt animæ, non etiam ſemper* obtineri à Deo. Sed inde non ſequitur, quod ille continuo addit, *ne eos quidem qui donum curationis habebant ſemper illam obtinuiſſe*; quia nimirum numquam illi cuiuſquam fidelis curationem aggrediebantur, niſi cuius animæ vtilis eſſet corporis ſanitas, quod, ex ſpiritus quo ducebantur iudicio, intelligebant,

Sexto obiicit aduerſarius illa Iacobi verba, *Et ſi in peccatis fuerit dimittentur ei*, in quibus negat tergiuerſationi *locum eſſe. Expreſſe enim ad animam referri: donum autem curationis ad corpus pertinuiſſe.* Ego fateor illa verba beneficium ſpirituale ſignificare, *remiſſionem* ſcilicet *peccatorum*; adeoque ad animum pertinere. Eò fieri, vt vnctio Iacobæa ad ſanitatem corporis ex dono ſanationum miraculoſe reſtituendam non pertineat, Nego. Nimirum vtrumque beneficium ſæpe Dominus ſimul ac ſemel iiſdem confert, tametſi non ſemper. Ita Chriſtus paralytico & peccata dimiſit, & valetudinem reſtituit, Itaque non ex eo quod iſtis ægrotis peccatorum remiſſionem pollicetur Iacobus, ſequitur adminiſtratam iis vnctionem ad ſanitatem eorum corporalem minime pertinuiſſe. Sed (inquis) interdum tamen eorum corpora ſanabant Apoſtoli quorum animæ nihil conferebant. Nihil enim vetabat donum ſanationum vt & cæterorum miraculorum, etiam ad infideles & incredulos exporrigi. Ergo ſi de eo hic intelligeret Iacobus remiſſionem peccatorum, non ſic ſimpliciter iis promitteret, qui vncti eſſent. Ego vero id ſequi nego. Non enim hic in genere de quibuſuis ægrotis loquitur, ſed de Chriſtianis qui in Eccleſiæ communione degebant, *infirmatur quis in vobis?* inquit. Eccleſiam enim alloquitur. Ergo & de Eccleſiæ homine proprie intelligit; quaſi dicat ſi quem ex verbis infirmari contigerit. Et aduerſarij non alios, quam baptizatos, & ad Chriſti Domini peculium pertinentes ſuo oleo inungendos, hinc probant. Iam iis qui ſunt huiuſmodi, id eſt vere Chriſtiani & quod ait Iacobus, ex vobis, Nego ſanitatem diuina benignitate reſtitui ſine eorum peccatorum remiſſione quibus morbus, quo liberantur, acceſſitus fuerat. Itaque Iacobus cum de iſtis proprie hic loquatur, non dubitauit poſt corporis ſanitatem, peccatorum quoque remiſſionem ipſis polliceri. Cæterum non eo proprie ac primario ſpectaſſe illam, quam commemorauit Vnctionem; ſed tantum ſecundario, & nos infra contra Aduerſarios demonſtrabimus, & ipſa oratio Iacobi clamat, qui corporis quidem ſanitatem primo ac ſimpliciter abſoluteque promittit; peccatorum remiſſionem ſecundo, ac conſequenter, & cum hac hypotheſi, & *ſi in*

Matth. 9. 2. 6.

E *peccatis*

peccatis ſit, remittentur ei; Quo apertè ſignificat iſtius vnctionis perpetuum quidem ac neceſſarium effectum eſſe corporis ſanationem; non ita *peccatorum remiſſionem*; quæ nulla hic eſt, niſi cum ægrotus morbum aliquo peccato ipſe ſibi accerſiuit. Tum demum enim Deum peccata illa ipſi quoque remiſſurum. Sæpe autem contingit, vt fidelibus morbi, non ob vlla peccata, ſed ad ipſorum probationem immittantur. Itaque cum morbus erat poſterioris huius generis apparet corpus quidem ſanatum fuiſſe, peccata quæ nulla huiuſmodi erant, ne remiſſa quidem tum fuiſſe. Vnde videre eſt morbi curationem proprium *ac formale* (vt loquuntur) huius vnctionis effectum fuiſſe, *remiſſionem peccatorum* huic per accidens, & ex conſequenti tantum acceſſiſſe. Sed de his infra pluribus.

Supereſt ſeptimum idemque vltimum argumentum Bellarmini. *Omnia alia*, (inquit,) *quæ habentur in illa Iacobi Epiſtola, ſiue ante hunc locum, ſiue poſtea, non ad eos ſolos pertinent, qui tunc viuebant, ſed etiam ad nos, qui poſtea futuri eramus.* Patientes eſtote. Confirmate corda veſtra, Nolite iurare. Confitemini alterutrum peccata veſtra & cætera, *Igitur etiam illa, qui eodem tenore verborum in medio poſita ſunt.* Infirmatur quis in vobis? &c. *ad nos pertinent. Hæc autem ſi de dono curationis intelligantur ad nos non pertinebunt quibus ſcilicet deeſt hoc donum, quod rariſſimum eſt, & non ſemper haberi poteſt. Ergo iſta non de curationis dono intelligenda ſunt, ſed de ſacramento, quod ſemper durat & facile à quolibet haberi poteſt.* Reſpondeo non omnia præcepta, quæ vno eodemque libro ſiue tractatu continentur, eſſe vnius, eiuſdemque generis. Nam vt cætera diſcrimina mittam, clarum eſt affirmatiua præcepta, quibus actus aliquis iubetur, alia ad omnes omnino fideles pertinere, vt præceptum de Deo & proximo diligendo, alia ad certum tantum fidelium ordinem, vt præceptum de danda eleemoſyna, & ſimilia. Cuius diſcriminis ratio manifeſta eſt. Nimirum præcepta omnia affirmatiua in iis quibus præcipiunt, eius actus, quem iubent, facultatem ac copiam, vt loquuntur, *ſupponunt*. Si ergo is qui iubetur, actus huiuſmodi eſt, vt eius peragendi omnibus omnino fidelibus facultas ſit, præceptum quo iis iubetur, ad omnes pertinet. Itaque cum nemo homo ſit, cui non ſit à natura facultas conceſſa, qua amatur, apparet, amandi Dei, proximique diligendi præcepto omnes & vbique & ſemper teneri. Sin is actus, qui præcipitur, huiuſmodi eſt, vt vel non omnibus, vel non ſemper, aut vbique eius fungendi facultas & copia ſit, præceptum, quo is actus iubetur, nón ad omnes, nec vbique aut ſemper, ſed ad eos tantum pertinet, quibus ea facultas eſt, proque tempore, ac loco, quo ea ipſis facultas eſt: Itaque dandæ eleemoſynæ præcepto non alij, neque alibi aut alio tempore tenemur,

tur, quam quibus, quando, & vbi ea ſuppetunt, quæ ſunt ad eam dandam neceſſaria. Neque enim ea omnibus, aut vbique aut ſemper adſunt. Iam hoc Iacobi præceptum affirmatiuum eſt. Actus autem quem iubet, eſt adhibito oleo & precibus Ægrotum morbo liberare. Eius autem actus fungendi iis tantum copia ac facultas ſuppetit, qui donum ſanationum à Deo habent. Ergo non ad alios pertinet quam ad eos, qui id donum diuinitus acceperunt. Ac vt inepte faceret, qui ex eo quod Chriſtus ſuis apud Lucam præcipit, vt *eleemoſynam dent*, colligeret etiam egenos, quibus nihil omnino eſt, quod donent, eo præcepto teneri, quod ſcilicet ad eos pertineant alia præcepta quæ in eodem loco leguntur, vt hoc, *Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius*; & hoc, *Nolite timere, puſillus grex*; & illud, *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*; & alia complura, quæ in illo Chriſti ſermone habentur, Ita plane nunc ridiculus eſt Bellarminus, qui Iacobæum illud de ſanandis olei vnctione ægrotis etiam ad nos, qui curationum dono caremus, pertinere ideo contendit, quod alia quæ in illa Iacobi pericope continentur, ad nos pertineant. Sed quo res tota clarior fiat, alia exempla Iacobæi huius negotij plane gemina, afferenda ſunt. Legimus in priore Epiſtola ad Corinthios hoc Pauli præceptum, *cum conuenitis vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant*; quorum verborum, interprete Menochio Ieſuita, hic eſt ſenſus, *ego vobis ſum auctor, vt quotieſcumque conuenitis ita ſint inter vos omnia conſtituta, vt alius quidem canticum, alius doctrinam proferat, alius peregrino ſermone loquatur, alius reuelationem promat, alius adhibeat interpretationem, vt ad Eccleſiæ vtilitatem cuncta referantur.* Tum precipit Paulus de modo & ordine, quo prophetandum ſit, & peregrina lingua loquendum; *ſiue lingua quis loquitur,* (inquit) *ſecundum duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur.* Item. *Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Quod ſi alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant & omnes exhortentur.* Alibi in eadem epiſtola præcipit Apoſtolus quo habitu mulieres prophetare debeant. *Omnis* (inquit,) *mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput ſuum, vnum eſt enim ac ſi decaluetur.*

Luc. 12. 33.
ibid. verſ. 31. 32. 35.
1. Cor. 14. 26.
Ib. 1. 27.
Ib verſ. 29. 30. 31.
1. Cor. 11. 14.
1. Cor. 14. 39.

Idem iubet *nos æmulari ſpiritualia* (id eſt dona ſpiritus ſancti) *maxime autem vt prophetemus, & æmulamini* (inquit) *prophetare & loqui linguis nolite prohibere.* Hæc Paulus. Nunc à Bellarmino quæro, an hæc ad nos pertineant? vt ſint ſcilicet in conuentibus noſtris, alij qui canticum, alij qui doctrinam proferant, alij qui pere-

grino ſermone loquantur, alij qui interpretentur, alij qui reuelationes promant? vt omnes certo ordine prophetent? vt ſint item inter nos mulieres prophetantes? An denique id æmulari, ac ſectari teneamur, quod iſte præcipit nimirum vt prophetemus? negabit ſat ſcio Aduerſarius. Atqui inquam, iſta in ea epiſtola ſcripta ſunt, cuius cætera pæne omnia & quæ antecedunt, & quæ conſequuntur hos locos ad nos pertinent. Ita eſt, ſed res ipſa clamat tamen non ad alios iſta pertinere, quam ad eos inter quos vulgaria ſint illa prophetandi, & linguis peregrinis loquendi dona, quæ eo quidem ſæculo inter Chriſtianos vbique obuia & familiaria erant, noſtris temporibus vel nuſquam plane occurrunt, vel certe rariſſima ſunt, (ſi qua tamen ſunt.) Itaque nemo non videt, cum quæ Paulus de horum vſu præcipit, ſupponant in iis, quibus pręcipit, huiuſmodi ſpiritus chariſmata, ea quę pręcipit in prima quidem illa Eccleſia locum habuiſſe, in noſtra nunc non habere. Ergo eadem quoque eſt Iacobęi loci ratio. Cum enim is actus, quem Iacobus præcipit, ſanare ſcilicet ægrotos adhibito aleo, donum curationum, eiuſdem, cuius erat *prophetiæ chariſma*, ordinis, in iis, de quibus loquitur *ſupponat*, clarum eſt ad veteres apud quos vigebat hoc donum Iacobi præceptum pertinere, Ad nos, apud quos illud deſiit, non pertinere, etiamſi cætera huius epiſtolæ præcepta ad nos quoque ſpectent. Hoc enim vtrorumque præceptorum diſcrimen neceſſario exigit ipſa rerum, de quibus præcipiunt, diuerſitas.

His ergo Bellarmini cæterorumque aduerſariorum ſolutis obiectionibus, concluſum eſto Iacobum his verbis de corporali ægrorum ſanatione ex miraculoſo curationum dono loqui, quod & veteres omnes, vt poſtea apparebit, ſenſerunt, non adeo de nouo illo extremæ vnctionis ſacramento perperam hinc aduerſarij, nullaque ratione eruere conantur. Quod tametſi ſatis iam ex iis quæ diſputauimus, pateat tamen id inſuper aliquot rationibus ex aduerſarij dogmatis cum Iacobęa ſententia comparatione ductis, demonſtrare operæpretium videtur, ne quis ſuperſit dubitandi locus.

Capvt VIII.

Demonſtratur vnctionem Iacobaam alienam eſſe ab extrema aduerſariorum vnctione 1. *arg. inde ſumptum quod hæc ad animum pertineat, illa ad corporis curationem referebatur. Vindicantur à Bellarm. ſtrophis verba Iacobi* σώσει κάμνοντα. ἐγερεῖ αὐτὸν.

ESto ergo nobis prima ratio, ea quæ à Caietano ſecundo loco poſita eſt, quaque Bellarminus aduerſus quoſdam è ſuis, Marci vnctionem probauit non eſſe ſacramentalem; Vnctio à Iacobo commemorata hunc aut ſolum, aut certo primarium ac præcipuum habet finem, vt ægrotum, cui adhibetur, morbo liberet, vnctio aduerſariorum hunc finem, neque ſolum, neque præcipuum, imò ne omnino quidem plærumque habet, ergo vnctio aduerſariorum non eſt Iacobęa vnctio. Minor propoſitio, ſiue (vt loquuntur) aſſumptio manifeſta eſt primo ex iis, quæ ſupra ex aduerſariis attulimus; cum quod & quale ſit hoc eorum dogma conſtitueremus. Nam tametſi in definiendo ſuæ huius vnctionis fine vehementer inter ſe diſſentiant, in hoc tamen omnes conſentiunt, quod negant eam ob ſanitatem corporis ægroto conferendam præcipue, ac primario adhiberi. Imo Maldonatus vnctionem Apoſtolicam, quam eandem cum ſua fuiſſe vult, plane negat *propter curationem corporis adhibitam fuiſſe.* Cæteri etiam ſanitatem corporis ſuæ vnctionis finem eſſe concedunt quidem, ſed non per ſe ac proprie, neque abſolute & primario ac neceſſario, verum per accidens & conditionaliter, ſi ægroto ad animæ ſalutem expedit. Itaquę hunc ſuæ vnctionis effectum ait Eſtius recte à ſcholaſticis *ſecundarium*, ſeu *minus principalem vocari: neque enim propter eum principaliter hoc ſacramentum inſtitutum eſſe, ſed propter alios ſpirituales.*

[2. de ſacram. q. 1. de extr. vnct. p. 104. col. 2. extr.]

[in 4. d. 23. §. 6.]

Quin & iſtos clarum eſt non vltro, neque ſponte ſed inuitos propter hunc Iacobi locum, & propter Veterum de vnctione ſententias eò compulſos fuiſſe, vt ſanitatem ſuæ vnctionis aliquatenus finem eſſe dicerent: quia ſcilicet intelligunt, niſi hoc dicant, vnctionem ſuam plane, penituſque à Iacobi & veterum vnctionibus fore alienam, in quibus ſanationis mentionem perpetuò fieri vident, abſque hoc incommodo foret, omnes vnà cum Maldonato rotunde confiterentur oleum ſuum minime ad corporis curationem pertinere, eò enim & neceſſario & euidenter ducunt quæ iſti a-

lias tum de ſacramenti natura in genere, tum de huius proprie vnctionis ratione philoſophantur. Sacramenta quidem *noua legis animis, non corporibus ſanandis instituta eſſe* (vt eſt apud Eſtium) omnes docent, illudque Auguſtini ſemper in ore habent, *Totum, quod ſalutaribus agitur ſacramentis magis ad ſpem futurorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem præſentium pertinet.* Baptiſmum ſane, & Eucharistiam ad corporis commoda, vel ad huius vitæ bona minime pertinere palam eſt. Ideo Maldonatus errorem eſſe ait, *quod putemus illud ſacramentum fuiſſe institutum ad curationem corporis, ſacramenta enim (inquit) non ſunt medicamenta corporis ſed animi.* Quod vere recteque in nos dictum eſſet, ſi id, quod iſte nobis tribuit, reuera ſentiremus. Sed ille quidem ſolens mentitur, nobiſque per ſycophantiam ea affingit, à quibus, vt qui maxime, abſumus. Neque ſi qui ex noſtris oleum ab Apoſtolis in curandis ægrotis olim adhibitum, *ſacramentum* fuiſſe dixerint miraculoſæ illius curationis, eo efficitur, vt in alia ſententia fuerint. Iſti enim ſi qui ſint, *ſacramenti* vocabulum late ſumpſerunt, quo ſenſu apud veteres paſſim occurrit, pro ſacro cuiuſlibet rei etiam miraculoſæ ſigno; non autem proprie ac ſtricte, vt nunc vulgo in Theologicis vtrarumque partium ſcholis intelligi ſolet, pro ſtata, ac ſolenni perpetuaque religionis cæremonia à Domino Christo ad gratiam ſuam & ſignificandam & exhibendam inſtituta. Huius generis ſacramenta non ad corporis, ſed ad animi *curationem* omnia pertinere, libentiſſime Maldonato aſſentimur. Ergo cum iſti *vnctionem* ſuam ſacramentum illius generis eſſe ſtatuant, neceſſe eſt eos, ſi ſibi conſentanea loqui velint, illud quoque quod nos diximus, confiteri, ſcilicet huius ſuæ vnctionis finem nullum eſſe *corporis curationem.* Sed & ex iis, quę de ſua vnctione dicunt, ac ſentiunt, idem quoque euidentiſſime colligitur. Primo enim totius huius myſterij formam his verbis, quæ à presbytero ſuper ægrotum pronuntiantur, contineri volunt, *Per iſtam ſanctam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per viſum, auditum, guſtum, odoratum & tactum. Amen*; vt in Concilio Florentino conſtitutum eſſe, & ex Tridentino colligi ait Toletus. Atqui his verbis nulla habetur ſanitatis mentio. Ergo iſtos fateri neceſſe eſt ſanationem nullum eſſe ſuæ vnctionis finem, adeoque neque effectum per ſe, & ſi ſanatio interdum eam vnctionem conſequitur, id mere per accidens contingere, non ex rei ipſius ingenio, quæ plane ad aliud comparata eſt. Secundo. Idem ex eo confirmatur, quod omnes conſentiunt ægroto ſanitatem per hanc vnctionem conferri *conditionate* tantum. Atqui *ſacramenta vt ſacramenta abſolutum,* teſte Eſtio, *habent effectum.* Quæ ratio ita Eſtium commouit, vt confeſſus

Ibid. §. 5.

Ench. ad Laur. c. 66.

vb. ſupr. p. 207. col. 1.

de Inſt. presb. l. 7. c. 1. §. 5.

in 4. d. 20. §. 5.

feſſus ſit *ſuam illam vnctionem reſpectu huius corporalis beneficij non tam ſacramentum eſſe* (quippe *qua effectum illum non ſacramentaliter operatur*) quam *ſacramentale quiddam, cuiuſmodi eſt aſperſio aqua benedicta.* Ibid.
Ergo vnctionis iſtius, qua quidem ea ſacramentum eſt, id eſt qua extrema vnctio eſt, ſanatio corporis, neque finis, neque effectum eſt. Tertio. Idem quoque ex eo probatur, quod ſi corporis ſanatio huius vnctionis vere finis eſſet, eam omnes qui legitime ac digne vnguntur ægroti, certo ac indubitato conſecuturi eſſent; vt qui digne baptizantur omnes remiſſionem peccatorum obtinent, & ſpiritu Chriſti ſanctificantur, & qui digne Euchariſtiam ſuſcipiunt, omnes cœleſti alimonia reficiuntur. Atqui conſtat etiam eos, qui pie ac religioſe hac vnctione vtuntur, nullum tamen morbi leuamen ſentire, vt obſeruat Eſtius; imo ex iis, quos iſti inungunt, vix ſexcenteſimum quemque, aut milleſimum euadere, vel ſanari. Neque valet, quod nonnulli afferunt, id fieri, quia plærique fide minus firma hoc (vt vocant) ſacramentum ſuſcipiunt. Nam vt optime reſpondet Eſtius, *Etiam infirma fides ſuſcipientis cum bona voluntate coniuncta ſufficit, vt effectui ſacramentali impedimentum non obiiciatur.* Ibid. Denique id etiam ex iis manifeſtum eſt, quæ iſti de occaſione & cauſſis huius ſuæ vnctionis inſtituendæ differere ſolent. Nam qui ſubtiliſſime ea de re philoſophatus eſt Becanus ita ſtatuit, hoc quidquid eſt myſterij propriè inſtitutum eſſe *tum ad confortandum animum hominis ægrotantis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis, tum ad diſponendam & præparandam animam ad introitum gloriæ.* vb. ſupr. Quibus concinunt illa, quæ habet Bellarminus ſcilicet *hoc vnctionis myſterium diuinitus idcirco inſtitutum fuiſſe, vt eo præſidio in egreſſu & tranſitu ab hac temporali militante Eccleſia, ad aliam ſempiternam, iuuemur,* quo tempore, in ipſo ſcilicet mortis articulo Dei auxilio maxime indigemus. vb ſupr. c. 5. §. accedit vltimo. Eademque fuit, vt etiam Bellarminus affirmat, Tridentinorum ſententia, qui hac ſua vnctione, infirmum eo ſubleuari aiunt, vt *Tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis* (hoc eſt, vt liquet, fidelem in ſupremis poſitum præcipue, ac validiſſime oppugnantis) facilius reſiſtat. Seſſ. 14. c. 2. Sed & in alia parte longe etiam clarius hanc ſibi mentem eſſe teſtantur Tridentini, vbi de huius ritus inſtitutione, eiuſque fine ac cauſſis ita præfantur; *Clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore, voluit de ſalutaribus remediis aduerſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum quemadmodum auxilia maxima in ſacramentis aliis præparauit, quibus Chriſtiani conſeruare ſe integros, dum VIVERENT ab omni grauiore ſpiritus incommodo poſſint; ita extremæ vnctionis ſacramento FINEM vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio muniuit. Nam etſi aduerſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat & captet, vt deuorare animas noſtras quoquo* Seſſ. 14 doctr. de ſacr. extr. vnct.

modo poſſit; nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſuæ verſutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam ſi poſſit, diuina miſericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perſpicit. Hæc illi. Vides, vt cætera quidem ſacramenta ad vitam, hoc vero ad vitę finem muniendum inſtitutum cenſeant; vides, vt omnia, non ad vitam vel prorogandam, vel iuuandam, ſed ad mortem tutò, & extra Sathanę tela, atque inſidias, feliciter obeundam, in hac vnctione pertinere decernant. Iam cum his non video quî cohærere, ac conſiſtere poſſit ille ſecundarius reſtituendę ſanitatis finis. Nam hominem in extremis poſitum ſanare, quid aliud eſt, quàm eum de mortis articulo in hanc vitam reducere? Atqui vnctio, ſi iſtis credis, eo inſtituta eſt, vt hominem ex hac vita ad aliam cœleſtem, ex militante Eccleſia ad ſempiternam, ex agone denique ad lauream & gloriam deducat. Non ergo hæc vnctio facta eſt ad hominem ſanandum, niſi forte rem vnam, eandemque eo valere putant, vt hominem & ex hac vita dimittat, & in hac vita retineat; & in cœlum introducat & in terra conſtituat, & militia abſoluat, & ad militiam obſtringat, quę non minus abſurda neque minus ſtulta ſunt, quam ſi vnum, idemque iter & in Orientem, & in Occidentem ſimul, ac ſemel inſtitutum eſſe diceres. Itaque iſti ſi dogma tenere, ſi dogmati conſentanea conſtituere velint, neceſſario confiteri debent corporis ſanationem eſſe huius ſui ſacramenti finem, quod ſcilicet homini datum eſt, vt commode moriatur, vt fortiter & alacriter ex hac vita diſcedat, calcatoque dracone ſupremis inſidiante in cœlum lætus ſubuolet. (quibuſcum non video, quid ſit corporis ſanationi, commune) eoque ſi hominem inunctum conualeſcere contingat, id præter rei ipſius naturam, ac finem fieri, nulla adeo vnctionis iſtius vi, quæ plane alio pertinebat, ſcilicet vt ægrotus è vita commode ac Chriſtiane diſcederet, non vt in vita hæreret: clarum eſt vnctionis illius, non magis ſanitatem quam medicinæ mortem, finem ex iſtorum quidem hypotheſi dici poſſe, vt enim medicina ad ægrotum in vita retinendum, & à morte eripiendum comparata eſt, ſic Romana vnctio, vt quidem iſti volunt, ad hominem de vita dimittendum, & ad mortem commode ac Chriſtiane obeundam inſtituta eſt. Vt ergo mors medicinæ finis vel primarius, vel ſecundarius dici nonniſi ſtultè ac ridicule poteſt, quæ ſcilicet plane contra ad vitam tuendam ſpectat, ita & vnctionis Romanæ (ſiquidem vera ſunt, quæ iſti de eius cauſſis narrant) corporis ſanitas finis, niſi abſurde & inepte ſtatui nequit, quæ ſc. ad mortem, non ad vitam iuuandam data eſt. Ac vt ægrotum non medicinæ, quæ ei adhibita eſt, ſed morbi vi mori contingit, ſic eundem non vnctionis, quam ſuſcepit, vlla virtute

aut

aut efficacia, ſed plane alterius rei ope conualeſcere conſitendum eſt. Ex his igitur concluſum eſto Romanorum aliptarum vnctionem ad reſtituendam corporis valetudinem vel ſecundario tantum, & conditionate, (quod ipſi quamquam abſurde, neque ad dogma ſuum conſentanee dicunt) vel quod nos ex ipſo eorum dogmate verius eſſe demonſtrauimus) nullo plane modo, nullaque ratione pertinere. Vnctionem vero Iacobæam quod in priori ratiocinationis noſtræ parte, poſitum erat, ad corporis ſanationem vel vnice, vel præcipue ſpectare; clamant ipſa Apoſtoli verba, *oratio fidei* (inquit) *ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*, Vides, vt iis ægrotis, qui à preſbyteris inuncti fuerint & fidei oratione Deo commendati, ſanitatem abſolute polliceatur? Ergo dubitari non poteſt quin hic proprius, fuerit adhibitæ vnctionis finis; vnde porro euidentiſſime conſequitur aliam eſſe vnctionem Iacobæam, aliam eam, quæ ab aduerſariis hodie factitatur; & ſacramenti nomine venditatur. Ad hanc rationem non vno eodemque modo reſpondent aduerſarij. Catharinus quidem minorem propoſitionem videtur negare. Ait enim *ſacramento non repugnare, quod effectus eius vnctionis alleuiatione infirmi deſcribitur, imo huic ſacramento id maxime conuenire ex Thoma, in Theologia.* Sed quam impudens ſit hæc iſtius reſponſio, ſatis ex iis, quæ nuperrime diximus, patet, quibus demonſtratum eſt, & ex ipſo iſtorum dogmate ad ægri ſanationem minime pertinere alipticum eorum ſacramentum, & ex omnium fere Theologorum qui in iſtis partibus ſunt, conſenſu, hac ipſorum vnctione, corpus non per ſe, neque primario, ſed vel per accidens vel certe ſecundario tantum atque conditionate ſanari. Atqui Iacobus & primo & per ſe & abſolute corporis ſanationem iis ægrotis promittit, quibus ea, quam intelligit, vnctio adhibita fuerit. Ergo Bellarminus & alij & ipſi quoque non minus inuerecunde quam Catharinus, maiorem argumenti noſtri propoſitionem videntur negare. Scribit enim Bellarminus duo illa verba quibus Iacobus in deſcribendo vnctionis ſuæ effectu vſus eſt, nimirum σώζειν & ἐγείρειν *ſeruare & excitare* ſiue, vt habet Latinus Interpres, alleuiare *hoc loco non ad corpus ſed ad animam præcipue pertinere.* Vult enim *alleuiare hic per metaphoram ſcripturæ ſacræ familiarem ſignificare pellere mœrorem, triſtitiam, negligentiam, ſoporem & deſidiam animi, quæ propinquos morti valde deprimere & grauare ſolent, vt non facile poſſint mentem ad Deum attollere.* Sed hæc quam futilia ſint, quæque ab vno cauſſæ ſtudio profecta contra manifeſtam vim vocum & ſermonis vſum obtendantur omnes ſatis intelligunt. Ac in priori quidem interpretanda phraſi *oratio fidei ſaluabit Infirmum*. Bellarmini conſtantiam imprimis deſidero, qui in alia huius opuſculi parte his Iacobi verbis

vb. ſupr. p. 191.

vb ſupr. c. 3. ſ. ico ſecundo.

Ibid e 8. § secundo vb. ſupr. §. 4. in 4. d. 23. q. 1. concluſ.

ſanitatem corporalem comprehendi, ac intelligi ab Apoſtolo diſertè ſcribit, quod me iam ſupra obſeruaſſe memini, eundemque effectum his verbis ſignificatum fuiſſe à Iacobo *iuxta omnium fere interpretationem* confitetur Eſtius. Sed ſunt tamen, vt Bellarminum hîc mittam, etiam alij, vt Durandus verbi gratia, qui videntur hæc Apoſtoli verba ad ſolam animi ſalutem referre. Ego vero contra iſtos omnium Grammaticorum, imo hominum, fidem ac ſenſum appello. Loquitur Iacobus de infirmo, *infirmatur quis in vobis?* iubet ex ea occaſione accerſiri presbyteros, hominemque inungi, & preces ſuper eum fieri, Tum addit, & oratio fidei σώσει τὸν κάμνοντα *ſeruabit laborantem* (vel vt Latinus) *ſaluabit infirmum*. Quis hęc ita poſita aliter quam de morbi curatione intellexerit? Fateor verbum σώζειν *ſeruare*, per ſe abſoluteque tam animi, quam corporis imo etiam fortaſſe crebrius illius, quam huius ſalutem in ſacris quidem litteris, ſignificare, & ſi ſimpliciter hoc loco adhibitum eſſet, de eo cum aduerſariis pugnandum non putarem. Nunc cum Iacobus de corporali infirmitate loquatur, cum non ſimpliciter *hominem* ſed τὸν κάμνοντα, *ægrotantem* ſiue infirmum *ſeruatum iri* dicat, vel mente vel certe pudore carere eum neceſſe eſt, qui alio, hæc, quam ad corporis releuationem, ac ſanationem referenda eſſe contendat. Vim enim huius verbi σώζειν *ſeruare*, quod per ſe quouis malo eripere ac liberare ſignificat, hic ad morbi corporalis curationem & omnis Iacobi oratio in qua de huiuſmodi infirmitate ſermo eſt, & participium τὸν κάμνοντα *ægrotantem*, ſiue *laborantem*, manifeſtè reſtringit. Quid enim *eſt ægrotantem ſaluare*, niſi eum morbo quo laborat liberare? Quid eſt ſeruare *periclitantem*, niſi illum eo, in quo verſatur, diſcrimine ac periculo eripere? Cum in mari iactarentur, coorta tempeſtate Apoſtoli, Κύριε (inquiunt) σῶσον ἡμᾶς ἀπολλύμεθα. *Domine ſalua nos. Perimus*. Et Petrus cum in mari ambulans mergi cœpiſſet, ſimiliter clamat, Κύριε σῶσόν με. *Domine ſalua me*. Nonne fungus ſit, qui *ſeruare* ſiue *ſaluare*, σώζειν iis locis, non ad illud corporis periculum, in quo verſabantur tum Apoſtoli, tum Petrus, ſed ad animum eorum referendum exiſtimauerit? Quid ſi Matthæus iſta deſcribens adieciſſet, Καὶ ὁ Κύριος αὐτοὺς ἤδη ἀπολλυμένους ἔσωσε, & *Dominus eos iam pereuntes ſaluauit*, & de Petro ſimiliter, Καὶ αὐτὸν ἀρξάμενον καταποντίζεσθαι ἔσωσε, & *eum mergi incipientem ſaluauit*, eſſet ne quiſquam adeo ſtultus, vt alio hæc putaret, quam ad id ipſum, de quo narrat euangeliſta, illorum in mari periculum pertinere? Neque ergo iſti ſaniores, qui quod ait Iacobus σώσει τὸν κάμνοντα *laborantem ſaluabit*, non ad morbum corporeum de quo Apoſtolus, ſed ad alia neſcio quæ animi mala, referunt. Vt σώζειν τὸν ἀπολλύμενον *pereuntem ſeruare*; *eſt hominem exitio eripere*, vt σώζειν

Matth. 8. 25. & 14. 30.

τὸν καταποντιζόμενον *ſubmerſum*, aut eum qui mergitur ſaluare, eſt iſtum è mari vel è flumine, quo mergebatur, incolumem eripere, ſic apud Iacobum σώζειν τὸν κάμνοντα *ægrotantem ſaluare*, eſt *hominem morbo liberare*.

Ita Lucam, quo loco dixit ἐσώθη ὁ δαιμονισθεὶς, *ſaluatus eſt dæmoniacus*, ſiue *energumenus*, nemo dubitat intelligere iſtum dæmonio, à quo vexabatur, liberatum fuiſſe. Adeo familiare eſt & vſitatum in hoc ſenſu *ſaluandi*, id eſt τοῦ σώζειν vocabulum, vt quem Publij Patrem Lucas *ſanatum* à Paulo propriè dixerat, eum Latinus interpres *ſaluatum* dicere non dubitauerit; ὁ Παῦλος, inquit Lucas, εἰσελθὼν καὶ προσευξάμενος ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ, ἰάσατο αὐτόν. Latinus, *Paulus intrauit, & cum oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſaluauit eum*. Ergo vel ipſo Latino iudice, cuius ſumma eſt apud ipſos auctoritas, *ſaluare*, vbi de homine ægroto agitur, eſt ἰᾶσθαι *ſanare*. Itaque quod Iacobus eodem modo, quo nuper Lucas, dicit *ægrotantem ſaluari*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, *ægritudine ſiue morbo liberari*; planeque deſipiunt, qui his verbis ſignificari volunt iſtum neſcio quibus animi malis, de quibus ne γρῦ quidem dixit Iacobus, liberari. Ille verò de *infirmitate* deque ægroto loquitur. Ergo hæc alio fruſtra torquentur. Ita cum refert Matthæus mulierem fluxu ſanguinis laborantem apud ſe dixiſſe, *ſi tetigero tantum veſtimentum Ieſu*, σωθήσομαι, *ſaluabor*; cumque mox de eodem ſubiicit, καὶ ἐσώθη ἡ γυνὴ, *& ſaluata eſt mulier*, nemo niſi ſplendidè deliret, aliò hæc, quam ad eum, quo mulier laborabat, ſanguinis fluxum pertinere dixerit. Eiuſdem eſt commatis, quod apud Marcum legitur, depoſitos quocunque Ieſus tranſiret, *infirmos quotquot eum tangebant, ſaluatos eſſe*, id eſt, vt quiuis videt, ea qua laborabant infirmitate, liberatos. Quomodo diſcipuli de Lazaro apud Ioannem εἰ κεκοίμηται, σωθήσεται, *ſi dormit, ſaluabitur*, Nemo negauerit ad Anticyras ablegandum, ſiquis hoc loco, non de corporis ſed de animæ ſalute, illud σωθήσεται, interpretatus fuerit. Atqui plane eadem eſt Iacobæi huius loci ratio; ergo eodem quoque modo is accipiendus eſt; & ſic ſane acceperunt omnes veteres, quod infra demonſtrabimus. Sic etiam interpres Syrus vetuſtiſſimus לה להו דכריה מחלמא *reſtituet ſanitati ipſum qui ægrotat*, vt vertit Boderianus. Neque ante exortos cerebroſos iſtos ſophiſtas, quibus præter vnam cui ſtudent, cauſam; cætera omnia, fides, pudor, ſermonis & rationis leges, ludus ſunt & iocus, quiſquam repertus fuerat, qui Iacobi locum aliter, quam de corporis Sanitate, interpretaretur. Idem quoque ſignificat alterum verbum ἐγερεῖ, quo hic vſus eſt Iacobus; καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, *& excitabit*, ſiue quod maluit Latinus, *alleuiabit eum Dominus*, fruſtraque eſt, qui contra tendit, Bellarminus. *Etſi* (inquit) ἐγείρειν *propriè*

Luc. 8. 36.
Act. 28. 8.
Matth. 9. 21. 22.
Marc. 6. 56.
Ioan. 11. 12.

ſignificat excitare, & eleuare, quod ad corpus pertinet, tamen per metaphoram ſcriptura ſancta familiarem ſignificat etiam pellere mœrorem, triſtitiam, negligentiam ſoporem, & deſidiam animi. Tum illa ex Paulo adfert, *hora eſt iam de ſomno ſurgere* ἐγερθῆναι. *ſurge* ἔγειραι, *qui dormis*: Et illud Lucæ, *potens eſt Deus de lapidibus iſtis excitare filios Abrahæ*, denique & hoc Petri, *excito ſinceram veſtram mentem.* Sed me iſtius piget, miſeroſque in re clara tam inepte vitiligantis. Quaſi vero quiſquam vel neſciat, vel neget verbum ἐγείρειν, & id quo Petrus vſus eſt διεγείρειν, etiam ad animum transferri. Petrum quidem, qui ſe eorum ad quos ſcribit *mentem excitare*, ait, nemo dubitat de ea actione intelligere, quæ ad animum refertur, qua ſcilicet mens vel deſes, vel aliud agens, vel certe minus atterita ad officium vrgetur, ac erigitur. Et ſi ita Iacobus quoque dixiſſet, καὶ αὐτοῦ τὴν διάνοιαν διεγερεῖ ὁ Κύριος, *& eius mentem excitabit Dominus*, nemo negaret iſta ad animi, non ad corporis curationem & excitationem pertinere. Eadem Pauli ratio eſt; qui cum *de ſomno* ἐγερθῆναι *excitari* ſiue *ſurgere* dicat; & eum qui dormit ἐγείρεσθαι, ſurgere iubeat, verendum non eſt nequis eum de alia excitatione locutum putet, quam de ea, qua è ſomno expergiſcimur. Itaque ſi noſter eodem & ipſe modo polliceretur fore, vt Dominus eum, qui inunctus fuerit, *ſomno ſuſcitet*, vel quod idem eſt, *dormientem expergefaciat*, equidem non nego impudentem fore, ſi quis de morbi curatione huiuſmodi verba intelligat. Nunc cum iſtorum nihil dixerit Iacobus, aliud agit Bellarminus qui hæc, quę nihil ad rem pertinent, nobis obtrudit. Illud vero loco de filiis Abrahæ, quos Dominus etiam de lapidibus excitare poteſt, quorſum ſpectet diuinare non poſſum. Eſt enim à Iacobæa phraſi & à Bellarmini conſilio plane penituſque alienum, niſi forte hic putet Ioannem his verbis ſignificaſſe, Deum, etiam à lapidibus, ſi libuerit, *mœrorem, triſtitiam, negligentiam, ſoporem, & deſidiam animi depellere poſſe.* Nos ergo fatemur quidem vocem ἐγείρειν, *erigere*, *excitare* vel *ſuſcitare*, in genere iis omnibus conuenire, qui vel animo vel corpore iacent hominumque & corpora à ſomno, à morbo, à morte ipſa, & animos à torpore, à deſidia, à mœrore, ſi forte ἐγείρεσθαι *excitari* vel *erigi*, dici poſſe. Id verbi quibuſuis locis, quolibet iſtorum ſenſuum accipi poſſe nego. Eius enim vis ex rei ipſius de qua agitur, ingenio ac natura pendet. Si de dormiente ſermo eſt, nemo non videt, qui eum *excitari* dicit de ſomno, à quo expergeſit, intelligere. Sin de mortuo, aut de eo cuius animus in ignorantiæ, vel in peccati, vt ſic dicam, tenebris decumbit, ſimilis quoque iſtorum erit ratio. Iam vero Iacobus non de homine *mœſto*, vel *deſide*, vel *oſcitante* & *ſomno lento* verba facit; ſed de *ægroto*. *Infirmatur quis in vobis?* inquit,

Rom. 13. 11.
Eph. 5. 14.
Luc 3. 8.
2. Petr. 3. 1.

inquit, *ſaluabit oratio fidei laborantem, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν, & excitabit eum Dominus*; Quem? Nimirum laborantem, ſiue ægrotantem. Ergo excitaturum, ſiue erecturum intelligit, non à *deſidia* aut *mœrore*) (quod per ſummam oſcitantiam ſomniat Bellarminus) ſed ab infirmitate, ſiue morbo; ad quem depellendum inungi eum voluit. Ita cum de Petri ſocru iacente & febricitante idem verbum vſurpat Matthæus, ἠγέρθη, καὶ διηκόνει αὐτοῖς, *ſurrexit* vel *erecta eſt, & miniſtrabat illis*. Nemo eſt, qui non intelligat, eam vel de lectulo, in quo decumbebat ſurrexiſſe, vel certe febre, qua laborabat, ope Domini liberatam conualuiſſe. Certe cum pronomina vice nominum in oratione ponantur, αὐτὸν vero in oratione Iacobi ad τὸν κάμνοντα *ægrotantem* vel *laborantem* referatur; patet, quod ille ait, *Domini* ἐγερεῖ *eriget eum*, idem eſſe ac ſi dixiſſet, *infirmum* ſiue *laborantem Dominus* ἐγερεῖ *eriget*, vel *ſuſcitabit*. Iam illa phraſi *erigere* vel *alleuiare* ægrotantem morbi ipſius leuamen, ſiue depulſionem ſignificari, qua conualeſcit ægrotus, & in ſanitatem erigitur, omnes vident. Ita cum Pſaltes canit. *alleuat Dominus omnes qui corruunt & erigit* ἐγείρει, (id enim habent Græci interpretes) *omnes eliſos*, nemo non videt, hoc eum velle, Deum iſtorum ruinæ & afflictioni, ſiue eliſioni mederi. Ergo & hic pariter cum ait Iacobus, *à Domino erigi* ἐγείρεσθαι *ægrotantem*, non eſt dubitandum quin intelligat, Dominum iſtius, de quo loquitur, *morbum*, non autem moerorem aut torporem, de quibus nihil dixit, depellere. Neque vllum vel è diuinis litteris, vel ex aliis idoneis autoribus exemplum afferri poteſt, in quo aliquem *ægrotantem*, ſiue morbo laborantem, ἐγείρειν *erigere* vel *ſuſcitare*, alio, quam hoc ſenſu, quis dicatur. Huc poſtremò & illud accedit quod Bellarmini gloſſa omnem Iacobi orationem fœdè perturbat, ac peruertit. Si enim iſtum audias, Iacobus cum ait *Dominus* ἐγερεῖν *ſuſcitaturum* ægrotantem, intelligit eum reliquias peccati abſterſurum, ac depulſurum, & ægrotantis animum curaturum, atque eadem fere eſt aliorum quoque aduerſariorum de his verbis ſententia. Atqui Iacobus iſtam peccatorum depulſionem, animique curationem proxime ſequentibus verbis ægro pellicetur, cum ſtatim ſubiicit. *Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*. Itaque hic ex aduerſariis, erit Iacobi ſenſus; *Oratio fidei, ægrotantis animum ſanabit, & Dominus abſterſis eius peccatis, ſi qua reliqua ſint, mœrore eius mentem liberabit; & ſi in pecatis fuerit remittentur ei*. Quis non videt ſi priora verba ad animum hoc modo referantur (quod volunt aduerſarij) vltima hæc, *& ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*, ineptiſſimè adiecta eſſe, turpique ἀδολεσχίᾳ laborare. Quod ſi priora de *corporis ſanatione* (quo euidentiſſime pertinent, & quo ab omnibus veteribus relata ſunt) intelligamus, tum vero tota

Matth. 8. 15.

Pſ. 145. (lat. 144.) 14.

oratio aptè cohærebit, recteque conſiſtet, duo Domini beneficia aperte explicans; quorum prius, quod ad corporis ſanitatem ſpectat, prioribus verbis continetur, *oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſuſcitabit eum Dominus*, poſterius, quod ad animum pertinet, & remiſſionem peccatorum complectitur, poſtremis verbis aptiſſime, ſuoque plane loco expreſſum habetur, *& ſi in peccatis fuerit remittentur ei.* Huc poſtremo accedit totius Eccleſiæ Græcæ teſtimonium, quæ in publico ſuo euchelæi; ſiue vnctionis ſacræ officio, quid ſignificent hæc Apoſtoli verba *ἐγερεῖ τὸν κάμνοντα* eo ſatis docet, quod in precatione quadem huius officij ſolenni, ita Deum pro infirmo orat, *ἐξέγειρον αὐτὸν ἀπὸ κλίνης ὀδυνηρᾶς καὶ στρώμνης κακώσεως, leua eum, à lecto doloris & à strato ærumnæ.* Obſeruauit ipſe Arcudius; & ex eo
I. 5. cap. 7. p. 402. a. concludit, *ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος* (quod eſt apud Apoſtolum) accipiendum eſſe quaſi dixiſſet *ἐκ τῆς κλίνης*: hoc eſt, *à lecto ſurgere faciet.* Ergo cum ex ſuperioribus nunc conſtet Iacobæam vnctionem ad corporis ſanitatem recte, atque abſolute pertinuiſſe, omnino conſequens eſt, vt ab ea plane alienam eſſe extremam ſuam vnctionem aduerſarij confiteantur, quæ cum ſacramentum eſſe fingatur, ad animi, non ad corporis ſaltem per ſe neceſſarioque & abſolute inſtituta ac comparata eſſe debet.

Capvt IX.

Idem probatur aliis rationibus. 2. inde quod petita, Iacobus iis, quos inungi vult; peccatorum remiſſionem, non abſolute ſed conditionate pollicetur. 3. inde ſumpta quod Iacobæa vnctio non ſolis moribundis ſed quibuſuis infirmis adminiſtrabatur, quæ ratio Bellarm. obiectionib. vindicatur. 4. Caietani quod plures ſacerdotes induci iubeat Iacobus. 5. inde ducta quod Iacobus nihil dicat de eo in quo ſitus eſt proprius vnctionis extremæ finis.

SEcundam rationem, priori ſimilem, nobis ſuppeditant illâ Iacobi verba; *Et ſi in peccatis ſit remittentur ei*, ex quibus ſic argumentor, Romanorum vnctio peccatorum remiſſionem abſolute, non conditionatè dare fingitur, vt liquet primo ex forma, qua adminiſtratur, *Per iſtam ſanctam vnctionem* &c. *indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum* &c. ſecundo ex eo quod illa vnctio ſacramentum eſſe dicitur, ſacramentorum autem effectus abſolutus eſt, tertio ex ipſa aduerſariorum confeſſione qui ſanitatem quidem illa ſua vnctione conditionate procurari volunt remiſſionem vero peccatorum abſolute.

abſolute. Atqui Iacobæa vnctio planè contra ſanitatem quidem *abſolutè* confert, vt demonſtrauimus, remiſſionem autem peccatorum conditionatè, & *ſi in peccatis fuerit remittentur ei*. Ergo omnino alia Iacobi, alia iſtorum vnctio. Nimirum vnctio Iacobæa per ſe ſimpliciterque & abſolutè ad ſanitatem corporis ex miraculoſo dono ægrotis conferendam ſpectabat. Sed cum morbi hominibus vel ad probationem, vel ad caſtigationem ob admiſſa aliqua peccata immitantur, indè fiebat, vt Deus aliquando iis, quos illà vnctione ſanabat, etiam peccata remitteret; nimirum quoties morbus ob aliquod peccatum inflictus erat. Itaque vnctio ad morbum depellendum ſimpliciter tendebat; ſiue ad probationem ægrotantis, ſiue ad eiuſdem caſtigationem ob peccata immiſſum. Ac ſi vnctus quidem morbo prioris generis, hoc eſt ad probationem tantum, non autem ob ipſius peccata immiſſo, laboraret, vncto nihil aliud præter ſanitatem conferebat Deus. Atque huius generis fuit illius cæcitas de quo Chriſtus apud Ioannem, *Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt opera Dei manifeſta in eo fierent*. Quibus verbis, non hoc ſignificat Chriſtus nullum vnquam vel ab iſto, vel ab eius parentibus admiſſum peccatum (nemo enim eſt peccati expers) ſed accommodatè ad cauſſam, de qua interrogatus fuerat, loquitur. Rogauerant enim diſcipuli, *quis peccaſſet hic an parentes eius vt cæcus naſceretur*. Dum ergo iſtis ſic quærentibus reſpondet Chriſtus, neque hunc, neque eius parentes peccaſſe, eo negat vllo vel huius vel parentum peccato factum, vt iſte cæcus naſceretur. Hæc eſt apertiſſima Domini mens. Si ergo ægroti quos Iacobæi preſbyteri inungebant, huius generis morbis laborabant, hoc eſt, quos nullo ſuo peccato contraxerant; tum ſane nullum inuncti aliud à Deo beneficium, præter corporis ſanitatem, ad quam illa vnctio per ſe ſpectabat, conſequebantur. Sin vero, vt ſæpè fit, ob admiſſum aliquod peccatum morbo illo, cuius curationem per vnctionem quærebant, diuinitus affecti erant; illis ſpem facit Iacobus Dominum, præter corporis ſanitatem, etiam peccati illius, ex quo morbus ortus erat, remiſſionem denique largiturum; quod, vt liquet, planè erat præter ipſius vnctionis ad ſolam corporis ſanitatem per ſe ac immediatè ſpectantis, finem, atque ingenium. Nimirum erat beneficij minoris amplum quoddam auctarium. Ita Chriſtus paſſim in Euangelio iis, quos morbis corporis liberat, etiam peccata dimittit; imò non alia Domini in conferendis temporalibus bonis mens eſt, quam vt homines illo ſuæ benignitatis ſpecimine allecti, reſipiſcant, peccatorumque adeo remiſſionem à ſe impetrent; iuxta illud Apoſtoli, *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. Hæc igitur cauſſa eſt cur Iacobus poſtquam

Ioan. 9. 3.

Rom. 2. 4.

proprium, ac immediatum (vt ſic dicam) vnctionis effectum, corporis ſcilicet ſanationem explicauit, illa etiam adiecerit, *etſi (ægrotus) peccata fecerit*, ſic enim habent Græca, *dimittentur ei. Peccata* iſtum *feciſſe*, ait eodem omnino ſenſu, quo Chriſtus *cæcum peccaſſe* negat; id eſt calamitatem qua laborabat, ſua ſibi culpa, ſuoque peccato, accerſiuiſſe, ac conciliaſſe. *Si peccata fecerit*; idem eſt ac ſi diceret, *ſi peccatis morbum accerſiuerit*; *ſi infirmitate ideo caſtigatus fuit, quod peccata feciſſet*, Dominus præter corporis valetudinem vnctione miraculoſa emendatam, peccata illa inſuper, quibus eam ſibi conciliauerat, clementer ei dimittet. Hæc omnino eſt Iacobi in illis verbis mens; fruſtraque ſunt aduerſarij, qui hic de neſcio quibus peccati reliquiis, (quæ nullæ apparent apud Apoſtolum) tam multa, ſanè ſtultè ac pueriliter, inter ſe digladiantes diſputant. Cum igitur, vt ex his conſtat, peccatorum *remiſſio*, quæ Romanæ vnctionis finis, ac effectus proprius abſolutus & immediatus, ac vt ſic dicam, *prora puppiſque* eſſe fingitur, vnctionis Iacobææ nec finis, adeoque neque effectus per ſe fuerit, ſed eius, quod per eam probatur, beneficij (ſanitatis ſcilicet) quoddam ex Dei benignitate auctarium, quod neque ſemper, neque ſimpliciter, ſed interdum tantum, & conditionate vnctis ægrotis à Domino velut *ex πάρεργου* conferebatur, Luce iam meridiana clarius liquet hanc Iacobæam vnctionem ab illa longe ab fuiſſe, quæ hodie celebratur apud aduerſarios.

Tertia nobis erit ratio, quæ Caietano prima fuit, inde ducta quod Iacobæa vnctio quibuſuis infirmis conferebatur, aduerſariorum vnctio, nonniſi iis, qui grauiſſime laborant, ita vt de eorum vita nulla aut perexigua ſpes ſit. Iacobi verba clara ſunt; *infirmitatur quis in vobis inducat presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Si quis inter eos infirmaretur*, iſtum vngi vult. At *infirmantur* etiam qui non deſperatè ægrotant. Ergo & eos, qui non deſperatè ægrotant, vngi nulla per Iacobum inuidia eſt. Aduerſarij vero nullos vngi volunt, niſi in ſummis morbis, extremoque vitæ articulo, vt ſupra ex ipſorum Theologis probauimus. Ergo alia Iacobi fuit, alia nunc eſt iſtorum vnctio. Catharinus fatetur non dici à Iacobo, *ſi quis infirmatur ad mortem? ſed quid prohibet (inquit) ita intelligi vt conſuetudo legum optima interpres & B. etiam Thomas teſtatur? an vere minus infirmatur, qui infirmatur ad mortem? ego puto de huiuſmodi verius dici, quod infirmantur.* Hæc ille (vb. ſupr. p. 191. ext.) ſpecta quæſo & frontem & ineptiam hominis. Primo, quod quærit *an minus infirmentur qui infirmantur ad mortem*, quodque ſibi videri ait, iſtos qui ad mortem infirmantur, *verius dici infirmari*, quam qui non laborant lethaliter, id, inquam, inepte ac præter

rem

nem ab illo dicitur. Nam neque Caietanus, cum quo diſputat, neque vero nos negamus, qui ad mortem ægrotant, eos eſſe in ægrotantium, τῶν ἀσθενούντων cenſu, vereque dici poſſe *infirmari*, ἀσθενεῖν, adeoque ex Iacobi verbis licuiſſe ad huiuſmodi homines periculoſe decumbentes preſbyteros vncturos adduci. Illud à Caietano, illud à nobis vrgetur, quod cum non ſoli ad mortem ægrotantes, ſed omnes omnino qui morbo aliquo laborant ἀσθενεῖν *infirmari* & dicantur & intelligantur, Iacobum, qui *ſi quis infirmetur*, eum *inungendum* dicit, neceſſe ſit fateri, quoſlibet ægrotos, non adeo ſolos ad mortem laborantes inungi voluiſſe. Qui cum ſit huius cauſſæ ſtatus, Catharinus, vafrè quidem ille, ac ſophiſtice, ſed tamen impudenter ac nimis pueriliter fingit Caietanum negare *infirmari*, qui *ad mortem infirmantur*, & ab eo querit *An minus infirmetur, qui ad mortem infirmatur?* Tu vero nugaris, Ambroſi, Non enim quæritur, an & qui lethaliter laborabant, eos vngi per Iacobum licuerit, (quod neque Caietanus, neque quiſquam mortalium, vmquam negauit) Quæritur an ex more, rituque veſtro non alios quam ad mortem laborantes vngi iuſſerit Iacobus. Caietanus etiam alios, etiam quoſuis, modo infirmos & ἀσθενοῦντας ex Iacobi mente vngi licuiſſe pertendit. Nimirum Iacobus ſimpliciter ac in genere dicit, *infirmatur quis in vobis?* non dicit, infirmatur *quis ad mortem?* vnde patet, non Caietani rationes, quod tu ais, ſed tuas reſponſiones futiles eſſe, ac ineptas. Nam quod vis hæc Apoſtoli verba, *infirmatur quis in vobis?* ſic intelligi, ac ſi ſcripſiſſet, *infirmatur quis ad mortem?* ridiculus es. Quis enim tibi id iuris dedit, vt quæ viri diuini ſcripſerunt, ea tu pro libidine ſic immutes? ac circumſcribas? Affer exemplum, affer autorem, quo euincas *infirmari*, idem eſſe, quod *ad mortem infirmari*, Sed quis, niſi ſtultus ſit, ita loquatur? Quis medicum eos qui infirmantur, ad ſe inuitantem non alios compellere crediderit, quam eos, qui in ſupremis verſantes pœne agunt animam? Paulo ante eodem modo dixerat Iacobus *Triſtatur aliquis veſtrum? Oret.* Si Catharinum ſequimur, non alios orare vult, quam qui ad mortem triſtantur. Quid enim? inquit. *An minus triſtatur* qui *triſtatur ad mortem? Ego puto de huiuſmodi verius dici, quod triſtantur.* Sin ita ſtultiſſima, vt ſunt, ita etiam Catharino eſſe videntur, fateri debet vana quoque & inepta eſſe quæ ipſe commentatur, de proximis planeque geminis Iacobi verbis, *infirmatur quis in vobis?* Hæc enim cum eodem exemplo, ac ſpiritu continentur, dicta ſint quo illa ſuperiora, *Triſtatur aliquis veſtrum? Oret. Æquo animo eſt? Pſallat*, apparet Iacobum intelligere de quibuſuis infirmis, ſiue laborantibus, non autem de ſolis ad mortem decumbentibus plane vt paulo ante de quolibet homine c. 5. 13.

fideli, qui κατηφεῖ, *triſtis eſt* non autem de iis ſolum qui ad mortem triſtantur. Sed clamat Catharinus *conſuetudinem legum optimam eſſe interpretem.* Fruſtra. Nam ad legis interpretationem tum afferri conſuetudinem decet, cum aliquid eſt in lege vel obſcurum, vel ambiguum. At in Iacobi verbis nihil huiuſmodi occurrit. Quid enim planius, aut liquidius dici potuit quam hoc? *Infirmatur quis in vobis?* Iſta quidem Ambroſi, nullam à te, nullam à tuis lucem deſiderant. Scimus omnes, quid ſit *infirmari*; neque eſt quod tu te nobis perſuaſurum putes *infirmari* idem eſſe quod *ad mortem infirmari*. Neque ſi tua conſuetudo eſt non alios vngere, quam ad mortem laborantes, eo vmquam crediderim Iacobum qui inungi concedit, ſiquis infirmetur, neminem niſi ad mortem ægrotantem vngendum intelligere. Præterea ſi *conſuetudo & vſus* hic aliquid valent, eorum conſuetudo & vſus valent, qui iiſdem quibus lex lata eſt temporibus, aut certe proximis, vixere; cum lex incorrupta ſtaret. At ſi ad illa tempora reſpicias, vnctionem quibuſuis, non ſolis ad mortem ægrotantibus, adhibitam fuiſſe conſtat, quod & nos poſtea demonſtrabimus, & Maldonatus diſerte confitetur. Neque ex priſcis interpretibus vllus eſt, qui Iacobi verba de ſolis ad mortem ægrotantibus accipiat. Huic veterum vſui ridicule opponitur inducta à nouitiis poſt mille & trecentos annos, conſuetudo. Et ſi obſcura eſſent Iacobi verba ex veteri, non ex noua Chriſtianorum conſuetudine eſſent interpretanda. Nunc cum & clariſſima diſertiſſimaque ſint, & iis ad amuſſim congruat veterum vſus, profecto nobis illudit Catharinus qui conſuetudinem ſuam eo valere vult, vt Iacobus aliud intelligere putetur, quam quod loquitur, quodque eum intellexiſſe omnes veteres ſenſerunt. Sed hoc iſtis familiare eſt, vt prauos vſus qui apud ipſos obrepſerunt, non ex verbo diuino, vt decebat, corrigant, ſed contra, verbi diuini normam ac legem eſſe velint; quo nihil fingi poteſt iniquius aut peruerſius. Atque hæc de Catharino. Bellarmino & aliis non paucis idem ſomnium placuit. Ille enim ſcribit eam Iacobi eſſe in verbis allatis mentem, vt *eos tantum qui de vita periclitantur* vngi velit; idque probat primo ex vocibus ἐγερεῖ & κάμνοντα, *alleuiabit* & *infirmum*, quibus hoc in loco vſus eſt Apoſtolus. *Nam excitare & alleuiare*, (inquit) proprie iis conuenit qui decumbunt *valde oppreſſi & grauati. Et κάμνειν ſignificat deficere & etiam mori. Vnde etiam κάμνοντες dicuntur mortui.* Reſpondeo & hunc fruſtra contra diſertam Iacobi orationem recalcitrare. Primo enim quod infirmorum genus vngi velit Iacobus ex primis eius verbis diſcendum. Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; *Infirmatur quis in vobis?* Is eſt quem vngendum monet; *ſi quis*, ſcilicet ἀσθενεῖ, *infirmatur*. At *infirmatur* etiam qui non ad mortem infirmatur. Neque vel ipſe Bellarminus auſus eſt de verbo ἀσθενεῖν pugnare, aut contendere quin

vbi ſupr. c. 3. §. Et hoc idem.

omnia

omnia morborum genera, etiam eos qui non ſunt ad mortem, complectatur. Ergo cum eum, quem inungi licet, Apoſtolus ἀσθενοῦντα *infirmum*, ſiue *ægrotum* edicat, cætera quæ de eius ſanatione adiicit, inde explicanda ſunt; nec vocis in genere poſitæ vim ad vnam ſpeciem reſtringere queunt. Tum quæ iſte de verbis ἐγείρειν & κάμνειν grammaticatur, tam ſtulta, ac delira ſunt, vt qui talia effutiuit, eum clarum ſit ad incitas redactum fuiſſe. ἐγείρειν (inquit) *proprie iis conuenit, qui decumbunt valde oppreſſi & grauati*, Iis-ne inquam, ſolis? Vnde vero id habet? Quæſo te Bellarmine, ſunt ne *valdè oppreſſi & grauati*, quotquot dormiunt, At dormientium nemo eſt, qui ἐγείρεσθαι *excitari* dici non poſſit. Denique quiſquis iacet, eum cum erigitur, ἐγείρεσθαι dici nulla vnquam inuidia fuit, Sane veteribus Gloſſis ἐγείρομαι eſt, *ſurgo*, & viciſſim *ſurgit*, eſt ἐγείρομαι[a] & Suidæ, ἐγηγερμένος, διανιστάμενος, *ſurgens*, *vel excitatus*, & Phauorino, ἐγείρειν & ἀνεγείρειν, & ἀνιστᾶν idem qui, ἐγείρεσθαι dici docet & τὸν κείμενον iacentem, & τὸν ῥαθυμοῦντα in re facili & obuia lexicographos compilare. Cum ergo decumbant, & iaceant etiam ij ægroti, qui de vita tamen minime periclitantur, apparet quam ridiculus ſit Bellarminus, qui ægrotum, quem vngi præcipit Iacobus, de vita periclitatum fuiſſe inde colligit, quod is, dum ſanatur, ἐγείρεσθαι *erigi* vel *excitari* dicitur. Non eſt in verbo κάμνειν fœlicior. Id enim id ipſum eſſe Græcis, quod nobis *infirmari*, *laborare*, *ægrotare*, omnino Latinus interpres ſummæ apud aduerſarios auctoritatis docet, qui hoc ipſo in loco τὸν κάμνοντα, quod habet Apoſtolus, non *defitientem* aut *morientem*, quod vult bonus Bellarminus, ſed *infirmum* ſimpliciter reddit. *Oratio fidei* (inquit) *ſaluabit infirmum*: σώσει τὸν κάμνοντα. Sic etiam Syrus, quem paulo ante exhibuimus, ex Boderiano, *ſanitati reſtituet ipſum qui ægrotat*. Tum & Græci ipſi idem affirmant. Suidas, κάμνειν ἐπὶ τοῦ ποιεῖν καὶ ἐργάζεσθαι καὶ ἐπὶ τοῦ νοσεῖν. Iam νοσεῖν idem eſſe, quod ἀσθενεῖν, morbo laborare, ſiue ægrotare, nemo neſcit. Magni etymologici auctor eadem habet, quæ Suidas. Sed & monet verbum κάμνειν quatuor ſignificare, τὸ κτυπεῖν, τὸ κατασκευάζειν, τὸ ἀσθενεῖν, omnia pariter Phauorinus deſcripſit. Cum ergo Iacobus, quem κάμνοντα dicit, eum ipſum dixerit ἀσθενοῦντα, non eſt dubitandum, quin eodem ſenſu vtramque vocem vſurparit. Κάμνειν ergo eſt ἀσθενεῖν. Ἀσθενῶν verò eſt quiuis ægrotus, non autem is proprie, qui de vita periclitatur. Ergo & κάμνων ſimiliter quiuis eſt ægrotus, non quod ſomniat Bellarminus, is proprie, qui de vita periclitatur. Quod vero idem *mortuos* κάμνοντας Græcis dici ait, primo ſi verum eſſet, nihil ad rem faceret. Conſtat enim Iacobum de homine ægroto quidem, ſed tamen viuo, nec dum mortuo, hic loqui. Tum neque verum eſt qui mortui ſunt, eos græcè κάμνοντας dici. Illi vero non κάμνοντες,

Gloſſis. ecat Cyrill. a Philox. Gloſſ.

deſidem. Sed nihil neceſſe eſt.

ſed καμόντες dicuntur, Quod & Suidas notat, & Etymologici ſcriptor, qui hanc verbo κάμνειν quartam tribuit ſignificationem; & καμόντας ἀνθρώπους interpretatur τοὺς τελευτήσαντας *mortuos*. Apud Iacobum vero eſt κάμνοντα; quod indubiè eſt ἀσθενοῦν, ſiue νοσοῦν *ægrotans*, *laborans*; non autem καμόντα. Cum vero *mortui* dicuntur καμόντες, non eſt id à κάμνω quatenus ſignificat *ægroto*; ſed ab eodem, quatenus ſignificat πονῶ *laboro*; quod ſcilicet mors perinde ac labor, hominis vires, ac vitam ſoluat, vt habet Euſtathius in Iliadem. κυριολογεῖ γὰρ ὁ κάματος (inquit) ἐπὶ τὸν ζωτικὸν τόνον διαλύοντα. διὸ καὶ οἱ τεθνεῶτες καμόντες λέγονται. οἷον ἐκλελυμένοι: καθὰ ὁ ὕπνος καὶ ὁ θάνατος οὕτω καὶ ὁ κάματος.

in Iliad. V. verſ. 25. p. 911.

Denique κάμνειν de quouis morbo, etiam non letali, à Græcis paſſim auctoribus vſurpari ſciunt, qui eos vel libarunt. Exempla (quæ qui volet apud Camerium noſtrum, plurima legat) vt in re facili, ac indubitata, deſcribere, piget, neque neceſſe eſt. Hæc de vocibus. Quas Bellarminus à re ipſa ducit rationes, eæ non ſunt nauci. Iacobus inquit, vult presbyteros ad ægrotum induci. At ſi non decumberet, iret ipſe ægrotus ad preſbyteros. Eſto, decubuerit: Nulli ne quæſo, decumbunt, niſi qui ad mortem ægrotant? *Sed* (inquit) *etiamſi decumberet, ſed non adeo grauiter, non oporteret adduci presbyteros.* Quid-ni? *Quia* (inquit) *alioqui ſi ob quemlibet morbum deberent presbyteri excurrere ad ægrotos, numquam domi manerent. Eſt enim infinitus numerus ægrotorum. Denique non eſt credibile, voluiſſe Iacobum vt ad remedia ſupernaturalia Chriſtiani recurrerent, quando facile poſſent naturalibus medicamentis curari.* Quaſi vero ex eo quod Iacobus ſui temporis fideles hortatur vt ſi ægrotent, donum ſanationum ad recuperandam valetudinem adhibeant, quaſi vero inquam, ex eo conſequatur, neminem Chriſtianum fuiſſe, cui non ſtatim eſſent accerſendi preſbyteri, ſi vel febricula laboraret, vel leui hemicrania, vel dentibus, aut digitis doleret, vel friguſculum ex veſpertina aura contraxiſſet! Nugæ. Non ſi ſolis moribundis vnctionem adhibitam negamus, eo omnibus omnino ægrotis adminiſtratam fuiſſe pertendimus. Eſt quiddam inter iſta extrema medium. Ibidem præcipit Iacobus pſallere eum, qui εὐθυμεῖ, orare qui κακοπαθεῖ. Ergone ſtatim peccat, ſi quis vel non canit lætus, vel non orat triſtis? Non opinor. Iacobus his præceptionibus oſtendit, quid ſit iuris, quid vtile ſit & congruum. Cæterum actus ipſius & pſallendi, & orandi arbitrium penes nos eſſe vult, vt quiſque diſpiciat quid ſit ſui vſus, quid decori & honeſti ratio ferat. Ergo & eadem eſt eorum ratio, quę de ægrotis continenter monet, vt ad eos preſbyteri inducantur. Non ita id præcipit, quaſi nefas ſit quemquam vel leuiter dolentem preſbyteros non ſtatim accerſere. Quid ſit iuris demonſtrat. Iure prudentem & ex ſuis preſbyterorumque ipſorum rationibus, vtendum non negat. Atqui omnes ſatis per ſe intelligunt non eſſe temere,

Panſtrat. l. 8. c. 18. §. 24. 25.

mere vel ſine graui cauſa fatigandos vel vexandos Dei miniſtros parceque & verecundè ac non niſi neceſſario adhibendam eorum operam, quos in pluribus aliis occupatos ſcimus. Niſi ergo ſtultos ac impudentes & ineptos fuiſſe fingamus illius temporis Chriſtianos, verendum non eſt, quod veretur Bellarminus, ne presbyteris ſuis ita moleſti fuerint, vt iis numquam domi manere licuerit. Ego vero & id quod ſubiicit aduerſarius, libens admitto, ad hoc ſupernaturale valetudinis ſubſidium non ſtatim, neque ſemper confugiſſe illius temporis fideles, ſed tum duntaxat, cum malum grauius, vel diuturnius, & contumacius eſſet, aut vulgaria remedia inutilia. Nunquam, quod pertendit aduerſarius, vnctionem iſtam optaſſe, niſi cum de ipſorum vita deſperatum eſſet, nego. Huc accedit, quod presbyteros, (vt iam alibi ſupra monuimus) non fit veriſimile omnibus omnino ægrotis qui poſcerent eam vnctionem adminiſtraſſe, ſed iis tantum, quibus eam certo profuturam ex ſpiritus ſancti, à quo regebantur, dictamine intelligebant. Sed & hic iocari voluit Bellarminus. Quærit enim à nobis, cur ſi *Iacobus omnes ægrotos vngi iubet, nos nullum inungamus?* Quia inquam, eo ſanationum dono caremus, ſine quo vana, ac ludibrij plena eſt omnis illa vnctio. Iacobus à quo vngi ægrotum vult, eum affirmat fideli oratione hominem morbo liberaturum. Nemo ergo vngere debet, niſi qui ſibi ipſi conſcius eſt de accepto diuinitus ſanationum dono, quod cum conſtet neque nobis neque aduerſariis datum eſſe à Domino, apparet vngendi actum, qui ad illius doni exercitium refertur, tam modeſte ac ex officio à nobis omitti, quam temere ac fruſtra & ridiculè ab iſtis tentari. Atque ex his iam ſatis ſuperque apparet, quam non modo vana, & futilia, ſed etiam ſtulta, ac ridicula ſint, quæcunque aduerſarij Iacobææ orationis luci obtendunt. Ac tametſi obiectas ab iſtis (vt ſic dicam) nebulas ſatis per ſe diſpellant verba ipſa Apoſtoli, quæ adeo vſque clara ſunt, vt nulla ratione obſcurari queant, iuuat tamen eamdem veritatem nouo hoc argumento confirmare. Si ea Iacobi mens fuiſſet, (quod volunt aduerſarij) vt ij tantum inungerentur, qui de vita periclitantur, non alios, quam hos, vnxiſſent veteres Chriſtiani, quibus multo melius, quam aduerſariis poſt tot ſecula natis, cognitam fuiſſe Apoſtoli mentem certum eſt. Atqui conſtat ab illis non ſolos deſperatæ valetudinis ægrotos ſed & multos alios, non ita grauiter laborantes, vulgo vnctos fuiſſe: id autem adeo certum eſt, (& poſtea Deo dante demonſtrabitur) vt Maldonatus acerrimus licet & ſtudioſiſſimus Romanæ vnctionis patronus, verum hic confiteri coactus ſit, vbi de noſtris loquens, *Fortaſſe* (inquit) *non dicunt male, non eſſe prebendum hoc ſacramentum ſolis ægrotis de quorum vita deſperatum eſt.*

vbi ſupr. ad 4. arg p. 208.

Nam priſca Eccleſia omnibus, qui grauius ægrotabant, dabat extremam vnctionem; quamquam non eſt verum, quod illi arbitrantur, omnes ægrotos ſine diſcrimine vngi conſueuiſſe. Cum enim ad curanda etiam corpora diuino miraculo vnctio adhiberetur, non eſt credendum fuiſſe adhibitam illis quibus dentes dolerent, verbi gratia, aut qui morbo aliquo leui laborarent. Hæc ille. Mitto, quod ſuo more de nobis mentiens, ait noſtros arbitrari vnctionem illam Iacobæam etiam ijs adhibitam, quibus dentes dolerent; quod nemo noſtrum vmquam vel ſcripſit vel ſenſit; Et nos ſupra id ipſum à nobis diſerte amoliti ſumus. Mitto, quod qui aliis rem abſurdam & iocularem falſo affingit, ipſe diuino quodam iudicio perculſus in fœdiſſimam contradictionem incidit, dum hic affirmat *ad curanda etiam corpora diuino miraculo vnctionem* illam adhibitam fuiſſe, quod alibi diſerte ſupra negauerat,

ibid. p 204.

quo loco nimirum ſcripſerat, *Apoſtolos oleum cum adhibebant, adhibuiſſe propter curationem animi, non propter curationem corporis.* Hæc inquam nunc mitto, & id vnum quod ad rem noſtram pertinet, obſeruo iſtum concedere *priſcam Eccleſiam omnibus, qui grauius ægrotarent, unctionem dediſſe, licet* alioqui de eorum vita minime deſperaretur. Quibus verbis ille totum Romanorum aliptorum negotium penitus diſiecit, ac euertit. Ac primo quidem & Catharini & Bellarmini inuerecundiam hac ſua confeſſione caſtigat & ſugillat. An enim credibile eſt *priſcam* (quod ille factum concedit) *Eccleſiam omnibus grauius ægrotantibus vnctionem daturam fuiſſe*, ſi (quod hi volunt) ſolis ad mortem ægrotantibus eam dari iuſſiſſet Apoſtolus? Tum, cum ait priſcæ Eccleſiæ vnctionem *omnibus grauius*, licet non ad mortem, ægrotantibus adminiſtratam eſſe, eo ipſo confitetur & veterum & Iacobi vnctionem (eadem enim vtraque fuit) aliam fuiſſe, quam ſuam, quæ (vt notum eſt) & ſolis moribundis confertur, & in mortis, non in valetudinis præſidium datur.

Mitto, quod Caietanus vrget, *Iacobum presbyteros tum orantes tum vngentes vocari velle quod ab extrema iſtorum vnctione alienum eſt.* Mitto quod multo firmius eſt Apoſtolum nullam mortis, nullam *ſerpentis calcaneo inſidiantis*, nullam periculorum, quæ homines in ſupremis verſantes vrgent, nullam denique præparationis ad alterius vitæ ingreſſum neceſſariæ mentionem facere, quæ ſine flagitio omitti tali loco non poterant, ſi Iacobo mens fuiſſet hoc aduerſariorum myſterium ab iſta vnicè inſtitutum, ac comparatum commendare. Pauca illa, quæ adduximus argumenta, abundè probant Iacobi locum nihil ad aliptieum iſtorum negotium facere. Ergo concluſum eſto extremam illam (vt vocant) Romanorum hominum vnctionem, nullum habere in diuinis *litteris præſidium.*

Capvt X.

Refellitur Bellarmini pro extrema unctione ratio, inde petita, quod diuina prouidentiæ fuit ſuis fidelibus de aliquo egreſſus & exitus ex hac mortali vita ſacramento, proſpicere.

SEd Bellarminus, quod ex ſcriptura euincere non potuit id ſe putat ipſa rationis vi conſequuturum. *Accedit (inquit) vltima ratio ex diuina prouidentia deſumpta, qua etiam vtitur Tridentinum concilium, Seſſ.* 14. *Nam cum Dominus ſacramenta inſtituerit, quibus veluti diuinis ſubſidiis iuuarentur in ingreſſu Eccleſiæ & in progreſſu certe nullo modo credendum eſt defuiſſe divinam eius prouidentiam, in egreſſu & tranſitu ab hac temporali militante Eccleſia ad aliam ſempiternam, præſertim cum nunquam magis homo indigeat auxilio & præſidio, quam in articulo mortis, &c. Tunc enim hoſtes fortius impugnant, quia modicum tempus habere ſe vident, & ipſe homo numquam eſt ineptior ad reſiſtendum ob dolorem, & ægritudinis magnitudinem.* Reſpondeo primo in genere periculoſiſſimum eſſe huiuſmodi humani ingenij ratiocinationibus in religionis negotio indulgere, quæ tota vno Dei verbo non hominum ratione nititur. Nam ſi quicquid humanæ rationi placet, id ſtatim in religione diuinitus inſtituendum fuiſſe concedamus, profecto verendum eſt ne eam quæ à Domino. Chriſto tradita eſt diſciplinam multis partibus mutilam, ac imperfectam eſt fateri cogamur. Quam multa enim ſunt, quæ ſi humano iudicio expendantur, non leuem rationis, ac ſapientiæ colorem habere videntur, quæ tamen nullam in Euangelio Chriſti habent locum? Sacramenta certe quæ confitentibus aduerſariis nulla apud nos valere debent, niſi à Domino ipſo inſtituta, non ex rationis humanę placitis, ſed ex diuinæ voluntatis clara, atque expreſſa auctoritate conſtituenda ſunt. Cum ergo alipticum hoc negotium, quod ipſi ſacramentum eſſe volunt, à Chriſto inſtitutum fuiſſe demonſtrari non poſſit, fruſtra rationes obtenduntur, quibus id inſtitui debuiſſe probetur. Chriſtum enim religionis myſteria, non ex Bellarminianis, vel cuiuſcunque alterius hominis, ſed ex ſuæ ſapientiæ rationibus inſtituiſſe ſcimus. Itaque ne audiendus quidem nunc eſt aduerſarius, poſtquam conſtat id, quod ille commendat, myſterium nuſpiam in Chriſti litteris extare. Huc accedit, quod ipſa illa, quam affert, ratio & leuiſſima eſt, & vitiis laborat, atque incommodis non paucis. Nam vt hinc ordiar, non-ne primo ſingularis eſt temeritatis,

vbi ſupr. c. 5.

ac

ac pænè impietatis, prouidentiam diuinam, niſi extrema iſtorum vnctio à Chriſto tradita nobis fuerit, accuſare & alicuius defectus labe eam aſpergere? *Nullo* modò (inquit Bellarminus) *credendum eſt defuiſſe nobis diuinam prouidentiam in egreſſu & tranſitu ab hac vita.* Ergo ô bone, iis deeſt Dei prouidentia, quibus de tuo hoc oleo morituris non proſpexit? vide quæſo, quid dicas. Nam negare non potes tuo illo aliptico præſidio Eccleſiam per quatuor annorum millia caruiſſe, quod ſcilicet à Chriſto Domino poſt reſurrectionem, vel certe paulo ante eam demum inſtitutum fuiſſe fabularis. Ergo toto illo tempore Dei prouidentia ſi te audimus, ſuis fidelibus defuit; quibus ſcilicet in ſummo vltimi illius agonis diſcrimine verſantibus, neceſſarium illud olei tui præſidium, inuidit. Neque enim cauſſari potes iſtos olim quam nos hodie vel in morte valentiores vel ab hoſte clementius oppugnatos, vel præſidij denique diuini minus fuiſſe in articulo indigos. Deum, vel incautum vel imprudentem facit, ſi non vidit hoc iſtos auxilio egere, vel quod etiam grauius eſt, ſæuum & immitem, ſi iis quod vtile ac neceſſarium eſſe intelligebat, inuidit, ac negauit. Neque hic mihi veterum, ac nouorum temporum diſcrimen attuleris. Id in cæteris magnum eſſe confiteor; hac in parte, nullum agnoſco. Nam & eorum (vt tu loqueris) *ingreſſum ac progreſſum* circumciſione, & paſchate, & aliis non paucis præſidiis, itidem vt noſtrum baptiſmo, & euchariſtia, muniuerat. Cur qui illis *ingredientibus*, & *progredientibus*, æque ac nobis, proſpexit, non itidem proſpiceret egredientibus, ratio vt vides nulla fuit. Ergo hac quidem in parte, vtrorumque & Iudæorum ſcilicet & Chriſtianorum eadem plane ratio eſt. Itaque ſi prouidentiæ in nos diuinę pars eſt & quidem, vt tu vis neceſſaria, nobis morituris de aliptis proſpicere; omnino fatendum eſt, Dei in veteres illos bonitatem in ſupremo articulo quo maxime deſiderabatur eius auxilium, defeciſſe; quæ ſcilicet miſeris nullum in exitu oleum, nullos aliptas conceſſit. Atqui Dominum vnquam in ſuos aut improuidum fuiſſe, aut ſæuum, aut diuinam eius prouidentiam per quatuor annorum millia fidelibus defuiſſe, nemo prius, nemo vel leuiter Chriſtianus dixerit. Ergo neceſſe eſt tuam illam Bellarmine rationem, ex qua tantum nefas conſequitur, velut falſam, futilem, imo & impiam abiicere ac repudiare. Non defuit Deus veteribus etiamſi nullum iis morientibus oleum illeuit; Ergo conſequitur neque nobis defuturum illum fuiſſe, etiamſi nullos nobis morientibus aliptas dediſſet. Quid? quod ne nunc quidem neceſſarium eſſe morientibus olei veſtri præſidium vel ex vobis ipſis liquet? Mitto veſtros Theologos magno conſenſu (quod ſupra à me obſeruatum memini) negantes hoc quicquid eſt vnctionis ne-

ceſſarium eſſe vel neceſſitate præcepti, vel neceſſitate medij. Certe non omnes morituros inungunt veſtri aliptæ. Taceo infantes; taceo amentes; quorum peculiaris quædam ratio eſſe videtur. Solos ex morbo morituros inungitis. Si quis ſano & valenti corpore vel certum, vel probabile vitæ periculum adit, ei veſtrum oleum negatis; vt iis qui mare tranſmiſſuri, vel prælium commiſſuri ſunt, vel qui capitis damnati ad ſupplicium ituri ſunt; quod initio huius diſputationis ab Eſtio didicimus. An Diabolus eos ſolos oppugnat quibus ex morbo mortem imminere videt, cæteris nihil faceſſit negotij? Atqui mors homini vndecunque adueniat, ſiue ex morbo, ſiue ex vi externa, grauis eſt; neque vlli hoſtis parcit in eo articulo verſanti; & eorum quos non morbus ſed violentum fatum abripit, pauor ac trepidatio etiam maior eſſe plerumque ſolet. Vos ergo vel immites ac inhumani eſtis, qui talibus hoc ſubſidium negatis; vel certe ſophiſtæ parum fælices, qui id nunc idcirco nobis à Chriſto tradi debuiſſe contenditis, quod ſit morientibus ſummè neceſſarium; quibus ſi neceſſarium foret, nulli morienti negandum eſſet. Sed iam rationem ipſam Bellarmini expendamus. Negat Bellarminus eſſe veriſimile *diuinam prouidentiam nobis deeſſe in egreſſu & tranſitu ab hac temporali militante Eccleſia ad aliam ſempiternam*, & diſcrimina, quæ nobis in eo articulo tum à naturæ noſtræ infirmitate, tum ab hoſtis inſidiis, imminent, lætus exaggerat: quaſi inuidiam Deo faciat, ſi nos in tanto periculo deſtituat. Ego vero reſpondeo optimum Dominum numquam ſuos deſerere, iis adeſſe viuentibus, iiſdem adeſſe morientibus, & auxilium pro tentationis, & certaminis modo fideliter ſummittere, iuxta illud Paulinum, *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Itaque illud quod ait aduerſarius concedo. *Dei prouidentiam* nobis in mortis noſtræ articulo deeſſe, abſurdam & videri, & eſſe reuera: Quod vero aſſumit, eam nobis defuturam, niſi peculiari ſacramento in eum proprie articulum inſtituto nos iuuet, id inquam, nego, ac pernego. Fidelibus ſub veteri teſtamento, quibus nullum huius generis traditum erat ſacramentum; vſque adeo non defuit, vt qui tum viuebant, tametſi nullos haberent Romani ordinis aliptas, profiterentur tamen *ſe in medio vmbræ mortis impauidis* animis ambulaturos, neque mala vlla reformidaturos, certi Dominum ſecum fore. Nunc etiam magnifice adeſt ſuis martyribus, quorum neminem audiuimus oleum iſtud Romanum deſideraſſe. Ideſt & in mari, vel in prælio morientibus, vel iniquo hominum iudicio, interdum & iuſto, damnatis. Quid ſapientiſſimi, atque potentiſſimi Domini opes ita in arctum cogis, vt qui ſola ſpiritus gratia piis morientibus abunde, & olim omnibus adfuit, &

1. Cor. 10. 13.

Pſ. 23. (lat. 22.) 4.

nunc etiam plurimis adeſt, hunc tu nobis defuturum contendas, niſi aliptis tuis commendet? Habet Deus ſemper in promptu, quo nos vngat, oleum, tuo multo præſtantius, ſpiritum illum, quo ex Chriſti noſtri conſortio delibuti ſumus. Hoc oleo, quo & in vita, & in morte indigemus, ille & viuentes & morientes, quantum

1 Ioan.2.17. ſatis eſt inungit. Et *hæc vnctio, quam ab eo accipimus in nobis manet*, quam ſi quis habet, is profecto Romanorum aliptarum pinguedinem non deſiderabit. Neque ego ſane video, cur iſtud aduerſariorum oleum magnopere expeti debeat, cuius quæ vis ſit, quod ad bona, beateque moriendum præſidium, nondum intelligere potui. Nam & aduerſarij, qui accuratiſſime eo inunguntur, vulgo in ſupremis torpent, pauent, reſtitant. Noſtri, quos non Romanus aliptes, ſed vnus Chriſti ſpiritus inungit, alacres in Domino moriuntur. Sed, inquit Bellarminus, Deus nos Eccleſiam primulum ingredientes baptiſmo, etiam externo, excipit? & in ea progredientes, Euchariſtia firmat, ergo & ex temporali ac militante Eccleſia in aliam ſempiternam tranſeuntes, nouo aliquo proprioque ſacramento munire debet. Tu quidem Bellarmine, hoc iubes. Sed quæ ratio ſit, huius conſecutionis, non explicas. Ea vero quam abſurda ſit, & inepta, ſatis nuper demonſtrauimus. Sed & huius tuæ comparationis argutiæ, diluta eſt ac inſulſa. Non enim in mundum, ſed in Eccleſiam ingredientes excipit baptiſmus. Itaque ſi quid valeret hæc tua comparatio, efficeret quidem, vt Eccleſia egredientibus, proprio aliquo ſacramento opus ſit, non efficeret, quod tu vis, ex hac vita diſcedentibus neceſſarium eſſe peculiare ſacramentum. Nam vt legitima procedat tua hæc antitheſis, noſtro in Eccleſiam ingreſſui comparandus eſt noſter, non ex hac vita, quod tu vis, ſed ex Eccleſia egreſſus ac diſceſſus. At qui moritur pius, is non ex Eccleſia egreditur (quod abſit) ſed ex hoc mundo, & ex hac fluxa, ac mortali vita. In Eccleſia æternum manet. Tam enim Eccleſia eſt ea, ad quam proficiſcitur, ſocietas, quam ea ex qua in terris militante diſcedit, quodque vna militans, altera triumphans dicitur, id non rei ipſius, quæ vna eademque eſt, ſed ſtatus diſcrimen eſt. Cum ergo fidelis ex hac vita diſcedens minime tamen ex Eccleſia egrediatur, ſed in ea perpetuo maneat, vides quam abſurdè, ineptèque concluſeris nobis morientibus opus eſſe proprio ſacramento, ex eo quod Eccleſiam ingredientes baptiſmo quod ſacramentum eſt, excipimur. Ego contra te verius ex his ipſis ita argumentarer, Qui de Eccleſia non egrediuntur, nihil iis opus eſt proprio egreſſus ſacramento: Pij autem in Domino morientes minime egrediuntur de Eccleſia. Ergo nihil iis opus aliquo egreſſus ſacramento. Item. Qui in Eccleſia manent, iis

progreſſus

progreſſus (vt iſte loquitur) ſacramentum ſatis eſt; Pij ex hac vita diſcedentes in Eccleſia manent: Ergo ſatis ipſis eſt *progreſſus* ſacramentum. Quod vero ſecundo loco affert in mortis articulo grauem ac difficilem eſſe piorum pugnam, fateor equidem; ſed eo effici nego, vt qui in ſupremis verſantur, proprium iis inſtitui debuerit ſacramentum. Alioqui tot propria ac peculiaria inſtituenda erant à Domino ſacramenta, quot variæ ſunt, ac diuerſæ vitæ noſtræ περιςάσεις. Ita pro ætatum conditionumque numero inſtitui debuerant ſacramenta; quod ſingulæ ætates, ac conditiones ſuas habeant nouas, ac proprias difficultates. Omnibus cuiuſcunque ſint generis, vitæ, mortiſque periculis depellendis vnus illa Chriſtus abundè eſt, quam & in baptiſmo induimus, & in Euchariſtia accepimus, quique nobis τὸ ζῆν, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, vt ait Paulus. Quod poſtremo obiectat aduerſarius ea ratione effici poſſe non fuiſſe opus Euchariſtia, quia vel vnus baptiſmus ſatis eſſe potuit, id inquam vanum & futile eſt. Concedimus enim, quod neque iſti negant, Euchariſtiam non eſſe neceſſariam neceſſitate medij, vt ex eo liquet, quod multos ſine ea, ſeruet Deus. Ergo & cæteros omnes, ſi ita ei libuiſſet, abſque ea ſeruare potuit. Quin & ſine baptiſmo externo Chriſtianos à Domino ad ſalutem perduci potuiſſe, nemo (vt opinor) dubitat. Non ergo hæc ideo inſtituta à Deo, quod eſſent neceſſaria, quaſi ſcilicet nulla alia ei ratio ſalutis noſtræ ſuppeteret, ſed plane contra hæc ideo neceſſaria cenſenda ſunt, quia à Deo inſtituta ſunt. Itaque ſi Dominus, vt baptiſmum, & Euchariſtiam, ſic & vnctionem illam Romanam inſtituiſſet fateremur eam ab omnibus religioſe obſeruandam, etiamſi quod demonſtrauimus nulla afferatur eius inſtituendæ ratio. Non enim ij ſumus, qui religionem ex noſtris, aut omnino humanis, ratiunculis metiamur. Nobis illa ex Dei arbitrio tota pendet, vt quæcunque ille inſtituit, etiamſi rationi humanæ parum probentur, ea incunctanter capeſſamus, quæ nuſquam præcepit, non ſi ſuadeat quantumcunque eſt rationum aut ingeniorum mortalium, ea auſimus in religionem vel inuehere vel ſuſcipere. Itaque cum ſupra fuſe demonſtratum ſit alipticum iſtud aduerſariorum myſterium nullis diuinarum litterarum teſtimoniis niti, non eſt quod in expendenda Bellarmini ratiuncula, diutius immoremur? tametſi & ex iis quæ diximus ſatis, vt ſpero, appareat, quam ea inepta, ſit ac inanis. Sed qualiſcunque ſit, gratiam certe Bellarmino habemus, quod eam proferre, ac explicare non dubitauerit. Hinc enim clariſſimè apparet, quæ vera ſit Romanæ vnctionis ratio, cauſſa ac forma. Tota nimirum ad egreſſum ex

Phil. 1. 21.

hac vita noſtrum pertinet, ſoliſque moribundis adminiſtrari, vt fit, ſic habet. Vnde porro liquet eam & à Iacobæa & à priſca veterum Chriſtianorum vnctione penitus alienam eſſe, quæ ſcilicet ad ſanitatem recuperandam, non ad mortem obeundam ſpectabat, vt ſumma ſit Maldonati impudentia, qui non dubitauit ſcribere, *abuſum eſſe quod vulgus putat non eſſe dandum hoc ſacramentum*, niſi illis de *quorum vita deſperatum eſt.* Id enim non *abuſum*, quod iſte proterue dicit, ſed verum rei vſum eſſe ex eius ingenio & fine comparatum; neque vulgi errorem, ſed ſummorum in iis partibus virorum ſententiam, ex hac Bellarminiana ratione planum eſt. Quorſum enim aliis, quam moribundis, adminiſtraretur mySterium non alio quam ad bene moriendum inſtitutum? Quorſum *egreſſus*, vt appellat Bellarminus, ſacramentum aliis, quam egredientibus daretur? qualiter ingreſſus myſterium, id eſt baptiſmus, non aliis, quam egredientibus datur? ſi hæc rectè inter ſe comparantur, nemo non videt, vt ſoli in Eccleſiam ingredientes baptiſantur, ita & ſolos ex hac vita diſcedentes inungi debere. Et ſane, ita apud eos fit, neque niſi pæne depoſitis ac conclamatis, in ſupremo vitæ articulo verſantibus, oleum illud illinitur. Indeque ipſa vnctio, *extrema*, dicta eſt, quod ſcilicet in extremo vitæ danda ſit, neque ea eſt (vt cauillatur Maldonatus) *popularis opinio*, ſed grauiſſimorum ac præcipuorum Theologorum Eckij, Tapperi, Alſtentaigi ac, vt vno verbo dicam omnium fortaſſe Romanæ communionis hominum, ante hunc Maldonatum vera ſententia. Sed vir minimè ſtultus intellexit ſcilicet huiuſmodi vnctionem, quæ ſolis moribundis datur, nihil cum Iacobi, & priſcæ Eccleſiæ vnctione habere commune, quam non neſciebat quibuſuis ægrotis paulo grauius laborantibus incunctanter fuiſſe adminiſtratam. Eo ne Iacobi & antiquitatis præſidio diſputationem ſuam fraudaret, coactus eſt negare, inuerecunde quidem, ſed tamen ad rem ſuam accommodate, ac plane Ieſuitice, ſuorum ſententiam eam eſſe quæ reuera eſt, & noua ac propria ratione ſui huius ſacramenti nomenclaturam interpretari, quaſi ſcilicet extrema hæc vnctio dicatur, non vt plerique illarum partium homines antehac ſibi perſuaſerant, *quod extreme laborantibus miniſtretur*, ſed quod *vnctionum quæ in Eccleſia multæ*, vt iſte ait, *fiunt, hæc ſit poſtrema.* Quamquam ne ſic quidem euadit. Nam vt, quam ipſe præter aliorum ſententiam reiicit huius nominis rationem, mittamus: alterum certe quod à Tridentinis ipſis probatur, huius vnctionis vocabulum

vbi ſupr. p. 215.

Mald. ibid.

lum

ſum, (nimirum eam *ſacramentum exeuntium* vocari tradunt) non alio referri poteſt, quam quo ipſi Tridentini id referunt; ita dici ſcilicet, quod iis infirmis adhiberi debet, qui *tam periculoſe decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur.* Sed de his quidem hæc hactenus. Seſſ 14. c. 8.

LIBER SECVNDVS.

Capvt I.

Demonſtratur nullo in vſu apud veteres fuiſſe extremam vnctionem. I. *ratio ex eo ducta, quod nulla eius mentio occurrat in omnibus, qui plurimi ſuperſunt, ſecundi ac tertij ſeculi libris.* II. *quod ne quarti quidem ſeculi Patres eam memorauerint, dum accuratè ſacra Chriſtianæ Eccleſiæ inſtituta, ritus, ſacramenta enarrant, ediſſerunt, explicant, vt Epiphanius, Dionyſius Pſeudareopagita, Clemens Romanus, Auguſtinus.*

NVnc iis explicatis, quæ aduerſarii pro ſua ſententia ex ſcripturis afferre ſolent, ad tertiam huius diſputationis partem deinceps veniamus; in qua quærere inſtituimus, quæ veterum Chriſtianorum fuerit de hac re ſententia, non quod eorum, vel aliorum quorumcumque mortalium auctoritatem ad fidem conſtituendam ſatis eſſe putemus, quæ vno Dei verbo niti debet iuxta illud Apoſtoli, *Fides ex auditu; auditus autem per verbum Dei*, ſed quod hanc diſquiſitionem toti huic negotio non parum lucis allaturam ſperemus; dum patefiet & vetuſtiſſimos Chriſtiani nominis homines planè idem, quod nos de Iacobæa vnctione ſenſiſſe, & eos qui ſecutis temporibus vixerunt, nonnihil à vero declinantes, modico illo ſuo errore viam aperuiſſe, qua tandem aduerſarij in id, quod hodie tuentur, dogma deuenerunt. Rom. 10. 17.

Principio igitur nullo in vſu apud antiquiſſimos primi ac ſecun-

di ſæculi Chriſtianos fuiſſe, hodiernum illud *exeuntium* alipticum ſacramentum, ſatis ex eo conſtat, quod cum non pauca extent, illorum temporum monumenta, qualia ſunt quæ etiamnum ſuperſunt Iuſtini ac Irenæi ſcripta, aliaque vera & indubitata clarorum auctorum opera, in quibus cætera Chriſtianæ diſciplinæ non ſemel, ſed ſæpius, neque obſcurè, ſed perſpicuè memorantur, nuſquam tamen in iis extrema iſta vnctio reperitur. Idemque dictum volo de Tertulliano, ac Cypriano, & vniuerſis tertij ſæculi ſcriptoribus. Nam quæ aduerſarij ex Origene illorum temporum homine, afferunt, quam nihil ad hanc cauſam pertineant, infra Deo dante, ſuo loco demonſtrabimus.

2. Iam neque obſcurum eſt quarto ipſo ſæculo, ex quo vnum, & alterum veſter adducunt, nondum fuiſſe hoc in vſum religionis receptum, vt homines Chriſtiani in mortis articulo oleo inungerentur, & ſi qui non vncti diſcederent, magno & ſingulari tum ad mortem piè obeundam, tum ad hoſtem ſupremis inſidiantem oppugnandum, præſidio fraudati putarentur, quæ iſtorum eſt, vt diximus, de hoc ſuo myſterio ſententia. Primo enim ſi hæc tum fuit Theologorum & cæterorum omnium Chriſtianorum perſuaſio ac praxis; cur qui tam multi ſuperſunt illius æui ſcriptores, nullam huius ritus mentionem faciunt? exempli gratia, cum de Chriſtianorum ſacramentis agitur, nemo non videt hanc exeuntium vnctionem ab iis, qui ipſam inter ſacramenta cenſent, ſine flagitio omitti non poſſe. Neque vllus eſt ſanè Romanæ communionis Theologus, qui ſuæ religionis ſacramenta explicans, non huius vnctionis diſertè meminerit. Inſpiciantur omnes iſtarum partium ſcriptores, ſiue ſcholaſtici, ſiue recentiores. Nemo reperietur, qui de ſuis ſacramentis diſputans, hanc vnctionem indictam præter miſerit. Vnde factum eſt, vt nemo veterum eius in eodem argumento verſans, meminerit? Nihil opus eſt omnes, qui hoc argumentum tractant, memorare. Vnum & alterum exempli gratia

l. 3. Tom. 2. p. 1055. afferam. Epiphanius ſuum aduerſus hæreſes opus claudens prolixam ſubiicit catholicæ fidei expoſitionem; in qua & dogmata, & ritus diſciplinaſque Eccleſiæ ſui temporis percenſet, ne ieiunia qui-

p. 104. dem, quæ tum certis temporibus celebrantur, omittens. De hoc exeuntium ſcilicet ſacramento verbum nullum facit. Dionyſius, non ille quidem, qui falsò inſcribitur, Areopagita, ſed tamen vetus, ac vt docti homines putant, quarti quintiue ſæculi ſcriptor. Suum de Eccleſiaſtica hierarchia librum in deſcribendis, ac explicandis iis myſteriis totum conſumpſit, quæ ſui temporis, ſiue Epiſcopi, ſiue presbyteri Chriſtianis conferre, ac adminiſtrare ſolebant.

c. 2. A baptiſmo orditur quem Græcorum more φώτισμα, hoc eſt illuminationem,

minationem, vocat. Tum de Synaxeos ſiue communionis myſterio, hoc eſt de Euchariſtia fuſe, ac vt ſolet magnificè diſſerit, ſingulaſque eius partes rimatur, omnia myſticis, allegoriciſque interpretationibus etiam minutiſſima, exornans, atque exaggerans. Neque τὴν τοῦ μύρου τελετὴν, vnguenti initiationem, id eſt, Chriſma ſiue vt nunc appellant, *confirmationem* præterit. Mox ordinationum ritus, quibus miniſtri Eccleſiæ, vt ſic dicam, inaugurabantur, ac conſecrabantur, eorumque myſteria prolixè exponit; Poſt hæc de catechumenorum, pœnitentium, ac energumenorum ordinibus & de monachis philoſophatur, eoque ritu, quo monachos conſecrari mos erat. Poſtremò denique de iis cærimoniis, quibus homines ex ſingulis iſtis ordinibus, mortui componi, ac tumulo inferri ſolerent; quo loco diſertè commemorat mortuum oleo à preſbytero perfundi ſolitum. De *exeuntium ſacramento* nè vnum quidem non toto libro occurrit. Hoc ſcilicet ſi ſciuiſſet, omiſſurus fuit, qui cętera tum anxiè exſequitur, tumque ambitioſè enarrat? Qui ne oleum quidem mortui cadaueri illitum (quod profecto neque ſacramentum eſt, neque vllam habet in Religione vtilitatem) putauit prætermittendum; quantò magis de oleo morientem Chriſtianum conſummante dicturus fuit, ſi hoc æque ac illud habuiſſet cognitum? quanto magis ſublimem illam ſuam, ac planè mirificam eloquendi vim in huius, quam in illius explicandis myſteriis adhibiturus fuit? Atqui de hoc tanto, vt iſti putant, ſacramento ne cogitaſſe quidem hoc loco videtur tantum hierophantes. Nam quod Croquetius quidam ex aduerſariis diſputator, & Matthæus Galenus contendunt, factam à Dionyſio ſuę vnctionis mentionem, id neſcio ſtultiuſ-ne ſit, an impudentius μετὰ τὸν ἀσπασμὸν, inquit Dionyſius, ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης. *Secundum ſalutationem perfundit oleo Pontifex eum qui mortuus eſt.* Hoc certè aduerſariorum oleum non eſt, quo non mortuus, ſed moriturus inungitur. Mos ille, de quo Dionyſius, apud Græcos diu manſit, manetque etiam hodiè, vt poſtea oſtendemus. Certè in ſynodo Florentina anno Chriſti 1439. ab iis Latini inter cætera quærunt διὰ τί χρίουσιν ἔλαιον τοὺς νεκροὺς πρὸ τοῦ ἐνταφιασθῆναι αὐτούς, *Quare mortuos ante ſepulturam inungunt oleo?* Sed Croquetius hæc quidem fatetur verum ſequentia Dionyſij verba obiicit. μέμνησο δὲ (inquit ille) ὅτι κατὰ τὴν ἱερὰν θεογενεσίαν πρὸ τοῦ θειοτάτου βαπτίσματος, πρώτη μέθεξις ἱεροῦ συμβόλου δωρεῖται τῷ τελουμένῳ, μετὰ τὴν ὁλικὴν τῆς προτέρας ἐσθῆτος ἀπαμφίασιν, τὸ τῆς χρίσεως ἔλαιον ἐπιχέεται, καὶ τότε μὲν ἡ τοῦ ἐλαίου χρίσις ἐπὶ τοὺς ἱεροὺς ἀγῶνας ἐκάλει τὸν τετελεσμένον. νῦν δὲ τὸ ἐπιχεόμενον ἔλαιον ἐμφαίνει κατὰ τοὺς αὐτοὺς ἱεροὺς ἀγῶνας ἀθλήσαντα καὶ τελειωθέντα τὸν, τελούμενον. *Fac memineris in ſancto ortu, ante diuinum baptiſma, primam ſancti myſterij communionem*

c. 3.
c. 4.
c. 5.
c. 6.
c. 7.
p. 150. c.
poſt Seſſ. 25. Tom. 8. Concil pa. 8, 9. c.

munionem ei, qui initiatur, inunctionis oleum dari poſt integram prioris veſtu detractionem. Poſtremo autem hoc loco, eum qui migrauit à vita, oleo perfundi. Ac tum quidem olei perfuſio ad ſacra certamina eum, qui initiabatur, vocabat; nunc autem oleum quod infunditur, eum qui exceßit è vita in iiſdem illis ſacris certaminibus certaſſe ac deceßiſſe declarat. Hæc ille; ex quibus non magis quam ex pumice, oleum aduerſariorum extundi poteſt. Duplex oleum memorat Dionyſius; alterum cum altero comparat. Ac poſterius quidem, quo hominis in Chriſto mortui cadauer inungi ait, à ſuo, alienum eſſe etiam ipſe Croquetius etiam ipſe Galenus confitetur. De priori ille quorũ mortui oleum contendit Dionyſius, omnis nobis cum iſtis controuerſia eſt. Atqui ne de illo quidem vlla eſſe debuit. Quis enim non intelligit oleum ſignificari, quo baptizandi, vt ipſe ſuo loco tradidit, per-

Ibid c 2 p. 78. fundebantur? καὶ τὴν ἱερὰν θεογενεσίαν, *in ſacra & diuina regeneratione?* πρὸ τοῦ θειοτάτου βαπτίσματος, *ante baptiſma diuiniſsimum?* ſiue *an-*

p. 96. d. *te immerſionem?* poſtquam initiandus veſtes depoſuerat? Maxime ſcholiis in hunc locum; ὅτι ἐπὶ μὲν τῶν βαπτιζομένων, πρῶτόν ἐστι τὸ ἅγιον ἔλαιον. ἐπὶ δὲ τῶν κεκοιμημένων τὸ τελευταῖον. *Quod in iis, qui baptizantur primum ſit ſanctum oleum, in mortuis autem poſtremum.* Sic etiam Pachymeres; ἐλέγομεν δὲ (inquit) ἐν τοῖς περὶ τοῦ φωτίσματος (λόγοις ὡς τῷ ἐλαίῳ πρώτως ἐχρίετο ὁ τελούμενος μεθ' ὃ τῆς ἐσθῆτος ἀπεγυμνοῦτο. ἐνταῦθα ἐν τῷ τέλει. καὶ ταῦτα οὐκ ἀπεικότως. ἐπειδὴ γὰρ καὶ οἱ εἰς ἀγῶνας εὐτρεπιζόμενοι χρίονται, καὶ οἱ τῶν ἀγώνων παυσάμενοι, καὶ τῶν ἱδρώτων ἀπολυσάμενοι χρίονται. εἰκότως καὶ ἐπὶ τούτοις, ἐκεῖσε μὲν κατ' ἀρχὰς ἐχρίετο εἰς τοὺς ἀγῶνας ὑπαλειφόμενος· ἐνταῦθα δὲ ἐν τῷ τέλει πάλιν, ὡς τῶν ἀγώνων ἀποπαυσάμενος.

Hæc illi, ex quibus liquet, quam vel ſtupidus, vel certe impudens Croquetius fuerit, qui oleum illud baptizandorum pro ſuo, quod eſt morientium & iampridem baptizatorum, illud quo Chriſtianus κατ' ἀρχὰς linitur, pro hoc quod in fine miniſtratur, illud quod ad τοὺς ἱεροὺς ἀγῶνας, hoc eſt ad Chriſtianæ vitæ decurſum vocat, pro hoc, quo (vt iſti quidem fingunt) ex ſtadio dimittitur, vel ſumpſerit, vel ſumi voluerit. Neque fœlicius argutatur Matthæus Gale-

M. Galen. promptuar. Catech. 78. p. 594 vbi ſupr. p. 151. a.

nus, dum ad hoc ſuum exeuntium oleum torquet, quod Pſeudodionyſius paulo poſt memorat vnguentum, τὸ θειότατον μύρον (inquit) καὶ τὰ τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας ἱερώτατα σύμβολα, *diuiniſsimum vnguentum & ſanctiſsima diuinæ ſocietatis ac communionis ſymbola.* Liquet his verbis chriſma, ſiue vnguentum, quo baptizati ſtatim vngebantur veteri more, quodque ipſe ſupra fuſe cap. quarto deſcripſerat, & Euchariſtiam, qua communicabantur, ſignificari. De oleo exeuntium nemo, niſi abſurdiſſima hæc intellexerit. Ergo cum accuratiſſimus hierophantes Dionyſius huius extremæ vnctionis nullus toto libro

ad

ad ſacra Chriſtianorum hominum myſteria explicanda ſcripto meminerit, concludendum eſt eam nullum tum temporis inter fidelium ſacramenta locum habuiſſe.

Idem ex eiuſdem farinæ ſcriptore colligitur, qui ſub Clementis nomine octo conſtitutionum Apoſtolicarum libris totam Chriſtianiſmi formam, qualis ſuo tempore erat, id eſt, vt mihi quidem videtur, longè poſt quarti ſæculi initia, explicauit. Is enim nullam plane mentionem facit illius ritus, morituros oleo illo extremo inungendi, cum tamen omnia, etiam minutiſſima, diligentiſſimè exſequatur. Id vero libro præſertim octauo obſeruare licet: in quo cum Apoſtolos præſentes induxiſſet, *ſe de omni Eccleſiaſtica forma ſuas* l. 8. c. 2.
diuinas inſtitutiones præcipere, Mox de miniſtrorum ordinatione, de c. 3. 6.
catechumenorum & energumenorum benedictione dixiſſet, tum de illuminandis, id eſt baptizandis, deque pœnitentibus, agit; & Eu- 2. 8.
chariſtiæ myſterium fuſè exſequitur; (de chriſmate ſuperiori libro c. 9. 10.
iam dixerat) tandem etiam de mortuis tractat, & iis orationibus quæ ſuper eos fiebant. Quis non videt iſtum extremam aduerſariorum l. 7. c. 42. 44.
vnctionem, ſi ea tum in Chriſtianorum vſu fuiſſet, ante hunc vlti- l. 8. c. 47.
mum locum commemoraturum fuiſſe, & quo ritu, quaue oratione perficiatur, traditurum, indeque, vt par erat, ad mortuorum commendationem tranſiturum fuiſſe? Quod cum non fecerit, neque vel hic, vel alibi vſpiam vnctionis iſtius inter vel miniſtrorum, vel fidelium officia meminerit, nemo, niſi quem cauſæ ſtudium excæcarit, dubitare poteſt eam Pſeudo-Clementi iſti planè, penituſque fuiſſe ignotam.

Cæteros eorumdem temporum ſcriptores mitto, ſiqui de ſacramentis tractant, quorum nemo eſt, qui extremæ vnctionis meminerit. Sed idem in quodam Auguſtini loco obſeruandum, quo Heracleonitarum hæreſim referens in libro de hæreſibus, ait iſtos *ſuos mo-* c. 16.
rientes, nouo modo quaſi redimere, id eſt per oleum, balſamum, & aquam & inuocationes quas hebraicis verbis, inquit, *dicunt ſuper capita eorum*. Hic, vt vides, iſtorum ritus aduerſariorum inſtituto ſimilis erat, qui ipſi quoque ſuos morientes, non quidem aqua & balſamo, ſed oleo tamen, vt iſti, inungunt, & ſuper eos quoque inuocationes lingua, licet non Hebraica, certè ignota, neque vulgo ſuorum intellecta, dicunt. Ergo ſi hic hodiernus mos tum quoque Eccleſiæ catholicæ fuiſſet, omnino debuerat Auguſtinus ſuperſtitioſam Heracleonitarum vnctionem recitans, eam ab Eccleſiaſtica, quæ eiuſdem generis eſſe videtur, diſcriminare, ac obſeruare iſtos *oleo* non ſimpliciter, vt Eccleſiam, ſed *balſamo* quoque, *& aqua* perfundere, preceſque non Latina, ſed Hebraica lingua conceptas dicere. Omnino poſtulabat hic locus, vt aliquam huiuſmodi extremæ vnctionis, ſi ea tum Eccle-

ſiaſtica fuiſſet, mentionem faceret Auguſtinus. Non fecit, vt patet. Ergo nullo apud Eccleſiam in vſu, tum eam fuiſſe, colligendum eſt.

Capvt II.

Idem III. *probatur ex eo, quod veteres ſex priorum ſæculorum ſcriptores dum piorum mortes deſcribunt accuratè, vt Conſtantini, Helenæ, Antonij, Athanaſij, Baſilij, Gorgoniæ, &c. nullam extremæ vnctionis mentionem faciunt. Plurima exempla adferuntur. Bellarmini cauillatio reiicitur ac fuſe refellitur.*

3. PRæterea idem quoque ex eo clariſſimè conficitur, quod iis in locis, vbi ab iſtorum temporum autoribus narrantur fidelium mortes, nulla vſpiam fiat extremæ vnctionis mentio, quæ tamen omiſſa non eſſet, ſi ea tum aliquo in vſu fuiſſet. Nam neque pios illorum temporum id morientes ſpreuiſſe, quod pro ſacramento exeuntium, ab omni Eccleſia haberetur, veriſimile eſt, neque qui eorum ſuprema deſcribunt, ſi quid tale ab illis factum fuiſſet, id huiuſmodi narratione, omiſſuros fuiſſe credibile eſt, in qua quicquid, ad mortuorum, quos celebrant, pietatem ac laudem pertinet, ſtudioſiſſimè colligunt. Exempla de multis aliquot referemus, quibus res fiat clarior. Euſebius Cæſareæ Epiſcopus, qui ad A. D. 340. vixit, Conſtantini magni vitam quatuor libris exſecutus eſt, quo in opere eius ſuprema diligentiſſimè narrat, vt baptiſmum ſuſceperit in Nicomediæ ſuburbio, quos ad Epiſcopos quos ad Proceres ſermones habuerit, vt poſt obitum funeratus fuerit. Vnctionem eius extremam nullus memorat. Idemque obſeruare eſt in eodem opere, quo loco Helenæ, Conſtantini Augusti Matris, mortem ſigillatim deſcribit. Athanaſius, qui ad a. D. 371. viuendo peruenit, ſingulari libro vitam Antonij compoſuit. In quo cum eius mortem, ſermones, ac curas in ſupremis narrat, nullam vnctionis mentionem facit. Gregorius Nazianzenus, qui eodem ſæculo aliquanto iunior floruit, in oratione funebri, quam in ſororem Gorgoniam, ſanctiſſimam ac religioſiſſimam mulierem, habuit, eius ſuprema operoſiſſimè exſequitur, vt in talibus mos eſt. Narrat diuinitus fuiſſe admonitam de die, quo exitura eſſet, à marito impetraſſe, vt is baptiſmum, quo adhuc carebat, ſuſciperet, tum ſe totam ad exitum comparaſſe, iis ſermonibus ad virum, & liberos, & amicos habitis, quos ſanctam matronam habe-

l. 4. p. 155. a. b. Ed. Gr.

Ibid c. 45. Lat. Edit.

p. 502. 503.

Orat. 11. T. 1 p. 187. d 188. b

re decuit; tandem cum vires deficerent, illa è pſalmis ſubmuſſitantem, *in pace in id ipſum dormiam & requieſcam*, placidè in Domino obdormiuiſſe. De extrema vnctione non magis loquitur, quam ſi Lutheranæ mulieris mortem deſcriberet. Idem quoque obſeruandum venit in eiuſdem orationibus de Gregorio patre ſuo ac Baſilio; quorum dum mortes narrat, nullum de extrema vnctione ab iſtis vel expetita, vel ſuſcepta verbum facit. Sed neque eius meminit Gregorius Nyſſenus, Nazianzeni σύγχρονος & familiaris, quo loco Gregorij Neocæſarienſis & Ephremi mortes deſcribit in orationibus (encomiaſticis.) Idem Macrinæ ſororis a. D. 379. mortuæ obitum deflens nihil eorum omittit, quæ in illo articulo ſanctiſſima mulier ad pietatem pertinentia geſſit, non ſermones ſecum de Domini in ſe, ſuoſque benignitate habitos; non preces ad Deum tacito murmure, fuſas, non crucis ſignum oculis & ori & cordi impoſitum, non denique, veſpertinas, in quibus defecit orationes ſola manuum eleuatione & labiorum commotione conceptas. Oleum vel eam expetiuiſſe, vel à ſe, qui & eius frater, & Epiſcopus erat, oblatum fuiſſe, non meminit. Qui factum, ſi id Chriſtianorum exeuntium tam apud iſtos ſacramentum erat, quam nunc eſt apud Romanos? Ambroſius qui vtriuſque Gregorij æqualis ad a. D. 397. pervenit, luculentis orationibus proſecutus eſt, & cariſſimi fratris ſui Satyri, & Theodoſij Auguſti funera. Vtriuſque pia opera maxime circa obitum deſcribit. Neutrum refert ſacro in ſupremis oleô vnctum fuiſſe. Iam & qui Martini a. D. 400. mortui, vitam atque obitum ſumma diligentia exſecutus eſt Sulpitius, homo eorum temporum, nihil planè de extrema vnctione toto volumine dixit. Neque eius item meminit vel Symeon metaphraſtes, dum Chryſoſtomi a. D. 407. mortuî ſuprema ſatis operosè de more enarrat; vel Paulinus dum Ambroſij a. D. 397. terris erepti, mortem deſcribit. Hieronymus vero, vir ſummus, quique ad a. D. 420. vixit, multorum piorum mortes litteris celebrauit, Nepotiani, Lucinij, Marcellæ, Aſellæ, aliorum. Nemini ante obitum oleum illitum memorat. Paulæ quidem ſuprema præcipua cura narrauit; & cum minima quæque ſanctæ matronæ in vltimo illo agone facta, dictaque accuratiſſime perſequatur, nihil tamen de extrema vnctione dicit, cùm ei morienti & ipſe, & filia Paulæ Euſtochium adfuiſſent. Sic etiam Auguſtinus, dum Monicæ matris mortem tradit, omniaque in illo articulo vel eius piè facta, dictaque, vel ſua etiam in eam officia commemorat, *olei*, aut *vnctionis* non magis, quam iſti ſuperiores, meminit. Sed neque Auguſtinum ipſum Poſſidius in eo morbo, ex quo a. D. 430. deceſſit, inunctum fuiſſe refert, cætera, quæ ad viri pietatem pertinent, narrans, illud vero nominatim obſeruans eum pſalmos de pœniten-

[Margin notes: p. 189. c. — Orat. 19. p. 312. orat. 21. p. 397. — T. 3. p. 575. a. & p. 613. 614. T. 2. Greg. Nyſſ. p. 191. p. 194. — p. 195. — T. 3. Ambr. — Vide ap. Sur. 11. Nou p. 259. — ap Sur. Ian. p. 474. — Ibi ... 2. p. 16. — Ep 3. 19. 16. — Ep. 27. — Confeſſ. l. 9. c. 11. — c. 31. vit. Auguſt.]

tia diebus ſuæ infirmitatis legiſſe, & iugiter ac *vbertim fleuiſſe*; diebuſque decem antequam exiret de corpore, poſtulaſſe, *ne quis ad eum ingrederetur, niſi iis tantùm horis quibus medici ad inſpiciendum intrarent, vel cum ei inferretur refectio*; quo ſcilicet ab omni alia cura liber animus orationi vacaret, & ad inſtantem mortem, ſe fortius accingeret. Cur loco tam opportuno inter ea, quibus ſe ad exitum parabat, ſacramentum, quod in eam rem vnicè inſtitutum eſſe volunt, ſi tum in vſu erat, vel neglexit Auguſtinus, vel tacuit Poſſidius? Hilarij Arelatenſis Epiſcopi vitam (vt creditur) fusè ſcribit Honoratus Maſſilienſis ſedis antiſtes. Extat opus, in quo cum ad ſanctiſſimi viri mortem ventum eſt, quæ a. D. 449. contigit, nullum in ea parte, prolixa licet & accurata, olei veſtigium cernitur. Extat & Cæſarij, laudatiſſimi eiuſdem quoque cum Hilario Eccleſiæ Præſulis vita. In mortis eius hiſtoria, quæ fusè atque diligenter narratur, oleum non magis vllum, quam in pumice deprehendes. Mortuus autem eſt Cæſarius a. D. 543. Sed & Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi, qui a. D. 533. deceſſit, ſuprema ſingulari diligentia narrata leguntur in volumine, quod de eius viri vita ad Fœlicianum conſcriptum extat. Auctor libri Ferrandus qui Fulgentij diſcipulus fuit, præfatus ſibi dicendum, *quomodo vir ſanctus poſt omnia bona opera ſua requieuerit ad cœli regna tranſlatus*, principio refert eum ante annum ferme quam de ſæculo raperetur, in inſulam Cirthinam ſeceſſiſſe, ibique pœnitentiam diu ex toto corde ſuo egiſſe, tum ſuorum neceſſitatibus compulſum in Eccleſiam ſuam rediiſſe, & paulo poſt in eum morbum, qui ipſi lethalis fuit, incidiſſe, ſeptuagintaque prope diebus ægritudine fatigatum hoc ſolum frequenter dixiſſe, *Domine, da mihi modò hîc patientiam, poſtea indulgentiam*, medicorum lauacra balnearia ſuadentium conſilium aſpernatum eſſe, & cum ſe ſenſiſſet ſine aliqua dubitatione diſſoluendum, conuocatos clericos ſuos vniuerſos, amantiſſimis verbis allocutum, pauperum inde curam geſſiſſe, & quicquid ſupererat pecuniæ, expendi in eos iuſſiſſe, clericis benedictionem ſuam poſtremo impertitum, beatum ſpiritum fœliciter in manus Domini tradidiſſe. Hoc omnino *oleum* fuit, ſuaue ſane ac ſalutare, quo ſeipſum beatiſſimus Epiſcopus totum liniuit, ac perfudit, Id, quo Romani nunc aliptæ ſuos morientes inungunt, neque ipſe vltro expetiuit, neque ab aliis oblatum ſuſcepit, quatenus quidem ex iſto ſcriptore conſtat. Denique ne ſingulos commemorans, vægrande extat de *Sanctorum vitis opus*, in decem libros diuiſum, quo plærorumque, qui quinque aut etiam ſex prioribus Chriſtianiſmi ſæculis in aliqua fuerunt ſanctitatis opinione, res ad pietatem pertinentes narrantur, ac copioſe deſcribuntur, multaque etiam referuntur quæ profecto nulla fidei Chriſtianæ iactura & à ſcriptoribus taceri, & à

nobis

Apud Sur. Aug. p. 295.

apud Sur. Aug. p. 291.

c. 30.

nobis ignorari poterant. Nullius ex toto illo numero, qui immanis eſt, vnctio in ſupremis (quod ego quidem meminerim) legitur. Mirum eſt nullam in tam multis vnctionis (ſiquidem ea iam tum pro exeuntium ſacramento habebatur) occurrere mentionem; maxime in eorum hiſtoria, quorum mortes paulo fuſius, atque accuratius deſcribuntur; vt verbi gratia Pauli, Hilarionis, Onufrij, Pachomij, Ephrem, Symeonis Stylitæ, Ioannis Eleemoſynarij, Barlaami, [a] Ioſaphati, Euphraſiæ Euphroſynæ, Ioannis, Paphnutij, & aliorum. Sed & in libro operis decimo Anachoreta quidem, cum mortem ſuam diuinitus admonitus præſciſſet, dicitur in cœnobium die Dominica veniſſe; corpus & ſanguinem Domini accepiſſe; eoque facto ſe ipſum in medio Eccleſiæ poſuiſſe, ſtatimque conſummatus eſſe. Rogo te, cur non & vnctione ſacra exitum ſuum munierit æque ac Euchariſtia? Nempe exeuntium de vita fidelium mos tum fuit *communicari*; *vngi* vero, non fuit.

l. r.

a p 836. &c. l. 2 p. 457. & 475. l. 10 p 887. col. 1.

Sed ad hoc argumentum reſpondet Bellarminus non ſcribi *res notiſſimas, & quotidianas. Nam* (inquit) *S. Bernardus nunquam omiſiſſet eiuſmodi ſacramentum quod eum maximi feciſſe conſtat ex vita S. Malachiæ ab ipſo ſcripta, & ſimul conſtat eum habuiſſe maximam commoditatem ſacramenti percipiendi cum & mortem ſuam præuiderit, & prædixerit; & tamen ſcriptum non eſt eum accepiſſe hoc ſacramentum.* Sed bonus vir lectoribus de more illudit, dum ſic agit. Ac primò quidem ridiculum eſt, quod vnctionem ſuam cenſet inter res primorum ſæculorum Chriſtianis *notiſſimas ac quotidianas*. Atqui ea neque apud Dionyſium, neque apud Clementem vſquam in iis libris reperitur, in quibus res Chriſtianorum ſacras, ſuo æuo ſolennes, & in quotidiano fidelium vſu poſitas, ex profeſſo tradunt, ac ſumma diligentia perſequuntur. Imo quod poſtea demonſtrabitur, ne in ſequentibus quidem ſæculis, pœne ad 11. extrema iſta vnctio occurrit, qualis ea hodie apud aduerſarios obtinet. Tum & illud liquido falſum eſt, quod ponit Bellarminus, *non ſcribi res notiſſimas & quotidianas*. Si narrari, & fusè qua ratione, quoque modo fiant, deſcribi negaſſet, eſſem equidem aſſenſus. At quæ ſolemnia ſunt, & nota, non modo non narrari, ſed ne ſcribi quidem, aut referri ſolere, quis conceſſerit? baptizari, Deum precari, Euchariſtiam ſumere, morientem ſe Deo precibus commendare, mortuum ſepeliri &c. res ſunt *notiſſimæ & quotidianæ*. Nemo tamen eas negauerit ab iis, qui vitas morteſque Chriſtianorum hominum deſcribunt, ſæpiſſime commemorari, maxime ſiquorum pietatem commendent. Illud ipſum quod inter *quotidiana ac notiſſima* cenſet Bellarminus, nimirum *vngi oleo morientem*, quæſo te nemo ipſorum commemorat? certè, vt ſuperiora mittam tempora, de quibus non-

vbi ſup. [illegible] extr.

dum liquet, à quadringentis annis ſolennem, notiſſimam, ac quotidianam eſſe apud iſtos *extremam vnctionem*, ego quidem concedo; Bellarminus credo, non negauerit. Non ideo tamen eam omittunt, qui clarorum, & piorum ex iſtis partibus hominum mortes deſcribunt. Ac tametſi id propemodum nemo neſciat, age tamen ex immenſa Surij farragine exempla aliquot illuſtria afferamus. Ecce
apud Sur. Nou. 5. p. 130.
qui non ita pridem in Diuos à Paulo. V. a. D. 1610. relatus eſt, Carolus Borromeus. Si quæris quid in morte geſſerit, dicet inter alia, qui viri legendam conſarcinauit, *ſacroſanctum* viaticum accepiſſe, quod extrema vnctio conſecuta eſt; his ita peractis mortuum.. Sic & a. D. 1572. apud eoſdem legendarios Franciſcus Borgia, Ieſuitici ſi bene memini, ſodalitij præpoſitus Generalis non ante dimittitur è ſæculo,
Ibid. ſept. p. 378.
quam oleo ſacro inunctus de more fuerit. Vis ex antecedenté ſæculo exempta? lege vitam Antonini, Archiepiſcopi Florentini,
a Ibid. ma. 11. p. 35. 279. b Ian. 134.
qui a. D. 1459. [a] & Bernardini Senenſis, [a] qui a. D. 1444. & Laurentij Iuſtiniani Patriarchæ veneti, [b] qui a. 1410. denati ſunt. Et ſi id *notiſſimum ſit*, & *quotidianum*, omiſſum tamen non eſt ab eorum præconibus, omnes *ſuſcepta ſacri olei vnctione*, item *extremæ vnctionis clypeo munitos* (licet enim orationem in encomiaſtico genere his floribus conſpergere) *obdormiuiſſe in Domino*.
Ibid. Aug. p. 233.
Neque hanc laudem ſuis mortuis inuident decimi quarti ſæculi homines. Nam a. D. 1325. mortuus eſt Eleazarius Comes; quem narrat Surianus hiſtoriographus *Euchariſtiam ſumpſiſſe, & ſacro oleo inunctum eſſe*; *ita demum fœliciter mortuum quieuiſſe*. Neque hæc memorare ſuperſederunt,
a a. D. 1296. ibid. Maii. p. 155. b a D. 1274. Mart. p. 83. c a D. 1202. April p. 102.
tametſi ſolennia, qui Celeſtini [a] & Thomæ Aquinatis, [b] & Guilelmi Abbatis, [c] de tertio decimo ſæculo hiſtorias ſacras ſcripſerant. Omnes enim iſtos diſerte teſtantur ſacro illo in extremis oleo fuiſſe delibutos, & quidem Gulielmum illum ex his vltimum, peracta vnctione, vt erat deploratæ valetudinis, *ſuper cinerem & cilicium depoſitum* emiſiſſe ſpiritum. Sed & ex eodem ſæculo dignum eſt referri, quod de Antonio Vlyſſiponenſi, ſiue Patauino prodit, qui
13. Iun p. 94.
eius vitam litteris mandauit, *vt* inquit, *vidit ſanctus vir fratrem ex more ſacrum oleum apportantem, intuens in eum, ait illi, Hanc vnctionem ego habeo intra me. Etſi autem neceſſe non eſt, vt hanc mihi extrinſecus adhibeas, at placet tamen & vtilis eſt. Suſcepit igitur ſacram vnctionem. Et palmis iunctis pſalmos, quos pœnitentiales vocant, cum fratribus perlegit. Inde quaſi dimidia elapſa hora inter manus adſtantium dormienti ſimilis leniter expirauit.* Sic & de Dominico famoſo monachorum ſui nominis parente, litteris proditum eſt, ei a. D. 1221.
ibid. Auguſt. p. 77.
paulo ante mortem, *adhibitum eſſe vnctionis extremæ ſacramentum*. Stultus ſim ſi in compilandis iſtorum legendis plus temporis, & operæ perdam. Hæc ſatis ſint, vt Bellarmini compeſcatur inuerecundia,

cundia, negantis quidem quæ ſunt *notiſſima*, & *quotidiana ſcribis* tamen contendentis hanc ipſam vnctionem ſuam, quæ & his & aliis innumeris eiuſdem generis locis *ſcripta* legitur, rem eſſe, fuiſſeque, ſemper *notiſſimam ac quotidianam*. Cum ergo iis temporibus, quibus vnctionis extremæ vſus ſolennis apud iſtos fuiſſe conceditur, appareat eius in deſcribendis piorum mortibus mentionem crebro fieri, quæro cur non & apud veteres primorum ſæculorum Chriſtianiſmi ſcriptores, eius quoque mentio occurrat, quoties illi hominum ſanctimoniæ & pietatis nomine celebrium mortes narrant? cur non inter Antonij, Ambroſij, Auguſtini, Fulgentij, & cæterorum, quos nuper nominauimus, res ante obitum præclarè, atque ex Chriſtiana fide geſtas æque id quicquid eſt ſacramenti occurrit, ac in Dominici, & Celeſtini, & Thomæ, & Antonij Patauini, & Borromei, & aliorum ex nouitia Romæ fœtura cælitum hiſtoriis? Eſto, vnus, & alter ea de re tacuerit. Omnes huius generis ſcriptores, qui de ſex primis ſæculis tam multi ſuperſunt, veluti coniuratione quadam inita, tacuiſſe ſic, vt ne vnus quidem ſit, qui *ſacramentum exeuntium* ex iis, quos celebrant, aliquem exeuntem ſuſcepiſſe, memorauerit, id nemo, vt opinor, ſanus eſt, qui non inſtar prodigij habendum putet. Nihil ergo ad rem facit, quod affert Bellarminus, ne Bernardi quidem vnctionem fuiſſe in eius vita memoratam, quamquam non ſit veriſimile eum abſque hoc (vt loquitur) ſacramento deceſſiſſe. Nimirum & ex aliis non paucis eiuſdem temporis ſcriptoribus, & ex ipſo Bernardo conſtat vſum iam tum fuiſſe infirmos in ſupremis inungere. Itaque minime efficit vnius ſcriptoris ſilentium, vt id, quod aliunde certum & exploratum eſt, in dubium vocemus. Et fateor, ſi res de vetuſtiſſimis quatuor, & quinque ſæculorum ſcriptoribus ita haberet, ſi extarent multa eorum temporum monumenta in quibus, aut iſta extrema vnctio *exeuntium eſſe ſacramentum* doceretur, & quo ritu, quaue forma danda ſit, diſputaretur, aut narraretur non paucis illius memoriæ fidelibus in ſupremo vitæ termino verſantibus ex more Eccleſiaſtico datam eam fuiſſe (qualiter hæc omnia comperiuntur apud ſcriptores Bernardi æquales) fateor inquam, futilem & abſurdam futuram noſtram argumentationem, ſi ex vnius iſtorum ſilentio rem aliorum teſtimoniis abundè firmatam conuellere niteremur. Sed res plane aliter habet, non vnus, non duo, non tres, non decem, ſed omnes plane quotquot hodie extant, ſex priorum ſæculorum ſcriptores Chriſtiani in narrandis piorum mortibus vnctionem illam tacent, indictamque ac ne vno quidem verbo ſignificatam plane penituſque prætermittunt, quam quatuor aut quinque proximis retro ſæculis tam multi talibus locis memorauerunt.

Vertas

Vertas te licet in omnes partes, non aliam inuenies probabilem tanti in ſimili argumento diſcriminis rationem, niſi hanc vnam, nimirum & illos omiſiſſe, quod non fiebat, & hos commemoraſſe, quod fiebat ſuis vtroſque temporibus. Huc accedit, quod etſi nullus inter omnes vitarum & hiſtoriarum ſcriptores, qui his poſtremis quinque ſæculis vixerunt, reperiretur, qui de vnctione extrema alicui fideli in ſupremis adminiſtrata teſtaretur; non ſineret nos tamen de re ipſa dubitare, Theologorum auctoritas, qui quotquot fere his temporibus floruerunt, totum hoc argumentum fuſe ac multipliciter tractant; vt ex Hugone, & Ricardo, & Petro Lombardo, & aliis eiuſdem generis auctoribus patet. De veteribus, ſecus eſt; apud quos non Theologi magis, quam Hiſtorici de hoc exeuntium ſacramento docent. Iam demonſtraui nullum occurrere eius veſtigium vel apud Dionyſium, vel apud Clementem, vel apud alios rituum Eccleſiaſticorum veteres expoſitores. Infra ſuo loco, Deo dante, oſtendemus, neque quinto ſextoue, ac ne proximo quidem conſecutis ſæculis vnctionem eam reperiri, quæ nunc apud iſtos in vſu eſt.

Capvt III.

IV. Ratio inde ducta, quod quinti ſæculi, & ſequentium ad nonum certi & indubitati ſcriptores, qui in deſcribendis piorum & ſanctorum hominum mortibus, ſumpta ab iis Euchariſtia ſæpiſſimè meminerunt, extremæ vnctionis ſuſceptæ nulli prorſus meminiſſe reperiuntur. quod allata ex omni illa antiquitate magna exemplorum copiâ illuſtratur ac confirmatur. Soluuntur paucula, quæ contra obiici poſſe videntur; præſertim de nono ſæculo.

AC tametſi Bellarminianæ reſponſionis vanitas ſatis (ni fallor) patefacta eſt, tamen quod hoc argumentum magni mihi in hoc negotio momenti eſſe videtur, libet in eo confirmando ac illuminando paulo amplius immorari. Notum eſt apud aduerſarios, morientibus, quoties id per morbum licet, Euchariſtiam conferri. Is mos apud Chriſtianos antiquiſſimus eſt. Ac nunc quidem de prima eius origine dicere ſuperſedeo. Satis eſt ad inſtitutum noſtrum obſeruare, à quo tempore uſus iſte inualuit, plurimam eius mentionem occurrere in eorum deſcribendis mortibus qui per illa tempora obierunt. Exempla de ſingulis ſuo ordine ſæculi-

ſæculis aliquot referam. Primum ergo hæc in quinti ſæculi hominibus occurrunt. Vuinualocus, cuius vitam ad a. D. 459. refert Surius ad mortem ſe accingens, *communicaſſe* diſerte narratur. Sic etiam Seuerinus, Noricorum Apoſtolus, qui ad a. 482. pertinet, *ſacramento communionis accepto* deceſſiſſe traditur; & qui a. 460. floruiſſe putatur, Valentinus Patauienſis ante obitum *propriis manibus accepiſſe corporis & ſanguinis Domini ſacramentum memoratur.* Neque de ſexto ſæculo ſimilia deſunt exempla. Nam Caſſium Narrienſem Epiſcopum quem anno D. 530. floruiſſe perhibent, Gregorius I. qui ad ſeptimum ſæculum peruenit, dum mortem eius narrat, refert *miſſas feciſſe*, & manu ſua corpus Dominicum pacemque omnibus tribuiſſe, tum ad lectulum redeuntem omnes ſuos ſacerdotes, ac miniſtros ad concordiam hortatum poſtremo in Domino obdormiſſe. Sic Lætum Diaconum (is autem a. D. 540. vixiſſe fertur) *exitum ſuum*, de quo diuinitus fuerat admonitus, *Dominici corporis & ſanguinis perceptione muniuiſſe*, atque ita, *ſpiritum cælo reddidiſſe* tradit Surianus Narrator. Noſtrum vero Remigium Hincmarus obſeruat communionem antequam moreretur, ſumpſiſſe. Quod a. D. 530. contigiſſe conſtat. Et idem, qui nuper Gregorius Benedictum, celeberrimum monachorum in occidente auctorem, narrat *languore ingraueſcente exitum ſuum Dominici corporis & ſanguinis perceptione muniuiſſe*, paulo poſt, *ſpiritum efflauiſſe*, quod anno D. 543. accidiſſe certum eſt. Alter vero, ſcilicet Turonenſis, Romani æqualis Gregorius, Gallum Aruernorum Epiſcopum tradit, cum *is ſciret ſe poſt triduum migraturum, conuocaſſe populum, & omnibus confracto pane, communionem largitum*, tertia inde die mortuum. Vedaſtum Atrebatenſem Epiſcopum grauis auctor ſiue Alcuinus ſiue Beda memorat *ſacroſancto corporis & ſanguinis Dominici viatico confirmatum* obiiſſe a. D. (vt creditur) 570. Neque diu poſt (a. D. 584.) Maurus obiit, quem ſimiliter narrant *exitum ſuum viuificorum muniuiſſe perceptione ſacramentorum*, id eſt corporis, & ſanguinis Domini. Neque aliter de Agylo Aurelianenſi Vicecomite (quem ad a. D. 593. referre debuit Surius) quiſquis viri vitam ſcripſit, *Reuerſus domum* (inquit) *Epiſcopum ciuitatis Auſtrenum, & ſanctum Maximinum iuniorem monet diem obitus ſui pro foribus eſſe, velint illi accuratis orationibus ſubuenire, nihil reliqui facere, quin ſacramentorum panoplia muniatur. Accedunt ergo, & ſacrum Euchariſtiæ viaticum moribundo deferunt, quo communitus die Dominico tertio calend. Sep. maturus annorum vita concedit.* Sequitur ſeptimum ſæculum, in cuius initia Baronis confeſſoris vitam coniicit Surius. Eius autem ſcriptor Baronem diſerte commemorat paulo antequam moreretur, *communicatum*. A. D. 623. Rudbertus Vangionum Epiſcopus

Februar. p. 41.

Ianuar. p. 110. Auguſt. p. 45.

Hom. 37. in Euang. apud Sur. Iun. p. 358.

5. Nouemb. p. 164.
Ianuar. p. 199.

ap. Sur. Mart. p. 238.

Ibid. 1. Iul. p. 15. a. D. 560.

Ibid. Febr. p. 69.

Ianuar. p. 244.

Auguſt. 30. p. 330.

Octob. 1. p. 9. cap. vit. 23. 24.

K   *munitus*

Mart p. 268 *munitus ſacroſancto corporis & ſanguinis Chriſti viaticos obiiſſe*, narratur, & Richarius itidem poſt a. D. 630. ſpiritum emiſiſſe *poſtquam ſalutifero corporis & ſanguinis Chriſti viatico ſuum iter muniuiſſet*. Neque Redemptus Clericus in Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi obitu (qui anno D. 636. contigit) enarrando, id omiſit: referens beatum virum *corpus Domini &* ſanguinem ſumpſiſſe, paulo poſt diem ſuum obiiſſe. Ita Trudonem, presbyterum & Confeſſorem (quem a. D. 640. floruiſſe tradit Surius) *allatis viuificis myſteriorum ſacramentis* participaſſe antequam moreretur, narrat, qui eius vitam apud Surium deſcribit, & Giſlenum confeſſorem (quem idem Surius in a. D. eundem coniicit) *ſacramento Euchariſtiæ ſeſe communiuiſſe, & inter diſcipulorum manus expirauiſſe* memorat Surianus eius hiſtoricus. Eiuſdem quoque Surij Annales narrant Auſtrebertam, Pauliacenſem a. D. 640. Abbatiſſam *percepto Domini corporis ſacramento & ſacro crucis munitam vexillo*, paulo poſt obiiſſe. Et R[illegible]actum, Traiectenſem Epiſcopum, quem a. 654. ſept. 3. defunctum perperam ad eumdem quoque Domini annum refert ipſe Surius, febre correptum, cum ſe *ſacroſancto corporis & ſanguinis Domini ſacramento confirmaſſet, animam reddidiſſe*. Apud eoſdem Bertulfus, qui ad a. D. 655. refertur, *percepto corporis & ſanguinis Domini ſacroſancto viatico*, moritur, & S. Gertrudis de obitu admonita, Sacratiſſimum Chriſti corporis, & ſanguinis viaticum accipit, mox obdormiſcit a. D. 664. Et Audomarus, Morinorum Epiſcopus (quem cum anno 661. deceſſerit malè confert Surius in a. D. 680.) ſimiliter *ſacroſancto corporis & ſanguinis Domini ſacramento pectus ſuum communit*, mox moritur: & Hermelandus Abbas Antrenſis corporis & ſanguinis Domini ſacramento ſeſe præmuniens moritur a. D. 690. Et Anſbertus denique Rotomagenſis Epiſcopus *perceptione corporis & ſanguinis Domini ſe muniens, ac ſanctæ crucis vexillo ſe, cunctoſque circumſtantes ſignans obit a. D. 695*. Libet in hoc idem ſæculum coniicere, quæ ex vno Beda in hoc genere obſeruaui, quod ea hoc omnino ſæculo, tametſi diuerſis temporibus, accidiſſe videantur. Is igitur narrat ſanctiſſimum Epiſcopum Ceaddam, cum fuiſſet diuinitus admonitus de ſua ante octauum diem ad Dominum migratione, languore corporis tactum; eoque in dies ingraueſcente, die ſeptimo, *poſtquam* inquit, *obitum ſuum Dominici corporis & ſanguinis perceptione muniuit*, ſoluta ab *ergaſtulo corporis anima ſancta, ducentibus (vt credi fas eſt) Angelis comitibus æterna gaudia petiuiſſe*. Eadem de puero quodam Saxone, morbo laborante, quem ait à Petro & Paulo Apoſtolis per celeſtem viſionem admonitum, vt viatico Dominici corporis & ſanguinis quam primum ſe muniret; eo enim facto infirmitate ſimul & morte abſolutum ad æterna

Margin notes: April. p. 311. — April. p. 61. — 9. Nou. p. 512. — Oct. p. 156. — Febr. p 99. — Sep. p. 29. — Febr. p. 55. — Ibid. Mart. p. 198. — Sept. p. 105. — Martii p. 253. — Hiſt. Anglic. l. 4. c. 3.

æterna in cœlis gaudia ſubleuatum iri. Tum presbyterum de oblata viſione, à puero edoctum, vocatis fratribus ſacrum feciſſe, & *omnes communicare more ſolito præcepiſſe, ſimul & infirmanti puero de eodem ſacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandauiſſe; puerum non multo poſt eadem ipſa die defunctum eſſe.* Ita & in ſupremis ſanctiſſimæ Abbatiſſæ Hildæ, cuius vitam & res geſtas magnis fert laudibus, diuturna infirmitate afflictam narrat anno morbi ſeptimo *circa galli cantum percepto viatico ſacroſanctæ communionis*, conſeruas ad pacem cohortantem, inter ipſa exhortationis verba defeciſſe. Proximo capite de fratre quodam optimis ſimpliciſſimiſque moribus, narrat ipſum cum ex morbo decumberet, qui non ita periculoſus videbatur, de impendente morte cœlitus, (vt credibile eſt) certiorem factum, repente præter eorum, qui aderant, expectationem, ſe ad obitum accuratiſſime præparantem Euchariſtiam popoſciſſe, mutuæ dilectionis teſtimonium & dediſſe fratribus, & ab ijs exegiſſe; ſe ſigno crucis obſignaſſe, & in ſomnum ſuauiter poſtremò compoſitum cum ſilentio vitam finiuiſſe. Paria de Cuthberto Linsfarnenſi Epiſcopô teſtis ipſe oculatus in aliô opere memorat; *At vbi* (inquit) *conſuetum nocturnæ orationis tempus aderat, acceptis à me ſacramentis ſalutaribus* (Id eſt ex veterum ſtilo pane & calice ſacrô) *exitum ſuum, quem iam veniſſe cognouit, Dominici corporis & ſanguinis communione muniuit; atque eleuatis ad cœlum oculis, extentiſque in altum manibus, intentam ſupernis laudibus animam ad gaudia regni cœleſtis amiſit.* Idem vel potius Ionas Abbas Euſtaſium Abbatum, ſancti Columbani diſcipulum, *cum omnibus valedixiſſet ſumpto viatico animam cœlo reddidiſſe ſcribit.* Atque hæc ex Beda hactenus. Nunc octauum ſæculum percurramus: in cuius annum 17. Sunibertum Epiſcopum confert Surius. Eum qui vitam eius ſcripſit diſerte narrat ſe antequam de hoc mundo tranſiret *perceptione corporis Dominici muniuiſſe, ac vexillo ſanctæ crucis ſignaſſe.* Rudolfus Raboni diſcipulus, refert Liobam Abbatiſſam (a. D. 720. vixiſſe putat Surius) *accepto corporis & ſanguinis Christi* viatico hominem exuiſſe. Ita & Vulframum, Senonenſem Archiepiſcopum a. D. 720. obiiſſe referunt Surij auctores, *poſtquam obitum ſuum Dominici corporis & ſanguinis perceptione* muniuiſſet: & Pyrminium Epiſcopum, quem ad a. D. 724. refert Surius, ſe ad mortem accingentem, *animam cœleſti viatico armauiſſe, ac ſideteis ſedibus immiſiſſe*, & Corbianum Friſingenſem Epiſcopum (quem Surius refert ad a. D. 730.) *poſt perceptionem corporis & ſanguinis Chriſti mox Deo ſpiritum reddidiſſe.* Apud eundem Surium Paſchaſius Ratbertus, Adelhardi Corbienſis, vnius de ſuis anteceſſoribus, ſuprema ſumpſiſſe, narrans, memorat: cum *ſimul communicantibus omnibus ſan-*

Ibid c. 14. T. 3. p. 97.

Ibid. c. 14. p. 108. extr.

Vita Th c. 39. Ibid p. 180.

Ibid. p 148. init.

ap. Sur. Mart. p 14.

Sept. p. 301.

Mart. p. 214. Nou p. 26.

Sep. p 99.

an. p. 50. cap. vit. 54.

ſtiis fratribus communionem ſanctam percepiſſe ferme hora diei prima, nona ſpiritum emiſiſſe. Ludgerum Monaſterienſem Epiſcopum, ad a. D. 809. quem itidem in eius vita legimus ſe ad mortem parantem miſſæ communicauiſſe, neque quicquam de ſolitis pietatis officiis omiſiſſe. Ita qui vitam Virgilij Saliſburgenſis Epiſcopi ſcripſit, refert ipſum celebrato diuini ſacramenti myſterio leui morbo correptum obdormiuiſſe, a. 780. Sed & ex 9. ſæculo aliquot exempla danda ſunt. Eginhardus de Carolo magno, cuius vitam proprio volumine ſcripſit, *Septimo*, inquit poſtquam decubuit die, ſacra communione percepta deceſſit anno ætatis ſuæ 72. quod contigit a. D. 814. Ludouici pij, Caroli filij, vitam qui ſcripſit homo eorundem temporum, vbi ad eius mortem ventum eſt; *In craſtinum* (inquit) *qua erat Dominica, iuſſit miniſterium altaris præparari, & per officium Drogonis miſſarum ſolemnia celebrari, Nec non per manus eius, iuxta morem, communionem ſacram ſibi dari*; quibus peractis paulo poſt deceſſiſſe eum tradit; a. D. vt eſt apud Chronographos, 840. Cætera, quæ plurima eiuſdem generis poſſunt congeri, prudens mitto; quod hæc, quæ attuli, ſatis ſuperque ſint pro inſtituto quidem noſtro. Ex his enim apparet primo quidem, quam ſit à vero alienum, quod Bellarminus pronunciabat *non ſcribi res notiſſimas, & quotidianas*; cum extremam illam communionem, qua morientes iam à multis ſæculis, muniuntur, quamque iſti tam multi *ſcribunt* iis, quos memorant fidelibus, fuiſſe adminiſtratam, omnibus iſtis ſæculis *notiſſimam ac quotidianam* fuiſſe conſtat. Secundo, & hinc quoque, quod demonſtrandum ſuſcepimus, clariſſime eluceſcit, nullam adhuc in Eccleſiæ vſu fuiſſe *extremam* iſtorum *vnctionem* totis illis decurſis ſæculis, hoc eſt quinto, ſexto, ſeptimo, octauo, nono. Nam ſi fuiſſet aliqua, omnes iſti quos laudauimus ſcriptores talibus locis aliquam eius mentionem feciſſent. Qui enim Euchariſtiam tam diligenter omnes, tamque anxie inter cæteras fidelium ad exitum præparationes commemorauerunt; cur ij quæſo vnctionem hoc eſt proprium (ſi iſtis credimus) exeuntium ſacramentum tali in tempore omiſiſſent? noſtri quidem Romani, quod ex exemplis ſupra allatis videre eſt, longe ab huiuſmodi flagitio abſunt: qui vel vnctionem ſuam ſolam in his narrationibus, vel certe non abſque hac Euchariſtiam commemorare ſolent. Quin & ex eorum vſu factum eſt, vt *ſacramentorum* nomen plurari numero in locis huiuſmodi vſurpatum (quod olim de *corpore*, deque *ſanguine* Chriſti intelligebatur) nunc Euchariſtiæ, & olei extremi perceptionem ſignificet. Itaque ſolent illi ad orationis compendium eos dicere *ſacramenta ſumpſiſſe*, quos & communicatos & extremum vnctos intelligunt. Atqui

Mart. p 160. 27. Nou p 615.

T. 2. Scipt. Franc Cheſnæi. p. 104.

Ibid. p 319. e.

ex

ex tam-multis, quos adduximus, ſcriptoribus, ne vnus quidem eſt, qui aliquem eorum, de quibus loquuntur, vnctum fuiſſe commemoret; cum tamen minime omiſerint, quod eorum ſinguli Euchariſtiam perceperint. Cauſſamne præter hanc, aliam requiras; Euchariſtiam memorarunt, quod iſtis ſæculis dari ſoleret morituris, vnctionem prætermiſerunt, quod nulla in hoc articulo verſantibus daretur. Hocque argumentum noſtrum eo validius rem conficit, quod & eorum, quorum iſti vitas deſcribunt, non paucos de proximo exitu admonitos ſeſe ad fatalem illam horam diligentiſſime accinxiſſe, nihilque adeo ex armis ſiue ſacramentis Eccleſiaſticis neglexiſſe, credibile eſt, & hos qui illorum mortes fusè, atque accurate plerumque narrant, nihil eorum, quæ tali loco atque tempore facta ſunt, prætermiſiſſe par eſt. Poſtremo nequid dubitationis ſuperſit, non hi modo, quorum alioqui non eſt aſpernandus numerus, de extrema vnctione iis locis tacent (quibus eam ſi quo tum in vſu fuiſſet, omiſſuros fuiſſe plane eſt incredibile) ſed omnes item eorundem temporum ſcriptores; Nemo inquam eſt (quod equidem vel ſciam, vel meminerim) primorum nouem Chriſtianiſmi ſæculorum certus & indubitatus auctor, qui alicui fideli in ſupremis verſanti miniſtratam fuiſſe memoret extremam illam hodierni ritus vnctionem. Scio in S. Hunegundis virginis vita (quam Surius ad a. D. 650. retulit perſcriptum eſſe, *At illa conuerſa ad eos, qui illic aſſidebant presbyteros, ſacra vnctionis oleum, & Euchariſtiam ſibi petiit miniſtrari.* Sed Surius (præterquam quod ſtylum huius opuſculi à ſe paſſim mutatum confitetur) illud etiam obſeruat hunc de vitâ Hunegundis commentarium à quodam antè annos ſexcentos fuiſſe conſcriptum, hoc eſt poſt annum D. 964. in quem deſinit. Ille itaque, quod plæriſque ſcriptoribus accidit, res ſui temporis huic virgini imprudens affinxit, eamque oleum popoſciſſe in ſupremis putauit, quod ſic ſolerent Chriſtiani ſuæ memoriæ. Atque hic obiter obſeruandum, quod poſtea ſuo loco clarius confirmabimus, ne iſtius quidem ſcriptoris æuo obtinuiſſe extremam vnctionem. Ille enim virginem inungi primum facit, tum Euchariſtiam ſumere, contra aduerſariorum vſum, qui ſuos prius (vt loquuntur) *communicatos* poſtremo demum vngunt. Huc etiam pertinet, quod Bedam Trithemius communicatum & inunctum fuiſſe ait biduo antequam moreretur. Nimirum homo decimi quinti ſæculi, quod ſuo tempore fierij apud Chriſtianos videbat, id à Beda quoque factitatum ſibi perſuaſit. Cæterum ipſe Beda eos quorum mortes ſuis temporibus retulit, *communicatos* quidem (quod ſupra oſtendimus) narrat, vnctum in ſupremis nullum ex iis dixit. Idem eſt de eo iudicium, quod Egoliſmenſis de

Auguſt. 21. p. 270. c 14.

Ibid. p. 218.

ap. Sur. Maii 10. p 156.

cœnobio S. Eparchij Monachus de Carolo magno ſcripſit, *oleo ſancto inunctus ab Epiſcopis, & viatico ſumpto, & omnibus ſuis diſpoſitis, commendans Domino ſpiritum, obiit in pace, a* 814. Hic quidem, quod inungi prius eum quàm communicari facit, eo fatetur ſe diu ante Trithemij tempora vixiſſe; Quod vero Regem *vnctum* dicit, eo prodit ſe infra Caroli ſæculum fuiſſe; quo ad mortem ſe accingentes inungere inſuetum; vt ex ſuperioribus ſatis patet. Eginardus ſanè vir & doctiſſimus & ab ipſo Carolo educatus, cuique adeo eius ſuprema cognitiſſima fuiſſe conſentaneum eſt, nihil tale tradit. *Sacra* (quod diximus) *communione percepta deceſſiſſe ſcribit.* De oleô & vnctione altum ſilet. Sed neque nos mouere debet quod in Prudentij Trecenſis Sermone à Camuzato edito, Maura virgo (quam Surius ad a. D. 850. refert) morti vicina ipſum Prudentium, orans inducitur, *vt de eius manu Euchariſtiæ & vnctionis extremæ recipiat ſacramenta.* Ipſe enim qui hunc ſermonem in ſuam farraginem retulit Surius, præfatur manuſcriptum, codicem, ex quo deſcriptus fuit, *pleriſque in locis ob characteres penè exeſos ægre legi potuiſſe*; vt exigua apud nos eſſe debeat eorum fides, quæ iſti nunc integra & incolumia ex carioſo & corrupto libro pro animi ſui libidine finxerunt. Certè & *vnctionis extremæ vocabulum* & Euchariſtia vnctioni præpoſita, vtrumque & à noni & à decimi ſæculi ritu abhorrens, arguit, hæc illo quod Mauræ tribuitur æuo longe eſſe recentiora. Denique neque id nos à ſententia dimouere debet, quod Rembertus Bremenſis Archiepiſcopus legitur *ſeptimo ante obitum die miniſterium ſacræ vnctionis cum oleo ſancto exhiberi ſibi præcepiſſe vnà cum communione corporis & ſanguinis Domini.* Hoc enim teſtimonium vel nullam, vel certe perexiguam vim habet; tum quod ex eo libro deſumptum ſit, cuius bonus Surius *ſtylum ſe mutaſſe*, hoc eſt opus interpolaſſe, ipſe profitetur; vt neſciamus ſincerum-ne ſit, an adulterinum, & incruſtatum; tum quod Rembertus ille ſiue Rimbertus (quod ex Bremenſi Adami hiſtoria [a] conſtat) a. D. 888. mortuus ſit, hoc eſt iam inclinato, ac pene præcipiti nono Chriſtianorum ſæculo, quo tempore fieri poteſt vt ex ſingulari aliqua deuotione ab iſto præter conſuetum ac communem hactenus Eccleſiæ vſum expetitum fuerit in ſupremis oleum. Itaque ex his concluſum eſtò nullo apud Chriſtianos ad noni ſæculi extrema in vſu fuiſſe *hodiernam* iſtam Romanorum *vnctionem*, quam ſcilicet qui tam multi ſuperſunt illorum temporum ſinceri, certi atque indubitati ſcriptores nulli fidelium, quorum ſuprema narrant, adminiſtratam fuiſſe vſquam memorant. Quis enim crediderit eam ſi quô nunc loco apud aduerſarios eſt, eô quoque tunc apud Eccleſiam fuiſſet, omnes pariter veluti ex compacto

T. 2. Chaſnæi p. 87. c. 14.

Sept 22. p. 210. & 216.

ap. Sur. 4. Febr p. 47. extr.

a Adam Hiſt. Eccleſ. Brem. c. 38 p. 31.

pacto locis vſque adeo opportunis præter omnem rationem omiſſuros fuiſſe? Ego vero fateor vel vnum hoc argumentum mihi abundè perſuadere nouitium eſſe totum hoc *extremæ vnctionis* inſtitutum, & his poſtremis quinque ſexue ad ſummum ſæculis repertum, anterioribus incognitum.

Capvt IV.

Ratio V. inde ducta, quod pœnitentibus in exitu verſantibus nulli veterum ad 9. ſæculum extremam vnctionem vel negaſſe, vel conceſſiſſe reperiuntur, quibus tamen Euchariſtiam alij quidem, vt vetuſtiſſimi, negant; alij vero, vt qui a. 325. & deinceps vixerunt, concedunt.

Hvc & illud accedit, quod cum ex aduerſariorum hypotheſi vnctio iſta proprie *ſit exeuntium ſacramentum*, ac (vt docet Bellarminus) *quaſi pœnitentia quædam infirmorum qui non poſſunt iam facere opera pœnitentiæ*, in qua Deus *ſine confeſſione & ſatisfactione ex ſola miſericordia peccata indulget*, omnino decebat eam vel præcipue iis lapſis exhiberi, quos vel nondum peracta, vel ne ſuſcepta quidem pœnitentia morbus lethalis opprimebat. Atqui nuſquam apud veteres quicquam eade re occurrit, ne iis quidem locis, quibus id, ſi quid tum huiuſmodi obtinuiſſet, commemorandum veniebat. Verbi gratia narrat apud Euſebium Dionyſius Alexandrinus Serapionem quemdam ex iis, qui lapſi erant, ſæpe deprecatum, vt ſuſciperetur, nihil impetraſſe. Mox ei morbo oppreſſo, ac in extremis verſanti, & ſolatia Eccleſiæ in illo articulo poſcenti preſbyterum Alexandrinum Euchariſtiæ particulam miſiſſe, eaque ſumpta Serapionem iam lætiorem ſpiritum reddidiſſe. Nimirum edixerat Epiſcopus, *vt lapſis in exitu nemo reconciliationis ſolatia denegaret, & maxime his, quos prius id rogaſſe conſtaret.* Cur ergo huic Serapioni Alexandrinus preſbyter in talibus poſito ſolam Euchariſtiam, cur non & vnà oleum ſacrum miſit, magnum & proprium, & vltimum reconciliationis in ſupremis ſolatium, ſi Bellarmino quidem & Romanis credimus? Nimirum nondum vſitata erat illis temporibus (hoc eſt a. D. circiter 260.) extrema iſta vnctio. Huc & illud pertinet, quod Eliberitani Patres a. D. 305. *fidelibus qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti,* decernunt quidem dandam eſſe *communionem,* olei verò, vel *extremæ vnctionis,* quæ hic tali tempore ex hodiernis Romanorum legibus

l. de extr. vnct. c. 7. §. Tertio.

l. 6. hiſt c. 34. (aliis 36.)

Can. 37.

maxime conueniebat, nulli meminerunt. Quid ita? Nimirum nulla tum erat in vſu Eccleſiæ. Iidem Patres fideli marito, qui fuerit ſemel lapſus, *ſi infirmitatis neceſſitas coëgerit*, concedunt vt *detur communio* ante peractam quinquennij pœnitentiam. De *vnctione*, hoc loco minime omittendâ, ſi ea in vſu fuiſſet, nullum verbum faciunt.

can. 69.

Eodem referendus eſt Nicænus de lapſis canon, a. D. 325. conditus, εἴτις ἐξοδεύοιτο, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι, *ſi quis egreditur è corpore, vltimo & neceſſario viatico minime priuetur. Viaticum* autem illud vltimum *Euchariſtiam* eſſe non vnctionem, & omnes interpretes, conſentiunt, & ipſi Patres Niceni docent, cum mox hæc addunt, καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω. *Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi Euchariſtiam tribui, Epiſcopus probabiliter ex probatione, vel poſtquam probauerit, dare debebit.* Totum autem hunc canonem de lapſis, non de quibuſuis Chriſtianis intelligendum, & per ſe clarum eſt, & omnes concedunt, & diſertè etiam Albaſpineus. Quod de iiſdem à Patribus Ancyranis paulo abſolutius, ac (vt loquuntur) *generalius* præceptum erat, id vetus Latina verſio apud Iſidorum Mercatorem ita expreſſit, *Quod ſi alicuiborum quodlibet mortis periculum, aut ex ægritudine aut ex qualibet cauſa immineat, his communio propter viaticum ſuum non negabitur.* Siricius Epiſcopus Romanus de iis, qui poſt peractam pœnitentiam ad peccatorum volutabrum redierint, ſic decernit a. D. 385. *Quos tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficiſci per communionis gratiam volumus ſubleuari.* Sic & Innocentius 1. a. D. 405. Exuperio Toloſano de iis, quærenti, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti in extremo vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt, hunc in modum reſpondet; *Tribuetur ergo cum pœnitentiâ extrema communio, vt homines huiuſmodi vel in ſupremis ſuis* [a] *miſerante ſaluatore noſtro è perpetuô exitio ſuo vindicentur.* A. D. 441. Arauſicana 1. Synodus; *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari, quod morientis ſufficit conſolationi. ſecundum definitiones Patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt.* Ita etiam Leo R. E. a. D. 451. talibus in exitu conſtitutis communionis gratiam negari vetat, ſi eam vel nutu & indiciis poſtularunt. Quæro cur nullo ex iſtis locis, vt Euchariſtia & communione, ſic & extrema vnctione lapſis in exitu poſitis ſubueniri Patres concedant? Quæro cur vnam Euchariſtiam viaticum appellarint? Cur non & oleum extremæ vnctionis eodem nomine donauerint, quo nullum ex Chriſtianorum myſteriis dignius erat,

Obſeru. l. 1. Obſer. 3. p. 93.

Can. 6. T. 1. concilio p. 276.

Ep. 1. ad Himer. c. 5. T. 1. Conc p 690.

Ep. 3. c. 2 T. 1. Conc. p. 756. a al. permittente.

Can. 3 T. 1. Conc Gall. p. 71.

Ep 91 ad Theod. Foroiul.

quam

quam hoc *exeuntium* (vt volunt) ſacramentum? Sanè nono ſæculo cum vnctio infirmorum in vſu eſſet (tametſi non eadem, quæ nunc, vt poſtea demonſtrabimus eam non omiſerunt Moguntini Patres a. D. 847. inter cætera pœnitentium morbo ſiue infirmitate oppreſſorum ſubſidia; *Orationibus & conſolationibus Eccleſiaſticis ſacra cum vnctione Dei animati ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum communione viatici reficiantur.* Cur non itidem vnctionem memorant ſuperiorum ſæculorum Patres in eiuſdem generis decretis? Idem obſeruare eſt in eorum quoque Patrum ſermone, quorum vt loquitur Innocentius *obſeruatio durior fuit*, hoc eſt diſciplina ſeuerior. Hi enim, qui lapſis plæriſque, ne in ſupremis quidem ſubueniri volunt, vetant ne in eo articulo communicentur; de oleo nullum verbum faciunt. Patres Eliberitani a. D. 305. *Qui poſt fidem baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idololatraturus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen principale (quia eſt ſummum ſcelus) placuit nec in fine eum communionem accipere.* Item de Flaminibus, qui poſt fidem lauacri, & regenerationis, ſacrificauiſſent; *Placuit eos nec in fine accipere communionem.* Item; *ipſi ſi poſt pœnitentiam fuerint moechati, placuit vlterius his non eſſe dandam communionem.* Tum; *Siquis vero maleficio interficiat alterum, eo quod ſine idololatria perficere ſcelus non potuit, nec in fine impertiendam eſſe illi communionem.* Similia leguntur aliis non paucis eiuſdem Synodi canonibus. Rogo, cur eos, quibus in ſupremis ſubueniri nolunt, communicari quidem ſemper; inungi vero nunquam vetent, ſi vnctio morientium ſubſidium illis temporibus apud Chriſtianos æque habebatur, ac Euchariſtia? Sed res nimirum clara eſt; Euchariſtia, quam his locis Patres paſſim, ac ferè ſemper memorant, pro pœnitentium morientium viaticô ac ſacrô ſubſidiô cenſebatur; *extremæ vnctionis* nondum vel res, vel nomen in eo cenſu erat.

Can. 26. T. 6. Conc.

Ep. 3. c. 2.

Can. 1. T. 1. Conc p. 232.

Can. 2.

Can. 3.

Can. 6.

Vide c. 7. c. 8. c. 12. 13 c 17. c 18. c. 63 c 64. c 65 c. 66 c. 70. c. 71. c 72 c 73. c. 75.

Capvt V.

Ratio VI. inde ducta, quod apud veteres nihil eorum occurrit, quæ de extrema vnctione, nunc & nuper apud aduerſarios diſputantur. Ratio VII. quod Eccleſia Æthiopum non agnoſcit vnctionem extremam.

SEd neque leui argumento eſt nullum apud iſtos veteres extremæ Vnctionis ſacramentum fuiſſe, quod quæ Romanas ſcholas nunc

exercent de eo argumento quæſtiones, ac controuerſiæ, nullæ in priorum ſæculorum libris ac monumentis reperiuntur; quales iſtæ ſunt, quas ſupra commemorauimus de materiâ, formâ ac fine huius myſterij. Omnis enim hæc materia adeo inuoluta eſt, adeoque ſpinoſa, vt tractari non poſſit, quin ſtatim multas in tractantium animis, qui modo non plane ſtulti, ac obtuſi fuerint difficultates pariat. Nemo veterum de eo quærit, Nemo dubitat. Nemo an oleum quod adhibetur, ab Epiſcopo benedictum fuiſſe neceſſe ſit, an ſatis ſit à presbytero conſecratum. Nemo contendit peccatorum remiſſionem primarium eſſe, ac proprium huius myſterij effectum, Nemo contra ſentit. Nemo laborat qualia peccata hoc oleô deleantur, venilia-ne, an etiam mortalia. De famoſis verò iſtis peccatorum *reliquiis*, quæ tantopere nunc in omnibus iſtorum chartis agitantur, nullæ ſunt apud priſcos lites. Denique alta eſt apud eos pax de toto hoc argumentô, neque eius belli quod aduerſarios in partes multiplices ſcidit, vlla in veterum monumentis cernuntur veſtigia. Cur quæſo id factum? An quod craſſiora ac tardiora eſſent priorum ſæculorum ingenia, quam vt iſtas ſpinas ſentirent? Bona verba. Quaſi vero non clament, quæ ſuperſunt illorum opera, neque iis acumen, neque ſolertiam aut ſubtilitatem defuiſſe. Quod ſi Romanos homines qui ab aliquot ſæculis floruerunt, cum veteribus compares, videbis hos illis non modo non impares, ſed etiam plæroſque longe ſuperiores fuiſſe. Quid ergo eſt? Ego quidem non capio quid aliud dici poſſit, niſi hoc vnum, de ſacramento extremæ vnctionis illos quidem meritò diſputare quibus id in vſu, ac in magna veneratione eſt, hos non immeritò tacuiſſe, quibus id ſcilicet in religione inuſitatum, ac incognitum fuit.

Id ipſum poſtremò ex eô quoque non obſcurè deprehenditur, quod Æthiopes Chriſtiani quos *Abyſſinos* vulgò vocant, hodieque extremam illam Romanorum vnctionem neſciunt, vt Franciſcus Aluareſius Latinus ex Luſitania Monachus, in eo opere tradit, quô ſuum in Æthiopiam iter, fusè, prolixeque deſcripſit, *Non vtuntur* (inquit) *Chriſmatis ſacramento, neque extremæ vnctionis oleô*, idemque de iis teſtantur nuperi Ieſuitarum annales, *Confirmationis & extremæ* (inquiunt) *vnctionis* ne nomen quidem apud Æthiopas notum eſt [a]: quod ipſum iiſdem pene verbis confirmat Alphonſ. Mindetius ex Ieſuita Æthiopum Pathriarca. [b] Iam ſi id, quod volunt aduerſarij, ſacramentum apud veterem priorum quatuor ſæculorum Eccleſiam ſolenne, ac vſitatum fuiſſet, ratio dici non poteſt, cur non eius vſus in hac quoque memorabili orbis Chriſtiani parte propagatus ad hæc vſque tempora fuerit, cum nullà fere gens ſit rituum, ac cærimoniarum, etiam ſuperſtitioſarum, tenacior, atque obſeruantior,

Viagg. della Ethiop c. 12. T. 1. del. Ramuſio fol. 197. col. 2.
a Annal. a. 1623. p. 346.
b. Mind ep. ad Vitell. p. 357.

tior, quàm Æthiopes, apud quos vtramque pæne Chriſtianiſmi paginam faciunt ritus ac cærimoniæ; fidei verò, Theologiæque ipſius cognitio admodum tenuis & exigua eſt. Quod verò à nonnullis obiicitur Æthiopes ab Orthodoxorum Chriſtianorum communione ſeceſſiſſe, & Dioſcoro Alexandrino contra Synodum Chalcedonenſem adhæſiſſe, in eoque ſchiſmate ad noſtra tempora permanſiſſe; id inquam nullam contra noſtrum hoc *argumentum vim habet. Dioſcori enim & Eutychianorum cauſſa nihil* cum vnctionis ſacramento commune habuit; iiſque temporibus exorta eſt, ante quæ aduerſariis vnctionem ſuam iampridem in communi omnium Chriſtianorum vſu fuiſſe volunt. Quod ſi ita eſt, non effecit profectò illa Dioſcori communio, quo minus Æthiopes vnctionem extremam poſt illam exortam Eccleſiæ ſciſſionem perinde, vt antea, obſeruauerint, atque retinuerint. Atqui nulla nunc apud eos extrema vnctio eſt; Ergo ne tunc quidem vlla fuit, cum ante ſchiſma Dioſcori in Eccleſiæ Catholicæ communione viuebant, fuiſſet autem haud dubie, ſi ea, quod volunt aduerſarij, inter ſacros, ſolenneſque omnium Chriſtianorum ritus, iam ante Dioſcorum, qui anno D. 451. damnatus eſt, locum habuiſſet. Idem ex eo confirmatur, quod Armeniorum eadem fuit olim, quæ nunc etiam eſt Æthiopum ſententia. Illos enim, quod habet Sotus in quartum, Guido Carmelita refert, *in hac hæreſi fuiſſe* (ſic iſti loquuntur) *vt ſacramenta confirmationis & extremæ vnctionis reſpuerent.* Ex his ergo concludendum eſt totum hoc myſterium à Latinis non ante, ſed poſt quintum ſæculum inuentum, ac non pro neceſſario religionis ſacramento venditatum fuiſſe. Sed & apud Indiæ Orientalis Chriſtianos, qui vulgo *Sancti Thomæ dicuntur quod ab* illo Apoſtolo feratur eorum religio eſſe propagata, æque ac apud Æthiopas & Armenios, ignotã fuiſſe extremam Latinorum vnctionem ſatis conſtat. Iarricus Ieſuita diſerte negat *vllam iis fuiſſe extremæ vnctionis notitiam*; neque hanc, neque confirmationem ex Chriſmate ſciuiſſe ſignificat dum alibi ſcribit nullum in tota iſtorum diœceſi Sancti olei vſum fuiſſe, quo Latini & ſacramenta quædam conficiunt, & Eccleſias atque altaria conſecrant.

Soto in 4. ſen. d. 7. art. 1.

Iarric. in Indic. t. 6. c. 12. p. 634.

Capvt VI.

Obſeruentur tria quædam ad hanc diſputationem pertinentia. Quorum I. *ac præcipuum eſt apud veteres diu manſiſſe miraculoſam infirmorum vnctionem: quod luculentis exemplis ex prioribus 7. ſæculis petitis confirmatur. Ab ea ortam eſſe extremam vnctionem.* II. *fuiſſe apud veteres & aliam vnctionem ab extrema alienam eorum, qui ab hæreticis baptizati.* III. *eſſe & alias nouem ab hac itidem diuerſas.*

id ibid. c. 10. p. 604.

SEd aduerſarij contra pertinaciter de more pugnant, contenduntque perpetuum apud Chriſtianos fuiſſe iam inde à primis Apoſtolorum temporibus ſuum illum morientes inungendi ritum, quod ſane defendere eos neceſſe eſt, ſi ſuam illam ſententiam à Tridentinis anathemate ſancitam tenere velint; vnctionem hanc ſcilicet *vere, proprieque ſacramentum eſſe noui Teſtamenti à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & fidelibus ab Apoſtolis commendatum, ac promulgatum.* Iam ergo videamus, quibus illi argumentis rem tantam, contra clariſſimam eorum, quæ nos nuper attulimus, Lucem conficere ſtudeant. Vt autem planior ac facilior ſit noſtra cum illis diſputatio, eaque commodè ac expedite ſoluantur, quibus ipſi veritatem à nobis demonſtratam vel obruere, vel certe obſcurare ſtudent, imprimis animo percipiendus, ac tenendus eſt controuerſiæ præſentis ſtatus. Agitur nimirum, non de quorumuis, ſed de eorum tantum fidelium vnctione, qui morbo lethali, certe deſperato, laborantes in vltimô mortis diſcrimine verſantur, neque de vnctione ſimpliciter, ſed de huiuſmodi vnctione, quæ ſacramentum ſit, adeoque non ad corporis commodum, ſed ad animi proprie ſalutem, ac ſpirituale leuamen & præſidium, inſtituitur, atque adminiſtratur. Niſi hanc ipſam, Non autem aliam deſperate ægrotantium vnctionem apud veteres vſitatam, ac ſolennem in religione fuiſſe probauerint, nihil effecerint. De hac enim nobis, non de aliâ vllâ, cûm iſtis controuerſia eſt. Nam Marci quidem & Iacobi vnctionem, quæ nimirum, vt ſupra docuimus, ægrotis ex miraculoſo curationum dono ſanitatem reſtituebat, apud vetuſtiſſimos Chriſtianos in vſu fuiſſe, riteque ac legitime ab iis vſurpatam eſſe confitemur. Cum enim, vt ex Marco, & Iacobo clarum eſt, & Apoſtoli, & qui eodem chariſmate pollebant preſbyteri, ægrotos, quos ſanaturi erant, vt plurimum oleo inungerent, profecto nulla

Seſſ. 14. c. 1. de extr. vnct. & Can. 1.

inuidia

inuidia fuit, eos qui ſecutis temporibus ſimili facultate à Domino donati erant, ſimiliter quoque oleum in ea exercendâ adhibere, neque ſiquis nunc eſſet eodem Chariſmate præditus, intercederemus, quo minus iſti oleo quoque, perinde ac Apoſtolis, Apoſtoliciſque preſbyteris, in re eadem vti liceret. Iam verò iſtud *ſanationum* donum, aliaque miraculorum Chariſmata diu in veteri Eccleſia, etiam poſt extinctos Apoſtolos viguiſſe, conſtat. Nam & Iuſtinus, qui ſecundô ſæculo iam adultô floruit, *Chriſti nomine virtutes etiam tum factas*, τὰς ἀπὸ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ καὶ νῦν γινομένας δυνάμεις memorat, & Irenæus, qui ſecundo ſæculo exeunte vixit, diſerte teſtatur etiam mortuos à multis è fratribus ſuſcitatos fuiſſe, ſæpeque ad preces & ieiunia vnius alicuius Eccleſiæ mortui ſpiritum in corpus rediiſſe, Quin & in vlteriora etiam tempora exporrectum fuiſſe, illud ſanationum donum ex dicendis liquebit. Ad eas autem ſanationes ex Apoſtolico more, & Iacobæâ exhortatione adhibitum fuiſſe à veteribus Chriſtianis, oleum, non eſt obſcurius. Diſerte id commemorat Tertullianus, qui ſub initia tertij ſæculi vixit, aitque primùm in genere *præter vulgares, multos quoque honeſtos viros* Chriſtianorum beneficio, *aut à dæmoniis, aut valetudinibus remediatos eſſe*, mox Proculum Euhoidæ, vel (vt eruditi melius legunt) Euodi procuratorem, Chriſtianum hominem, *per oleum* Seuerum Antonini patrem, vel certe Euodum ipſum aliquando curaſſe. *Ipſe etiam Seuerus* (inquit) *pater Antonini, Chriſtianorum memor fuit. Nam & Proculum Chriſtianum, qui Torpacion* (vel potius Torpæion, vt acute coniicit eruditiſſimus Bochardus noſter) *cognominabatur, Euodi procuratorem, qui eum per oleum aliquando curauerat, requiſiuit, & in palatio ſuo habuit vſque ad mortem eius.* Eodem ſæculo ſed adulto, Eugenia virgo (quæ a. D. 262. martyrium feciſſe traditur) Melanthiam matronam Alexandrinam, quartanâ grauiſſime iam per annum, & eo amplius vexatam, *oleo perunxit, & ſanauit.* Sic Epictetus, qui a. D. 290. paſſus creditur, puellam paralyticam *oleo ſanctificato inunctam ſanauit.* Quin & ſequentibus ſæculis manſit idem in Eccleſia donum, idemque ex eô olei vſus. De Hilarione Monacho, qui ad a. D. 372. perueniſſe putatur, hæc ſcribit Hieronymus, *Ecce autem* (inquit) *ſitiens arenoſaque regio, poſtquam pluuiis irrigata eſt, tantam ſerpentum, & venenatorum animalium ex improuiſo ebulliuit multitudinem, vt percuſſi innumerabiles, niſi ad Hilarionem concurriſſent, ſtatim interirent. Benedicto itaque oleo vniuerſi agricolæ, atque paſtores tangentes vulnera, certatim ſalutem reſumebant.* Sed & eundem Hilarionem refert, *Conſtantiæ cuiuſdam ſanctæ fœminæ generum & filiam vnctione olei de morte liberaſſe.* Quin & Aphraates quidam, quod multo magis mireris, perhibetur etiam Imperatoris (& quidem

Iuſtin. dial. cum Tryph. p. 196. l. 47.

Iren. l. 2. c. 56. locus habetur etiam Euſeb. l. 5. c. 7. hiſt.

l. ad Scapul. c. 4.

l. 2. de colon. Phœnic. c. 16. extr. p. 854.

Vit. Patr. Roſucid. l. 1. p. 343.

l. 1. in Epiſt. c. 2.

In vita Hilar. c. 27.

Ibid. c. 38.

Vit. Patr. L. 9. p. 811. 6. hæretici, Valentis ſcilicet a. D. 378. mortui, equum morbô, quo laborabat, grauiſſimo, ventre ſacro oleo perunctо, liberaſſe. Martinus Turonenſis Epiſcopus, quem ad a. D. 397. perueniſſe conſtat, oleo quoque ægrotos, Sulpitio auctore ac teſte, curabat, vt Treuirenſem illam puellam dirâ paralyſi perculſam; *Primum* (inquit Sulpitius) *quæ erant illius familiaria in iſtiuſmodi rebus arma, ſolo proſtratus orauit. Deinde ægram intuens, dari ſibi oleum poſtulat; quod cum benedixiſſet, in os puellæ vim ſancti liquoris, infudit, ſtatimque vox reddita eſt. Tunc paulatim ſingula contactu eius coeperunt membra viuiſcere, donec firmatis greſſibus populô teſte, ſurrexit.* Atque in his vides Martinum, plane ex Iacobi præceptô, & oraſſe magna cum fide, & oleum infirmæ puellæ adhibuiſſe. Similia de Macariis, Iſidoro, Heraclide & Pombo, Antonij diſcipulis, tradit Ruffinus; *Delatus eſt* (inquit) *ad eos homo olim membris omnibus, & præcipue pedibus aridus,* Sed *cum ab iis in nomine Domini oleo fuiſſet perunctus, ſtatim confirmata ſunt plantæ eius.* Sozomenus [a] eadem de iis refert. Et in vitis Patrum [b] ſcriptum habetur Macarium Ægyptium *precibus & oleo* virginem quandam curaſſe, quæ magicis artibus in equam commutata vel erat, vel certè videbatur, & aliam puellam oleo itidem *benedicto* ſanaſſe; Macarium quoque alterum, virginem quamdam Theſſalonicenſem paralyſi iamdudum laborantem *ſanam in ſuam ciuitatem remiſiſſe, cum eam viginti diebus oleo ſancto ſuis manibus vnxiſſet, & oraſſet,* & in curando puerô arreptitiô *oleum* itidem *ſanctum* adhibuiſſe. In eodem opere legimus Amun quendam Monachum oratione & olei vnctione neſcio quem mentis emotæ puerum in priſtinam valetudinem reſtituiſſe. Palladius vero in Hiſtoria Lauſiaca de Beniamin Nitrienſi Monacho, *Dignatus* (inquit) *fuit gratia curationum, adeo vt cuicunque manus impoſuiſſet, aut quod benedixerat oleum, dediſſet, qui laborabat, liberaretur ab omni ægritudine.* In eodem opere Ioannes Lycopolites (is ſub finem 4[i]. ſæculi ſub Theodoſio M. floruit) cùm cuidam fratri *vehementer febricitanti tradidiſſet oleum, iuſſit eum inungi. Cum is autem ſe inunxiſſet, quicquid intus habebat per os emiſit, & à febre omnino liberatus proprijs pedibus receſſit ad hoſpitium.* Idem Ioannes mulierem quandam, Senatorij viri vxorem, pupillis oculorum albugine obductis laborantem, miſſô oleô, quô illa tres dies oculos inuncta eſt, ſanauit. Hunc ait Palladius non peregiſſe quidem apertè curationes, *dediſſe* verò *oleum,* & ita *multos* curauiſſe. Sed & quintô ſæculô perſeueraſſe eundem olei ad curationes miraculoſas vſum, ex Patribus liquet. Auguſtinus enim qui ad a. D. 430. vixit, alicubi refert Hipponenſem quandam virginem, *cum ſe oleo perunxiſſet, cui pro illa orans presbyter inſtillauerat lacrymas ſuas, mox à dæmonio fuiſſe ſanatam.* Tum in Suriana

Margin notes: Vita Mart. c. 15. — l. 2. Hiſt. c. 4. — a l. 6. c. 10. — b l. 2. p. 482. — Ibid. l. 8. p. 714. b. — Ibid. p. 752. b. — c. 18. — Ibid c. 43. — Ibid. — L. 22. de ciu. Dei. c. 8.

Suriana farragine legimus Genouefam (quæ a. D. 440. floruiſſe dicitur) ſacro oleo dæmonem ex cuiuſdam corpore eieciſſe, & puerum nomine Meroueum cæcum, ſurdum & claudum benedicto oleo ab eadem vnctum, & cruce ſignatum integram adeptum eſſe ſanitatem. Ita ſexto ſæculo, Germanus Pariſienſem Epiſcopum ſcribit Fortunatus mulierem quandam Fauoniam nomine, ſacro perunxiſſe oleo, ſanitatique reſtituiſſe, eodemque modo alium quendam à lupo rabido laceratum ſanauiſſe. Sic Eligium Nouiomenſem eodem ſæculo manum cuiuſdam medici aridam *oleo allato perunxiſſe*, atque ita ſolidam ſanamque effeciſſe narrat in eius vita Audoënus Rotomagenſium Præſul. Huc pertinet, quod Gregorius Turonenſis de Hoſpitij Nicenſis reclauſi miraculis narrat, quæ (vt putat Baronius) a. D. 575. facta ſunt, *ſenſiſſe nimirum aliquando virum beatum per ſpiritum Domini adeſſe virtutem* (quod obiter notandum eſt ad id firmandum, quod ſuprà diximus, fideles ſanationum dono præditos, eo non temere, neque pro priuato arbitrio vti, ſed ex ſpiritus, quô reguntur, nutu) iuſſiſſeque infirmum, de quo audiebat, *ſibi repræſentari. Qui cum veniſſet, ille* (inquit Gregorius) *aſſumpto oleo benedictione ſanctificatô, tenens manu ſiniſtra linguam eius ori, verticique capitis infudit, dicens, In nomine Domini mei Ieſu Chriſti aperiantur aures tuæ reſeretque os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine ſurdo, & muto noxium eiecit dæmonium. Et hæc dicens interrogat nomen. Ille vero* (qui hactenus mutus & ſurdus fuerat) *clara voce ait, Pir dicor.* Mox alium quemdam nomine *Dominicum* à natiuitate cęcum eodem modo memorat ſanatum, *oleo benedicto* (inquit Gregorius) *ſuper oculos eius crucem* ſanctam faciens Hoſpitius ait, *In nomine Ieſu Chriſti redemptoris noſtri aperiantur oculi tui. Et ſtatim aperti ſunt oculi eius.* Sic etiam mulier quędam energumena, cum eam ille *tactu ſacro benedixiſſet, atque ex oleo ſancto crucem fronti eius impoſuiſſet, eiectis dæmonibus purgata diſceſſit.* Huc etiam pertinent, quæ apud Surium [a] leguntur de Eutychio. C P. Epiſcopo, qui ad a. D. 586. peruenit. Ille enim perhibetur adoleſcentem quendam ſurdum, ac mutum in integrum reſtituiſſe, *cum omnes eius ſenſus inunxiſſet oleo ſanctificato,* idque per tres dies continuatum eſſet, cuiuſmodi eiuſdem exempla alia extant complura, quę apud Surium [b] legat qui volet. Denique (vt ſit finis) ſeptimo quoque ſæculo eundem manſiſſe olei apud Chriſtianos vſum patet ex iis, quæ Beda tradit de Cuthberto, Lindisfarnenſi Epiſcopo, a. D. 687. denato. *Dum more ſuo* (inquit) *pertranſiſſet vniuerſos docendo, deuenit in vicum quendam, in quo erant ſanctimoniales non multæ &c. quarum vna tenebatur grauiſſimo languorę depreſſa. Per integrum namque annum intolerabili capitis & totius lateris alterius dolore vexata,*

ſfunditus

Sur. Ian. p. 58.

Ibid. Maii. 28.

Ap. Sur. Dec. 1. p. 7. c. 24.

a. 575. §. 7. Greg. Hiſt. Franc. l. 6. c. 6.

a 6. April. p. 89.

b Ibid. c. 35. 36. 37. 39. 40. 41. 42. 46.

Beda in Vita Cuthb. c. 30. T. 3. p. 574.

funditus à medicis erat deſperata. Indicantibus autem de illa viro Dei, & pro ſanatione eius obſecrantibus his, qui venerant cum eo, miſeratus ille miſeram vnxit oleo benedicto; quæ ab illa mox hora meliorari incipiens, poſt dies paucos plena ſoſpitate conualuit. Atque hæc quidem hactenus.
a vbi ſupr. p. 206. b 1. l. de extr. vnct. c. 6. §. quod.
Maldonatus, [a] Bellarminus,[b] & cæteri aduerſarij concedunt iſtas veterum vnctiones ad ſuam extremam nequaquam pertinere, neque ſacramenta fuiſſe. Sed homines callidi comminiſcuntur veteres, vt aquam interdum dederunt ad ægrotos ſanandos crucis ſigno conſecratam, quod vidiſſent nonnullos per baptiſmi ſacramentum morbis curatos; ſic etiam oleo ad idem effectum dandum vti cœpiſſe, ideo quod extremâ & vere ſacramentali vnctione multos ſanatos fuiſſe animaduerterent. Sed hæc illi nulla ratione inter ſe comparant. Nam baptiſmo quidem, & aquâ eius ſacramentali plena ſunt & apud ſcripturas, & apud vetuſtiſſimos Patres omnia. Aquæ autem ad curandos morbos adhibitæ rara eſt, & infrequens mentio; Itaque probabile eſt hanc ab illa ortam eſſe. De vnctione, alia omnia. Nam extremæ illius ſacramentalis, non modo rara, ſed plane nulla eſt vel in ſcripturis, vel in vetuſtiſſimorum Chriſtianorum libris mentio; miraculoſa verò, qua morbi curantur, frequenter & in ſcripturis & in Patribus antiquiſſimis occurrit; quod, vel ex iis patet, quæ modo attulimus. Ergo non hanc ab illâ, quod volunt aduerſarij, ſed plane contra illam ab hac ortam eſſe, quod optime coniicit Chemnitius, probabile, imo verum eſt. Nam cum eam prius extitiſſe neceſſe ſit, à qua altera orta eſt; apud vetuſtiſſimos autem Chriſtianos miraculoſam quidem extitiſſe conſtet; ſacramentalem vero, ſiue extremam apud eoſdem extitiſſe. nullo argumento demonſtretur; imo non extitiſſe idoneis rationibus ſupra ſit probatum; verius eſt, vt & hæc, quæ poſterior extitit, filia cenſeatur, & illa, quæ prior, parens. Sed poſtea clarius etiam apparebit, vtra ſententia noſtra-ne, an aduerſariorum, verior ſit. Nunc ſatis eſt obſeruaſſe illam ægrotorum ad morbos curandos vſitatam apud veteres vnctionem, ipſis fatentibus aduerſariis, nequaquam ſacramentum fuiſſe, adeoque ab extremâ, quæ ſacramentum eſſe fingitur, planè alienam eſſe.

Secundo, illud quoque diligenter eſt animaduertendum. Morem apud veteres, maxime Græcos, fuiſſe, eos, qui ab hæreticis baptizati erant, ad Eccleſiâm redeuntes inungere,
Reſp. ad Orth. q. 14.
Pſeudo-Iuſtinus, τοῦ αἱρετικοῦ ἐπὶ τὴν ὀρθοδοξίαν ἐρχομένου, τὸ σφάλμα διορθοῦται, τῆς μὲν κακοδοξίας τῇ μεταθέσει τοῦ φρονήματος. τοῦ δὲ βαπτίσματος τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου. *Hæretici ad orthodoxiam tranſeuntis lapſus corrigitur, praua quidem opinionis, mutatione ſententiæ, baptiſmi autem vnguenti ſancti vnctione.*
Ep. ad Amph.
Meminit & Baſilius, quo loco ait, qui ex hæreticorum baptiſmo veniunt

niunt, χρίεσθαι, *vngi*, ſcilicet. τῷ ἁγίῳ μύρῳ, vt interpretatur Balſamo. ſp. 919. a.
Pluribus teſtimoniis in re confeſſa, nihil eſt opus. Nos vero neque de hac vnctione nunc quærimus, quæ quam ab extrema aliena ſit, nemo non videt.

Tertio denique obſeruandum eſt, quod in ipſo huius diſputationis limine prudenter monuit Eſtius, alias quoque vel olim apud in 4.d.23.§.1.
veteres fuiſſe, vel nunc apud aduerſarios eſſe vnctiones ab hac extrema, de qua controuerſia eſt, diuerſas. Primo enim olim Catechumenos oleo ſimplici benedicto à ſacerdote inunctos fuiſſe, antequam baptizarentur, & ex Dionyſio in Hierarchia, & aliis paſſim c. 2. 2.
conſtat. Tum eoſdem, poſtquam merſi ſiue tincti aqua baptiſmali erant, Chriſmate vngi ſolitos, ex eodem, & aliis veteribus clarum 3.
ac confeſſum eſt. Sed & apud ſuos Eſtius, qui confirmantur eos in fronte ab Epiſcopo inungi obſeruat, & presbyteros quoque, 4. 5.
& Epiſcopos, dum ordinantur, eodem Chriſmate illos quidem manus, hos vero & caput & manus perfundi, Principes item ſæculares 6.
in humerô, vel brachio, ſed ſimplici oleô vngi. Denique & in 7.
altaris, templi, ac calicis conſecratione vnctionem quoque adhiberi, quæ omnia ex Innocentio III. principe iſtorum myſtagogo firmat. Extrauag. de ſacr. vnct. c. vnico.
Mortuos verò, quod & idem Eſtius notat, olim vnctos fuiſſe nuper ex Dionyſio didicimus. Sed & energumenos oleo curari ſolitos & complura de allatis paulò ante veterum exemplis docent, & Beda diſerte tradit, & ipſe quoque Eſtius hic obſeruat, eumque morem ad citeriora tempora diu manſiſſe, nos infra ſuo loco demonſtrabimus. Has omnes, quæ nouem ſunt, vnctionis ſpecies ab extremâ, quæ propriè *exeuntium ſacramentum* eſt, alienas eſſe & patet, & confitetur Eſtius. Et (ſi ſecundam, ac tertiam exceperis) cæteras omnes & Eſtius, & alij omnes aduerſarij concedunt non eſſe ſacramenta, ſed vel *ſacramentalia* quædam vel nudas ceremonias. Meminerit ergo lector nobis, neque de illa vnctione, quam apud veteres ab iis, qui ſanationum donô præditi erant, ægrotis datam fuiſſe nuper oſtendimus ad corpus miraculo curandum, neque de eâ, qua homines ab hæreticis baptizati vngebantur apud Eccleſiam, neque de nouem iſtis ex Eſtiô commemoratis vnctionibus, ſed de exeuntium, ſiue morientium vnctione hanc inſtitutam eſſe diſputationem, quam aduerſarij ſcilicet apud veteres vſitatam, ac ſolennem, proque vero ac proprio dictô ſacramentô habitam fuiſſe affirmant, Nos negamus,

Cap. VII.

Soluuntur quæ ab aduerſarijs pro extremâ vnctione ex veteribus afferuntur. I. *de benedictione olei ex Clemente & Baſilio* II. *ex Dionyſio Pſeudareopagita* III. *ex Origene.*

Ex his ita præſtructis facile eſt omnes iſtorum obiectiones diſſoluere. Ac primò quidem hinc liquet nihil pro hac eorum cauſsâ ex iis veterum locis concludi, in quibus dicitur oleum ab illis benedictum fuiſſe, qualia illa ſunt, quæ Bellarminus ex Clemente, & Baſilio, & Beda attulit, vel indicauit potius. Cum enim multiplex apud veteres fuerit olei in ſacris vſus, verbi gratia ad inungendos in ipſo baptiſmo vel baptizandos vel baptizatos, itèm ad eos, qui ægrotabant, ex miraculoſo ſanationum dono curandos, denique, ad mortuos ad ſepulturam præparandos, clarum eſt non eo, quod illi oleum benedixerint, vel benedictum aſſeruarint, fieri, vt id morituris veluti ſacramentum, ad delendas peccatorum reliquias, quæ aduerſariorum eſt ſententia, adhibuerint.

Vbi ſupr. c. 6. §. Reſpondes. Clem. l. 8. Conſt. c. 29. al. 25. Baſil de Sp. ſ. c. 27. Bed in Iac. 5.

Secundò. Inde etiam liquet, quàm ſit ἀπροσδιόνυσος ille Pſeudo Dionyſij locus, quem à Croquetio huc per ſummam impudentiam detortum fuiſſe ſupra diximus. Agit enim ille locus, vt oſtendimus, non de exeuntium ſive morientium vnctione, ſed de oleo quo iam mortuorum fidelium cadauera perfundi vult Athenienſis iſte hierophantes, qui ritus adeò ſacramentum nullum eſt, vt etiam apud ipſos aduerſarios nullo in vſu ſit. Imò ipſi, quod ſupra obſeruauimus, eum græcis, velut rem abſurdam, & ratione carentem exprobrant, quærentes *cur iſti mortuos ſuos oleo vngant?*

Hier. Ecc. c. 7.

Vbi ſupr.

Nunc ad cætera veniamus quæ aliqua cum ſpecie obiiciuntur. Ex primô quidem, ſecundoque Chriſtianiſmi ſæculo, & tertij initiis, nihil plane afferunt, quod vel vnum, vt initiô diximus, magnum argumentum eſt plane ignotum primis illis Chriſtianis fuiſſe totum hoc alipticum ſacramentum, cuius, ſi quô in vſu tum fuiſſet, non eſt credibile non aliquem eorum ſcriptorum qui multi illorum temporum ſuperſunt, facturum fuiſſe mentionem. Omnium igitur, quos teſtes in hac cauſſa inducunt, primus, ac vetuſtiſſimus eſt Origenes, quem anno D. 230. & ſequentibus floruiſſe tradunt. Ex eius opere in Leuiticum, (quod tamen ipſum Latine tantum extat, & quidem vt apparet ita multipliciter interpolatum, vt id qui

nobis

nobis nunc obiicit Bellarminus, alibi neget *magna eſſe authoritatis*) ex eo inquam opere aduerſarij locum quendam afferunt, in quô is auctor de remiſſione peccatorum ſub nouo teſtamento ita philoſophatur, vt dicat ſeptem nunc eſſe eius conſequendæ rationes; nimirum per baptiſmum, per martyrium, per eleemoſynam, per remiſſa peccata fratribus, per conuerſionem peccatorum, per abundantiam caritatis, ac denique per pœnitentiam; de qua vltima remiſſionis ratione hæc habet; *eſt adhuc* (inquit) *ſeptima, licet dura, & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lauat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panis die ac nocte; & cum non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundum eum, qui ait,* Dixi pronuntiabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. *In quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit; Siquis autem infirmatur, vocet presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus* &c. Hunc locum citant Bellarminus, [a] & Eſtius. [b] Sed vellem, vt iſti explicaſſent, quanam ratione inde colligant ſuum illud *exeuntium ſacramentum*, quam ego fateor percipere me non poſſe. Primo enim, quod vere eſt à Camerio noſtro obſeruatum, Origenes hîc de pœnitentia loquitur, *per quam* ait *peccata remitti*, cum peccator admiſſa cum dolore, ac lacrymis apud Dei miniſtrum confitetur, medicinam quærens; eo impleri affirmans, quod eſt apud Iacobum. Atqui extrema iſtorum vnctio pœnitentiæ pars nulla eſt; Et hanc & illam ſuum ſeorſim per ſe vnamquamque ſacramentum conſtituere volunt. Quin & Bellarminus vtriuſque rationes ita diſpeſcit, vt vnctionem eorum tantum eſſe dicat, *qui non poſſunt iam facere opera pœnitentiæ*, morbo ſcilicet præpediti. *Idcirco* (inquit) *hoc intereſt inter hæc duo ſacramenta, quod in ſacramento pœnitentiæ requiritur confeſſio, & ſatisfactio, & proinde opera laborioſa ex parte ſuſcipientis ſacramentum, vnde ibi eſt iuſtitia, & miſericordia. In hoc autem ſacramento* (vnctionis ſcilicet extremæ) *eſt ſola Dei miſericordia, & ideo dicitur,* Indulgeat tibi Deus. Ad hæc Origenis locum expendamus. Apud Origenem qui vngitur, poteſt facere, imò etiam facit opera pœnitentiæ, in ſacramento aduerſariorum, is vngitur qui ea non modo non facit, ſed ne facere quidem poteſt. Apud Origenem qui vngitur, *peccata confitetur Domini ſacerdoti, lauat ſtratum ſuum lacrymis, in duris ac laborioſis ſe exercet*: In aduerſariorum vnctione, neque Confeſſio eſt, neque ſatisfactio, neque opera vlla laborioſa. Itaque illic quidem peccata etiam ex iuſtitia, hic vero ex ſola miſericordia, ſi Bellarminum audimus, remittuntur. Deinde apud Origenem nulla corporalis infirmitatis mentio fit, nedum vt deſperati morbi. Tantum de peccatore loquitur, & eo quidem pœnitente. Ergo

de verb. Dñi 4. c. 11.

Orig. hom. ib. 2. in leuitic.

a Vbi ſupr.
b Vbi ſupr.

Panſtr. T. 4. l. 4. c. 21. §. 11.

Vbi ſupr. c. 7. §. Tertio nota.

Origenica & peccatorum remiſſio, & vnctio ab ea & remiſſione & vnctione, quam aduerſarij exeuntibus adminiſtrant, planè, penituſque diuerſa eſt. Quod ſi Origenis verba eo quo iſti velle videntur, ſenſu ſumantur, ſignificabunt pœnitentes olim apud ſacerdotem peccata confeſſos, vnctos oleo fuiſſe ad hoc vt peccatorum remiſſionem conſequerentur, quod apud aduerſarios nouum quidem inuſitatum & inauditum eſt, fortaſſe non ita apud veteres. Certe nuper & ex Pſeudo-iuſtinô, & ex Baſilio didicimus, qui apud hæreticos baptizati fuerant, eos olim ad Eccleſiam tranſeuntes inungi ſolitos, vt ita ſolueretur hæretici baptiſmatis vitium. Quid, ſi ad hoc exemplum Origenes ipſos quoque pœnitentes oleo inungi intelligit? Profecto non magis ab hæreſi tranſeuntibus, quam pœnitentibus, conuenit vnctio, neque eam (quod liquet) Iacobus illis potiùs, quam his commendat. Neutris enim adhiberi præcipit, ſed ſolis infirmis, ſiue ægrotantibus. Huc accedit penèſimilis Chryſoſtomi locus, in quo de pœnitentibus quoque verba faciens Iacobi dictum pariter horſum trahit, vt mox audiemus. Quod ſi hæc Origenici teſtimonij admittitur interpretatio, clarum eſt id ad extremam vnctionem nihil omnino pertinere. Sed nihil fortaſſe neceſſe eſt eô confugere. Fieri enim poteſt, vt eam peccatorum remiſſionem hic intellexerit, quæ pœnitenti à miniſtro ex clauium poteſtate, poſt peractam pœnitentiam ſimpliciter dabatur, ſine vllâ vllius olei materialis vnctione. Certe Chryſoſtomus, & Beda Iacobi locum eò manifeſte referunt, vt mox audiemus. Quid ſi Origenes illud, quod ait Iacobus, *infirmatur quis in vobis*, vt erat allegoriarum amans, de *infirmitate* non corporis, ſed animi intellexit, id, de *peccato*, ſimiliterque *oleum* de ſpirituali pœnitentiæ medicina, *ſanationem* de peccatorum remiſſione interpretatus eſt? Beda quidem, qui ſua à veteribus plæraque habet, hæc Iacobi verba enarrans, *Infirmatur quis in vobis*, vtrumque ſenſum admittit, id eſt & litteralem & hunc myſticum. *Dat* (inquit) *conſilium infirmanti qualiter ſe à murmurationis ſtultitia tueatur, iuxtaque modum vulneris, modum ponit & medelæ &c. infirmanti vel corpore, vel mente mandans, vt qui maiorem ſuſtinuit plagam plurimorum ſe adiutorio, & hoc ſeniorum curare ſe meminerit, neque ad iuniores, minuſque doctos cauſſam ſuæ imbecillitatis referat, ne forte quid per eos allocutionis, aut conſilij nocentis accipiat. Hæc ille.* Apoſtolus fidelem, qui ægrotat, vult preſbyteros Eccleſiæ accerſere, & oleo ab iis inungi, promittens fore, vt *oratio fidei* eum ſanet. Hoc ergo Origenes allegoriis more ſuô indulgens, ad peccatorem transfert, morbo & ipſum, ſed ſpirituali & myſtico laborantem, vt is quoque, perinde, vt qui corpore infirmus eſt, preſbyterorum opera ad animum releuandum vtatur, medicinam ab

L. 3 de Sacerd. c. 6.

in Iac. c. 5. Bed. p. 693.

iis expoſcat, hoc eſt pœnitentiam quæ vice olei ſit; ita admiſſorum veniam conſecuturum. Hinc patet, quid hæc verba ſibi velint; *In quo impletur & illud Apoſtoli, ſi* quis autem infirmatur, &c. Nimirum vnctio infirmi à Iacobo præcepta, ex iſtô eſt typus, ac figura quædam ſolatij, quod peccator à Dei miniſtro per pœnitentiam conſequitur. Vt illic corpore infirmus presbyteros accerſit, ita hîc peccator eoſdem adit. Illîc infirmus oleo vngitur. Hic peccator lacrymis perfunditur, cæteriſque pœnitentiæ velut vnguentis, linitur. Illic infirmus ſanatur, hic peccator quoque conualeſcit. Itaque in hac *impleri* ait Origenes, quæ de illo proprie, atque ad litteram dixit Iacobus. Nemo enim neſcit, quoties id reuera fit, quod fuerat typo expreſſum, toties dici ſolere *typum impleri*. Eadem quoque ratione *impleri* dicimus, quæ cum oraculis & prædictionibus adumbrata eſſent, tandem fiunt. Ex quibus conſequitur quidem Origenem putaſſe iis, qui per pœnitentiam miniſtrorum conſiliô & auctoritate ſuſceptam, peccatorum remiſſionem impetrant, aliquid eorum ſimile accidere, quæ infirmis ex miraculoſo curationum donô ſecundùm Iacobæa verba ſanatis contingant, (quod nemo negat.) Non ſequitur exiſtimaſſe morientes & in ſupremis poſitos oleo inungendos eſſe, quod aduerſarij fruſtra, vt quiuis videt, in hoc loco quærant.

Quæ vſque adeo clara ſunt, vt Eſtius ipſe diſertè, totidemque verbis ſcripſerit Origenem hoc loco *Iacobum interpretari de peccatis grauioribus, ad quæ remittenda opus ſit miniſterio clauium, & ita partem poſteriorem à priori abſtrahere, & ad aliud ſacramentum referre, videlicet abſolutionis, idemque feciſſe Bedam commentariis in Iacobum.* Specta quæſo nunc Eſtij frontem. Hoc loco confitetur Origenem de ſacramento (vt vocat) *abſolutionis*, id eſt pœnitentiæ, loqui, & Iacobæi loci vltima verba à prioribus (in quibus olei mentio fiebat) diſtracta, eò referre. Idem Eſtius paulo ante eundem hunc Origenis locum inter veteres extremæ vnctionis teſtes numerauerat, *è Græcis*, inquiebat, *præter Chryſoſtomum & Origenem, quos iam audiuimus, teſtes huius ſacræ vnctionis adduci poſſunt Ioannes Damaſcenus* &c. En fidem? en verecundiam Romanam? Origenes tuę vnctionis teſtis? Atqui tu ipſe hunc virum ſcribis de pœnitentiæ, ſiue (vt mauis) abſolutionis ſacramento, intelligere, eoque Iacobi locum referre. Ergone tibi vel extrema vnctio pœnitentiæ, vel pœnitentia extremę vnctionis ſacramentum eſt? vt qui de illo intelligit Origenes de hoc quoque loquutus cenſeatur? Atqui duo illa apud vos diſparata, diuerſaque ſunt. Ergo qui Origenis locum de pœnitentiâ intelligendum fateris, effugere non potes, quin eum te ipſo iudice, falsò & impudenter ad extremam vnctionem detorſeris.

In 4. ſent. d. 23. §. 7.

Ibid. §. 3.

Capvt VIII.

Soluitur IV. aduerſariorum argumentum, ex Pſeudo-nicenis canonibus. V. ex Chryſoſtomo.

vbi ſupr. c. 4. §. Deinde ex Conciliis.

SEd hæc de Origene ſatis. En tibi alium à Bellarmino teſtem imo alios teſtes & omni quidem exceptione maiores. Quos? Patres, inquit ille, Nicenos, qui *aperte mentionem faciunt olei infirmorum, idque à Chriſmate, & oleo catechumenorum diſtinguunt.* Vbi? inquam. *Canone* (inquit) *ſexageſimo nono.* Atqui vel ipſe ille titu lus te fraudis, mendaciique reuincit. Nam Can 69. Synodi Nicænæ, monſtrum eſt in omni retro, Eccleſiâ Græca, Latinaque inauditum; quæ illius Concilij Canones viginti conſtantiſſime ſemper numerauit, neque plures ab vllo Græco, Latinoue ſcriptore per mille & ducentos omnes ab habita illa Synodo elapſos, vel citati, vel memorati ſunt, ſi vnum excipias, nequiſſimum illum Decretalium primis vrbis Epiſcopis affictarum, conſarcinatorem, Iſidorum Mercatorem, qui Iulium, Athanaſium, Fœlicem vtrumque alios Nicænæ Synodi quam hos 20. Canones memorantes pro confiteta impudentia facit. Sed id commentum Hincmarus paulo poſt Mercatoris tempora iampridem repudiauit, multiſque rationibus egregie confutauit. Vide codicem Eccleſiæ vniuerſalis, tum Græcum tum Latinum à Dionyſio Exiguo initio ſexti ſæculi conuerſum, vide Zonaram, Balſamonem, & his multo antiquiorem Photium cæteroſque Canoniſtas vel Græcos, vel etiam Latinos. Mentiar, ſi vel vno plures, quam viginti Canones huius Synodi reperias. Vnde ergo habes monſtroſum illum, & hactenus inauditum Canonem Nicænum 69? Habeo (inquit) ex Arabico. Neſciuit ſcilicet Græca Latinaque Eccleſia, quot eſſent à Nicænis Patribus conditi Canones, Hoc vna nouit impoſturarum parens, Arabia, quę fortaſſe hoc à Mahumedis columba didicerat. Sed quis tamen nouam hanc mercem ex fœlice illa Arabia in Latium aduexit? Turrianus, inquit. Quis iſte? Grauiſſimus nimirum ac ſanctiſſimus Ieſu Socius. Noui hominem, dignum certe, qui merces illas Arabicas extruderet. Caue enim credas vllum eſſe mortalem, fabularum ac quiſquiliarum cupidiorem, quam iſte fuit Turrianus, qui etiam decretales primorum Romæ Epiſcoporum, quo opere nullum vnquam aliud fuit vel inſulſius, vel putidius, vel maiori conſenſu ab omnibus eruditis exſibilatum, laudare tamen & genuinas aſſerere per immanem impudentiam auſus eſt. Hic vnus vir eſt, qui hactenus ignotum orbi Chriſtiano

c. 11. Operis 55. capitum. & Ibid c 24. T. 2. Hincmar. p. 477.

Chriſtiano Canonum Nicænorum 80. (totidem enim numerat) theſaurum ex Arabiæ deſertis, eruit. Quis fabulam tanto auctore commendatam non ſuſpiciat? Abi ergo Bellarmine, cum tuo Canone non quidem Nicæno, ſed Turrianico, Aliis, ſi nobis ſacramentum vnctionis tuæ probare vis, & teſtibus & auctoribus opus eſt, certis, claris minime ſuſpectis. Iſti ne Baronius quidem tametſi alioqui ſatis auidus fabularum admirator, fidem habuit. Quin & ipſe 69, vt vis, Canon totus inauditis deliriis ſcatet, quæ neque tu, neque tui probatis. Vult enim eos *qui morticinam comederunt aqua benedicta emundari*, & qui cum infideli muliere fornicati ſunt, *aqua & oleo benedictis à ſacerdote aſpergi*, atque ita per pœnitentiam mundari. Iſta vero liquido apocrypha ſunt, & ab omni Eccleſiæ veteris diſciplina aliena. Quamquam ne hic quidem quantumuis inſulſus, ac delirus Canon, extremæ vnctionis meminit. Tantum *oleum* infirmorum memorat, quod poſteriorum ſæculorum fuit, idque à tuo alienum. Hoc ergo miſſo; pergamus. Ann. T. 3. ad ann. 325. §. 62. 63.

Aduerſarij deinde hunc Chryſoſtomi, qui anno quinti ſæculi ſeptimo denatus eſt, locum omnes vel afferunt, vel indicant, in quo de ſacerdotibus loquens οὗτοι (inquit) καὶ κάμνουσαν, καὶ ἀπόλλυσθαι μέλλουσαν τὴν ψυχὴν πολλάκις ἔσωσαν, τοῖς μὲν πρᾳοτέραν τὴν κόλασιν ἐργασάμενοι. τοὺς δὲ οὐδὲ παρὰ τὴν ἀρχὴν ἀφέντες ἐμπεσεῖν οὐ τῷ διδάσκειν μόνον καὶ νουθετεῖν, ἀλλὰ καὶ τῷ δι' εὐχῶν βοηθεῖν. οὐ γὰρ ὅταν ἡμᾶς ἀναγεννῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχουσιν ἐξουσίαν ἁμαρτήματα. ἀσθενεῖ γάρ τις (φησὶν) ἐν ὑμῖν. &c. *Hi laborantem, ac perituram animam ſæpe ſeruarunt, aliis remiſſiorem pœnam reddentes, alios iam ab ipſo principio cadere non ſinentes: non doctrina ſolum atque commonitionis, ſed etiam precum præſidio. Neque enim ſolum cum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonendarum nobis peccatorum poteſtatem habent.* Infirmatur (inquit) inter vos aliquis Accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini; & obſecratio fidei ſaluum reddet laborantem & eriget eum Dominus; & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Hæc Chryſtomus; ex quibus mirum eſt, qua ratione iſti ſuum oleum extundant. Neque enim ille vel vngendos morientes Chriſtianos ait, neque eam vnctionem ſacramentum eſſe dicit, neque denique vel de ægroto loquitur. Tantum parentes cum ſacerdotibus comparans ait hos, ſuorum animas laborantes ac in exitium ruentes ſæpe ſeruaſſe; vel etiam effeciſſe ne in exitium inciderent; cum parentes, quam filiis dederunt corporis vitam vel à morte, vel à morbis eripere nequeant. Prius autem illud ſacerdotes efficere; non modo baptiſmi ſacramento, quo homines regenerant, ſed etiam poſtea cum regeneratos tum doctrina & admonitionibus, tum etiam precibus ſuis in via ſalutis tueantur, ac confirmant quod allato illo Iacobi l. 3. de ſacerd. c. 6. T. A. p. 31. a.

cobi loco vel probat, vel illuſtrat, in quo ſcilicet habetur fuſam à ſacerdote cum fide orationem eam vim habere, vt ſi peccauerit is, in cuius gratiam funditur, ei peccata remittantur. Hæc vna loci Iacobæi pars ad Chryſoſtomi concilium facit. Quæ in eo de morbo hominis Chriſtiani, deque oleo ei illito habentur, ad eius propoſitum minimè pertinent, ſed idcirco tantum referuntur, quod ſine iis Apoſtoli locus, quem recitat Chryſoſtomus, non conſtaret. Nam neque de morbo corporali, neque de oleo hic diſputat, ſed de ea tantum vi quam habent ſacerdotis preces, vt ex ipſis eius verbis, patet, quæ nuper repræſentauimus. Quod ſi aduerſarij hanc vim ſacerdotis preces non aliter habituras ex illo Iacobi loco confici velint, niſi cum vnctione coniungantur, rem abſurdiſſimam dicunt, & à Chryſoſtomi mente penitus alienam. Is enim primo in genere de quauis anima laborante, ac de ſalute periclitante loquitur, Non autem de infirmis tantum in articulo mortis poſitis. Tum de præſidio, quod animæ laboranti confert ſacerdos, ſiue per inſtructionem & commonefactionem, ſiue per preces, ſimpliciter in genere loquitur. Atqui conſtat ſacerdotes, peccatoribus non ſolum in ſupremis verſantibus, ſed etiam valentibus in quouis vitæ articulo auxiliari, Neque iis tantùm auxiliari, quos oleo inungunt, ſed etiam multo ſæpius iis, quos minime inungunt. Ergo fatendum eſt vel fruſtra & ridiculè allatum fuiſſe à Chryſoſtomo Iacobi locum, vel certe eam tantum loci Iacobæi partem ab eô ſpectatam eſſe, quæ ait oratione preſbyterorum effici, vt peccata hominibus remittantur, planeque eo modo hic adhibitum eſſe Iacobi locum quo eundem ab Origene in eadem quoque cauſſa vſurpatum nuper aiebat Eſtius, *parte* ſcilicet *poſteriore* à priori abſtracta & ad ſacramentum abſolutionis relata. Beda quidem (quod ipſum idem quoque Eſtius confitebatur) hæc Iacobi verba, *& ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*, ad pœnitentiam ipſe etiam, non aliter quam Origenes & Chryſoſtomus, retulit, *Multi* (inquit) *propter peccata in anima facta, infirmitate, aut etiam morte plectuntur corporis. Vnde Apoſtolus Corinthiis, qui corpus Domini percipere indigne ſoliti erant, ait*: Ideo inter vos multi & infirmi, & imbecilles ſunt, & dormiunt multi. *Si ergo infirmi in peccatis ſint, & hæc presbyteris Eccleſiæ confeſſi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare ſategerint, dimittentur eis.* Hactenus Beda. Ex quibus liquet tres iſtos Patres Origenem ſcilicet, Chryſoſtomum, & Bedam hæc vltima Iacobi verba plane à ſuperioribus ſeiunxiſſe, & ad remiſſionem peccatorum retuliſſe, quam preſbyteri confitentibus, ac pœnitentibus ægrotis adminiſtrant non oleo, ſed *poteſtate clauium*, & in *foro pœnitentiæ* (vt loquuntur.) Iam vt ad Chryſoſtomum, redeam, ſi

vnctionem,

vnctionem, de qua iſtic Iacobus, ſic vrgeas, vt cui ſacerdotis oratio prodeſt, eum oleo quoque à ſacerdote vnctum fuiſſe velis; ſequetur nulli ſacerdotis preces profuturas, niſi quem ille vnxerit, quod & liquido falſum eſt, & ab ipſis aduerſariis negatur, qui pœnitentibus ſacerdotis preces etiam ſine oleo, vtiliſſimas eſſe volunt. Neque enim apud eos, quod ſciam, in interiori *pœnitentiæ* (vt loquuntur) *foro* vnguntur peccatores, ad hoc vt remiſſionem peccatorum impetrent. Cum igitur in antecedentibus loquatur Chryſoſtomus de præſidio, quod presbyteri per preces, non autem per oleum peccatoribus conferunt, omnino neceſſe eſt hunc Iacobi locum eatenus ab illo hîc adhiberi, quatenus confirmat illam orationis ſacerdotalis efficaciam, de quâ ipſe dixerat, non autem quatenùs *oleo vngi infirmum* præcipit, de quo nihil planè in ſuperioribus habet Chryſoſtomus. Ex quibus denique patet, quàm nihil hic Chryſoſtomi locus ad alipticum aduerſariorum myſterium faciat.

Capvt IX.

Soluitur VI. aduerſariorum pro extremâ vnctione ex Innocentio petitum argumentum. Locus explicatur; & in aduerſarios retorquetur.

Sed nunc expendendus eſt Innocentij, Romani Epiſcopi, Chryſoſtomi æqualis, locus, cui iſti plurimùm confidunt, adeò vt Bellarminus ſcripſerit, *eum etiamſi ſolus extaret, ſufficere debere,* putaritque Chemnitium idcirco *hunc auctorem ne nominare quidem auſum fuiſſe*, quod clarius eſſet ſcilicet eius teſtimonium, quam vt vlla ratione ſolui poſſet. Nos ergo nunc experiamur, an invulnerabilis ſit hic iſtorum Achilles. Scio nonnullos è noſtris eoſque eruditos ac præſtantes viros hanc Innocentij ad Decentium Epiſtolam ſuſpectam habuiſſe, ac veluti fœtum ſpurium, & parenti non ſuo ſuppoſitum reieciſſe. Qui in hanc ſententiam eo adducti ſunt, quod Innocentium doctiorem ac grauiorem fuiſſe cenſuerunt, quam vt ea quę in Epiſtola continentur abſurda & à vero aliena ſcribere potuerit. Quale enim quæſo iſtud eſt, quod Epiſtolæ auctor in ipſo limine, ait *manifeſtum eſſe in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Affricam, atque Siciliam, Inſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes*: item, *nuſquam inueniri alium Apoſtolorum à Petro in his prouinciis docuiſſe.* Noſtri veriſimile non putarunt, Innocentio, viro, quod ait Bellarminus, *docto, ac ſancto, & à ſanctis Hieronymo, Auguſtino,*

Vbi ſupr. c. 4. §. Sed Innoc.

Chryſoſtomo, mirificè commendato, tam craſſum, tam impudens, tamque apertum mendacium excidere potuiſſe. Nam & diuinæ ſcripturę & ſæpiſſime, & diſertiſſime teſtantur Paulum, qui neque *à Petro*, neque ab eius ſucceſſoribus conſtitutus ſacerdos, ſed à Chriſto Ieſu ordinatus *Apoſtolus, & à Petro*, credo, *alius* fuit) & in Sicilia, & in Italia, in ipſaque vrbe *Roma docuiſſe*. Quin & in Hiſpania tum ipſum, [a] tum Iacobum [b] quoque Apoſtolum prædicaſſe vetuſtiſſima traditio eſt, & Simonem Cananæum [c] in Africa, Philippum in Gallia docuiſſe. Ac vt iſta quæ tametſi à veterum nonnullis tradita incertiora tamen eſſe confiteor, mittamus, illud quidem certum atque indubitatum eſt Lugduni & Viennæ & locis vicinis Euangelium primum prædicaſſe viros non Roma, ſed ex Aſia miſſos, earumque Eccleſiarum, quibus nullæ ſunt in Gallia antiquiores, originem inde fuiſſe, quod fatetur, & vtriuſque Eccleſiæ de ſuorum martyriis ad Aſianas potiſſimum, veluti ad ſuæ pietatis parentes gratulatio, & à Polycarpo Smyrnæ Epiſcopo in Galliam miſſa legatio. Benignum quidem & Audochium preſbyteros, *Thyrſum* Diaconum & *Fœlicem*, Audeolum item Subdiaconum à beato Polycarpo ab oriente ad docendam Galliam directos eſſe & in prouinciis ſtrenue laboraſſe, martyrioque tandem conſummatos eſſe, vel Romanum ipſum Martyrologium [d] etiam hodie loquitur. Sed & ſtultum noſtris viſum eſt, & Innocentio indignum, quod eiuſdem Epiſtolæ auctor paulo poſt affirmat, *traditionem Eccleſiæ habere iſti biduo* (ſcilicet feria ſexta & Sabbato *ſacramenta penitus non celebrari, eamque formam per ſingulas tenendam eſſe hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius* (dominicani intelligit) *ſemper eſt celebranda*. Denique incredibile noſtri cenſuerunt Innocentium illa ſcripſiſſe, quæ contra Sabbatô prandentes eadem habet Epiſtola. Illo enim tempore, Româ, & paucis Occidentis Eccleſiis exceptis, reliqui omnes Chriſtiani Sabbato prandebant; etiam Mediolanenſis apud Italiam Eccleſia; etiam Innocentij amici Chryſoſtomus, & Theophilus cum omni Conſtantinopolitana, Alexandrinaque Eccleſia, &, vt videtur, ipſe etiam Auguſtinus, cuius de hoc argumento præclara extat contra quendam vt ipſe appellat, Vrbicum, id eſt Romanum diſputatorem Epiſtola. Ergo monſtri ſimile noſtris viſum eſt, vt qui iis temporibus vixit Innocentius, qui virorum iſtorum amicitiam coluit, id ſcripſerit, quod ait Epiſtola, non modo *ſabbato ieiunandum, idque ratione euidentiſſima demonſtrari, & Sabbatum prætermittere nos non debere* (hæc enim tolerabiliora videri fortaſſe poſſunt) ſed etiam, quod ſine inſigni illorum virorum, totiuſque pæne, quæ tum fuit, Eccleſiæ contumelia dici non poteſt, *dementis eſſe bidui agere conſuetudinem, ſabbato* prætermiſſo. Si iſta vera ſunt, *demens*

a Athan. ad Drac. Theodor. in ep. ad Phil. c. 1. vid. Bar. ad a. 61 § 3, & Martyr. d. 22 Mart.
b Bar ad a. 44 §. 1.
c Doroth Syn. Menol. Græc. Nicep l 20. c. 40.
d Iſidor. de vita & obitu ſanct. Euſeb. hiſt. l. 5. c. 1. in Martyrol. Bedæ, Vſuardi, Adonis, Romano
e ad Kal. Nou. ad d 8. Kal. oct. & ad Kal. Mai. Edit. Car.
C. 4. a.

ergo

ergo fuit Chryſoſtomus; *demens* Theophilus; *demens* Auguſtinus; *dementes* Afri Patres, ad quos Innocentius honorifice ſcripſit; *demens* in Romæ vicinia Mediolanenſis antiſtes, *demens* denique penè vniuerſa, quæ tum floruit, Eccleſia, quam certo ſcimus ſabbatum prætermiſiſſe, neque eo die cum Romanis ieiunaſſe. Hæc quoſdam vt dixi de noſtris non ſine aliqua veri ſpecie eo adduxerunt, vt Epiſtolam Innocentio falſo affictam contenderent. Nos vero fateor, contra totius antiquitatis fidem, quæ eam Innocentio conſtanter tribuit, obniti non ſuſtinemus. Nam & Dionyſius exiguus circa ſexti ſæculi initia hanc ipſam Epiſtolam in collectionem ſuam retulit, & Creſconius in ſuo breuiario memorauit, & Iſidorus Hiſpalenſis laudauit, & cæteri qui Iſidori tempora conſecuti ſunt Valafridus, Nicolaus. I. Hincmarus, Synodorum Hiſpalenſis, Meldenſis, Vormatienſis, & Metenſis Patres, quorum certe plærorumque, loca infra ſuis quæque temporibus adducentur. Neque vero nos ea abſurda quæ commemorauimus deterrent quominus veteribus illis ſcriptoribus aſſentiamur, qui ſcimus Innocentium hominem fuiſſe, & humani aliquid pati potuiſſe, quod & interdum viris Innocentio longe doctoribus ac præſtantioribus contigit. Illa ergo quæ noſtris abſurda viſa ſunt, abſurda eſſe ſane confitemur, vt Innocentius abſurda quædam ſcripſerit, abſurdum vel incredibile eſſe, quod noſtri ex viri priſci reuerentia putarunt, nos negamus. Eſto ergo (vt eſt ſane) hæc vera Innocentij Epiſtola, habebunt ne, ſi hoc concedimus, aduerſarij, quo cauſſam vincant? Minimè verò. Imò ex hoc ipſo loco, in quo tam ſuauiter exultant, niſi me fallit animus, demonſtrarj poteſt Innocentij æuo, & vnctionem quæ in vſu fuit, planè aliam ab extremâ aduerſariorum vnctione fuiſſe, & eam ipſam, quæ tum in vſu fuit, nequaquam apud Chriſtianos pro ſolenni, & neceſſario in religione ſacramento habitam fuiſſe. Quod vtrumque vt explicemus, ipſa illa, quæ afferuntur verba, expendamus. Innocentius ergo Decentio, Eugubino Epiſcopo, à quo de nonnullis diſciplinæ capitibus conſultus erat, reſpondens, *ſane* (inquit) *quoniam de hoc, ſicut de cæteris, conſulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Cæleſtinus Diaconus in Epiſtola ſua, eſſe à tua dilectione poſitum illud, quod in B. Apoſtoli Iacobi Epiſtola conſcriptum eſt,* ſi infirmus aliquis in vobis eſt, vocet presbyteros, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & ſi peccata fecerit, remittet ei. *Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus vti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo. Cæterum illud ſuperfluum videmus adiectum, vt de Epiſcopo ambigatur, quod presbyteris*

l. 1. de off. c. 26.

Ep. 1. ad Dec. c. 8.

licere non dubium eſt. Nam idcirco de presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum, & benedicere & tangere Chriſmate ſine cunctatione poteſt, cuius eſt ipſum Chriſma conficere. Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi? Hæc Innocentius; definiens, vt liquet, *fideles ægrotantes ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſe*; item, *Epiſcopis licere eos & benedicere, & tangere Chriſmate*; denique *id pœnitentibus infundi non poſſe*. Hanc ergo Innocentianam vnctionem ab hodierna Romana differre, neque (quod iſti inuerecunde ſumunt) extremam eſſe, non eſt obſcurum. Primo enim id oleum, quo ægrotantes Innocentius lini vult, *Chriſma* eſt; *ſancto* (inquit) *oleo Chriſmatis perungi poſſunt*; & *tangere* (inquit) *Chriſmate ſine cunctatione poteſt*. Nimirum cum Chriſma in Eccleſiis ab Epiſcopo benedictum ſeruaretur ad inungendos pro more illius æui baptizatos, conſecrandoſque ſacerdotes, omnino veriſimile eſt aliquos, qui viderent & oleo adhibito morbos à multis miraculoſe (vt ſic dicam) curatos fuiſſe (quod ex adductis ſupra exemplis liquet) & apud Iacobum legiſſent verba illa recitata, à Decentio ægrotantes petiuiſſe, vt Chriſmate, quod in Eccleſia eſſe ſciebant, ipſi quoque inungerentur, ſi forte ea ratione, ſanari poſſent; & ex ea occaſione quæſiuiſſe Decentium, quid facto opus eſſet. Reſpondet Innocentius, *eos perungi poſſe*; quod dubium non ſit Iacobum de fidelibus ægrotantibus loqui. Ergo id, quo vngi eos poſſe ait, Chriſma ipſum erat, ſed in alium vſum adhibitum quam quo vulgo adhiberi ſolebat, nimirum ad eos Chriſmandos, qui baptizabantur. Atqui extrema aduerſariorum vnctio, non Chriſmate, ſed alio oleo peragitur. Innocentiana igitur non eſt, quæ apud iſtos in vſu eſt vnctio. Secundo id ipſum inde probatur, quod hanc iſti ſolis moribundis miniſtrent (quam ſcilicet propriè ac per ſe, non ad ſanandum ægrotum, ſed ad morientem in aliam vitam deducendum, ac tranſmittendum inſtitutam putant.) At Innocentius, de morientibus quidem, vel moribundis, nihil. In genere, ac indefinite ait, *fideles ægrotantes ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſe*. Et mox etiam clarius, ac diſertius teſtatur quibuſuis ægrotis conceſſam fuiſſe illam quam intelligit, vnctionem, dum ait *ideo de presbyteris dictum eſſe, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt*, inepte vt quiuis videt, niſi *omnes languidos* vngi potuiſſe ſtatuat. *Omnes* autem *languidos* nemo opinor, dixerit *ſolos* eſſe *moribundos*. Quin etiam apparet eam, de qua ille loquitur, non hominum in ſupremis verſan-

tium, ſed ſimpliciter cum ſpe vitæ & ſanitatis ægrotantium, vnctionem fuiſſe, Negat enim *pœnitentibus dandam*; ideo *quod iis reliqua ſacramenta negarentur*, ſtulte & abſurde ſi ea huiuſmodi fuit, quæ in ſolo mortis diſcrimine poſitis, vt nunc fit, miniſtraretur. Nemo enim neſcit pœnitentibus in eo articulo verſantibus, ne Euchariſtiam quidem per ea tempora inuidiſſe Romanos præſules; quod & ex Siricio & ex ipſo Innocentio [a] clarum eſt. Itaque neceſſe eſt iſtum eam vnctionem intelligere, quæ ægrotis quidem daretur, ſed non ad mortem, neque deſperate laborantibus; Talium enim nemini negabantur ſacramenta; quantumuis ij ex pœnitentium ordine forent, adeoque nec iſta iis vnctio neganda fuiſſet; plane contra, quam colligit Innocentius. Cum igitur certum ſit eam, quam iſte intelligit, vnctionem non deſperate ægrotantium, & in ſupremis verſantium fuiſſe; illud quoque manifeſtum eſt, aduerſariorum vnctionem, quæ non aliorum eſt, quam iſtorum, ab Innocentiana plane aliam eſſe. Denique cum hodiernam Romanorum vnctionem non alij quam vel Epiſcopo, vel presbytero ægrotis adminiſtrare liceat, Innocentius contra *ſua illa vti in ſua, aut ſuorum neceßitate inungendo* omnibis Chriſtianis concedit. Fruſtra pugnant aduerſarij non id velle Innocentium, ſed hoc duntaxat, vt vnctionem à presbyteris adminiſtratam cuiuis ſuſcipere liceat, non etiam eam vel ſibi ipſi, vel aliis adhibere. Primo frigidum, ac dilutum eſt auctoris verba ita interpretari. Ait enim, *iſto Chriſmatis oleo ab Epiſcopo confecto, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus vti Chriſtianis licere, in ſua aut ſuorum neceßitate, inungendo.* Si de vnctione paſſiue, non autem actiue ſumpta intelligit; quorſum quæſo iſta pertinebant, *non ſolis ſacerdotibus ea vti licere?* Quaſi vero quiſquam vel putet, vel putauerit olim, *ſacerdotes quidem ægrotantes oleo inungi ab aliis presbyteris fas eſſe; cæteris fidelibus* non idem ius eſſe. Hæc cogitatio in nullius vnquam ſani mentem venit; ſtupereque eum neceſſe eſt, qui id hoc ſenſu dictum frigidum, & ineptum eſſe non intelligit, planè ac ſiquis diceret *non ſolis ſacerdotibus, ſed etiam omnibus Chriſtianis baptizari aut Euchariſtiam ſumere licere,* quod quam dilutum ſit, nemo non ſentit. At ſi actiue, vt diximus, verba Innocentij accipiantur, omnia plana, ac commoda erunt, Nimirum *ſacerdotibus vnctionem infirmorum conferre primò quidem, ac primario ob muneris dignitatem conuenire, ſed* non tamen ſolis, Idem enim & omnibus aliis Chriſtianis licere. Huc accedit, quod hic ſenſus, vt Innocentij verbis, ſic & illorum, & præcedentium, ſequentiumque temporum vſui optime conuenit. Nam & antea procuratorem Euhodiæ, Seuerum vnxiſſe ex Tertulliano, & ipſo illo Innocentij æuo Hipponenſem virginem ſeipſam vnxiſſe

[a] Vid Albaſp. p. 93. Ep. 1. ad Him. c. 5. a Ep. 3. ad Exuper. c. 2.

vixiſſe ex Auguſtino didicimus; & poſtea ex Eligio, & ſermonis de tempore apud Auguſtinum ducenteſimi decimi quinti auctore intelligemus ſeptimo ſæculo morem fuiſſe, vt ægrotans fidelis *accepto* ab Eccleſia oleo benedicto, vnde ſe ipſum vngeret. Neque ſane hic ipſe locus Innocentii ante exortam iſtam recentiorum ſophiſticen, aliter acceptus fuiſſe *videtur. Valdenſis enim inde concludit, vbi deeſt ſacerdos, licitò permitti, vt hoc ſacramentum infirmo adminiſtret.* Ne ipſe quidem ex recentioribus Gregorius de Valentia ab hac ſententia diſcedit. Concedit enim hinc haberi, *licuiſſe laicis (tametſi citra ſacramenti vſum) ex reuerentia quadam & deuotione illud oleum benedictum* adhibere in morbis; eamque eſſe ait & Alphonſi à Caſtro, & Dominici à Soto ſententiam. Arcudius idem quoque ſentit; idque ait communem ferre ſententiam, vt Innocentij verba de oleo intelligantur adhibito extra ſacramentum; quo ſcilicet etiam *laici vti* poſſunt; non rite vſuri, ſi ſacramentum eſſet. Ex his ergo concluſum eſto aduerſarios fruſtra Innocentianam vnctionem in hac cauſſa vrgere, quam ab hodierna multum diuerſam eſſe clarum eſt; cum illa & ex Chriſmate fieret, & quorumuis ægrotantium eſſet, non in ſupremis verſantium, & ab ipſis denique laicis adhiberi poſſet; hæc & ex oleo ſimplici benedicto, & exeuntium tantum ſit, & à ſolis ſacerdotibus miniſtretur. Quibus & illud poſtremo accedat; quod Innocentius, ſi hanc, quam intelligit, vnctionem vere proprieque dictum ſacramentum eſſe putaſſet, non ita dilute de ea loquuturus fuiſſe videtur, ſed dicturus *fideles ſancto oleo Chriſmatis perungi debere*, non autem, quod ſimpliciter dixit, *poſſe*. Quis enim quæſo, de *baptiſmo* aut de *Eucharistia*, quæ vere proprieque ſacramenta ſunt, verba faciens, dixerit *fideles iis vti poſſe?* Non ita ſolemus loqui, niſi de rebus, quæ noſtri ſunt non officij, ſed arbitrii, ita vt iis vel vti, vel abſtinere liberum ſit: quod Nemo de veris ſacramentis dixerit. Sed inſtat Bellarminus. *Dicit* (inquit) *expreſſè, & clare hanc vnctionem eſſe ſacramentum à Iacobo explicatam.* Nimirum has Innocentij voces innuit, *iſtud Chriſma genus eſt ſacramenti*, Item, *Quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi?* Reſpondeo, primo quocumque loco, ac numero vnctionem illam ſuam habuerit Innocentius, nihil eo Bellarmino ſeri, nihil meti. Nam cum Innocentij vnctionem à Bellarminiana aliam eſſe demonſtratum ſit, Nemo non videt, ſi Innocentius illam ſacramentum eſſe dixerit, eo minime fieri, vt & hæc, quæ ab illa diuerſa eſt, ipſa quoque ſacramentum eſſe cenſenda ſit. Sed neque illud ſane verum eſt ſuam Innocentio vnctionem pro vera, proprieque dicto ſacramento fuiſſe habitum. Cur ergo (inquit)

T. 2. de ſacr. c. penult.

in Thom. T. 4. diſp. 8. 9. 2. puncto 1.

l. 5 c. 2. p. 380. in.

Ibid. c. 4. p. 390. b.

Sacramenti

Sacramenti genus eſſe ait?, cur ab ea pœnitentes ideò excludit, quod iis *reliqua ſacramenta negantur*? Nimirum, (inquam) ſacramenti vocabulum non proprie, ſtrictéque ſumit pro eius generis ſacramento, cuius eſt baptiſmus, & Euchariſtia: ſed, vt paſſim ſolent cæteri Patres, latius, ac communiùs pro quouis ſacræ rei ſigno, licet neque à Chriſto Ieſu inſtituto, neque ad gratiam ſpiritualem ex eius promiſſione efficaci. Nam ſunt veteribus dicta *Catechumenorum ſacramenta*, quæ tamen omnes pariter negant *ſacramenta* proprie fuiſſe, de quibus videat, qui volet Albaſpinei obſeruationes. l. 1. Obſ. 36. Sed ecce, ne longe abeam, Innocentius in hac ipſa Epiſtola, negat *fermentum*, id eſt interprete Binio panum benedictum, foras extra vrbem eſſe efferendum; *quia nec longè* (inquit) *portanda ſunt ſacramenta*. c. 5. Tunc hinc conficies, *fermentum*, vnum eſſe ex proprie dictis ſacramentis à Chriſto ad communicandam nobis ſalutem inſtitutis? eorumque adeo numerum nouo hoc & inaudito ſacramento auctum vltra ſeptenarium, quo ab aduerſariis ipſis concluditur, ad octonarium extendes? Non ſane. Quid ergo eſt? Nimirum Innocentius *fermentum ſacramentum appellat* (verba ſunt Binij ad hunc ipſum locum) *ideo quod ſit ſacra rei, catholicæ nimirum vnionis ſignum, ſacerdotali benedictione conſignatum*, quod ipſum iam ſupra ad vitam Melchiadis dixerat. T. 1. Concil. p. 751. col. 2. Ergo & tu (hic quoque) fruſtra colligis Innocentium vnctionem de qua loquitur, proprie dictum ſacramentum cenſuiſſe, ex eo quod Chriſma quo fit, ſacramentum dixerit. Tibi enim ego Biniana illa repono, ideo *ſacramentum* appellaſſe quod ſit *rei ſacra*, lætitiæ ſcilicet ſpiritualis, ſignum ac ſymbolum Epiſcopali benedictione conſignatum. Ipſe id vocis improprie ſibi ſumi ſatis eo innuit, quod ait id Chriſma eſſe non ſimpliciter *ſacramentum*, ſed *ſacramenti genus*: quam loquendi formam notum eſt imminuendæ ſignificationis vim habere, idemque ſæpe valere, ac ſi dictum eſſet, *quodammodo* vel, *aliquo modo*. Baptiſmum certe, vel Euchariſtiam nemo opinor, dixerit *ſacramenti genus eſſe*. Et qui ſic loqueretur, is ſignificaret iſta, non propriè & abſolute, ſed *aliquo* tantum *modo* ſacramenta eſſe, quo ſenſu Innocentius dixit, *Chriſma eſſe ſacramenti genus*, & mox, *vnum ſacramentorum genus*. Iſta improprie dicta *ſacramenta* aduerſarij *ſacramentalia* vocare ſolent: res quæ tametſi proprie ſacramenta non ſint, aliquid tamen habent cum iis ſimile, quod nimirum & aliquid ſacrum ſignificent, & in ſacris, ſiue in religionis rebus adhibeantur: qualis apud iſtos eſt aqua luſtralis, ſiue benedicta, & pleræque illæ vnctiones, quas ab extremâ diſtinxiſſe Eſtium, ſupra monebamus. Huc accedit, quod non ipſam vngendi actionem, ſed id quod ægroto illinebatur, nimirum Chriſma *ſacramentum appellet* Innocentius. Iam Chriſma vere ſa-

cramentum veteribus fuiſſe, volunt aduerſarij. Itaque non eſt mirandum, quod oleum eô per ſe ac proprie deſtinatum, licet alio nunc (ad inungendum nimirum ægrotum vſurpatum veteri adhuc nomine donauerit. Ex quo non ſequitur ſacramentum eſſe ipſam ægroti vnctionem, Quomodo nuper negabat Gregorius ſacramentum eſſe vnctionem ex oleo ad exeuntium ſacramentum benedicto, quoties ea fit à laicis ex reuerentia quadam, & deuotione: *ſacramentum* eſt, vt loquuntur in ſcholis, materialiter, erat enim proprie ac per ſe, ſacramenti materia, ea ſpecies, quâ conſtat, *Formaliter* ſacramentum non eſt. Fuerit ergo *Chriſma* ſacramentum, quatenus ſcilicet per ſe ac proprie ad confirmandum (vt loquuntur) recens baptizatos, benedictum fuerat. Non tamen inde ſequetur eam quoque vnctionem *ſacramentum fuiſſe, quæ ex eo fiebat*, ſed in alium vſum tranſlato, (nimirum ad ſanationem ægrotantis. Iam proprie dictum ſacramentum fuiſſe vnctionem ab Innocentio memoratam, neque id probat, quod Bellarminô obſeruatum eſt, ſcilicet eam pœnitentibus minime dandam ideo cenſuiſſe Innocentium, quod iis *reliqua ſacramenta negarentur*. Pœnitentibus enim primi, ſecundi, tertiique ordinis (qui proprie pœnitentium nomine cenſebantur) non Euchariſtiæ modo communio, quæ vere proprieque dictum ſacramentum eſt, ſed res ſacræ omnes negabantur, quorum cæteri Chriſtiani *fideles* dicti, participes in religione erant, quod & ex omnibus antiquitatis monumentis conſtat, & ab Albaſpineo Aurelianenſi Epiſcopo verè eſt obſeruatum. *Orationes* (inquit ille,) *preces, ſacra, ſacrificia, oblationes, agapæ, ſtationes, vigiliæ, ieiunia, & ſimilia quæ apud fideles celebrabantur, ea omnia pœnitentibus æque ac excommunicatis deerant, neque magis illis, quamuis in vinculis excommunicationis non detinerentur, quàm his eorum omnium fiebat poteſtas.* Hæc omnia, vel certe eorum plæraque late (vt diximus) ſumpto ſacramentorum vocabulo hic complectitur Innocentius, adeoque ex eo quod huiuſmodi *ſacramenta*, id eſt *res ſacræ* & benedictæ pœnitentibus negarentur, legitime concludit *oleum Chriſmatis* talibus infundi non licere. Vnde id quidem ſequitur, quod nos vltro confitemur, *illud oleum* quod iſtis ſic in genere dictis accenſetur, habitum fuiſſe pro re ſacra & benedicta, non ſequitur, quod negamus, proprie ſtricteque dictum ſacramentum fuiſſe, non magis, quam ſequeretur *fermentum* proprie dictum eſſe *ſacramentum*, ſi Innocentius, vel quis alius dixiſſet, *id pœnitentibus communicari non poſſe, quia genus eſt ſacramenti, quibus autem reliqua ſacramenta negantur, vnum genus non poſſe concedi.* Reuera enim *fermentum* pœnitentibus minime communicatum fuiſſe, & aliunde certum eſt, & vel hinc conſtat, quod id ex fidelium oblationibus fieret, quibus vel Albaſpineo teſte, excludebantur pœnitentes. Atque ex his quidem ſatis,

Obſeru. l. 2. Obſeru. 4. p. 101. med.

niſi

niſi fallor, apparet quam nihil ad alipticium aduerſariorum ſacramentum faciat laudatus Innocentianæ Epiſtolæ locus. Nunc ex eo contra, quod ſecundo loco reſpondi, demonſtrandum eſt nondum Innocentij ſæculo vſitatum, receptumque fuiſſe illud aduerſariorum. myſterium; quod ſic conficio. Non extant quidem ipſæ Decentij ad Innocentium miſſæ quæſtiones. Sed ex huius tamen, quæ extat ad eum reſponſione, certo certius eſt, illum aliquid huiuſmodi quæſiuiſſe, an fidelibus laicis liceret Chriſmatis oleo in morbo inungi? an Epiſcopis fas eſſet id olei miniſtrare? denique an pœnitentes infirmos eodem illo oleo contingi conceſſum eſſet? Hæc enim omnia definit hoc capite Innocentius; non alia de cauſſa, quam quod de his à Decentio fuiſſet conſultus. Atqui ſi hoc quicquid eſt unctionis in illius æui Eccleſia pro ſtricte, proprieque dicto ſacramento, quale eſt baptiſma, & Euchariſtiæ myſterium, habitum ab omnibus Chriſtianis fuiſſet; profecto numquam vllus eorum temporum Epiſcopus dubitaturus erat, an ea vnctio fidelibus concedenda; an pœnitentibus neganda eſſet; an vel ab Epiſcopo adminiſtrari poſſet: Quis enim de Euchariſtia, verbi gratia, ſanus vmquam dubitauit, quin ea & fidelibus communicanda, & pœnitentibus neganda ſit, & ab Epiſcopo adminiſtrari poſſit? Quis non dico Epiſcopum, ſed vel fidelem laicum in veteri Eccleſia educatum de his, velut dubiis, quærentem ferret, quæ erant apud omnes clara, perſpicua, & vel communi Eccleſiæ vſu ita definita, vt nemo ſanus ea neſcire poſſet? Imo ſi vnctio eo tum loco, ac numero habita eſſet, vix videntur vlli pœnitentes, quantumuis impudentes, eius vſum poſtulaturi fuiſſe, qui ſcirét ſibi quamdiu pœnitentes erant, omni ſacramentorum communione interdictum eſſe. Iam vero ex hac Epiſtolæ Innocentianæ particula conſtat non laicũ fidelem, ſed Epiſcopum illius æui dubitaſſe, an oleũ illud fidelibus ægrotãtibus concedendum, & an pœnitentibus negandũ eſſet & an ab Epiſcopo adminiſtrari poſſet, & quidem ita dubitaſſe, vt de iſtis Romanum ipſum antiſtitem, hoc eſt, ſi iſtis credimus, ſupremum Eccleſiæ totius oraculum, conſulendum putauerit. Ergo neceſſe eſt illam Innocentianam vnctionem non eo tum loco, ac numero apud Chriſtianos fuiſſe, quo nunc ſuam habent aduerſarij, hoc eſt pro vero proprieque dicto, omniumque ex traditione Apoſtolica ſolenni ſacramento, agnitam fuiſſe. Niſi hoc conſtitueris, & Decentij flagitioſa, eiuſque ordinis viro indigna erit dubitatio, ac percunctatio, & Innocentij ignaua, ſegniſque, & iners reſponſio, qui Epiſcopum de rebus tam manifeſtis, tam apud omnes obuiis quærentem, ac dubitantem, ſine vlla omnino obiurgatione, aut caſtigatione dimittit. Contra vero omnia plana erunt, ſi quod nos diximus, quodque hinc manife-

ſtum eſt poſuerit, quoſdam illo æuo fideles, cum viderent oleo ſacro non paucos ab iis qui miraculorum donum habebant, morbis liberatos fuiſſe, cœpiſſe, & ipſos oleum Chriſmatis, quod apud Eccleſiam aſſeruabatur, expetere; Decentiumque Iacobi verbis adductum id iis minime inuidendum putauiſſe, & idem cum pœnitentibus quoque communicari in morbis poſſe, quod ſcilicet ea vnctio ad corpus potius, quam ad animum pertinere videretur, tamen quod res, vt pote noua, nondum eſſet vel vſu, vel lege conſtituta, de ea ad Innocentium referendum exiſtimaſſe antequam quicquam ipſe in alterutram partem ſtatueret. Atque hinc nata Innocentij ad eum reſponſio. Ergo hinc vides plane contra quam volunt aduerſarij, effici nondum iſtis temporibus illud fuiſſe in Eccleſia ſolenne & apud omnes receptum vllius infirmorum, nedum extremæ vnctionis ſacramentum. Illud confiteor hinc haberi, fuiſſe iam tum, qui in morbis oleum Eccleſiæ expeterent, ſeque eo vel ipſi inungerent, vel etiam ab Epiſcopis, aut presbyteris inungi curarent: Ex quibus initiis, non quidem illa Romanorum extrema, ſed alia infirmorum vnctio ad depellendos morbos adhibita, paulatim in vſu crebro eſſe cœpit, mox latius ad omnes ſeptimo ſæculo & fortaſſe etiam ſexto, propagata eſt, de qua mox ſuo loco, fuſius. Ad huius vnctionis initia pertinent iſta Innocentij verba. Atque hæc omnino ſunt, quæ aduerſarij ex tota quinque primorum Chriſtianiſmi ſæculorum antiquitate pro ſuo extremæ vnctionis ſacramento afferunt, quæ quam pauca, quamque leuia, & ad rem ipſorum inutilia ſint, nemo non videt.

Cap. X.

Reiiciuntur ex hac diſputatione, ſuppoſititia quæ aduerſarij VII. & VIII. loco, velut ex Auguſtino afferunt. Demonſtraturque & rationibus, & ipſorum aduerſariorum teſtimoniis, Auguſtini nequaquam eſſe eos libros, ex quibus iſta petita ſunt. IX. ex alio vere Auguſtini loco nihil pro extrema vnctione concludi.

Nam quæ velut ex Auguſtino in hac quoque cauſſa citare, atque adhibere ſolent, ea inquam non modo dubiæ & ambigui auctoris, ſed etiam certo, manifeſtoque ſpuria, & notaſunt. Talis eſt qui hic ab aduerſariis laudatur *de viſitatione infirmorum* liber. Bellarminus cum alibi in incertis [a] cenſet, hic [b] vero diſerte fatetur, *videri Auguſtino*

a Ibid.
b Vbi ſupr. p. 105.

Auguſtino falsò tribui, ſed addit *antiquum tamen & bonum librum eſſe negari non poſſe*, & Maldonatus, *quiſquis ſit auctor, antiquum eſſe conſtare* dicit. Louanienſes, & Pariſienſes libro ſuum illud in talibus ſolenne præfixerunt, *Non eſt Auguſtini*. Eraſmus, qui in iſtorum communione & vixit & mortuus eſt, *auctorem* aſſerit fuiſſe *loquutuleium, nec doctum, nec diſertum*, & in eos etiam ſtomachatur, *tanquam nihil frontis, vel mentis habentes, qui talia ſcripta nobis obtruſerunt Auguſtini nomine*. Neque aliter ſenſerit, quiſquis totum opus legerit. Certe ab Auguſtini & mente, & æuo multum aliena ſunt, quæ iſte, quiſquis eſt, de cruce habet, *adiicitur etenim* (inquit) *ſuper crucem quadam hominis inibi patientis imago, per quod ſalutifera Ieſu Chriſti nobis renouatur paſſio*. Tum præclara illa carmina, quæ hic ſubiicit.

Vbi ſupr.

Cenſur. in hunc libr.

l. 1. de viſit. inf c. 3. T. 9. Aug. in append.

Nec Deus eſt, nec homo, præſens, quam cerno, figura.
Sed Deus eſt, & homo, quem ſignat ſacra figura. &c.
Scilicet ipſius nota ſunt crux, & crucifixus,
Hac & ego veneror, Ieſum quoque ſemper adoro.

Hæc qui non vltimis ſæculis nata videt, nihil videt. Quo etiam indubitato pertinent quæ idem mox de confeſſione auriculari, & Auguſtino & citerioribus etiam ſcriptoribus ignota, prolixè garrit, in quibus etiam deſignari vult loca, & tempora, alioſque peccatorum circumſtantias. Quo loco, obiter notandum eſt, quod iſte memorat fuiſſe ſuis temporibus ſacerdotes qui ægrotantes ſi forte eos mori contingeret, ſatisfactiones poſt mortem implere iubebant hoc modo, ſi *autem ex hac infirmitate morieris, ne anima tua Deo videatur impœnitens, per obedientiam iniungo tibi quatenus anima tua vel totam ſeptimanam, vel annum integrum, vel tantum temporis patiendo pœnam quam meruiſti, in pœnitentia poſt mortem tuam ſit*. Mitto orationis ſordes, & barbariem, & illa (quis neget?) non minus acutè quam eleganter dicta, *Aude, fili mi, de homine tuo Deo facere quoddam participium*, quia prior *fecit Deus de homine tuo puro ſibi participium*, & illa ſane ſacerdotibus honorifica, *Adhibeatur Dominus presbyter*, &, *minus ſciolis*, pro minus peritis, & cætera de eodem genere. Ipſe vero profitetur *ſe hunc tractatum direxiſſe ex his* (inquit) *quæ ex ipſis hauſimus peritioribus*. Ergo cum non Auguſtini, ſed infimorum temporum ſit hic fœtus, non eſt, quod in iis expendendis immoremur quæ inde afferunt aduerſarij, ſic *reges de te & pro te fieri, ſicut dixit, Apoſtolus Iacobus, imò per Apoſtolum ſuum Dominus. Ipſa videlicet olei ſacrati delibutio intelligitur ſpiritus ſancti typicalis vnctio*. Nos vero non negamus nono & ſequentibus ſæculis, quo tempore vixiſſe auctorem illum probabile eſt, in vſu fuiſſe ſolennem iſtam ægrotantium vnctionem. De Auguſtino, eiuſque ſæculo quærimus, quo-

Ibid. c. 4. & 5.

Ibid. c. 1.

Ibid. c. 2.

c. 4.

Ibid. c. 4.

cum iſtè minime pertineat, magnæ eſt impudentiæ eius teſtimonium nobis hoc in loco obtrudere.

T. 9. Aug. Append. p. 444. L. de Scrip. Eccleſ T. 9. Aug. obſ. 3. Alius ſequitur de *rectitudine Catholicæ conuerſationis* tractatus, haud paulo quidem melior, quam iſte de viſitatione infirmorum ineptiſſimus libellus, ſed ne ipſe quidem verus Auguſtini fœtus. Itaque eum, & Bellarminus in *incertorum claſſe* reponit, & Eraſmus Auguſtini eſſe negat, & Louanienſes, ac Pariſienſes his verbis in fronte velut inuſto ſtigmate notant; *Non eſt Auguſtini*. Verba huius auctoris ſunt. *Nam qui ante nuptias legitimas habere concubinas præſumit, peius peccat, quam qui adulterium committit*: ad quæ verba (mira ſane, & ab omni ratione aliena) iidem in margine merito annotant, *Hoc Auguſtinus non diceret*. Sed Sirmondus, Ieſuita doctiſſimus, nuper hunc librum vero parenti reſtituit in Notis ad concilium Antiſſiodorenſe, quo loco, poſtquam nonnulla hinc Eligij nomine laudaſſet, *Extat* (inquit) *hic ſermo in Appendice Tomi IX. operum S.* ad T. I. Conc. Gall. p. 613. *Auguſtini Tractatu XX. ſine nomine auctoris, reuera autem eſt S. Eligij Epiſcopi Nouiomenſis, veterum exemplarium conſenſu, & Audoëni teſtimonio in vita S. Eligij.* Hæc ille cuius nos fidem, ac iudicium ſequentes, qui ex hoc libro affertur locus, eum paulo poſt, ſuo tempore, expendemus, hoc eſt ſæculo ſeptimo, cuius anno 63. defunctus eſt, non autem quinto & ſexageſimo, quo mortuum eſſe Nouiomen-

l. de Script. Eccl. a. 630. ſem Eligium tradit ex Sigeberto Bellarminus. In quem locum etiam reiicienda ſunt, quæ ex ſermone de Tempore apud Auguſtinum CCXV. afferuntur. Nam & hunc dubij, ac incerti parentis eſſe doctiſſimi quique, etiam inter aduerſarios, fatentur, Eraſmus, Martinus Lipſius, Louanienſes, & Pariſienſes editores. Hi enim

Cenſur. gener. T. 10. ſe Auguſtini nomen iis omnibus ſermonibus præfixuros profeſſi qui ſibi eius auctoris certo eſſe viſi fuerint, id nominis huic nulli præſcripſerunt, quo teſtantur ſe eum in eorum numero cenſere, quos vel *non ſatis diſcuſſos*, *vel ex iudicio quorundam eruditorum dubiæ auctoritatis* inter Auguſtinianos tractatus reliquerunt, etiamſi alioqui de eorum auctoritate, ac veritate nihil haberent explorati. Ego vero, quiſquis hunc ſermonem legerit, & cum eo, de quo proxime diximus, Eligij tractatu attente comparauerit, non dubito quin ſtatim ſit animaduerſurus, illum ex hoc decerptum, ac concinnatum fuiſſe, ita & res & ipſæ etiam plærumque voces in vtroque opere eædem occurrunt, hoc ſolum diſcrimine, quod in Eligiano, ſiue *de rectitudine Catholicæ conuerſationis* tractatu omnia fuſius, in ſermone de tempore 215. breuius, ac contractius dicuntur. Itaque, cum illum ab Eligio conſcriptum Sirmondo teſte, conſtet, hunc, qui ex eo ductus, ac deriuatus eſt, omnino neceſſe eſt vel ad ipſum Eligij æuum, vel ad citeriora etiam tempora pertinere.

Supereſt

Supereſt vnus locus ex Auguſtino à Bellarmino allatus ex libro qui *Speculum* dicitur, & tomo tertio operum Auguſtini habetur. Fateor opus vere eſſe Auguſtini, vt ex eo conſtat, quod in Indiculo Poſſidij extat, & à Caſſiodoro memoretur: Sed in eo opere quicquam extare nego, vnde concludi poſſit extremam Romanorum vnctionem verum eſſe Chriſtianorum ſacramentum. Auguſtinus iſtic tantum ea Iacobi verba nude, ac ſimpliciter recitat; ex quibus ſuum illud myſterium nunc probare conantur aduerſarij. Quis ſit verborum illorum ſenſus, & an vnctio in iis memorata ordinarium ſit Eccleſiæ ſacramentum, an vero (quod nos contendimus) extraordinarium doni ſanationum in primitiua Eccleſia ſignum, non dicit; imo ne quidem de ſuo verbum ſacris Apoſtoli vocibus adiicit. Sed inſtat Bellarminus, *Auguſtinus* (inquit) *in eo libro exponit ex tota ſcriptura eas ſententias tantum, quæ nobis omni tempore, deſeruiunt.* Eſto, inquam. Ergo-ne inutilia nunc nobis cenſes illa omnia Iacobi verba, niſi nobis ſit in iis præceptum extremæ tuæ vnctionis ſacramentum? Atqui in iis habetur præclara, perpetuaque de orationis efficacia, deque diuina benignitate; & ex Origenis, Chryſoſtomi, & Bedæ (quod ſupra audiuimus) ſententia etiam de remiſſione peccatorum, deque clauium poteſtate, doctrina. Tum ex illo ipſo miraculoſæ ſanationis dono, de quo proprie Iacobus, multa colligi poſſunt ad ædificationem noſtram etiam nunc vtilia; quale illud eſt, quod Eccleſia Chriſtiana in primordiis ſuis admirabili iſta ſanandi facultate exornata fuerit; quo fides noſtra non parum iuuatur. Neque enim ſi nunc deſiit prophetandi & linguis peregrinis loquendi donum, idcirco inutilia nobis nunc eſſe cenſenda ſunt, quæ de eo habet Paulus in priore ad Corinthios Epiſtola. Atque ita iam ni fallor, ſatis liquet quam miſera, ac deſtituta ſit omnis hæc aduerſariorum cauſſa, qui ex totis ſex prioribus Chriſtianiſmi ſæculis nulla pro ſuæ vnctionis ſacramento afferre poſſunt niſi quatuor verorum & certorum teſtium dicta, vnum Origenis, alterum Chryſoſtomi, tertium Innocentij, quartum Auguſtini; quæ ipſa, vt ſupra docuimus, nihil habent, quo hoc iſtorum dogma firmari queat. Cætera omnia, quæ meliorum inopia adhibere, eos cogit, liquido ſpuria ſunt, vt quæ Nicænæ Synodi, Auguſtinique nomine venditant.

l. de extr. vnct. c 4 §. Iam. Ven.

l 1. diuin. lect. c. 16.

CAP.

Capvt XI.

Septimo Christianiſmi ſaeculo occurrere vnctionem infirmorum ex oleo, ſed ab extrema aduerſariorum longe diuerſam, quorum nus, non deſperate tantum laborantium; & ad ſanitatem temperandam, non ad moriendum comparatam. Quae eius videantur origines & occaſiones.

NVnc igitur ad citeriora tempora veniamus. His vero non negamus factum, vt ille homines non quidem exeuntes & moribundos, ſed tamen aegrotantes, inungendi vſus paulatim in Chriſtianorum conſuetudinem abierit, quod his maxime rationibus contigiſſe videtur. Primo hunc omnibus fere hominibus ſenſum ineſſe cernimus, vt res ſacras etiam ad corporis vſum, commodumque valere putent, & ſi qui inter eos in religionem paulo vehementius affecti ſunt, ſolent illi plærumque eius inſtrumenta etiam ad curandam corporis valetudinem adhibere. Eo factum, vt rebus Chriſtianæ religionis ſacris, ſuopteque ingenio ad animi ſalutem, non ad carnis commodum, comparatis, qui paulo (vt loquuntur) *deuotiores* erant, etiam ad morbos corporibus depellendos vſi fuerint. Certe ſcribit Auguſtinus etiam quoſdam fuiſſe ſtultos & præpoſteros, qui paruulos ad baptiſmum percipiendum offerrent, non vt *gratia ſpiritali ad vitam regenerarentur æternam, ſed quod eos putarent hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem.* Atque illorum quidem mens abſurda, ac pœne impia erat. Sed alios fuiſſe etiam fideles, ac pios, qui aqua benedicta, etiam extra baptiſmum, ad curandos morbos vterentur, clarum eſt ex Palladio, qui Macarium Monachum ægros ſic curauiſſe narrat, & ex Theodoreto, qui de aliis idem refert, idque à Maldonato [a] & Bellarmino [b] obſeruatum eſt. Quo cum eos ſponte impelleret innata de rerum ſacrarum præſtantia, atque vtilitate opinio, eo etiam ad aquam in talibus adhibendam confirmatos fuiſſe crediderim, quod, vt iidem aiunt in baptiſmo aliquando curarentur homines ab ægritudine corporali, qualiter & medicum quemdam, cum tandem ſancto lauacro regenerationis ablueretur, in ipſo baptiſmate & dolore, quo vltra ſolitum paulo antea cruciatus erat, & ipſa podagra, penitus liberatum fuiſſe narrat Auguſtinus; additque & Curubitanum quemdam, ex paralyſi, cum baptizaretur, eodem modo repente conualuiſſe. Sic altero ſacramento, Euchariſtia ſcilicet, ad depellendum

Ep. 23. ad Boniſ.

Palladius Hiſt. Lau. 5. c. 26.
Theodor. Hiſt. relig. c. 21.
a vbi ſupr. p. 106.
b vbi ſupr. c. 6. §. duo etiam.

l. 22. de Ciui. D. c. 8.

lendum grauiſſimum quemdam morbum, pie (vt ſic dicam) abuſam eſſe Gorgoniam, religioſiſſimam mulierem, tradit eius frater Gregorius, miſcentem lacrymis, quibus, corpus totum velut pharmaco quodam perfundebat, *εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύριζεν, ſi quid vſpiam antityporum pretioſi corporis, aut ſanguinis manus recondiderat.* Hnc etiam pertinet, quod multi ſacrarum & in Eccleſiis ardentium lucernarum oleum ad ægrotos ſuos deferrent, eoque ipſos vngerent. Id enim olim quoque factitatum fuiſſe, & quidem cum ſucceſſu, apparet ex Chryſoſtomo, qui cum Eccleſiæ præ priuatis ædibus præcipua recenſens, dixiſſet, hanc (id eſt Eccleſiæ, in qua loquebatur) *Lucernam* multo eſſe priuatâ ac domeſticâ cuiuſque noſtrûm *pretioſiorem*; continenter hæc ſubiicit, *καὶ ἴσασιν ὅσοι μετὰ πίστεως καὶ εὐκαίρως ἐλαίῳ χρισάμενοι νοσήματα ἔλυσαν. Et nouerunt quotquot cum ſe oleo, cum fide & tempeſtiue vnxiſſent, morbos depulerunt, vel morbis liberati ſunt.* Fruſtra enim hinc Eccleſiaſticæ lucernæ excellentiam argumentatur, niſi oleum, quo adhibito iſtos ſanatos narrat, lucernæ fuerit. Cum ergo & Eccleſiaſticæ lucernæ oleum & ipſa baptiſmi, & Euchariſtiæ ſymbola etiam interdum ad corpora curanda adhibuerint, non eſt mirandum eos ad eundem quoque vſum retuliſſe oleum benedictum; cuius plurimum vſum in ſacris apud Chriſtianos quarto ſæculo fuiſſe ſcimus, Non, vt fingit Maldonatus ad remittenda peccata per *ſacramentum exeuntium* (cuius ſacramenti nullum, vt oſtendimus, in prima antiquitate extat veſtigium) ſed & ad inungendos, qui baptizandi erant, & ad baptizatos ipſos Chriſmandos, & ad mortuos linendos. Ab hoc olei tum ſolenni vſu fluxit ille paucorum primo, mox & plurium abuſus, qui rem ſacram ad morborum etiam curationem non inepte ſibi videbantur, traducere. Nam idem fuiſſe initio oleum, & quo baptizati Chriſmabantur, & quo ægroti vngebantur, ſatis ex eo Innocentij loco apparet, quem ſupra expendimus, in quo, vt iam obſeruauimus, id quo vngebantur ægroti *Chriſmatis oleum* dicitur. Sed & homines facile eo ducebat ipſum olei ingenium, quod natura ſua vt notum eſt, ad medicinas non paucas vtile eſt. Tum & hunc vſum vel peperit, vel certe firmauit, quod viderent oleum in curandis morbis ab iis adhiberi ſolere, qui ſanationum dono pollebant, vt ex iis exemplis conſtat, quæ nos ſupra ex veteri memoria repetita adduximus. Quod ergo hi extra ordinem, & ex miraculoſo dono adhibebant, eo alij quoque tametſi non eadem diuinitus facultate præditi, vtendum ſibi, quoties infirmitate aliqua laborarent, facile putarunt, ſperantes eundem fore euentum. Quod ſi res, vt (aliquando forte fiebat) ſuccederet, eo & ipſi, & alij quoque eorum exemplo, in huiuſmodi olei vſu non parum, vt credibile eſt, confirmabantur.

Orat. 11. p. 187. P. a. 6.

Hom. in Matth. 33. (Græc. 32. T. 2. in N. T. p. 286. e.

mabantur. Hæc, vt mihi quidem videtur, prima fuerunt huius moris initia, qui mox, vt in huiuſmodi rebus ad religionem pertinentibus accidere ſolet, paulatim ad plures manans, tandem paſſim apud omnes fere inualuit. Ac in eo quidem iſtos erraſſe confiteor, quod extraordinariæ & miraculoſæ ſanationis ſymbolum ipſi nullo huiuſmodi dono præditi vſurparunt. Cæterum cum errorem commendaret, ſpecioſumque redderet vtentium pietas, & quidam in res ſacras affectus, eum plærique minime animaduerterunt, &, ſi qui viderunt, tolerandum, non inhibendum, aut coercendum exiſtimarunt maxime cum eum innoxium eſſe facile ſibi perſuaderent, ac huiuſmodi à quo nihil eſſet religioni, aut pietati metuendum. Eo factum, vt Marci, & Iacobi loca, in quibus vnctionis fit mentio ſed eius, quæ miraculoſæ ſanationis erat ſymbolum, ad hunc quoque morem traherentur, quem cum in vſu apud plæroſque orbis noſtri Chriſtianos & tunc eſſe & paulò antea fuiſſe viderent ſeptimi, octauique ſæculi homines, mirandum non eſt, quod iis temporibus quibus extincta omni pæne diuinarum, humanarumque litterarum luce, fœdiſſima barbaries, ad hæc ambitio, & vna dominandi libido paſſim graſſabatur, id rectum, & Apoſtolicum cenſuerint, quod à ſuis parentibus accipiebant, vetuſtiſſimorum, ac primorum parum curioſi, & ſcripturæ, quæ vna illis fides, lex, ac norma eſſe debuerat, non ita obſeruantes, vt non eam ſæpè ad præſentem vſum inflecterent. Sed ego eos, vt aliquid humani paſſos eſſe hac in parte confiteor, ita ab aliptico aduerſariorum dogmate procul abfuiſſe defendo. Nam hi quidem ſolos exeuntes, & moribundos linunt, illi quoſuis ægrotantes vngebant, Hi linunt vt ſuos ex hac vita (vt ſic dicam) deducant & ad cœleſtis regni introitum præparent, Illi quos vngebant, eos in hanc vitam reducere ſtudebant. Itaque hi eo proprie ſpectant, vt peccati reliquias oleo illo ſuo deleant, illorum omnis vnctio ad depellendos morbos, & infirmitates corporis potiſſimum ſpectabat. Illi ſi quis ex iis quos inungunt, conualeſcat, id aiunt fieri per accidens, non autem ſacramentaliter, neque vt illius olei, quatenus ſacramentum eſt, cuius eatenus proprium, ac legitimum effectum eſſe volunt peccatorum remiſſionem, vel eorum certe, quæ ex peccatis, ſuperſunt reliquiarum abſterſionem. Illi contra corporis ſanationem ſuæ vnctionis proprium, ac legitimum opus eſſe putabant, & ſi quando vnctis peccata etiam remitterentur, id ſingulari Dei benignitate non ex rei ipſius ingenio, ſed ex hominum vſu fieri exiſtimabant. Sed quo, ſententiæ huius de veteribus illis noſtræ veritas eluceſcat, atque conſtituatur, iam inſpicienda ſunt, ac ſigillatim expendenda eorum ſcriptorum de toto hoc negotio loca, qui ſeptimo ſæculo, & ſequentibus

vixerunt.

vixerunt. Nam de ſexto ſæculo nihil, quod ſciam, ab aduerſariis in hac cauſſa affertur.

CAPVT XII.

Ad illam nuper deſcriptam vnctionem pertinere loca Eligij, & Sermonis de tempore apud Auguſt. 215. quem adeo non eſſe Auguſtini, vt eius auctor etiam poſt Eligium vixerit, demonſtratur. Fruſtra, falſoque hæc loca ad extremam vnctionem torqueri; cum ea, quæ his locis memoratur, vnctio & quorumuis infirmorum, & ad ſanitatem corporis recuperandam fuerit, & etiam à laicis rite adhibita ſit.

PRimus ex ſeptimi ſæculi ſcriptoribus huius vnctionis meminit Eligius Nouiomenſis, in eo ſermone, qui (vt nuper ex Sirmondo docuimus) in Appendice Tomi IX. Auguſtini, alieno loco & nomine, extat ſub titulo *Tractatus viceſimi de rectitudine catholicæ conuerſationis*, Is enim vulgares multorum illo æuo ſuperſtitiones exagitans, qui Paganicę impietatis reliquias exercentes, malas artes in morbis adhibebant, ita pręcipit, *Propterea,* (inquit) *quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non diuini, non ſortilegi, non carcarij* (fortaſſe legendum *caragij*, vt in Antiſiodorenſi canone 4. legit & Fronto Ducæus, & Sirmondus, idque apparet fuiſſe ſortilegorum, ſiue ſortiariorum genus) *neque per fontes aut arbores, aut biuia philacteria exerceantur, ſed cum ægrotat in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiam cum fide & deuotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, vnde corpus ſuum vngatur; & ſecundum Apoſtolum*, oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. *Non ſolum corporis ſed & animæ ſanitatem accipiet, complebiturque in illo quod Dominus in Euangelio promiſit, dicens*, omnia quęcunque petieritis patrem in nomine meo, in oratione credentes accipietis. Hæc ille, quibus iungenda ſunt, quæ in Sermone 215. de tempore apud Auguſtinum ſed falſo itidem titulo, leguntur. Eſt ille ſermo, quod iam monuimus non Auguſtini, ſed alicuius multo recentioris, ex ipſo hoc Eligiano tractatu totus (vt videtur) decerptus, ac concinnatus. *Quoties* (inquit ille quiſquis eſt) *aliqua infirmitas ſuperuenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngat, vt illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo*, Infirmatur aliquis, inducat preſbyteros, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo, & oratio fidei ſaluabit infirmum,

T. 9. Aug. Append. p. 445. col. 2. extr.

Iac. 5. v. 15.

Matth. 21. 22.

T. 10 Auguſt. p 367 col. 1. 6.

& alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. *Videte Fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cum ergo duplicia bona poßint in Eccleſia inueniri, quare per præcantatores, per fontes, & arbores, & diabolica phylacteria, per characteres* (fortaſſe hic quoque ſcribendum per caragios, quod Sirmondus ex manuſcriptis in Antiſiodorenſi Concilio repoſuit pro hoc ipſo *Characteres*, quod in vulgatis legebatur) *& aruſpices, & diuinos vel ſortilegos multiplicia ſibi mala miſeri homines conantur inferre?* Hactenus iſte. Vides ouum ouo non eſſe ſimilius, quam ſunt inter ſe duo hæc iſtorum loca; omninoque alterum ex altero ductum eſſe. Vnde certa fides eſt non eſſe Auguſtini hunc de tempore ſermonem. Nam vt mittam eum (quod non facit Auguſtinus) Latinam, quæ nunc extat, Bibliorum interpretationem ſequi & vſurpare; ſi hic auctor Auguſtinus eſſet, eius procul dubio nominatim meminiſſet Eligius, dum hæc eadem, cæteraque omnia quæ in iſto ſermone habentur, pæne ad verbum recitat. Atqui neque Auguſtini, neque cuiuſquam alterius meminit. Itaque ipſe eſt primus veruſque eorum auctor. Qui vero illum de tempore ſermonem compoſuit, quæ de hoc toto argumento habet, ea ex Eligio habet; non contra. Iam ex vtroque hoc loco id quidem conſtat, quod non confeſſi ſumus, ſeptimo ſæculo, quo vixit Eligius, paſſim vſitatum fuiſſe, vt vngerentur infirmi; ſed neque id obſcurum eſt, quod defendimus, aliam fuiſſe ab hodierna Romana illam vnctionem. Illam enim, non, vt hanc, *exeuntium*, ſiue in ſupremis verſantium tantum, ſed quorumuis ægrotantium fuiſſe, patet primo ex eo, quod vterque hic ſcriptor ait in genere, & indefinite, ille quidem, *Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui*, hic vero, *Quoties aliqua infirmitas ſuperuenerit*; quibus nihil dici potuit abſolutius vel generalius; non autem, vt nunc aduerſarij, *ſiquis ſit in extremis*, vel, *ſiquis tam periculoſe decumbat, vt in exitu vitæ conſtitutus videatur*. Sed idem ex eo quoque confirmatur, quod vterque illud, quod commendat, Eccleſiæ oleum, ſortilegorum, & caragiorum artibus, Paganicíſque phylacteriis in hoc negotio opponit, vultque hanc vnctionem iis infirmitatibus adhiberi, quarum iſti maleferiati homines leuamen ex illis ſuperſtitioſis atque impiis remediis quærebant. Hos vero quis dubitat, non in letalibus tantum morbis, neque ad vltima tantum redactos, ſed in quibuſuis infirmitatibus, quoties aduerſa eſſet valetudo, ad illa nefaria confugiſſe, quod etiam hodie faciunt, qui talibus vtuntur? Ergo & Eligius, & ille alter ſermonis de tempore auctor, iiſdem quoque id eſt quibuſuis morbis, atque infirmitatibus, olei Eccleſiaſtici medicinam adhibendam intelligunt. Secundo alterum etiam

Not ad Can. A. Antiſiod. T. 1. Conc. Gall p. 613.

illius

illius vnctionis ab hodierna diſcrimen ex his clare perſpicitur; ex quibus ſcilicet patet, non ideo inunctos fuiſſe ægrotos, vt ex hac vita fortius, commodiuſque diſcederent, & ad cœleſtis regni ingreſſum paratiores eſſent atque inſtructiores, vel vt *morbi incommoda, ac labores leuius ferrent, tentanionibuſque dæmonis, calcaneo,* id eſt vitæ ſupremis acrius quàm vnquam alias inſidiantis reſiſterent(qui Romanorum aliptarum fines ſunt, atque, vt iſti quidem fingunt, effectus.) Horum vero nihil omnino tinnit vel Eligius, vel eius deflorator; & ſi huiuſmodi fuiſſet ſuæ vnctionis ingenium ſtulte & abſurde eam vulgi incantamentis, ac phylacteriis oppoſuiſſent; quibus ſcilicet non contra diaboli inſidias, vel animi deiectionem, ſed contra corporis morbum ac incommoda ſubſidium quærebant, apertiſſime ſignificant olei illius, quod iſtorum vice morbis adhiberi præcipiunt, vſum huc recta, primarioque ſpectaſſe, vt ægrotus conualeſceret; cui & hoc quoque Dei beneficium, velut auctarium, plane & Iacobus, adiungunt, quod ita ſe in morbis gerentibus, hoc eſt & Euchariſtiam ſumentibus, & ſacro oleo ſe vngentibus, omnemque fiduciam in ſola Domini miſericordia collocantibus, Deus peccata condonaturus ſit, & præter corporis ſanitatem, animi quoque valetudini conſulturus, cum iis contra qui ad paganicas, & nefarias ſortilegorum & præcantatorum artes confugiebant, Dei non gratia, ſed ira, peccatorumque non venia, ſed pœna certiſſime parata eſſet. Denique & tertium veteris illius vnctionis ab hac hodierna diſcrimen ex altero horum ſcriptorum eluceſcit; qui præcipit, vt ægrotus poſtquam *Chriſti corpus, & ſanguinem acceperit, inde* (id eſt exinde, ſiue poſtea) corpuſculum ſuum vngat. Ex his enim conſtat ægroto licuiſſe oleo iſto ſe ipſum inungere; cum Romanum hodie non aliis, quam ipſis aliptis ad hoc ἠλειμμένοις & conſecratis, id eſt ſacerdotibus, contingere & adminiſtrare fas ſit. Id vero, vt liquet, plane iis congruit, quæ ex Innocentio ſupra audiebamus, *Chriſmatis oleo ab Epiſcopo confecto, non ſolum ſacerdotibus ſed omnibus vti Chriſtianis licuiſſe in ſua aut ſuorum neceſſitate in [illegible]do.* Atque hinc vt id obiter dicam, apparet, quam vana ſit Eſtij ad Valdenſem reſponſio hæc verba velut ex Auguſtino citantem; *Qui ægrotat oleum benedictum fideliter ab Eccleſia petat, vnde corpus ſuum vngat.* Ait Eſtius in libro *de rectitudine catholicæ conuerſationis* emendatiores codices habere, *vngatur,* paſſiue, non autem, *vngat* actiue. Ego vero reſpondeo Valdenſis lectionem rectam eſſe; eamque ab aduerſariis poſtea immutatam fuiſſe, ſubſtituto paſſiuo illo *vngatur* pro actiuo *vngat,* quod ille legit, & bona fide repræſentauit. Quorſum enim ipſe ita legiſſet niſi id verbi in Auguſtini codicibus reperiſſet? An lectionem Eccleſiæ ſuæ praxi contrariam homo Romanæ fidei ſtu-

vbi ſupr. §. 12.

dioſiſſimus commentus eſſet? Itaque plane aliter quam Eſtius; ego mendoſos eſſe puto noſtros codices; Valdenſis librum hac in parte rectum & emendatum fuiſſe. Actiue enim cum Valdenſi legendum *vnde ſuum corpus vngat*, non autem paſſiue vt habent hodie Vulgati codices *vngatur*; primo ipſa ſermonis Latini Ratio non ſuadet, modo, ſed iubet ac imperat. Nam iſta quæ habet Valdenſis, *Ægrotus oleum benedictum fideliter ab Eccleſia petat, vnde corpus ſuum vngat*; iſta quidem inquam Latina ſunt. Hæc vero quæ nos legimus, *oleum &c. petat vnde corpus ſuum vngatur*; barbara ſunt, inferioris; & ſi æui illius ſunt, certe Eligij non ſunt, qui purius loqui ſolet. Omnino dixiſſet *corpus eius* vel *ipſius*, ſi paſſiuo illo *vngatur* hoc loco vſus eſſet. Sed & eandem Valdenſis lectionem firmat alter ille de tempore, huius ſimilis, ac plane geminus ſermo; qui loco ex illo Eligiano, vt liquet expreſſo, etiam in noſtris codicibus habet, *corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngat.* Iuratim in Eligio itidem fuiſſe *vngat*; quod ipſum ſane habet Valdenſis. Sed hoc in Eligio mutarunt Romani correctores; quia facilius & procliuius erat; In ſermone de tempore non mutarunt; quia eam interpolationem reſpuebat tota ſcriptoris oratio. Quid enim hoc eſſet, *Corpus &c. Chriſti ille qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngatur?* Iſta nemo leuiter eruditus ferre poteſt. Itaque non codex Valdenſis ex noſtro, quod vult bonus Eſtius, ſed plane contra ex Valdenſis codice noſter emendandus eſt legendumq; cum illo etiam in libro de rectitudine Catholicæ conuerſationis, *qui ægrotat, oleum benedictum fideliter ab Eccleſia petat, vnde corpus ſuum vngat; ſed hac* obiter. Ad cætera pergamus.

Capvt XIII.

Quæ ex Damaſceno, ſed falſo; ex Bedâ vere laudantur eodem pertinere, & impudenter ad extremam vnctionem trahi.

POſt Eligium de Damaſceno dicendum, qui anno octaui ſæculi tricesimo primo floruit: Huius enim in hac cauſa teſtimonium laudat Eſtius ex oratione *περὶ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων de iis qui in fide dormierunt.* Locus, quem Eſtius intelligit, ſic habet *μύρον ἢ ἕτερον, ἅγιον ἔλαιον, ὁ πρὶν χρίειν θέλων νοσοῦντα, πρῶτον ἐκεῖνος, εἶτ᾽ οὖν ὁ χρίων μετέχει τῆς χρίσεως, εἶθ᾽ οὕτως ἀλείφει τὸν κάμνοντα. Qui vnguentum, aut aliud oleum ſanctum ægroto admouere cupit, primum vngitur ipſe atque ita ægrotum deinde vngit.* Hæc ille. Sed primo nulla eſt iſtius teſtis auctoritas; Non enim conſtat, an hęc oratio

vbi ſupr. §. 2.

p 148. edit. Veron. a. 1531. Lat. Pariſ. p. 510. A.

tio vere ſit Damaſceni: Dubitant enim & ipſi aduerſarij ob fabulas, quæ iſtic leguntur, de Falconillæ, & Traiani animabus ex gehenna precibus Theclæ, & Gregorij liberatis. Certe Ioannes Lenſæus ſcribit opus illud quod Damaſceno tribuitur, merito credi non eſſe illius, quia in ea oratione habetur error contrarius doctrinæ eiuſdem Damaſceni. l. 2. de fide cap. 4. Is autem error eſt multos, qui Diuina fide carentes, in infernum deſcenderant, à Chriſto conuerſos, & ſaluatos fuiſſe, quando ad inferos deſcendit; quod ſanè clariſſime ac fuſiſſime defenditur, in ea oratione. Idem quod Lenſæus, de hoc libro ſentit, ac ſequitur, Bellarminus, de purgatorio diſputans; eumque iiſdem rationibus probat nequaquam eſſe Damaſceni; licet poſtea in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, mutata vt videtur ſententia, litem de vero orationis auctore ſub iudice relinquat. 2. deinde laudatus locus, etiamſi Damaſceni vere eſſet, nihil tamen aduerſariorum cauſſam iuuaret. Imo cum eorum dogmate pugnat. Non enim de *extrema vnctione* loquitur, quam iſti defendunt, quæque morientibus adhibetur; ſed de ea, qua *ægrotans circumlinitur*; quæque vel ex *vnguento fit, vel ex oleo*; & cuius denique ipſe qui vngit prius *particeps eſt*, quam ægrotum linat. Iſta ergo cuiuſcumque ſint ſcriptoris, ſi cuius ſunt eodem cum Damaſceno ſæculo viuentis, ad eam procul dubio infirmorum ad depellendos morbos vnctionem referenda ſunt, quam illis temporibus in vſu apud Chriſtianos Latinos fuiſſe & ex Eligio modo didicimus, & mox ex Beda qui Damaſceni æqualis fuit, etiam luculentius intelligemus. Nam & ipſe quoque Beda teſtatur ſe adhuc in viuis fuiſſe a. octaui ſæculi triceſimo primo; Is ergo in Marci locum de ægrotis ab Apoſtolis oleo adhibito ſanatis commentans, Iacobi verba de vngendis infirmis recitat tum hæc ſcribit: *Vnde pateat ab ipſis Apoſtolis hunc ſancta Eccleſia morem eſſe traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione conſecrato.* Alfonſus à Caſtro ad hæc Bedæ verba nos imprimis notare iubet, *quod oleum illud, quo Apoſtoli Chriſto viuente ægrotos, vngebant, Beda dicit eſſe idem cum eo de quo Iacobus loquitur.* Nos vero libenter id annotamus; ex quo clariſſime conficitur ſecundum Bellarmini, & aliorum, imo ipſorum quoque Tridentinorum ſententiam, aliud eſſe Iacobi, aliud aduerſariorum oleum; Cum enim iſti omnes, quod ſupra docuimus, fateantur vnctionem ſuam aliam eſſe ab ea, quam Apoſtoli apud Marcum leguntur, iis ægrotis adhibuiſſe quos ſanabant: nemo non videt iſtos pariter fateri debere vnctionem, qua ipſi nunc vtuntur; & à Iacobæa, & ab Eccleſiaſtica Bedæ quidem iudicio alienam eſſe; qui ſcilicet & Iacobæam & Eccleſiaſticam eandem eſſe vult cum Apoſtolica apud Marcum;

de Limb. l. 3. c. 12.

l. 2. de purg. c. 8. §. Prima quia.

Hiſt. l. 5. extr.

in Marc. l. 1. c. 24. Marc. 6.

Aduerſ. hær. l. 14. voc. vnct. extr. f. 257. extr.

quo Maior cenſeri debet Bellarmini inuerecundia, qui hæc ipſa Bedæ verba, quibus ipſius ſententia tum aperte iugulatur pro ea afferre non dubitauit. Sed idem ex eo etiam liquido conficitur quod & hic & alibi ait Beda veteris Eccleſiæ vnctionem *energumenis* fuiſſe adminiſtratam. Iam energumenorum vnctionem ab hodiernâ Romanâ penitus alienam eſſe, Quis neſcit? hodierna ſacramentum proprie dictum eſſe fingitur. *Energumenorum vero vnctio (inquit Eſtius) ſacramenti proprie dicti rationem non habet; quoniam ibi neque promiſſio certa, neque effectus eſt gratia ſpiritualis:* Denique diſerta ſunt Bedæ verba & Apoſtolos, & veterem ſecundum eos Eccleſiam *quoſlibet ægrotos vnxiſſe.* Noſtri nunc aliptę non alios vngunt, quam quibus mors in labris; Ergo iſtorum vnctio ab ea, de qua hic Beda loquitur plurimum diuerſa eſt: Nimirum veteres vngebant, vt corpus infirmitate, vel incomodo liberarent; ideo neque energumenis oleum ſuum inuidebant. Aduerſariorum alia ratio, qui non vt corpori, ſed vt animo conſulant, & medeantur, oleum ſuum adhibent ægrotis; Idem quoque ex Bedæ in Iacobum verbis videre eſt, dum illa Apoſtoli explicat, *vngentes eum oleo in nomine Domini*, *Hoc (inquit) & Apoſtolos feciſſe in Euangelio legimus, & nunc Eccleſia conſuetudo tenet, vt infirmi oleo conſecrato vngantur à presbyteris, & oratione comitante ſanentur. Nec ſolum presbyteris ſed vt Innocentius Papa ſcribit, etiam omnibus Chriſtianis vti licet eodem oleo in ſua aut ſuorum neceſſitate vngendo; Quod tamen oleum nonniſi ab Epiſcopis licet confici: Nam quod ait,* oleo in nomine Domini, *ſignificat oleum conſecratum in nomine Domini. Vel certe quia etiam cum vngunt infirmum nomen Domini ſuper eum inuocare debent.* Hæc ille. Vides quam deſcribat vnctionem & ab Apoſtolis in Euangelio factitatam, & ad ægrotos ſanandos comparatam, & quam non preſbyteris ſolis, ſed & omnibus Chriſtianis ſibi, ſuiſque adhibere licet, quoties opus eſt; Omnia ab extrema Romæ vnctione aliena; quam neque Apoſtoli in Euangelio cuiquám adhibuiſſe leguntur, fatentibus ipſis Romanarum partium & plurimis, & principibus Theologis, neque vero ſanitas ægrotorum conſequi ſolet, neque denique aliis quam preſbyteris vſurpare licet; Quæſo te nonne iſti ſunt mirabiles, qui Bedam omnia ipſis adeo infeſta, atque aduerſo loquentem, teſtem in hac cauſa inducunt? eodem euentu, quo Balaamum olim ille Moabitarum regulus, ad male dicendum Iſraëli conductum omnia in ſe, ſuoſque dira & triſtia; in Iſraelem læta ac proſpera ominantem, ac prophetantem audiuit.

Marginal notes: vbi ſupr. c. 4. §. Iam vero. Beda in Luc. 8. — In 4. d. 23. §. 1. — in Iac. 5.

Cap.

Cap. XIV.

Expenditur Alcuini 9°. Sæculo denati locus. Alienam eſſe ab extrema, quam ille memorat vnctionem eamque plane eandem eſſe cum illa, quam in ſeptimo ſæculo notauimus id ipſum tum ex veteri Menardi codice, qui a. D. 768. ſcriptus Gregoriani ſacramentarij titulum præfert, & ex ordine Romano fuſe demonſtratur.

Atque ex his quidem Eligij, & Bedæ locis liquet, quę qualiſque fuerit, & quam ab hodierno ritu aliena vnctio apud Latinos ſeptimi, octauique ſæculi Chriſtianos vſitata. Illa vero in eodem gradu, etiam nono ſæculo manſit. Teſtis auctor operis de diuinis officiis qui vulgo, ſed falſo vt fuſe demonſtrauit & Quercetanus primo [a] & poſtea eruditiſſimus noſter Blondellus [b]) Alcuinus inſcribitur; certe homo non vel etiam vndecimi (vt videtur) ſęculi; quiſquis de cætero fuerit. Is vero duos huc pertinentes titulos habet; priorem *de infirmis*; alterum qui continenter ſequitur *de his, qui in extremis ſunt*; cui ſimilis tertius mox ſequitur; *quomodo moriturus olim prouidebatur*; Iam ſi tum obtinuiſſet hodierna Romanorum diſciplina, vides ex ea in primo titulo de confeſſione ſi forte, ac de filiis huiuſmodi agendum fuiſſe, in ſecundo, & tertio de extrema vnctione. Atqui plane aliter inſtituit Alcuinus: Nam in poſterioribus quidem titulis, in quibus ſe de iis, qui in extremis ſunt, dicturum pręſcripſerat, de vnctione nihil habet: Nulla, ergo tum *extrema* erat vnctio. De vnctione vero in priore titulo, qui *de infirmis* eſt, agit Alcuinus, Ergo vel ipſe hic Alcuini ordo arguit infirmos quidem tum temporis vngi ſolitos, ſed non eos tamen, qui in ſupremis eſſent. Quod, vt vides cum aduerſariorum ritu aduerſa fronte pugnat. Sed audiamus, quid pſeudo Alcuinus de illa ſua infirmorum vnctione dicat. Primo Innocentianæ ad Decentium Epiſtolæ octauum illud caput, de quo ſupra diximus, totum ſuppreſſo auctoris nomine deſcribit, in quo cum vnctio alia ab hodierna conſtituatur, quod ſuo loco demonſtrauimus, vel hinc apparet iſtum multum ab aduerſariorum de hoc ſuo myſterio ſententia abſuiſſe. Tum deſcriptio Innocentij verbis, Hac (inquit) *authoritate promulgata, quotieſcumque fidelis infirmatur, ingrediuntur fratres ad ægrotum cum aqua benedicta, & cum cereis ſiue incenſo ante oleum ſanctum & peragunt omnia ſicut in ſacramentorum libro continetur.* Hic obſerua

a Quercetan. Præfat. in edit. Alcuin. §. 17.
b Blond Eclairciſſem. Sur l. Euchar. c. 12. p. 417. 418
l de off. diuin. T. 10 Bibl. Patr p. 295. b. d

obſerua iſtum primo non ab Apoſtolorum inſtitutione *ſed à promulgata Innocentij auctoritate* vnctionis ſuę ritū deducere, hoc eſt ad ſummū à quinti ſæculi initio, & Domini 416. quo ſedit & Epiſtolam ad Decentium dedit Innocentius, ſecundo & ſuam illam vnctionem, non, quod noſtri Romani nunc faciunt, ſolis in mortis diſcrimine verſantibus ſed quibuſlibet ægrotantibus deſtinare, *Quotieſcunque* (inquit) *fidelis infirmatur*, Tertiò & aquam benedictam vna cum oleo ad ægrotum deferri velle, quod & à Iacobi Innocentiique inſtituto & ab hodierno aduerſariorum ritu iuxta alienum eſt, ſed quod tota hæc ceremonia ad valetudinem ægroti curandam ſpectaret, & aquam illam benedictam ad pellendos morbos interdum adhibitam ſcirent, quod ſupra obſeruauimus, ideo & hanc in ægrotorum vnctione vſurpandam putarunt: Quis autem ſit ille ſacramentorum liber, quem hic laudat Alcuinus, & an extet, non eſt quidem certò, planeque exploratum. Illud fateor, haud quaquam videri à vero abhorrere, vt eum librum vel ipſum quod dicitur Gregorij ſacramentarium vel certe aliquem eiuſdem generis ſimilem codicem fuiſſe putemus vtcumque ſit, id quidem clarum eſt in eo, quod ante paucos annos ab Hugone Menardo Benedictino coenobita publicatum eſt, Gregoriano ſacramentorum volumine ipſa illa reperiri, quæ hoc loco Alcuinus de illo vnctionis ritu prodidit. Ac quoniam is codex, ex quo excuſum eſt opus, ſingularem præ ſe ferebat vetuſtatem, vt Hugo anno. D. 768, regnante apud nos Carolo magno, Lanſberti neſcio cuius ſacerdotis manu ſcriptum fuiſſe exiſtimet, operæ pretium videtur quæ in eo leguntur ad hanc diſputationem pertinentia, ea paulo fuſius perſequi, tum vt Alcuini teſtimonium confirmetur, tum vt quæ fuerit illius ſæculi de toto hoc negotio ſententia, accuratius cognoſcatur. In primis quo loco *oleum, tam ipſe Pontifex, quam omnes preſbyteri ad vngendum infirmum benedicunt*, hæc oratio occurrit: *Emitte Domine ſpiritum ſanctum tuum paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem oliuæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, vt tua ſancta benedictione ſit omni hoc vnguentum tangenti tutamentum mentis, ac corporis, ad euacuandos omnes* DOLORES, *omneſque infirmitates, omnem ægritudinem corporis, vnde vnxiſti ſacerdotes, Reges, Prophetas & Martires Chriſma tuum perfectum Domine à te benedictum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Tum in proprio huius officij titulo, *Inprimis* (inquit auctor) *faciant ſacerdotes aſperſo ſale aquam benedictam. & aſpergant eam cum antiphona, & orationibus ſuper ipſum infirmum, & ſuper domum eius.* Mox ſacerdos his verbis infirmum inungit, *Inungo te de oleo ſancto, ſicut vnxit Samuel Dauid in Regem & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis, vt non lateat illic ſpiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis,* neque

[Margin notes: Hugo Menard. præf. p. 1. — Fer. 5. ante Paſch. p. 66. — Orat. ad viſit. infirm. p. 248. col. 1. — Orat. ad inf. vngend. p. 251. col. 1.]

neque in vlla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi & Spiritus Sancti. Per eundem. Sequuntur variæ ad idem opus orationes, quarum aliquas in ſpecimen deſcribam. *Deus* (inquiunt) *qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum illum à* LECTO ÆGRITVDINIS *tua potentia erigat ad ſalutem.* Alia, *Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum* Illum *ex aduerſa valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cœleſtis gratiæ præſta medicinam.* Alia. *Virtutum cœleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo* Ill. *vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat.* Sed hanc mox *orationem à ſacerdote dicendam* diſerte docet liber, *Domine Deus, qui per Apoſtolum locutus es,* Infirmatur quis in vobis &c. (totum Iacobi locum recitat) *cura, quæſumus, redemptor noſter, gratia Spiritus Sancti languores iſtius infirmi, & ſua ſana vulnera, eiuſque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis, &* CORPORIS *expelle, plenamque & interius, exteriuſque* SANITATEM *miſericorditer redde, vt ope miſericordiæ tuæ reſtitutus &* SANATVS *ad priſtina pietatis tuæ reparetur officia. Et ſic* (inquit) *flectat genu, vel genua, qui eſt languidus* (non adeo in extremis) *& ſtet ad dexteram ſacerdotis; & ſic decantetur hæc Antiphona, Dominus locutus eſt diſcipulis ſuis, In nomine meo Dæmonia eiicite, & ſuper infirmos manus veſtras imponite, & bene habebunt* (Hæc autem omnes fatentur ad miraculoſæ ſanationis donum, non ad vllum Eccleſiæ ſacramentum pertinere) *Poſcit item à Domino, vt ſanet infirmum, cuius* (inquit) *oſſa turbata ſunt, & eripe animam eius. Domine ne in furore tuo arguas me,* cum Gloria, *& repetens, Sana me Domine: Et ſic perungat infirmum de oleo ſanctificato cruces faciendo in collo, & in gutture, & inter ſcapulas, & in pectore. ſeu in loco, vbi plus dolor imminet, amplius perungatur, & ſupplicando dum vngitur infirmus, dicat vnus ex ſacerdotibus hanc orationem, Inungo te de oleo ſancto in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, vt non lateat in te ſpiritus immundus, neque in membris neque in medullis, neq; in vlla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus Sancti, quatenus per huius operationem myſterij, & per hanc ſacrati olei vnctionem, atque noſtram deprecationem virtute S. Trinitatis medicatus, ſiue fotus, priſtinam immelioratam recipere merearis ſanitatem.* Tum ſequitur hæc oratio, *Domine Deus ſaluator noſter qui es vera ſalus & medicina & à quo omnis ſanitas, & medicamentum venit, quique nos Apoſtoli documento inſtruis, vt languentes olei liquore orantes tangeremus reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum.* Ill. *Et quem languor curuat ad exitum, & virium defectus trahit ad occaſum medela tua*

Ibid col. 2.

Ibid. p. 152. col.

p. 148. col. 1.

Q gratia

gratiæ reſtituat in ſalutem. Sana quoque quæſumus omnium medicator, eius febrium, & vnctorum languorum cruciatus, ægritudinemque & dolorum omnium diſſolue tormenta, viſcerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum. Sana diſcrimina vlcerum, vanitatumque putredines euacua. conſcientiarumque atque plagarum obducito cicatrices veteres, immenſaſque remoue paſſiones. Carnis ac ſanguinis materiam reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue, ſicque illum tua pietas iugiter cuſtodiat, vt nec ad correptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem nunc, te auxiliante, perducat infirmitas, ſed fiat illi hæc olei ſacra pervnctio morbi & languoris præſentis expulſio, atque peccatorum omnium optata remiſſio. Tum ad ægrum conuerſus, *Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus, & ſanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & ſatiet in omnibus deſiderium tuum.* Hæc executus tandem in iſta deſinit liber; *Deinde communicet eum* (inquit) *corpore & ſanguine Domini, & ſic faciant illi per ſeptem dies, ſi neceſſitas fuerit, tam de communione quam de alio officio* (id eſt vnctionis, vt & res clamat, & docet Hugo) [a] *& ſuſcitabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Item iubet *ſacerdotes & miniſtros Eccleſia infirmis per ſingulos dies decantare veſperas & matutinas cum hymno.* Chriſte cœleſtis medicina Patris (quem totum poſtea ſuo loco recitabimus.) Poſtremo vel iubet, vel certe docet (eſt enim locus nonnihil ambiguus) *infirmos perungere inſuper in quinque ſenſus corporis, id eſt in ſuperciliis oculorum, & in naribus de intus, & in aurium ſummitate, ſiue exterius, & in labiis exterius, & in manibus exterius, id eſt de foris, in omnibus his membris crucem facientem de oleo ſacrato, vt ſi in quinque ſenſibus mentis & corporis aliqua macula in hos ſit, hoc medicina Dei ſanetur.* Hactenus Gregorianum Menardi ſacramentarium. Neque ab his abludunt, quæ in antiquiſſimo Ordinis Romani libro de hoc oleo occurrunt, iam ipſis Carolinis temporis, vt videtur, edito. In eo volumine hic occurrit titulus: *Benedictio olei ad omnem languorem quocunque tempore.* Tum ſequitur longiſſima oratio, in qua præfantur ſe in Dei nomine *hanc creaturam olei exorciſare ſimulque ſanctificare, quia ita benignus Dominus per ſuos Apoſtolos declarare dignatus eſt dicens*, infirmatur in vobis &c. totumque illum Iacobi locum recitant. Mox, *iterum* inquiunt *per ipſum* (Chriſtum ſcilicet) *omnia poſſibilia eſſe credentibus docuiſti, per eundem locutus es, dicens*, Petite & dabitur vobis, quęrite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Indeque Deum peritiſſimum (vt ipſi aiunt) *medicum implorant, vt apertis cœlis Spiritus Sancti velocitate deducta* (an deductam) *virtutis ſuæ medicinam in hoc oleum propitius infundat.* Mox petunt vt *quibus illud unguentum dederint, continuo peragratis viſceribus eorum omnem euomant violentiam.*

Ibid. col. 2.

a p. 215. ad. lin. 23.

p. 253. col 1. text.

Ord. Rom. T. 10. B bl. Pat. p. 70. col. 1. d. e.

col. 2. a.

violentiam fellis. Proſit (inquiunt) *Pater miſericordiarum, febribus & dyſenteria laborantibus, proſit paralyticis, cæcis & claudis, ſimulque vexatitiis. Quartana, tertiana, & quotidiana excutiat frigora, mutorum ora reſoluat, arentia membra reficiat, dementiam cordis,* (id eſt phreneſin & delirium) *ad ſcientiam reuocet, dolorem capitis oculorum infirmitatem, manuum pedum, brachiorum, pectoris, ſimulque, & inteſtinorum, atque omnium membrorum, tam intrinſecus, quam extrinſecus, medullarumque dolorem expellat ſomnumque quietis infundat, & ſalutem conferat ſanitatis: Si qua vero vel maligna, vel venenoſa naſcentia in corporibus quorumque fuerint generata, tactus vnguenti huius omnes radicitus eorum arefaciat ſationes. Morſus vero beſtiarum, canum rabiem, ſcorpionum, Serpentium, Viperarum, atque omnium monſtruoſorum leniat dolores, & ſuper inducta ſanitate plagarum ſopiat cicatrices. Impetum quoque Dæmonum, vel incurſiones Spirituum immundorum, atque legionum malignarum vexationes, vmbras, & impugnationes, & infeſtationes, artes, quoque maleficorum, Chaldæorum augurum, & diuinorum incantationes, & venena promiſcua, quæ ſpirituum immundorum virtute nefanda, & exercitio diabolico conficiuntur, iubeas Domine, per hanc inuocationem tuam ab imis viſceribus eorum omnia expelli vt exiens inimicus de corporibus famulorum, famularumque tuarum omnium confuſus & excruciatus, & nullam in eis maculam relinquens, à tuis ſanctis Angelis conſtringatur, & in inferno ſic vt eum exſpectat digna ſententia gehennæ ignibus mancipetur, nec vltra ad eos habeat ingrediendi locum, ſed ſaluati famuli tui ab his omnibus malis referant honori tuo laudes in perpetuum ſempiternas, & ſciant quia tu es Deus, inſeparabilis Trinitas regnans in ſæcula ſæculorum Amen.* Atque hæc quidem hactenus ex antiquo tum ſacramentali tum ordine, ex quibus patet quam aliena ſit ab hodierno aduerſariorum ritu iſta veterum vnctio: Nihil habent de *exeuntibus*; nullum poſcunt contra tentationes, quibus morientes impetuntur præſidium; nullam ad cœleſte regnum ingrediendum præparationem, nullas peccatorum reliquias hoc ſuo oleo deleri rogant. Rem totam ad miraculoſam Dei vim referunt; ad vnamque vel morborum, vel dæmonum expulſionem pertinere teſtantur, adeoque nec ſacramentum eſſe ſtricte, proprieque dictum. Quis enim quæ vera ſacramenta ſunt, ad dyſenteriam curandam, vel ad dolores interaneorum leniendos inſtituta eſſe putauerit? Neque alia mens eſt Ambroſianæ, quæ iſtis in ordine Romano ſubiicitur, olei benedictionis, *ad vngendum* (inquiunt) *tam infirmos, quam energumenos.* Hic etiam petunt à Domino, *vt infundat ſanctificationem* ſuam huic oleo *vt* (inquiunt) *ab his quæ vnxerit membra, fugatis inſidiis aduerſariæ poteſtatis, ſuſceptione præſentis olei ſancti ſpiritus gratia ſalutaris debilitatem expellat, & plenam conferat ſoſpitatem.* Ex his omnibus iam luce Ibid. 4.

 meridiana

meridiana clarius eſt quæ, qualiſque fuerit, apud iſtos noni ſæculi mortales infirmorum vnctio, quamque à præſenti Romæ vngendi ritu aliena.

Capvt. XV.

Eodem pertinere adeoque ab extrema vnctione aliena eſſe, quæ iiſdem temporibus ſcripta, ad hanc perperam ab aduerſariis detorquentur teſtimonia, capitularis a. D. 802. editi, Concil. Cabilon. 2. a. D. 813. habiti, Aquisgran. 2. a D 836. Meldenſ. ex Burchardo Moguntin. a. D. 847. Vormatiens. a. D. 869. Herardi Turon. a. D. 858. Agobardi, Amalarij; qui & ipſi 9°. ſæculo floruerunt. Iſtorum vnctionem & ante Euchariſtiam miniſtratam fuiſſe, & quibuſuis infirmis datam; in exitu vero poſitis, minime datam.

EO vero referenda ſunt omnia, quæ in illorum temporum monumentis occurrunt de infirmorum oleo & vnctione loca, quæ iſti nunc ad ſuum illud funebre atque extremum ſacramentum fruſtra referunt. Quale illud eſt, quod in Epiſcoporum Capitulari nuper à Sirmondo primum publicato, & ad annum Chriſti 802. relato legitur: *Vt ſecundum definitionem ſanctorum Patrum, ſi quis infirmatur, à ſacerdotibus oleo ſanctificato cum orationibus diligenter vtatur.* Nimirum *vnctionem* intelligunt eam, non quæ *extrema* nunc dicitur. Sed quæ tum infirmis adhibebatur, eô quô diximus fine, vſu ac modô, ideoque aiunt non *ſi quis in extremis* ſit, vt hodierni aliptæ, ſed ſimpliciter, *ſi quis infirmatur.* Eodem pertinent Patrum Cabilonenſium anno eiuſdem ſæculi, noni ſcilicet, decimotertio, decretum, temere ac fruſtra à Bellarmino, & aliis ad ſuum dogma detortum, *ſecundum B. Apoſtoli Iacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopo benedicitur, à presbyteris vngi debent. Sic enim ait,* Infirmatur quis in vobis &c. *Non eſt itaque parui pendenda huiuſmodi medicina, quæ animæ corporiſque medetur langoribus.* Hæc illi, Ex ſuperioribus autem patet corporis quidem languoribus per ſe, proprie, ac immediate prouiſam tum fuiſſe hanc medicinam, animæ vero per accidens, ac conditionaliter tantum (vt habet Iacobus) profuiſſe. Eoque in olei, quod illinebatur, benedictione, in qua proprij vnctionis iſtius fines, ac effectus continentur; corporis quidem morborum, & periculorum prolixa fiebat commemoratio, animæ languorum nulla fiebat, vt nuper ex ordine Romano didicimus.

cap. 12. Conc. Gall. p. 259.

Conc. Cabil. 2. c. 48. T. 2. Conc. Gall. p. 292.

mus. Hodiernæ vnctionis plane contraria eſt ratio; quam iſti ad curandam animam proprie. per ſe ac immediate comparatam eſſe volunt, corpori non niſi per accidens, & conditionaliter, & raro prodeſſe, & ſi quando prodeſt, non *ſacramentaliter*, ſed aliâ quâdam ratione id effectum dare quod nos ſupra docebat Eſtius. Neque aliter accipienda ſunt, quæ Aquiſgranenſis altera Synodus de hac vnctione habet, fruſtra quoque à Bellarmino & aliis ad ſuam hanc cauſam traducta. Patres illius Synodi preſbyteri erga eos, qui ad ipſius Eccleſiam pertinent, officia ſigillatim deſcribunt. *Si quis natus ſit ne eum ſine baptiſmo mori patiatur.* Baptiſato manus imponi ab Epiſcopo curet, adultum in fide & moribus inſtruat. Vitioſum corrigat, infirmum vngat, morientem viatico, mortuum ſepultura proſequatur. Hæc autem poſtrema preſbyteri in hominem ſuum officia ſic explicant. *Si autem infirmitate depreſſus fuerit, ne confeſſione, atque oratione ſacerdotali, nec non vnctione ſacrificati olei* (id eſt benedicti, ſiue conſecrati) *per eius negligentiam careat. Denique ſi finem vrgentem perſpexerit, commendet animam Chriſtianam Domino Deo ſuo, more ſacerdotali, cum acceptione ſacræ communionis, corpuſque ſepultura, non vt mos eſt Gentilium, ſed ſicut Chriſtianorum.* Hæc illi: ex quibus idipſum quod nuper ad Alcuinum obſeruabamus, ſed multo clarius deprehendere licet, nimirum non vt nunc Romanorum *extremam* tunc quoque fuiſſe, illam veterum vnctionem deſperate ægrotantibus adhibitam. Hi enim Patres clariſſime diſtinguunt preſbyterorum in infirmum, & in moribundum officia. Illum confeſſione, & vnctione: hunc oratione & ſacra communione procurari volunt. *Si infirmitate depreſſus fuerit, ne vnctione careat. Si finis vrgeat ſacram communionem accipiat.* Ergo vt vides, Euchariſtia tum poſt vnctionem dabatur, non vt nunc, Contra. Ergo neque veterum *vnctio, extrema* fuit, quam ſcilicet ſacra communio cum morbus ingraueſcebat, ſequebatur. Imo hinc liquet, plane contra, quam hodie fit, ægrotos *ſi finis* vrgeret, non vngi, ſed precibus tantum, & ſacra communione muniri, atque inſtrui tum ſolitos, neque alios ægrotos inunctos fuiſſe, quam quos nondum *finis vrgebat*, id eſt de quorum ſalute nondum omnis ſpes depoſita, ac abiecta erat. Nimirum veteres ægrotos vngebant, vt ſanarent; noſtri contra aliptæ vngunt, vt ad mortem commode deducant. Itaque illi eos linebant, quos ſpes aliqua erat poſſe conualeſcere, Hi plane contra, eos tantum linunt, quorum de vita conclamatum eſt: vide quam ſit iſtis dialecticum iecur, qui hæc ad conſtituendum ſuum dogma afferunt, cui vix quicquam dici poſſit infeſtius vel magis inimicum: plane ac ſi quis ad ignem, vel extinguendum. oleum, vel accendendum, aquam afferat. Iam ex his non eſt obſcurum,

a. Chr. 836.

Conc. Aquiſgr. 2. de vita & doctr. infer. ordin. c. 5. T. 2. Conc. Gall. p. 583.

ſuo ſenſu iidem Patres in alia Synodi parte, hanc vnctionem *infirmorum ſaluationem* appellauerint, quod nimirum ægrotantes morbo per eam liberari putarent. Bellarmini fraus obiter caſtiganda, qui ait monere hanc Synodum, *ne hoc ſacramentum negligatur, in quo ſaluatio infirmorum continetur*, atqui neque *ſacramenti* vocabulum vſurpant iſti Patres, neque in ea vnctione *infirmorum ſaluationem contineri* dicunt, ſed *credi*. En ipſorum verba, ex quibus liquet, quam homini Ieſuitæ difficile ſit verum ſimpliciter, ac nude enunciare. *Statutum etiam eſt vt vel ſemel in anno, id eſt in quinta feria, quæ eſt in Cœna Domini, vnctio ſancti olei in quo ſaluatio infirmorum creditur, per omnes ciuitates ab Epiſcopis non negligatur, ſic vt nunc vſque neglecta eſt, ſed omni deuotione iuxta traditionem Apoſtolicam, ac ſtatuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.* Neque alia eorum ratio eſt, quæ ex Burchardo habet Bellarminus. *Iuſſiſſe Meldenſe Concilium feria quinta in Cœna Domini parochos ab Epiſcopo accipere ampullam olei ſancti pro infirmis inungendis iuxta Apoſtolicam traditionem.* Hoc quidem ex qua Meldenſi Synodo habuerit Burchardus neſcio. In ea certe, quæ anno 845. habita nunc extat, neque apud Sirmondum, neque apud Binium [a] quicquam huius modi reperio; Sed facile concedo aliquid ſimile vel à Meldenſibus, vel ab aliis eiuſdem ſæculi Patribus fuiſſe decretum. Fateor enim infirmos ab iſtis inunctos fuiſſe, quod hinc conficitur, Vnctos in extremis, hodierno ritu, & ad commode moriendum, (quæ nunc iſtorum eſt diſciplina) non autem proprie, ac per ſe ad conualeſcendum vnctos, nego; qua de re, vt quiuis videt, nihil affirmant allata ex Burchardo Patrum verba. Non eſt pro iſtorum cauſa validius, quod ex Concilio Moguntino, à Rabano anno Chriſti 847. habito afferunt, *orationibus & conſolationibus Eccleſiaſticis ſacrâ cum vnctione Dei animati* (ſcilicet pœnitentes morbo oppreſſi) *ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum communione viatici reficiantur.* Quæ verba (vt hoc obiter dicam) Burchardus velut ex pænitentiali Teodori Cantuarienſis, refert. *Vnctionem* audio; ſane Bellarmine, non tuam, ſed eam, quæ tum in vſu erat ſcilicet, quamque à tua plane aliam fuiſſe nuper liquido demonſtrauimus. Hic autem, quod iam ad ſuperiora aliquot loca obſeruauimus, animaduertas velim *vnctionem* apud iſtos præceſſiſſe; *communionem* ſecutam eſſe; ægrotoſque contra quam apud vos fit, primo orationibus, & ſacra vnctione animatos, poſt ea, & quidem poſtremo, *viatici communione refectos.* De Synodo Vormatiæ habitâ anno 869. nihil neceſſe eſt dicere. Neque enim illi patres quicquam vel nouum, vel proprium decernunt, Sed præmiſſo hoc titulo, *De Epiſtola Sancti Iacobi Apoſtoli, in qua pro infirmis præcipit orare*, nude ac ſimpliciſſime illa ad Decentium Innocentiana,

Vb. ſupr. c. 4. deinde.

Conc. Aquiſgr. 1. de doctr. Epiſc. c. 8. T. 1 Conc. Gall. p. 581.

Bell. vbi ſupr. c. 4. § deinde Burch. l. 4. c. 75. T. 3. Conc. Gall p. 27. v. 6. Conc p. 401.

c. 26. T. 6. Conc.

Lib c. 14.

c. 71. T. 6. Conc. p. 699.

nocentiana, de quibus tam ſæpe iam diximus, ne nominato quidem vel ſemel auctore, recitant, quod & ab Alcuino itidem factum ſupra obſeruauimus.

Iſtius vnctionis meminit & Herardus, Turonenſis Archiepiſcopus in ſuis capitulis, dum præcipit *ne in infirmitate poſiti benedictio ſacrati olei careant*. Herardi autem iſtius capitula Sirmondus refert ad annum Chriſti 858. Meminit & Hincmarus in capitulis, inueſtigari & ſibi renuntiari iubens *ſi ipſe presbyter viſitet infirmos, & inungat oleo ſancto, & communicet per ſe*: vbi obſeruandum vnctionem communioni anteponi, quod & apud Iſaacum Lingonenſem videre eſt, qui poſt quam edixit *ne in infirmitate deprehenſus vitam ſine communione finiat, neue vnctione ſacrati olei careat*, continuo hæc addit, *Et ſi finem perſpiciat ſacroſancto corpore Deo anima eius à ſacerdote precibus commendetur*. Hæc autem ex Capitularis à Benedicto Leuita concinnati, & Anſegiſiano capitulari additi libro ſexto c. 75. vt liquet deſumpta ſunt. Sed non eſt hic omittendus inſignis de eadem vnctione Agobardi locus, qui eodem quidem ſæculo cum Herardo, & Hincmaro, (id eſt nono) ſed paulo tamen quam vterque vetuſtior vixit. Is ergo eos, de quibus erat conſultus, repentina plaga vel vt à Dæmoniis percuſſos, vel exuſtos melius facturos ait, ſi ſua pauperibus & hoſpitibus erogarent, *& ad presbyteros* (inquit) *Eccleſiæ currerent vngendi oleo, ſecundum præceptum Euangelicum, & Apoſtolicum, cum ieiuniis & orationibus quibus ſociari debet Eleemoſyna*. Certe non decumbebant in ſupremis poſiti, quos iſte *currere* iubet, Quin & initio dixerat neminem ſe *ex iſtis mori* audiuiſſe. Ergo etiam iis tum dabatur vnctio, qui licet ad mortem minime ægrotarent, aliquid tamen in corpore graue vel acerbum patiebantur. Amalarius, qui ſub Ludouico quoque Imperatore vt Agobardus, floruit, de oleo iſto infirmorum multa & ipſe habet, vbi de benedictione ſiue conſecratione olei loquitur, quæ fiebat quinta feria hebdomadis Paſchalis, ſiue in Coena Domini. Bedæ, quæ nos ſupra deſcripſimus, ad Marcum verba recitat: ait id oleum earum *eſſe infirmitatum medicinam*, quas Paulus teſtatur nobis ob neglectum officium diuinitus immitti. Addit id, quod *infirmum ſaluat, eſſe orationem fidei, cuius ſignum eſt olei vnctio*, & paulo poſt, *oleum pro infirmis medicinam præſtare ſauciatis*. Ideoque in oratione benedictionis dici *ad euacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnem ægritudinem corporis*. Omnia clara, & ſuperioribus conſentanea. Quod vero Bellarminus obiicit *& hunc, & Alcuinum expreſſe inter ſacramenta numerare vnctionem*, id nullam vim habet, cum nemo neſciat iſtis ſacramentum late ſumpto vocabulo dici ritum omnem ſacrum qualiter in *ordine Romano* vnctionem catechumenorum *ſacramentum* vocari

In capitulis. c. 21. T. 3. Conc. Gall p. 112.

c. 10. T. Conc. Gal p 623.

cap. 23. T 3. Conc. Gal. p. 630.

Ep. ad Bartol. de quorund: illus sign. T. 9 Bibl. Patr. p. 1158. c. Ibid: p. 1255. a.

l. 1. de Eccl. Off. c. 12. T. 10. Bib Patr. p. 316. A. 1. Cor. 11.

Ibid. d.

Ibid e.

Vb ſup. Si. habemus.

caril

T.10. Bib. Patr. 1P. 70. d. cari videmus in Ambroſiana illius olei benedictione, qui vngendi ſunt catechumeni. Si enim de ea vnctione loquentes Deum in oratione compellant, *Deus Sacramenti huius inuentor atque diſpoſitor* &c. Tum etiamſi id vocabulum aliquid concluderet, nihil tamen aduerſarios iuuaret. Nam ſi veteres (quod abſurdum eſt) vnctionem proprie dictum ſacramentum eſſe putarunt, ſuam certe id eſſe putarunt, non illam aduerſariorum extremam: de qua ne ſomniando quidem vmquam cogitaſſe videntur. Atque hæc de nono ſæculo dicta ſunt.

Capvt XVI.

Eandem illam vnctionem ab extrema diuerſam, etiam decimo ſæculo manſiſſe, ex tribus antiquis Menardi libris fuſe docetur.

Decimo vero, imo & vndecimo eam ipſam paucis additis vel immutatis perſeueraſſe vnctionem, quam ex Gregoriano Menardi ſacramentario, & ex ordine Romano nuper repræſentauimus, liquido docent ea quæ ex tribus manu ſcriptis illorum temporum libris ab eodem Menardo allata ſunt, atque edita. Primus Ratoldi Abbatis Corbeienſis fuit, eius iuſſu ſcriptus; omnino ante a. D. 986. quo ipſum Abbatem deceſſiſſe conſtat, vt eſt à Menardo obſeruatum: Continet autem is liber omnem ſacramentorum ritum, atque diſciplinam. In eo vbi ad ordinem vnctionis ventum eſt, Sacerdos intellecta infirmi ex ipſo eius ore voluntate, *principio*, (quod in ſuperioribus nuſpiam occurrit) *facit crucem ex cinere cum aqua ſuper pectus eius, & imponit cilicium deſuper, dicens, ſi quis infirmatur agat pœnitentiam, etiam ex neceſſitate, miſericors eſt Deus*, &c. *ſuccurre Domine infirmo huic, & medica eum ſpiritali medicamine, vt in priſtina ſanitate reſtitutus gratiarum tibi referat actiones.* Et paucis interiectis, *Operam ferat huic infirmo Deus ſuper lectum doloris eius, & ipſe confirmet eum & viuificet.* Tum, *Dominus locutus eſt diſcipulis ſuis, In nomine meo dæmonia eiicient ſuper infirmos manus veſtras imponite, & bene habebunt.* Mox, *Propitietur Deus iniquitatibus tuis, & ſanet omnes ægritudines tuas, & renouetur vt aquilæ iuuentus tua.* Deinde hanc orationem fundit, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Iacobum Apoſtolum tuum introducere presbyteros Eccleſiæ, & vngere oleo infirmos præcepiſti, præſta quæſumus, vt digneris per manus noſtras hunc famulum tuum Ill. infirmum de oleo ſanctificato vngere & benedicere. Hoc autem quod nos exterius tua chariſmata fideliter complectimur, hoc*

interius

Marginal notes: præf. p. 9. — Not. in Sacram. Greg. 336. 337. — Not. in Sacram. Greg. p. 336. 337.

interiùs ſpiritaliter diuina virtus, ac mirabiliter tua magnanimitatis operetur virtutem. Tum variæ ſubiiciuntur formulæ, quibus aures, nares, labia, pectus, ſcapulæ, manuſque ac pedes ægroti inunguntur, vt quicquid his peccatum eſt membris *expietur,* vtque ægrotus *ſpiritali protectione omni ex parte munitus iacula diabolici impetus contemnere, ac procul poſſit cum robore iuuaminis repellere.* Sed & illa vngendi forma hic habetur, quæ ſuprà ferè totidem verbis ex ſacramentario Gregoriano deſcripta eſt, *Vngo te oleo ſanctificato in nomine P. & F. & Sp. S. ſicut vnxit Samuel Dauid Regem, & Prophetam, vt non lateat in te ſpiritus immundus* &c. vt ſupra *quatenus per huius operationem myſterij* &c. *medicatus ſiue fotus priſtinam & melioratam recipere merearis ſanitatem.* His peractis, Sacerdos ægroto Sanctam Euchariſtiam, & quidem ſub vtraque (vt loquuntur) *ſpecie* porrigit, *Corpus* (inquit) *& ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam te perducat, & in die iudicij ad ſanctam requiem te reſuſcitet.* Atque hæc primus Menardi codex. Alter eſt Tilianus, ex V. Clariſſ. Ioannis Tilij bibliotheca ordinem Romanum continens, regnante apud nos Henricô 1 omnino poſt an. D. 1032. ſcriptus, vt eſt ab ipſo Menardo demonſtratum. In eo libro iubetur infirmus, *antequam vngatur, confiteri omnimodis Deo & ſacerdoti ſuo pariter omnia peccata ſua, & reconciliationem ab eo percipere plenam. Et tunc inprimis* (inquit liber) *faciant ſacerdotes aſpergi ſalem, & aquam benedictam, & aſpergant eam cum antiphona, Aſperges me Domine, Miſerere mei Deus.* Quo loco occurrit eadem illa oratio, quæ ſupra ex ſacramentario Gregoriano deſcripta eſt, *Domine Deus, qui per Apoſtolum locutus es* &c. Ac vt illic, ſic etiam hic iubetur ægrotus *genua flectere, & ſtare ad dexteram ſacerdotis.* Sed & illa de Euangelio recitantur, quæ nuper ex Ratoldi codice deſcripſimus, *In nomine meo dæmonia eiicite, & ſuper infirmos manus veſtras imponite, & bene habebunt*: Tum, *imponant* (*inquit*) *manus ſuper infirmum omnes* SACERDOTES (plures enim aderant) *iubente, vel tantum permittente Epiſcopo, quia canonicus ſic docet ordo.* Sequuntur aliquot preces, quales iſtæ verbi gratia *Succurre Deus infirmo iſti,* &c. plane, vt nuper apud Ratoldum. Item, *Deus qui humano generi ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerua famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede, vt medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat.* Dehinc ita liber præcipit, *Et ſic perungant ſinguli* SACERDOTES *infirmum de oleô ſanctificatô, cruces faciendo in collo, & gutture, & pectore, & inter ſcapulas, ſeu in locô, vbi dolor plus imminet, & in quinque ſenſibus corporis & in ſupercilijs oculorum, & in naribus intùs & foris, & in aurium ſummitate exteriùs, ſiue interius, & in labiis exteriùs, & manibus exterius id eſt de foris.* Ac quæ in ſingulis vnctionibus habentur verba eorum gemina ſunt, quæ habet Ratoldi codex. Illud ſingulare eſt, quod

Ibid. p. 338.

Præf. p. 10.

Nat. in Sacr. Gr. p. 346.

vbi plus imminet, (ſcilicet morbus, vel dolor) vnctio hac forma peragitur, *Vngo te de oleo ſancto in nomine P. & F. & Sp. S. obſecrans miſericordiam ipſius vnius Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt fugatis omnibus doloribus, vel incommoditatib. corporis tui recuperetur in te, vitæ virtus & ſanitas, quatenùs per huius operationem myſterij* &c. vt ſupra, *priſtinam & magis robuſtam recipere merearis ſanitatem.* Sed & hæc quæ mox ibi occurrit, formula, notanda eſt, *Inungo te in nomine P. & F. & Sp. S. oleo ſancto, atque ſacrato, vt virtute Spiritus Sancti, tribuat tibi hæc ſacra vnctio ſanitatem animæ, & corporis in remiſsionem omnium peccatorum, & vitam æternam.* Tum addit libri auctor, *Poſt hæc communicet eum Sacerdos corpore & ſanguine Domini, & ſic faciant illi ſeptem continuos dies; tam de communione, quam de alio officio*(nempe vnctione) *niſi neceſsitas contigerit, vt ſe abſtineat.* Sic enim hæc; quæ nonnihil corrupta erant, legenda ſunt, vt ea optime emendat Hugo Menardus. Tandem his & aliis, quæ ſequuntur, *expletis ſacerdotes* (inquit) *dicant orationes, benedictiones ſuper infirmum vnus quiſque ſuam. Si autem adſit Epiſcopus, ipſius officium hoc erit.* Atque hæc quidem ex Codice Menardi Tiliano. Tertius qui Monaſterij eſt S. Remigij, Remis fundati, & Menardo quidem auctore ſcriptus eſt circiter a. D. 1000. ſimilia præcipit fere omnia. Nam & hîc infirmi domum ingrediens ſacerdos, eam quaque luſtrat aquæ benedictæ aſperſione *cum odore thymiamatis, vel alterius incenſi*, & ægrotum pariter de ipſius conſilio, ac voluntate interrogat, *& crucem ex cinere facit ſuper eius pectus, & cilicium eiuſdem capiti imponit.* Tum quę nulla in ſuperioribus occurrit, longa ſequitur ad Chriſtum, ad virginem Deiparam, ad Angelos, & Sanctos litania., Multis aliis ad confeſſionem, & abſolutionem peractis, eædem illæ orationes recitantur, quæ ex Gregoriano Menardi Sacramentario ſupra deſcriptæ ſunt, *Succurre Domine, infirmo huic* &c. *Deus, qui famulo tuo Ezechiæ* &c. *Deus qui futuræ tua* &c. *Virtutum cæleſtium Deus* &c. quæ quidem omnes id à Deo expoſcunt, vt ægrotus per eius ſalutarem gratiam conualeſcat. Vnam exempli gratia à nobis in ſuperioribus breuitatis cauſſa omiſſam, placuit adſcribere *Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas; vt ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra & membra vegetentur, ſuper hunc famulum tuum* Ill. *propitiatus intende, vt omni neceſsitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtina ſanitatis perfecta reparetur.* Ad hæc liber ſubiungit; *Vngatur à ſacerdote, vel plurimis ſacerdotibus, de oleo ſanctificato, facientibus cruces ſingulis in dextro tempore, & ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice, dicendo, Vngo caput tuum oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filij, & Sp. S. vt more militis vncti præparatus ad tutamen poſsis aërias ſuperare cateruas.* Tum ſupercilia, aures, nares, labia, ſcapulæ, manus,

Margin notes: ibid. p. 342. — Caſſand. — ibid p. extr. — ibid p. 344. — præf. p. 10. extr. — id Not. in Græg. ſacr. p. 344. 345. 346. — p. 252. — p. 251. — habetur in ſacr. Greg. p. 242 col. 1. in — p. 351.

manus, pedes ſimili, quo ſupra, ritu inunguntur. Multæ orationes, ſuperiorum ſimiles, recitantur. Cilicium auſertur; infirmus corpore & ſanguine Domini communicatur. *Et ſeptem dies* (inquit) *vel multo plures ſi neceſſitas fuerit, tam de communione, quam de alio officio, erga infirmum fiat. Poſtremo, ſi abeſt Epiſcopus, ſinguli ſacerdotes ſingulas orationes dicant*; quæ ſequuntur ſatis multæ; quinta autem ſic orditur, *Omnipotens Dominus in viſitatione ſua miſericordia tibi propitietur, & ab infirmitate, qua detineris releuando tui miſereatur.* p. 353. p. 354. p. 354. extr.

Capvt XVII.

Superiora confirmantur ex iis, quæ Caſſander in ſuis quoque manuſcripis libris inuenit, & obſeruauit; partim etiã aliorũ confeſſione, vt Matthæi Galeni, veteris Scholiaſtæ Dionyſij, Cuſani, Maldonati, & huius obiter impudens ſuperbia notatur.

Atque hæc quidem & hactenus ex triplici illo Menardi codice; quibus ea plane ſunt conſentanea, quæ Georgius Caſſander, vir bonus, ac diligens ex veteribus quibuſdam manu ſcriptis libris à ſe obſeruata ſuperiori iam ſæculo memorauerat. Nam inter cæteras precationes, quibus ſe ad ægrotum inungendum accingebant olim ſacerdotes, illam diſerte referebat, quæ ſupra eſt à nobis ex Menardi codicibus deſcripta, *Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es* &c. Et cùm inungeretur ægrotus, ubi plurimùm vis doloris incumbebat, adiecta fuiſſe hæc itidem verba, quæ nuper ex Tiliano apud Menardum codice repreſentauimus, *Vngo te de oleo ſancto in nomine P. & F. & S. S.* &c. Addebat Caſſander ſe in alio peruetuſto codice legiſſe ſingulis vnctionibus hæc verba præmiſſa fuiſſe, N. *In nomine P. & F. & Sp. S. accipe ſanitatem*, in pedum vero vnctione hoc modo, N. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſurge, & ambula in pace.* Item alibi inter formulas hanc ſe reperiſſe, *In nomine P. & F. & S. S. accipe ſanitatem. Hæc vnctio per ſignum ſanctæ crucis, & per oleum ſanctificatum, & per donum S. Spiritus, fiat tibi ad ſanitatem.* Sed & quas vnctione facta ſubiectas fuiſſe preces memorat, eæ vt plurimum illæ ipſæ ſunt quas ſuprà ex Menardi libris deſcripſimus, vt hæc verbi gratia, *Deus, qui facturæ tuæ* &c. & illa item, *Deus, qui humano generi*, &c. & hæc, *Virtutum cœleſtium Deus* &c. Sed & hymnum illum, cuius Sacramentarium Gregorianum primum duntaxat verſum recitauit, quemque à ſacerdotibus & miniſtris decantari per ſingulos dies præcepit, eum inquam hymnum Caſſander nobis totum

Hymn Eccl. Schol. in hymn. Chriſte. p. 181. Sacr. Greg. p. 232. Men. not p. 342. Sacr. Greg. p. 341. col 1. ibid. p. 353 col. 1.

a prompt. Theol. Catech. 182.

totum exhibet, quem & ipſum Matthæus quoque Galenus [a] ex manuſcriptis myſteriorum codicibus, eodem plane, quo Caſſander, exemplo deſcribit. Is autem ſic habet.

Chriſte cœleſtis medicina Patris,
Verus humanæ medicus ſalutis,
Prouida plebis precibus potenter
Pande fauorem
En ob infirmos tibi ſupplicamus,
Quos nocens peſtis valetudo quaſſat,
Vt pius morbo releues iacentes,
Quo quatiuntur
Qui poteſtate manifeſtus extans
Mox ſocrum Petri febribus iacentem
Reguli prolem, puerumque ſaluas
Centurionis.
Corporum morbos animamque ſana
Vulneris cauſis adhibe medelam,
Ne ſine fructu cruciatus vrat
Corpora noſtra.
Ferto languenti populo vigorem;
Effluc largum populo ſalutem,
Priſtinis more ſolito reformans
Viribus ægros.
Iam Deus noſtros miſerare fletus,
Pro quibus te nunc petimus, medere,
Vt tuam cunctus recubans medelam
Sentiat æger.
Omnis impulſus perimens recedat:
Omnis incurſus crucians liqueſcat,
Virtus optata foueat ſalutis
Membra dolentis.
Quo per illata mala dum teruntur
Eruditorum numero decori
Compotes intrent ſociante fructu
Regna polorum.
Gloriam Patri, genitæque proli,
Et tibi compar vtriuſque ſemper
Nomine trino, deitate ſoli.
Sidera Clament. Amen.

Hactenus hymnus à Caſſandro recitatus. Iam neque illa, quæ nos ex Menardi libris retulimus, tacet, ſolitam per ſeptem dies continuari ægrotorum vnctionem, eademque illa, quæ nos de hoc argumento verba deſcripſimus, ex ſuis libris exhibet. Quin & rem firmat ex Dionyſianæ Hierarchiæ Scholiaſte veteri, quem ipſe Albertum Magnum fuiſſe putat. Eius teſtimonium à Caſſandro his verbis recitatum deſcribere non piguit; *Cum* (inquit) *pro ſalute infirmantium ſuffragia presbyterorum, & inunctio petebantur, non præſtolabatur ſumma rerum deſperatio; imo, (vt in libris myſteriorum adhuc legitur) Eccleſiæ longiſſimus fuit mos presbyteros orationes & inunctiones per ſeptem dies, ſi oportere videbatur, continuare pro ſalute infirmantium ad Deum votis, & inuocationibus ſupplices.* Vnde liquet ſæculo decimo tertio, quo iſte, ſi Albertus eſt, vixit, iam eum morem, qui nunc obtinet, obrepſiſſe, vt ſcilicet ſumma exſpectetur rerum deſperatio; antea alium fuiſſe, & quidem diu perſeueraſſe Eccleſiæ morem, quod & Matthæus quoque Galenus, & ex recentiſſimis Iacobus Goar [a] confitentur, atque obſeruant. Præterea hoc quoque Caſſander annotauit, [b] quod nos iam aliquoties ſupra diximus, oleô iſtô etiam *energumenos* fuiſſe olim vnctos: quod ex iis Bedæ & ordinis Romani locis firmat, quæ

p. 288. extr.

ibid.

Catech. 181. p. 607.

a not. in Euchol. p. 439. a. extr.

b p. 439. a. extr. Caſſ vb. ſupt. p. 289.

ſunt

ſunt à nobis alibi deſcripta; & monet in ordine Romano energumenos *vexaticiorum* nomine ſignificari; quod veriſſimum eſt. Tum formulam deſcribit, quâ energumenum, ſiue dæmoniacum inungi ſolitum reperit. *Vngo te oleo ſanctificato in nomine P. & F. & Sp. S. vt per ſanctam Trinitatem ſalueris.* *Item* hanc aliam quæ iam ſupra, ſed in alio negotio recitata eſt; *Hac vnctio per ſignum crucis, & per oleum ſanctificatum, & per donum Spiritus Sancti fiat tibi ad ſanitatem.* Inde factum, vt, (quod idem ante monuerat) oleum illud, non modo *infirmorum* ſed etiam *energumenorum* diceretur; quod neque ab ipſo Matthæo Galeno omiſſum eſt. *Dicitur* (inquit) *& poſtremo ſynecdochicos oleum energumenorum, ac dæmoniacorum, quia etiam ad eorum linitionem vſurpabatur, vt teſtatur Beda* ad Marc. c. 6. ſed & hoc vel inprimis eſt inſuper obſeruandum, quod Caſſander deinceps docet, *non adultis modo, verum etiam infantibus morbo correptis vnctionem illam veterem adhibitam fuiſſe.* Cui rei Nicolaum Cuſanum inſignem ſuis temporibus (hoc eſt a. D. 1440.) virum teſtem aſciſcit, vere, Nam Nicolaus Epiſtola tertiâ ad Bohemos diſertè dicit *communicatos quondam infantes, & extrema vnctione, etiã in infantili ætate inunctos, & modo non.* Aſſentitur & ipſe Maldonatus: *Præterea (inquit) an pueris dandum ſit* (vnctionis Sacramentum) *diſputant etiam Scholaſtici & definiunt non eſſe illis dandum Quod ſimiliter eſt falſum. Nam in antiquis auctoribus nulla penitus exceptio reperitur; Sed omnibus ægrotis dicitur dandum eſſe. Et N. Cuſanus ſcribit olim in Eccleſia non tantum adultis, ſed etiam infantibus datum fuiſſe, quod eſt rationi valde conſentaneum, Nam ſi Eucharistia dabatur infantibus (vt dabatur) quanto credibilius eſt datam fuiſſe vnctionem extremam.* Hæc Maldonatus; recte ſane; ſi de veterum vnctione loquitur; ſin de ſuâ falsò & ſtultè. Nam illos quidem, quos conſtat id potiſſimum hic ſpectaſſe, vt morbos depellerent, infantes *vngere* par fuit, quorum ſcilicet corpora in illa etiam ætatula ſuis malis obnoxia ſunt; Aduerſarios vero infantibus vnctionem ſuam adhibere neque verum eſt, neque *ſane conſentaneum,* Neque, quod fingit Maldonatus, ſoli Scholaſtici ſuum illud oleum infantibus negant. Idem ille Cuſanus, vir ſui ſæculi præſtantiſſimus, qui infantes, olim inunctos ait, modò (id eſt æuo ſuo) vngi eos negat. Et Bellarminus, qui Ieſuita fuit, & quidem purpuratus, eos non ſolum nunc vngi, ſed & omnino vngendos negat. Ratio vero cur neget, manifeſta eſt; Nam cum iſti ſuum hoc ſacramentum ad abſtergendas peccati reliquias, proprie ac potiſſimum inſtitutum eſſe velint; quæ (vt liquet) infantibus baptizatis, maxime ex ipſorum hypotheſi, nulla ſunt, clarum eſt, quod & hinc merito concluſit Bellarminus, infantibus neque dandum eſſe hoc iſtorum oleum, neque iis *ſine irreuerentiâ*, vt idem ait *miniſtrari poſſe.* Idem ſentit ac de-

ibid.

ibid. 288.

Cat. 80 p. 199.

vb. ſupr. p. 189.

p. 843. vlt. inod.

q. 3. d. extr. vnct. p. 215. b.

l. de extr. c. 9. § Iam vero.

ind. ſ. 23 § 13. finit Eſtius; eoque procedit, vt dicat, *ſi quis pueris, nondum ratione vtentibus, tentauerit hoc ſacramentum conferre, non modo eum grauiter peccaturum, contra huius ſacramenti inſtitutionem, verum etiam nullum fore ſacramentum, ſcilicet ob defectum neceſſarij ſubiecti, ſeu ſuſcipientis.* Eadem eſt Gregorij de Valentia, [a] Martini Becani [b] Ægidij Coningk. cæterorum denique ad vnum omnium ſententia; iſque vſus eſt, eaque praxis apud aduerſarios; quibus inauditum vngi infantes. Sed tanta fuit ſcilicet Maldonati iſtius ſuperbia, vt præ ſe vno reliquos omnes, etiam ſuarum partium, mortales pro totidem vmbris habuiſſe videatur. Sed ego ad Caſſandrum redeo; qui in alio opere, & hæc eadem de quibus nuper diximus, repetit, & illud præterea, quod à nobis quoque non ſemel ſupra obſeruatum eſt, tradit veteribus in more fuiſſe; vt poſt officium vnctionis, ſi periculum imminebat, corporis & ſanguinis Dominici communicatio, quæ τελετὴ, & perfectio omnium ſacramentorum habebatur, ſubiiceretur. Atque hæc quidem ex Caſſandro.

a in 3. d. 8. q. 2. p. 1.
b de extr. vnct. q. 10.
Conſult. art. 22 p. 985. 986.

CAPVT XVIII.

Colliguntur veteris illius ſeptimo ſæculo, & ſecutis vſitatæ vnctionis ab Extrema recentium Latinorum differentiæ, in fine, forma, ſuſcipiente, modo, ordine, miniſtro, ipſo denique nomine.

IAm ex iis, quæ hactenus diſputauimus, patet quæ, qualiſque fuerit illa ex oleo ſacro vnctio, quæ vel quinto, ſextoque, vel ſequentibus pæne ad duodecimum, ſæculis apud Chriſtianos factitata eſt; Vnde porro promptum eſt animaduertere, quantopere illa ab hodiernæ Romanorum *extrema* (vt vocant) vnctione differret. Nos vtriuſque præcipua ac maxime inſignia diſcrimina breuiter, ac velut in ſummam ex ſuperioribus hoc loco colligemus. Principio ſi fines, quibus res huius generis maxime definiri conſtat, inter ſe comparaueris, immanis hactenus apparebit alterius ab altera diuerſitas. *Finis* Romanæ ſiue *extremæ* vnctionis primarius, ac proprius, quod nos ſupra ſuo loco demonſtrauimus, & diſerte his ipſis verbis docet Eſtius,
vb. ſupr. § 13. *eſt ægrotantem proxime præparare ad fælicem ſtatum vitæ futuræ.* Atque de hac præparatione ad vitæ alterius ingreſſum nullum vel apud Innocentium vel apud Bedam, Alcuinum, Gregorianum Sacramentarium, ordinem Romanum, cæteroſque vel rituum Eccleſiaſticorum interpretes,

interpretes, vel ſynodicorum canonum conditores veteres; in hoc toto negotio occurrit verbum; in quo nihil illi aliud in ore habent, quam *morbi depulſionem dolorum leuamen, infirmis ſanitatem*, & cætera huius generis. Vndè conſtat eius quam ipſi factitabant *vnctionis* finem verum ac proprium, quò res tota ex eorum animo ſpectabat, tunc fuiſſe, vt æger conualeſceret, non, quod nunc volunt Latini, vt ad vitæ alterius ingreſſum præpararetur. Atque ab hac finis diuerſitate, velut ab vnô fonte, cætera quæ inter vtramque vnctionem cernuntur, ferè omnia profluxerunt diſcrimina. Qui enim ad tam diuerſos, atque inter ſe quodammodo oppoſitos fines collimant, eos in cæteris quoque inter ſe diſſidere, diſcrepare, & in diuerſa abire par eſt. Hinc ergo, ſecundo factum eſt, vt forma, qua res ipſæ ſunt, ac conſtant, alia vetuſtæ vnctionis fuerit, alia nunc ſit nouitiæ. Huius quidem formam, quod ſuprà docuimus, & Theologi omnes putant, & Tridentini poſtremò Patres definierunt his verbis contineri, *Per iſtam ſacram vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquiſti per viſum &c.* Veteres planè aliter: diſertè omnes leuari ægrotantis valetudinem, eumque ſanitati reſtitui expetunt. In Gregorianô Menardi codice; *Domine Deus, qui per Apoſtolum locutus es &c. cura quæſumus, Redemptor noſter, gratiâ Spiritus S. languores iſtius infirmi & ſua ſana vulnera, eiuſque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis, & corporis expelle, plenamque & interius exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde, vt ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, & ſanatus ad priſtina pietatis tuæ reparetur officia.* In Tilianô libro; *Inungo te oleo ſanctificato in nomine P. F. & Sp. S. &c. quatenùs per huius operationem myſterij &c. medicatus ſiue fotus priſtinam & melioratam recipere merearis ſanitatem.* His verbis manifeſtum eſt huius apud veteres vnctionis formam contineri; & conſentit Menardus. Eadem ſunt in Caſſandri libris, Quo etiam ſpectant illæ toties in omnibus his libris repetitæ preces; *Famulum tuum illum à lectô ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem. Adeſto propitius huic famulo tuo Ill. vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat.* Eodem pertinet hymnus, quem ſuprà deſcripſimus, & illa apud Caſſandrum in ſingulis vnctionibus præmiſſa, N. *in nomine P. & F. & Sp. S. accipe ſanitatem. N. In nomine Domini noſtri I. Chr. ſurge & ambula in pace.* Itaque in huius olei confectione petebant quod eſt in ordine Romano vt *prodeſſet febribus, & dyſenteria laborantibus, paralyticis, cæcis, claudis, mutis, vexatitiis, phreneticis. Deniqùe quocunque* corporis morbo correptis ſanitatis ſalutem conferret, quin etiam vt aduersùs *canum, ſcorpionum, ſerpentium, viperarum morſus*, aduersùs *dæmonum incurſiones, ac vexationes* vtile ac ſalutare eſſet. Poſtremò, nè ſim longior, quæ ſuprà ex veteribus illis libris attulimus,

p. 251. col. 1.

p. 138.

in Sacram. Greg. p. 332.

eodem

eodem ferè omnia collineant. Neque verò quemquam moueat, quod iidem veteres itidem Deum rogant, vt quos inungunt, iis *pecca-ta dimittat, &* plenam iis (id eſt & animę & corporis) *ſanitatem miſeri-corditer reddat,* & cętera id genus, quę plurima paſſim in hoc eorum officio occurrunt. Nam peccatorum, quæ nos ſcilicet efficiunt qui-buſuis Dei beneficiis indignos, remiſſionem poſcere nos decet, quo-ties à Domino beneficium aliquod petimus. Ita cum vel cibum, vel medicamentum ſumimus, tum quoque ſolemus à Deo benedictio-nem poſcentes, illud vel inprimis petere, vt peccata nobis noſtra condonet. Id vero in ſua vnctione tanto magis facere veteres dece-bat, quod quibus malis hanc mederi putabant, eos fidelibus ob pecca-ta diuinitus immiſſos fuiſſe credebant, quod ſupra ex Beda, & Ama-lario docuimus. Eodem quoque pertinebat, quod illi tam anxie precantur, atque optant vt ægrotus, omniaque eius interiora, mem-bra, oſſa, medullæ, artus, compages à ſpiritibus immundis, omnique eorum maleficâ vi liberetur. Nimirum ex ſacris litteris, & ex Ec-cleſiæ doctrinâ intelligebant dæmonum miniſteriô Deum vti ſolere in hominum etiam piorum corporibus morbo vexandis; eorumque vi vt plurimum turbari mortalium humores, cæteraſque morborum tum internas ſiue προηγουμένας, tum externas ſiue προκαταρκτικὰς cauſ-ſas excitari, atque administrari. Itaque quibus ſanitatem hac ſuâ vnctione procurare cupiebant, meritò ab eorum & animis & cor-poribus omnem hanc nocentium ſpirituum vim votis & precibus ſuis ſedulo (vt ſic dicam) auerruncabant. Ergo concluſum eſto veteris illius vnctionis propriam formam fuiſſe, vt ea ſanitas, ad quam cun-cta illa, id eſt tum peccatorum ab infirmô admiſſorum remiſſio, tum ab omni dæmonum vi liberatio ac expurgatio, factæque ad id preces, re-ferebantur, ægroto reſtitueretur. Atque hinc exoritur tertium vete-ris vnctionis à nouâ, ſane ingens diſcrimen, quod in *ſuſcipientis,* hoc eſt eius, qui vngitur, perſona verſatur. Primo enim cum noſtri nunc Romani non alios, quàm baptizatos oleo hoc ſuo inungendos decerniant, veteres ſuum catechumenis nequaquam videntur inuidiſ-ſe, quod ſcilicet & hos morbis, quibus depellendis ſuam illam vn-ctionem vtilem eſſe putabant, liberare quantùm quidem in nobis ſi-tum eſt, ad caritatem noſtram pertineat. Innocentius quidem III. hoc oleum quod benedicebatur *ad exhibendum exteriorem & viſibilem vnctionem, catechumenorum vel infirmorum dictum* fuiſſe affirmat, Ca-techumenorum vero qui dici potuerit non video, niſi & Catechu-menis miniſtratum fuerit. Secundo ex ipſis baptizatis non alios nunc aduerſarij quam adultos liniunt, veteres, quod nuper ex Cu-ſano, Caſſandro & Maldonato demonſtrauimus, etiam infantes vngebant. Tertio hi energumenis ſuum oleum ex Beda, & ex or-dine

decretal. l. 1. tit. 15 de Sacr. vnct. c. Cum veniſſet

dine Romano, aſſentientibus Caſſandro, & Galeno, oſtendimus, impertiebantur, illi ſuum talibus præfractè quod notum eſt negant. Quarto noua Romanorum vnctio non quibuſuis ægrotis detur ſed iis ſolis, qui (vt ait Bellarminus) *ita grauiter infirmi ſunt, vt de vita periclitentur*, vel (vt ait Eugenius) *de quorum morte timetur*. Veteres plane aliter. Nam quos quidem ad hunc rerum articulum deueniſſe putant, (quo ſcilicet nulla ſpes eſt ægros conualituros) iis nullam amplius vnctionem miniſtrabant, vt ex Alcuino ſupra, & ex Synodo Aquiſgranenſi 2. probauimus, Contra vero, de quorum valetudine nondum ſpes omnis decollauerat, eos quicumque eſſet ipſorum morbus, nullâ religione ſuo oleo inungebant, vti ſuprà ex Eligiô, Beda, Alcuino, Agobardo, ordine Romanô, Gregorij ſacramentariô, cæteriſque ferè omnibus tam publicis, quàm priuatis Menardi, ac Caſſandri veteribus libris demonſtratum eſt. Ex eodem de quo ſupra fonte profluxit quintum, quod in ipſa rei adminiſtrandæ ratione verſatur, non leue quoque diſcrimen. Id libens mitto, veluti leuioris momenti, quod non planè, penituſque eaſdem ac veteres corporis partes Romani nunc noſtri vngant, neque aquæ benedictæ præuiam aſperſionem adeò ac illi vrgeant, neque eaſdem, dum linunt, preces, eaſdemque cæremonias vſquequaque vſurpent. Hoc vnum quòd à ſuperioribus pendet, primum obſeruo, veteres, vt ex Menardi, & ex Caſſandri libris docuimus, eam corporis partem potiſſimùm vnxiſſe, quæ morbô grauiſſimè vexabatur, aduerſarios nihil huiuſmodi factitare, ſed quinque duntaxat ſenſuum ſedes, & pedes ſi fortè, ac renes linere, meritò ſanè, & ex ſuô vtroſque dogmate. Nam & hos, quibus vnicum negotium eſt peccatum oppugnare, eas corporis partes, in quibus id maximè recidere videtur, inungere; & illos, qui proprie morbum petebant, eam quoque partem maximè curare decebat, quam morbus plurimum affligebat. Sed & illud (quod ſecundo loco diligenter obſeruandum eſt) huc quoque pertinet, quod cum Romani noſtri ſuam vnctionem in vno eodemque morbo repeti nefas putent, neque eam in vno eodemque homine iterari aliter concedant, niſi ſi contigerit ægrotum, qui poſt eam prius ſuſceptam conualuerat, iterum poſtea in aliud ſimile vitæ diſcrimen incidere; veteres contrà, diebus ſeptem ſuum illud vngendi officium continuarent, quod vno conſenſu conſtanter affirmant omnes & Caſſandri, & Menardi veteres libri; & ita factum diſerte teſtatur vetus ille Dionyſianæ Hierarchiæ à nobis ex Caſſandro laudatus ſcholiaſtes; & prolixe aſſentiuntur non Menardus modo, & Goar, ſed & (quod ſupra diximus) Matthæus quoque Galenus. Quod vero hic, vt eſt eius mos, ſtolide; & inuerecunde vitilitigat, veteres reliquis poſt primum diebus *ſacramentum* (vt loquitur)

Concil. Trident. Seſſ. 14. c. 3.

Galen. Catech. 182. p. 607.

haud quidem toties repetiuiſſe, ſed ſtatis precibus vnctione curauiſſe laborantia membra, ſanctamque Euchariſtiam duntaxat præbuiſſe; id inquam pluribus exagitare nihil eſt opus. Frigidam enim inuerecundi ſophiſtæ cauillationem vel inſpecti libri refellunt, diſerte præcipientes, vt ſacerdotes ægroto *ſic faciant per ſeptem dies, TAM de communione, quam de alio officio.* Nam quis ex his verbis non intelligit, diebus illis ſeptem ſequentibus, tam quæ ad vnctionem, quam quæ ad Euchariſtiam pertinent facta eſſe ægroto eadem omnia, quæ primo die facta erant? vt ſi ſacramenta Galenus eſſe dicat, quæ primo die æger ſuſcepit oleum, & corpus ſanguinemque Domini, negare idem non poſſit, quin & ſacramenta fuerint, quæ ſequentibus exinde diebus eidem miniſtrabantur. Sin aliud de vnctione pertendat, confiteri quoque cogetur, ne ſacramentum quidem fuiſſe eam Euchariſtiam, quæ poſterioribus diebus ægroto miniſtrabatur. Itaque Goèr illud Galeni ſui pharmacum velut imperiti & inanis medici explodunt ſanè doctiores ac verecundiores earundem partium homines, Menardus, & Goar; *id* (inquit ille) *quod ait Galenus non repeti olim ſolitum vnctionis ſacramentum in eodem videlicet morbô, non videtur probabile, quia hæc verba* tam de alio officio, *ſunt generalia, nec poſſunt reſtringi ad vnctionem membrorum affectorum.* Goar verò; *Cum* (inquit) *relatorum Ordinum verba de vero extremæ vnctionis officio, cuius etiam veras & approbatas ſubiungunt formas, intelligenda ſint, non tanti momenti eſt Matthæi Galeni auctoritas, vt nos à germanô & patente verborum relatorum ſenſu dimoueat.* Sed de Galenô hæc ſatis. Tertiò & ad modum ſiue rationem huius ritus ordo pertinet, quem vnctio ad Chriſtianorum ſacramenta habet. Atqui hac etiam in parte vnctionem alteram ab altera diſcrepare nemo non videt. Suam enim hodie aduerſarij *pro ſacramentorum omnium extremô*, ſiue vltimô habent, Meritò; quò ſcilicet hominem Chriſtianum ex hac vitâ dimitti, & in alteram cœleſtem induci putant. Sic quidem Romani noſtri. Antiquiorum verò temporum Chriſtiani ſuam illam vnctionem, non poſt, ſed antè ſacram Euchariſtiæ communionem dabant; quod ex Alcuinô, ex Aquiſgranenſi Synodo, ex omnibus & Hugonis Menardi, & Georgij Caſſandri veteribus libris liquidò ſuprà demonſtrauimus. Menardus præter trium librorum, quorum loca deſcripſimus, auctoritatem, pluribus aliis & teſtimoniis & exemplis, rem firmat. *Ita* (inquit) *in codicibus Rodradi, & Ratoldi, & Tiliano, & S. Remigij, & S. Germani à pratis, in quibus datur Euchariſtia poſt ipſam vnctionem.* &c. *Idem videre eſt in decretô Euſebij Papæ apud Burch. l. 18. c. 36.* Sacerdos impleat omnia ſicut ſuprà circà ægrotum pœnitentem ſcriptum eſt; id eſt orationes dicat, & vngat eum oleô ſanctô, & Euchariſtiam ei donet. Apparet etiam ex Pœnitentiali Theodori apud Burchard.

Not. in Sacr. Greg. p. 355. extr.

Not. in Euchol. p. 439. extr.

Eſt. vbi ſupr. § 13.

not. in Gr. Sacr. p. 354.

Burchard. *l.* 18. *c.* 36. ſacerdos impleat omnia ſic vt ſupra circa ægrotum pœnitentem ſcriptum eſt; id eſt orationes dicat, & vngat eum oleô ſanctô, & Euchariſtiam ei donet: *Apparet etiam ex pænitentiali Thodori apud Burchardum l. eodem c.* 14. *& Iuonem l.* 15. *c.* 36. Et ideo Secundum canonicam auctoritatem, ne illis ianua pietatis clauſa videatur orationibus & conſolationibus ſacrâ cum olei vnctione animati ſecundum ſtatuta S. Patrum communione viatici reficiantur. Tum affert exempla & Caroli Magni ex ſęculô 9°. & Othonis Bambergenſis & Henrici Lubecenſis, & Elizabeth vxoris Ludouici Landgrauij Haſſiæ, & Adalheidis, & Hugonis Cluniacenſis, & Adalardi Corbeienſis qui omnes vnctionem ante Euchariſtiam percepiſſe narrentur; Quibus exemplis hoc quoque interſerit ex Riculphi Sueſſionenſis Epiſcopi conſtitutionibus; *Item oportet vt presbyteri infirmos ſuos per* confeſſionem & reconciliationem oleo ſancto perungant, & TVNC eos communicent. His à Menardô allatis exemplis alia addi poſſunt ſimilia, Nam a. D. 1021. Herebertus Archiepiſcopus Colonienſis in morbo, ex quo deceſſit, *Sacro eſt vnctus oleo, pariterque corporis & ſanguinis Domini ſacramentis munitus*, vt narrat apud Surium grauiſſimus teſtis Rupertus Tuitienſis. A. 1034. S. Stephanus Rex Hungarorum, ſub mortem *Sacram percepit vnctionem, ſanctamque animam corporis & ſanguinis Chriſti recreatam viatico*, reddidit; vt ait Cartuitius Epiſcopus. A. 1054. Leo IX. P.R. (vt eſt in eius vita traditum) *inungitur ſacri olei liquore, quo facto exhilaratus, munitusque Domini Corporis, & ſanguinis communione emiſit ſpiritum.* A. D. 1087. Arnulfus Sueſſionenſis Epiſcopus, *ſacro oleo voluit inungi, & ſub horam veſpertinam corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti percepit* exinde moritur, vt narrat apud Surium Liſſiardus Arnulphi ſucceſſor. Sed & in ſæculum ſequens id eſt duodecimum ritus iſte manſiſſe deprehenditur. A. quippe 1148. ita vſurpaſſe Malachiam Hiberniæ Epiſcopum, Auctor eſt Bernardus, *Interea* (inquit) *iubet ſe ſacro oleo vngi &c. Vngitur, & ſumpto viatico fratrum ſe orationibus, & fratres commendans Deo ad lectum reuertitur*: Circa idem tempus *Aibertus quoque Monachus ſentiens adeſſe mortem præ foribus acciri iuſſit Engelbertum, id temporis Criſpinienſis cœnobij Priorem, à quo ſacro oleô vnctus eſt, & corporis & ſanguinis Chriſti ſacra communione catholice munitus.* Surius hunc Aibertum floruiſſe cenſet a. 1100. & qui vitam eius ſcripſit, Robertum Archidiaconum Auſtrouandiæ fuiſſe dicit: Quin & Guilielmus Bituricenſis Archiepiſcopus, poſt a. D. 1200. dicitur ægrotans *extremæ vnctionis ſacramentum percepiſſe*, eo percepto *etiam ſacroſanctam Euchariſtiam ſumpſiſſe*, vt legere eſt apud Surium: Atque ex his omnibus apparet quanta fuerit Eſtij vel imperitia, vel certe inuerecundia, qui ſcribere non dubitauit

[Margin notes: ibid p. 135. — Mart. 11. p. 194. — 20. Aug. p. 248. — vita Leon. 9. eſt & apt. Sur. April. p. 104. — Aug. 15. p. 155. — in vita Malachiæ c. 16. apt. Sur. 3. Nob. p. 40. — ap. Sur. 7. April. p. 108. — ibid. p. 104. — 10. Ian. p. 60. — vb. ſupr. §. 18.]

tauit, *vnctionem poſt viaticum corporis Domini perpetuo more Eccleſiæ conferri.* Hæc ſunt nouitiæ vnctionis à veteri, quod ad modum ſiue rationem adminiſtrationis, præcipua diſcrimina. Sed & in miniſtris obſeruanda venit non leuis diuerſitas. Illud mitto quod apud veteres oleũ infirmorum, non vnus, vt nunc, Pontifex ſiue Epiſcopus ſed & inſuper Preſbyteri benedicebant; quod ex Gregoriani ſacramentarij loco ſupra à nobis deſcripto patet. Verum quod maioris eſt momenti; illa vetus vnctio, vt ex Innocentiô I. ex Eligiô, & ex ſermone de tempore apud Auguſtinum 215. demonſtrauimus, non ſolum à ſacerdotibus, ſed etiam ab omnibus Chriſtianis fidelibus peragebatur; certe peragi eam fas erat; Hanc (vt notum eſt) à ſolis ſacerdotibus miniſtrari licet. Sed & apud veteres, non vnus, quod hodie mos eſt, ſacerdos miniſtrabat ſed plures ad vngendum infirmum concurrebant, quod ex tribus libris Menardi ſupra laudatis patet; & eſt à pluribus obſeruatum; vt inprimis à Matthæo Galeno; *Infirmus* (inquit) *quam plurimos aduocabat presbyteros, qui ſi deeſſent, adhibebantur; qui erant ex aliis clericorum ordinibus, quorum ſi non fuiſſet copia vocabatur vtriuſque ſexus religioſiſſimi quique.* Notauit & Menardus ad ſuum Gregorij ſacramentarium, ac poſtremo Goar, qui in eam rem citat Thomæ ipſius teſtimonium, affirmantis, *huic ſacramento* (ſic enim vocat) *competere, vt multi ſacerdotes interſint, vt & oratio totius Eccleſiæ effectum huius ſacramenti coadiuuet.* Sed in codice Tiliano & altero item Remenſi non interſunt modo vnctioni plures ſacerdotes, quod ait Thomas, ſed & ſinguli, qui interſunt plures, imo etiam interdum *plurimi,* & *imponunt manus infirmo, & perungunt de oleo ſanctificato. & orationes ac benedictiones dicunt,* vt ex ſuperioribus liquet. Atque hunc vſum etiam hodie ſeruant Græci recentiores; quod infra ſuo loco docebimus. Denique ne nimius ſim, vnum addam vtriuſque vnctionis haudquaquam (vt mihi quidem videtur) contemnendum diſcrimen, quod à diuerſis eius nominibus deſumitur. Illam enim vnctionem ſuam veteres *infirmorum* & *energumenorum,* quod ſupra oſtendimus, vocabant. Nouitiam, qui nunc frequentant, *extremam vnctionem* & (quod eſt apud Tridentinos) *Sacramentum exeuntium* appellant; quæ duo nomina nuſquam, quod ſciam, in omni antiquitate occurrunt ante vndecimum, fortaſſe etiam ante 12. aut 13. ſæculum. cuius rei, vt obiter hoc quæram, velim mihi rationem aliquam dicant, qui hanc ſuam, vere apud ipſos *extremam,* vnctionem perpetuo in Eccleſiæ vſu iam ab ipſis Apoſtolorum temporibus fuiſſe contendunt. Hæc ſunt præcipua vtriuſque vnctionis diſcrimina. Quod ſi Bellarminus Apoſtolicam vnctionem, cuius mentio fit capite Marci ſexto, à Iacobæa aliam eſſe eo recte concluſit, quod illa vel *ſolum vel præcipue ad curationem morbi corporalis*

p. 66. col. 1.

Catech. 82. p. 606.

p. 11. inſt. Goar in Eudol. p 431. 432. Thol. 4. Contr Gent. c. 83.

Vb. ſupr. c. 2. ſ. probo.

corporalis referretur, & à non ſacerdotibus miniſtraretur, & quibuſlibet ægrotis adhiberetur; quæ omnia à Iacobæa abfuiſſe putat; quanto nos validius veterum vnctionem ab iſtorum hodierna aliam eſſe argumentamur, quæ non ſolum his tribus ſed multis inſuper aliis vt ſubiecto ſuſcipiente, modô, ordine, nomine, formâ denique ipſâ, ab hac differre clariſſime deprehenditur?

Cap. XIX.

Soluuntur quæ ex Oecumenio, Theophylacto, Petro Damiani, vndecimi ſæculi hominibus, pro extrema vnctione afferuntur; doceturque ea ipſa quoque ad ſuperiorem ſeptimo ſæculo vſitatam vnctionem pertinere.

Atque hinc porro liquet aliena eſſe ab eorum cauſſa quæcumque aduerſarij ex decimo, & vndecimo ſæculo veterum afferunt de vnctione teſtimonia; quæ ſcilicet ad eam vnctionem quæ tum obtinebat apud Chriſtianos neceſſario pertinent; non adeo ad hodiernam; à qua veterem illam aliam fuiſſe demonſtratum eſt. Percurramus tamen breuiter ſi quid ex illis temporibus in rem ſuam laudent. Ac ex decimo quidem ſæculo nihil quod viderim, afferunt aduerſarij; Ex vndecimo Bellarminus, & Eſtius & alij Theophylactum & Oecumenium adducunt, & ſcriptores Græcos, qui anno Chriſti ſupra milleſimum ſeptuageſimo floruiſſe vulgo putantur. Oecumenius quidem in illa, Iacobi verba, *vngentes oleo*, hæc habet. τοῦτο καὶ τοῦ Κυρίου ἔτι τοῖς ἀνθρώποις συναναστρεφομένου οἱ ἀπόστολοι ἐποίουν, ἀλείφοντες τοὺς ἀσθενοῦντας ἐλαίῳ καὶ ἰώμενοι. *Hoc etiam Domino inter homines adhuc conuerſante faciebant Apoſtoli, vngentes ægrotos oleo, & ſanantes.* Siccine Bellarmine ſacramentum vnctionis tuæ probas? Atqui tu ipſe paulò ante non modo confeſſus es, ſed etiam contra nonnullos ex tuis, rationibus & argumentis pugnaſti ſacramentum non fuiſſe, quod Apoſtoli, ægrotos vngentes, & ſanantes, Chriſto in terris viuente faciebant, Ergo Oecumenium qui id Iacobum præcipere putat, quod Apoſtoli Chriſto inter homines conuerſante fecerant, tu quidem, ſi tibi conſtat vis, fateri debes neque Iacobæam vnctionem, neque adeo tuam, quam ex illa ductam vis, *ſacramentum* cenſuiſſe; ſed pro miraculoſo quodam dono habuiſſe, quod (vt tu ipſe dicebas) *referebatur ſolum, aut præcipue ad curationem morbi corporalis, & quibuslibet ægrotis promiſcue adhibebatur, non autem ſolis cum periculo vitæ decumbentibus.* En, quos iſti teſtes aduocent. Non fuerunt

In Iac 5. T. 2. p. 478. b.

vb ſupr. c. 2. §. probo. §. accedit.

runt in Thophylacto aſciſcendo acutiores. Quid enim ille quæſo? Illa Marci de Apoſtolis verba enarrans, *& vngebant oleo multos ægros, & ſanabant*, Marcum ex Iacobo illuſtat, perinde vt Iacobum ex Marco Oecumenius, Ergo & hic quoque eandem vtriuſque vnctionem eſſe putat; Ergo neutram Sacramentum proprie dictam ex Bellarmino quidem, & Eſtio & Tridentinis, credidit, qui omnes Apoſtolicam cuius meminit Marcus ex ſacramentorum proprie dictorum cenſu expungunt. Nequid dubites, Theophylactum ecce deſcribo; ὅτι ἤλειφον ἐλαίῳ οἱ ἀπόστολοι μόνος ὁ Μάρκος διηγεῖται, ὃ καὶ Ἰάκωβος ἀδελφόθεος ἐν τῇ καθολικῇ ἐπιστολῇ φησιν. *Quod vnxerint oleo Apoſtoli ſolus Marcus narrat, quod & frater Domini Iacobus in Catholicá Epiſtola dicit.* Tum Iacobi locum recitat. Denique hæc de oleo ſubiicit; ἔστιν οὖν τὸ ἔλαιον καὶ πρὸς κόπους ὠφέλιμον, καὶ φωτὸς αἴτιον, καὶ ἱλαρότητος πρόξενον, καὶ σημαίνει τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, δι᾽ ἧς καὶ κόπων ἀπαλλαττόμεθα, καὶ φῶς καὶ χαρὰν, καὶ ἱλαρότητα πνευματικὴν δεχόμεθα. *Eſt igitur oleum & ad labores vtile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum, ſignificatque miſericordiam Dei, & gratiam Spiritus S. per quam à laboribus liberamur, & lucem ac gaudium hilaritatemque ſpiritualem ſuſcipimus*; Quibus verbis breuiter oſtendit, cur tum in hac Apoſtolica ægrotorum vnctione, tum in aliis Eccleſiaſticis vnctionibus (puta Chriſmatione) olei ſymbolum adhibitum fuerit. Hæc enim quæ ſit olei natura in genere oſtendunt; neque omnia ad infirmorum proprie vnctionem pertinere neceſſe eſt. Certe *Spiritus ſancti gratiam* hoc infirmorum oleo proprie, ac per ſe dari, non Iacobus, non veterum quiſquam dixit, qui non alium ei proprium effectum, quam corporis ſanationem tribuunt, ſed eam quam etiam plerumque (verum conditionaliter & per accidens) vel comitatur, vel ſequitur peccatorum remiſſio. Hæc de Græcis. Vnum ex vndecimô ſæculô Latinum Petrum Damianum afferunt aduerſarij Theophylacti (vt videtur) æqualem. Is recitatis Iacobi de vnctione verbis, *ſolennis* (inquit) *vnctio, liquor excellens, quo ſanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini. Videſne qualiter ſacerdotalis manus infirmantis corpus alleuiat, & illecebroſam ſenſuum motionem ſacratiſſima mitiget vnctione. Vnde & ſancti Patres hanc vnctionem ſacramentum eſſe ſanxerunt.* Hęc ille, Ac prima quidem nihil habent, quod vel cum vetuſtioribus pugnet, vel aduerſariis faueat. Nam hoc oleo *ſanitatem reddi* ait, *& infirmantis corpus alleuiari*, quod illorum vnctioni conuenit horum non conuenit. Sed vltima inuadit Bellarminus, & notat *expreſſè inter ſacramenta numerari hanc vnctionem.* Sed & hic, vt alias ſolet, plumbeo pugione pugnat. Nam *ſacramenti* vocem, non ſtricte ac proprie, ſed late ac improprie Petro vſurpatam inde conſtat, quod in ipsô illô ſermone diſerte ponit,

in Marc. 6. p. 215.

Serm. 1. in dedic. Eccl. qui eſt 69. T. 2. Dam. p. 168. c.

ac

ac enumerat duodecim Eccleſiæ ſacramenta, quorum tertium eſſe iſtam infirmorum vnctionem ait, quartum *conſecrationem Pontificis*, quintum *inunctionem* Regis, ſextum *dedicationem Eccleſiæ*, octauum *canonicatum*, nonum *monachatum*, Decimum *eremitarum*, vndecimum *ſanctimonalium inſtitutum*. Hæc ſeptem poſtrema ſi proprie *ſacramenta* eſſe, ac dici probauerint aduerſarij concedam vt & *infirmorum vnctionem* eo concludant Petro ſacramentum proprie eſſe, quod cum iſtis annumerauerit. Sin illud aſpernantur ac refutant, neceſſe eſt ipſos fateri ſe ſophiſtas eſſe, qui cum illud non valere concedant, hoc tamen, quod omnino eiuſdem eſt rationis, veluti legitimum argumentum vſurpare non dubitant: Cum ergo nihil extet, vnde appareat quicquam in hoc ritu ſæculis decimo, & vndecimo immutatum, crediderim toto hoc tempore ad ſæculum vſque duodecimum vnctionem illam eodem loco ac gradu conſtitiſſe, quo eam octauo, & nono ſæculo fuiſſe nuper demonſtrauimus. Apparet enim ex duobus Menardi codicibus Tiliano & Remenſi eam circa initia vndecimi ſęculi, quô temporê illi libri ſcripti ſunt, adhuc in vſu fuiſſe apud noſtros, vt cuiuis loca inde à nobis deſcripta cum anteriorum ſæculorum teſtimoniis contendenti liquere poteſt. Ibid. p. 167. c p. 168.

Capvt XX.

Senſim ſæculo (vt videtur) duodecimo immutatam illam veterum vnctionem in extremam tandem deſiiſſe. Cauſa & occaſio mutandi. Extrema ab Eugenio a. D. 1439. Et nuper à Tridentinis poſtremo confirmata.

CÆterum priorem illum morem circiter hæc tempora (id eſt vndecimi ſæculi fines, & duodecimi principia) immutatum, & ad hodiernam fere formam innouatum fuiſſe non nego. Sed quod in huiuſmodi mutationibus accidere ſolet, res non ſtatim, neque vno (vt ſic dicam) ſaltu in eum locum, quô hodie conſiſtit, deuenit, ſed ſenſim, paulatimque partim Scholaſticorum hominum labore ac induſtria, partim Romanorum Epiſcoporum, Synodorumque ab iis pendentium auctoritate, & conſtitutionibus deducta eſt. Primæ mutationis indicia in Bernardô apparent, ſed leuia, mox in Hugone à Sancto Victore, & in Lombardo ſententiarum (vt vocant) Magiſtro multò luculentiora, qui tres viri circa annum Domini 1130. & 1145. propemodum æquales vixerunt. Ac Bernardus quidem tanti eam vnctionem Malachiæ viſam fuiſſe narrat, vt mulierem, quod

ea

ea feſtinatô obitu antequam inunctus eſſet, obiiſſet, de mortuis reſuſcitarit, reſuſcitatamque vnxerit (inquit) *nihilominùs, ſciens in hoc ſacramento remitti peccata.* Hugonis [a] & Lombardi [b] pæne eadem eſt de hoc negotio doctrina, & huius etiam ex illo, vult Eſtius [c] ducta, verbatimque in quibuſdam deſumpta, *vnctionem infirmorum in extremis fieri oleo per Epiſcopum conſecrato, eamque eſſe ſacramentum ab Apoſtolis inſtitutum* (quod dictum recentiores vel damnant, vel certe excuſant, & adhibita interpretatione emolliunt) *ad peccatorum remiſſionem, & ad corporis infirmitatis alleuiationem.* Itaque *qui eam vnctionem fideliter, deuoteque percipit, & in corpore & in anima alleuiari, ſi tamen expedit, vt in vtroque alleuietur, Animæ certe ſanitatem in hoc ſacramento acquirere, ſi fortè corporis valetudinem illi habere non expedit,* cæterum *eam vnctionem in omni panè Eccleſia ſæpe repeti.* Hæc Lombardi eſt omnis de infirmorum vnctione doctrina, ieiuna quidem illa, ac exilis (qualia plerumq; ſunt rerum principia.) Sed eam Scholaſtici, argumentoſi ac ingenioſi homines, innumerabilibus poſtea diſputationibus agitatam, ac diuexatam amplificarunt, atque expoliuerunt, paulatimque apud omnes propagarunt, ac conſtituerunt. Nihil neceſſe eſt eorum de hoc argumento rixas, & certamina perſequi, & partem iam aliquam in ipſo operis limine delibauimus. Si quęras, quid cauſſæ fuerit, cur ſeptimo ſæculo & ſequentibus recepta vnctionis ratio abdicata ſit, & hęc in eius locum recepta, id eo maxime factum arbitror, quod cum ſæpe non conualeſcerent qui vncti erant, multique ex iis quotidie, quantumuis accurate benedicto illo oleo perfuſi, & quidem continuato per ſeptem dies (vt moris tum erat) officio, nihilo ſecius ad plures migrarent, abſurdum eſſe viſum eſt, & à recta ratione alienum, vt eſt ſane, vnctionis illius finem & effectum morbi depulſionem & ægrotantis ſanationem conſtituere. Cum ergo vnctionem ipſam, & diuturno vſu receptam, ac confirmatam, & ab iis qui retro, maximè ſeptimo, octauo, nonoque ſæculis vixerant, auctoribus commendatam omnino penituſque abrogare non placeret, certe interpolare, & ad aliquam rectæ rationis ſpeciem incruſtare placuit. Eo factum, vt priſcæ vnctionis cauſſę, nimirum corporis ſanationi, alteram plane diſſimilem aſſuerint, *peccatorum remiſſionem*, atque ex duplici hoc, licet diſſentaneo neque vnicolore, filo, totum myſterium contexuerint, vt ſi moreretur, qui vnctus erat, dici poſſet, non ideo tamen fruſtra vnctum eum fuiſſe, quippe qui ſi non corporis, animæ certe ſanitatem recepiſſet. Sed poſterior hęc ratio priorem paulatim ita loco pepulit, vt tandem ſola fere obtinuerit. Nam ſi rem bene putes, videbis iſtos de *corporis curatione* dicis tantum cauſſa in hoc argumento loqui, eo duntaxat ne à Iacobo, & à veteribus, quos auctores ſe ſequi profitentur

in vita Mal.
a l.1. de ſacr. p. 15.
b l. 4 ſent. d. 23.
c vbi ſupr. §. 2.

profitentur, planè penituſque deſcribere videantur. Ipſa certe ſacramenti huius ratio, quam non aliunde petere ſolent, quam à neceſſitate hominis morientis, & ex hac terrena vita ad futuram tranſeuntis, omnino à morbi curatione, corporiſque ſanatione aliena eſt; quod & iam ſuprà aliquoties diximus, & quiuis per ſe videt. Hæc igitur maxime ratio iſtos impuliſſe videtur, vt veterem de infirmorum vnctione doctrinam dererent, & cum hac nouitia commutarent. Idque eò proclíuicès ac faciliùs factum eſt, quod veteres, etſi ad reſtituendam infirmis ſanitatem in hac vnctione potiſſimum ſpectarent, multa tamen de eius ad obtinendam peccatorum remiſſionem vſu aſperſerant; vt ex ſuperioribus liquet. Quin eo vſque proceſſerant vt ea, quod affirmat & oſtendit Goar, *ad pœnitentiam quoque pertinere* credita ſit, adeoq; *reconciliatiuam manuum impoſitionem* apud eos habuerit. Quo pertinent ea, quæ ſupra ex Ratoldi Abbatis codice paulo ante a. D. 986. deſcripto & ex codice Remenſi recitauimus, ſacerdotem *crucem ex cinere cum aqua ſuper pectus infirmis feciſſe, & cilicium de ſuper impoſuiſſe*, ſimulque dixiſſe, *ſi quis infirmatur, agat pœnitentiam etiam ex neceſſitate* &c. quorum genuina ſunt, quæ & in Tiliano paulo recentiori codice occurrunt. *Imponant manus ſuper infirmum omnes ſacerdotes.* Et ſequitur paulo poſt *abſolutio cum manuum impoſitione. Cinis, cilicium, manuum impoſitio, abſolutio;* omnia ſunt pœnitentiæ. Iuo quidem, qui ad a. duodecimi ſæculi decimum quartum peruenit, ſcribit *vnctionem infirmorum publicæ pœnitentiæ ſacramentum eſſe*; ex ſuis ſcilicet temporis conſuetudine; plane contra quam olim quinto ſæculo ſenſerat Innocentius, vnctionem (quod ſuo loco memorauimus) pœnitentibus adminiſtrandam, negans. Eodem quoque refert Iacobus Goar, quod ab Alphonſo Toſtato proditum eſt, *Euangelij codicem* fuiſſe olim ægrotis impoſitum, eoque ſignificatum *Chriſtum manu omnipotenti extenſa obſecrantis infirmi peccata delere.* Atque hinc, vt liquet, exortus eſt Græcorum mos, hanc vnctionem etiam ſanis ac bene valentibus, conferentium. Merito profecto; ſiquidem vera ſunt quę à ſuis Latinorumque maioribus acceperunt. Nam ſi (quod illi ſtatuebant) ad peccatorum remiſſionem plurimum valet hæc vnctio; cur non ſanis æque ac infirmis conuenit? An ſolos infirmos de peccatis ſollicitos eſſe decet? Latini recentiores ne hunc Græcorum vſum, quem grauiter damnant, reciperent, commenti ſunt præter veterum ſcita, vnctione non quidem peccata ſimpliciter, ſed peccatorum tantum reliquias abſtergi ac deleri; id eſt peccata poſt pœnitentiæ ſacramentum reſidua. Sed cum ne ſic quidem ſibi ſatis cautum eſſe animaduerterent (quod & ſanis huiuſmodi peccatorum reliquiæ ſuperſint, quas & vnctione purgari ſit operæpretium) tandem eo deuenerunt, vt dicerent (& hoc

in Euchel. p. 440. b.

Not. Men. in Sacr Gr. p. 336.

ibid p. 340.

ibid. p. 343.

Ep. 257.

in Euch p. 440 b.

Toſt præf. in Matth q. 34.

præter veterum omnium ſententiam) hanc vnctionem *ſacramentum eſſe exeuntium*, ad hoc proprie inſtitutum vt morituri ad alterius vitæ ingreſſum præparentur; atque ita ab eius vſu ſani omnes excluſi. Vtcunque ſit, (neque enim de eo magnopere nobis laborandum eſt) certe res ipſa teſtatur deiectam de loco fuiſſe veterem illam de vnctione doctrinam, nouamque hanc ei ſuffectam quam, cum ea in ſcholis paſſim iamdudum regnaret, tandem etiam in publica hominum luce decreto ſuo confirmatam conſtituit Eugenius IV. in Synodo Florentina, vel certe paulo poſt eam, anno ſæculi decimi quinti nono & tricesimo; *Quintum* (inquit) *ſacramentum eſt extrema vnctio, cuius materia eſt oleum oliua per Epiſcopum benedictum. Hoc ſacramentum niſi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet; qui in his locis vngendus eſt, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibi vigentem. Forma huius ſacramenti eſt hac: Per iſtam vnctionem, & per ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per viſum* &c. *Et ſimiliter in aliis membris. Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos. Effectus vero eſt mentis ſanatio, & inquantum expedit, etiam ipſius corporis.* Hactenus Eugenius; cuius decretum primum eſt quod ſciam, publicum & authenticum iſtius extremæ vnctionis documentum. Poſt annos ab illo decreto centum, & quod excurrit, Tridentini noſtrorum hominum interceſſionibus excitati rem etiam accuratius excuſſerunt, neque tantum omnes ſui illius aliptici myſterij cauſſas & partes ſigillatim definierunt, ſed etiam contradicentes atrocibus anathematiſmis perculerunt, vt initio huius operis docuimus.

Caput XXI.

Soluitur quod de Græcorum recentiorum conſenſu obiicit Bellarminus; & demonſtratur neque quicquam concludere pro Romana vnctione, neque ſane verum eſſe, id, quod ille ſumit. Multiplex, ac pænè immanis Græcanicæ vnctionis à Latina diuerſitas fuſe explicatur.

Ita paulatim duorum, triumue ſæculorum ſpatio exortum, ac conſtitutum apud Latinos extremæ vt vocant, vnctionis ſacramentum. Græcos recentiores obiicit Bellarminus, *quos cum* (inquit) *conſtat non accepiſſe ſuos ritus à Romana Eccleſia, præſertim ab annis plus quin*

quingentis, quibus à nobis ſeparati fuerunt, certum eſt ea in quibus conuenimus, eſſe antiquiora hereſibus & ſchiſmatibus, quæ poſtea natá ſunt. Græcos autem extremam vnctionem agnoſcere pro vero ſacramento patere ait ex Concilio Florentino, & ex Hieremia Patriarcha CP°. & ex Simeone Theſſalonicenſi, Nicolaoque Cabaſila, ac demum ex ipſo totius gentis εὐχολογίῳ, id eſt rituali libro. Ego vero reſpondeo futilem eſſe hanc obiectionem. Primo enim etiamſi ſtatuatur extremam vnctionem Græcæ Latinæque Eccleſiarum ſchiſmate eſſe antiquiorem, non eo fit tamen, vt id ſacramentum quod hinc concludit Bellarminus, vel à Chriſto inſtitutum, vel à vetuſtiſſima Eccleſia, quæ quatuor primis Chriſtianiſmi ſæculis floruit, frequentatum fuerit. Multa enim à Græcis pariter, & à Latinis iam ante exortum ſchiſma recepta erant, quæ tamen neque diuinitus inſtituta fuiſſe, neque apud primos Chriſtianos obtinuiſſe ſcimus, qualis eſt verbi gratia imaginum cultus, ſanctorum inuocatio, quadraginta dierum ante paſcha ieiunium & alia eiuſdem farinæ non pauca. Sed neque illa quæ connectit Bellarminus, neceſſario inter ſe cohærent, vt in quibus vtraque gens nunc conſentit, ea cenſenda ſint ſchiſmate inter eas exorto, antiquiora. Quidni enim vtriſque, licet alioqui diuiſis, idem error placere potuerit? Idem eſt in vtraque parte ſuperſtitionis ingenium, eædem, certe conſimiles, erroris cauſſę, eadem, quæ ad errorem inuitent vtrobique occurrunt, miraculoſæ vnctionis oleum tam apud Græcos, quam apud Latinos vetus, & olei in ſacris vſus, & Iacobi verba in ſpeciem fauentia, & mortis metus, & externi alicuius ritus in illo articulo ſolatium, (talibus enim præſidiis natura hominis impenſe gaudet) & ſacerdotum denique ambitio, ac cupiditas lucri. Hæc ex quibus natus error, cùm Græcorum ſint cum Latinis communia, non eſt mirandum ſi ex iiſdem vtrobique cauſſis idem apud vtroſque error exortus fuerit. Iudæis, Paganiſque non melius olim, quam nunc Græcis, Latiniſque conueniebat. Et vtrorumque tamen peccata ſæpè fuere eadem, quia ſcilicet etiam diſſidentium ſimilia ſunt in multis ingenia, pareſque cauſſæ. Neque ſi peccant Troiani, eo fit, vt Troianorum hoſtes peccati ſint immunes. Nam vt ſcite ait Poëta acutiſſimus.

Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Nihil eſt in quo homines, etiam cætera diſcordes, etiam inter ſe infenſi, infeſtique melius, aut facilius conueniant, quàm in errore, & peccato. Atque hæc ad ſoluendum à Græcis recentioribus petitum argumentum ſatis ſunt, cui nos multo efficacius opponimus veterem & recentem Æthiopum Armeniorum, & Chriſtianorum Sancti Thomæ praxin, apud quos tota iſta vnctio plane ignota eſt; quod ſuprà demonſtrauimus. Sed tamen antequam Bellarminum dimitto,

vbi ſupr. c. 4. §. Accedat denique.

 libet

libet quoſdam eius errores in iis, quæ de Græcis attulit, annotare. Imprimis quod ille nobis tam confidenter narrat Græcos *in Florentina Synodo ſine vlla contradictione inſtructionem Armeniorum recepiſſe, in qua inter ſacramenta numeratur extrema vnctio*, id inquam vel impudens mendacium eſt, vel certe craſſa, ſupinaque oſcitantia. Quæſo enim vnde hoc habet; certe ex ipſis illius Synodi Actis conſtat Armeniorum inſtructionem non modo à Græcis non fuiſſe (quod inuerecunde affirmat Bellarminus) *incunctanter & ſine vlla contradictione receptam*; ſed ne iis quidem viſam fuiſſe, aut exhibitam. Instructio
Conc. Flor. p. 866. T. 8. Conc.
enim anno 1439. X. Cal. Decemb. data eſt. Græci vero cum ſuo Imperatore quatuor ante menſibus iam omnes Florentia diſceſſerant,
Ibid. p. 861 d. 861. b.
Iulij menſis die partim 20. partim 21. quo tempore recens Florentiam aduenerant Armeniorum legati; adeo vt ipſis Græcos abiturientes vix ſalutare licuerit; ipsâ illa die, qua Græci relicta Florentia, Venetias profecti ſunt; adeo vt eos iamdudum Conſtantinopoli fuiſſe veriſimile ſit, cum Florentiæ ab Eugenio data eſt illa Armeniorum inſtructio. 2. Sed & illud quod ait Bellarminus *Græcos extremam vnctionem agnoſcere pro vero ſacramento*, ambigue ac vafre dictum eſt. Vel enim ſignificat hanc ipſam, quæ apud Latinos nunc exercetur, vnctionem apud Græcos in vſu eſſe, & pro vero ſacramento haberi; vel aliquam apud eos ſolennem eſſe vnctionem, proque ſacramento haberi, quæ tamen alia ſit à Latinorum vnctione. Si hoc intelligit, nihil concludit. Si illud, rem falſiſſimam ponit; ex qua adeo nihil veri legitime colligi poteſt. Itaque ne ſibi aduerſarius de Græcorum conſenſu nimium placeat, vtque liquido cernatur, quam vana ſit omnis hæc eius ratiocinatio, de aliptico recentiorum Græcorum inſtituto quid, qualeue id ſit, nunc dicendum eſt paulo accuratius. Illud inprimis confiteor, quod Symeonis, & Nicolai, & Hieremiæ & Euchologij laudata à Bellarmino loca demonſtrant, ſacram ex oleo fidelium vnctionem in vſu nunc quoque eſſe apud Græcos, eamque cæteris Chriſtianæ religionis myſteriis ſiue ſacramentis accenſeri. Eum ritum Euchologium & ipſi Græci vulgo ἅγιον ἔλαιον, *oleum ſan-*
In offic. olei. S. p. 408.
ctum; ſed & εὐχέλαιον, id eſt *oleum cum oratione* paſſim vocitant; vt &
a s. 5. c. 1.
ex omnibus gentis recentioribus libris patet, & ab Arcudio,[a] & à
b in Euchol. p. 431.
Goare[b] fuſe eſt explicatum. Hoc vero Græcorum εὐχέλαιον idem eſſe, quod *exeuntium* apud Latinos *vnctionem*, pernego. Primo εὐχέ-
Euchol. Off. ol. 5 Arcud. & Goar vb. ſupr.
λαιον Græci ſuum vel à ſeptem ſacerdotibus, vel certe à non paucioribus, quam tribus, ritè miniſtrari putant, Latini vnum ad ſuam vnctionem conferendam ſatis eſſe cenſent. Ac ne putes parum eſſe in numero diſcriminis, mira nobis de ſeptenario myſteria pandit Symeon Theſſalonicenſis, ægreque patitur pauciores, quam ſeptem, miniſtros adhiberi. Extorquet tamen ſumma ſicubi ſit miniſtrorum

ſtrorum penuria, vt tribus ſit contentus, quod & hunc, ſcilicet numerum multa magnaque myſteria conſolentur, quæ & ipſa quoque Symeon recenſet. (ap Arcud. l. 5. c. 3.) Cæterum rem totam concludens exerte, inexorabiliterque ſciſcit, ne pauciores ſint, quam tres. ἔςωσαν μὲν ἑπτὰ, ὡς ἔθος ἀρχαῖον. εἰ δ' ἀνάγκη, τὸ ἔλαττον τρεῖς, καὶ πάντα λεγέτωσαν ὅσα παραδίδοται λέγεσθαι. *Sint quidem ſeptem, vt veteris moris eſt, ſi vero neceſſitas fuerit, tres ſint ad minus, eaque omnia dicant quæcunque dicenda eſſe traditum eſt.* Quam regulam Græci ſic arcte nunc tenent, vt Conſtantinopoli (de Sacr. l. 5. c. 6. 399. b.) *ab officio deponantur presbyteri*, qui vel ſinguli, vel etiam bini Euchelæum adminiſtrauerint, vt eſt à Petro Arcudio traditum. Iam oleum ipſum ſacrum, quod excepto Maldonato, & paucis eiuſdem generis cerebroſis, Latini magno omnes conſenſu, ab Epiſcopo conſecratum tanta neceſſitate requirunt, vt ſi ab alio puta à ſacerdote, benedicatur, vnctionem ſiqua ex eo fiat, ſacramentum eſſe negant; ipſum inquam illud oleum, non alij fere apud Græcos quam presbyteri benedicunt. Imo oleum qui miniſtraturi ſunt ſacerdotes, ipſi in re præſenti, non alias quam ad vſum, conſecrant. Latini contra non aliud quam iam antea ab Epiſcopo benedictum, deferunt, vel vſurpant. Mitto longam precum, lectionum, canticorumque farraginem, quibus in hoc ſuo myſterio vtuntur Græci, à Latinorum ritu diuerſis. Hæc ſi quis volet, in Euchologio fusè explicata legat. Sed & de iis, qui hoc oleo inungendi ſunt, multo etiam maior Græcorum à Latinis diuerſitas. Illi enim imprimis quiritantur, quod hi non alios, quam homines moribundos ac in ſupremis ſitos, animamque pæne efflantes, inungendos putant. Ἐνταῦθα (inquit Symeon Theſſ.) καὶ ἄλλη τις τῶν καινοτομούντων Λατίνων καταβάλλεται δόξα. οὗτοι γάρ φασι τὸ ἅγιον ἔλαιον μὴ χρὴ δίδοσθαι τοῖς ἐλπίδα κεκτημένοις ζωῆς, ἀλλὰ τοῖς ἀποθνήσκουσι μόνοις. ἐπεὶ ἁμαρτημάτων παρέχεται ἄφεσιν· ἀπεναντίας τοῖς ἀποστολικοῖς, ὡς ἐν ἅπασι καὶ ὧδε καὶ φρονοῦντες καὶ πράττοντες ῥήμασι. τοῦ γὰρ ἀδελφοθέου βοῶντος, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος, οὗτοι τοῖς μὴ ἐγειρομένοις παρέχειν τοῦτο φασί. (l. de Sept. Sacram. ap Arcud. l. 5. c. 7. p. 402.) *Hic quædam alia quoque Latinorum res nouas molientium deſtruitur ſententia. Hi enim aſſerunt ſanctum oleum non ſpem vitæ aliquam habentibus, ſed ſolis moribundis tribuendum eſſe, quandoquidem remiſſionem præbet peccatorum, contra verba Apoſtolica, vt in omnibus aliis, ita etiam hac in re & ſentientes & facientes. Cum enim Dei frater* (Iacobum dicit) *clamet*, Eriget eum Dominus, *iſti aiunt iis, qui non eriguntur, eſſe præbendum.* En Græcorum cum Latinis tantopere celebratam à Bellarmino concordiam! Mitto cætera, ſanè acerbiſſima, Symeonis in Latinos hac de re dicta. Neque ea moror, quibus Arcudius Græculi hominis in ſuos Romanos libertatem compeſcere conatur. Satis eſt, quod ex Symeone liquet, Latinorum ritum ſolis *exeuntibus* ſuum illud oleum deſtinantium Græcos infenſis animis, veluti Iacobæi decreti deprauationem

auerſari. Ipſi vero tantum ab eo more abſunt, vt ſuum εὐχέλαιον, non modo nullis ægrotantibus, ſed ne ſanis quidem, ac optime valentibus inuideant. Præter Græcos auctores qui bene multi apud Arcadium id affirmant, ipſe quinetiam teſtatur eum eſſe hodie vſum non in vno *aliquo Græciæ angulo*, ſed vbique paſſim apud totam gentem, neque in Græcia modo ſed & præterea *in Ruſſia, Moſcouiaque vniuerſa*. Itaque Euchologium non modo in priuatorum ædibus vbi infirmi ſolent decumbere, ſed & in Eccleſia adminiſtrandum εὐχέλαιον ſuum docet. Quin & Iacobus Goar auctor eſt quotannis feria quinta *in Cœna* (vt vocant) *Domini* publicam eſſe penè omnium apud Græcos vnctionem. Eo enim die ſolere plæroſque omnes ſeſe in Eccleſia oleo ab Epiſcopo benedicto vngendos offerre; Ipſe enim inprimis Epiſcopus ante omnes de manu Oeconomi vnctionem ſuſcipit; tum reliquos aſtantes deinceps inungit. Ac morem hunc, ne abſurdum aut nouum putes, Goar ab ipſis Damaſceni temporibus repetit; cuius ſupra recitata à nobis verba ſimile quid iam tum in vſu fuiſſe tinniunt; *Qui ægrotantem* (inquit) *vnguento, vel alio ſacro oleo vult inungere, prior ipſe vngendo particeps eſt vnctionis, & ſic poſteà morbo laborantem inungit*. Sed neque in viuis ſtetit Græcanica Euchelæi liberalitas. Quid, quod ſacri ſui olei ipſis quoque mortuis copiam faciunt? Iis verò ſacrum oleum eodem fere ritu, quo viuis, à ſeptem quoque presbyteris vna cum diacono miniſtratur, *niſi quod in defuncti ſepulcro papyrus* (inquit Goar) *oleo tincta ab vnoquoque ſacerdotum accenditur, qua velut ſacrificio delictis ab omnibus, anima promittitur expianda quibuſcunque pœnis eximenda*. Atque olearis ſui huius piaculi eam eſſe vim Græci ſibi perſuadent, vt ipſis etiam damnatis ad ſalutem interdum prodeſſe putent; commemoratis hoc loco Falconillæ, Traiani, & Theophili cuiuſdam Iconoclaſtæ exemplis, quos omnes iam in gehenna verſantes ſimilia quædam piacula ab inferis reuocauerint. Exhibent hoc mirificum ſane extremæ vnctionis officium Græcanica antehac Venetiis edita a. D. 1544. 1559. 1570. Euchologia; quod Goar diſerte teſtatur in hunc locum. Ipſe in ſua Græcolatina Euchologij editione, totum omiſit; quo conſilio, nouit Deus, Ego quidem nollem factum. Nam publicum Græcæ gentis rituale edentem nefas fuiſſe videtur ea, quæ & apud ipſos recepta, & ab ipſis pro ſuis iam non ſemel edita ac publicata ſunt, prætermittere: Vt ipſius ritus antiquitatem mittam; quem Goar à Nicolao quodam Athenienſi Antiſtite iam ante annos plures, quam 400. inſtitutum refert, & à Symeone Theſſalonicenſi decimi tertij ſæculi homine, poſteà his verbis approbatum; ἐγὼ γοῦν (inquit) ὡς ἐνεχώρει περὶ τούτων ζητήσας, εὗρον ὡς ἀγαθόν ἐστι γίνεσθαι, καὶ τοὺς βουλομένους ποιεῖν οὐ χρὴ κωλύειν. *Ego quantum licuit de his perſcrutatus, comperi bonum eſſe, vt fiat* (olei ſcilicet officium circa

vbi ſupr. c. 4.

ibid. p. 387.

Not. in Euchol. p. 413 a. & 436. b.

Damaſcen. Orat. de defunct.

vbi ſupr. p. 441. a.

p. 441. init. ann. or.

circa mortuos). *& obſeruare volentes non eſſe prohibendos.* Idemque à Græcis iam ante a. D. 1439. factitatum vulgo fuiſſe apparet ex Actis Synodi Florentinæ; in quibus legimus, quod me ſupra iam obſeruaſſe memini, Latinos à Græcis quæſiuiſſe *quare mortuos ante ſepulturam oleo innungerent?* Quin & prima huius ritus rudimenta iam apud Græcos ſexto nimirum Chriſtianiſmi ſæculo extitiſſe eo Pſeudodionyſij loco, quem alibi deſcripſimus, clarum eſt; in quo ſcriptum extat ſolenne iam tum fuiſſe, vt *Pontifex mortuum oleo ſecundum ſalutationem perfunderet.* Sed & noſtra vtilitas requirebat ne hic Græcorum ritus occultaretur. Omnium enim Chriſtianorum intereſt ſcire, & animaduertere in quas non modo ineptiarum, & anilium quiſquiliarum ac ſuperſtitionum, ſed etiam ſacrilegiorum, ac immanitatum voragines præcipitare homines ſoleant, vbi ſemel de relicta Spiritus in Scripturis docentis norma ſibi ipſis indulgere, & mortalium cogitationes ac traditiones in religione ſequi in animum induxerunt. Quæſo enim quantulo hæc Grecanica ex oleo & papyro piacula diſtant ab execrandis Paganorum inferiis, ac buſtuariis ſacris? Hanc ſcilicet miſeri ſpretæ, derelictæque cœleſtis Scripturæ mercedem habent; cui ſi conſtanter adhærere & ipſi, & Latini voluiſſent, numquam profecto inſtitutum diuinitus ad morbos ex ἰαμάτων dono curandos oleum, vel illi ad mortuos ab inferis reuocandos; vel hi ad viuos in alteram vitam traducendos, parum religioſe vtrique, ac præter manifeſtam Domini mentem, transtuliſſent. Sed cætera Græcanici euchelæi nunc perſequamur. Latini quidem, vt ſuo loco demonſtrauimus, oculos, aures, nares, os, manus, pedes, & renes inungunt. Greci vero, ne quid ſit non diuerſum, frontem, faciem & manus. Sed & illud habent ſingulare, quod non ægrotum modo, ſed & *totam domum*, in qua is iacet, *perungunt*, *ſigno crucis inter vngendum expreſſo.* καὶ μετὰ τοῦτο (inquit Euchologium) ἀλείφουσιν ὅλον τὸν οἶκον, ποιοῦντες τύπον σταυροῦ Neque hoc omiſerim, quod ſeptem *ſacerdotum præcipuus Euangelij codicem ſuper caput* hominis inungendi *ponit, cæterique ſacerdotes manus ei imponunt.* λαβὼν ὁ προεστάμενος τῶν ἱερέων τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον τίθησιν εἰς τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ τιθέασιν ἐπ' αὐτοῦ τὰς χεῖρας οἱ ἱερεῖς. Iam non ſemel, vt noſtri Latini, ſed ſepties ægrotantem inungunt, ſuoque hoc toto myſterio muniunt. Officium enim idem ſeptem ſacerdotes ſuo vnuſquiſque ordine peragunt. αὕτη ἡ εὐχὴ λέγεται, παρ' ἑνὸς ἑκάστου τῶν ἱερέων μετὰ τὸ εὐαγγέλιον, καὶ τὴν εὐχὴν χρι-όντων ἅμα τῷ ἐλαίῳ τὸν νοσοῦντα. *Hæc oratio* (ea ſcilicet, qua ipſam ſacramenti huius formam contineri volunt & Goar, & cæteri) *dicitur ab vnoquoque ſacerdotum, poſtquam dixerit Euangelium & orationem, ſimul inungens infirmum oleo.* Arcudius, nequid dubites, explanat fuſius. *Poſtquam* (inquit) *vnus preſbyter totum ſacramentum peregerit,*

poſt. Seſſ. 25. T. 8. Concil. p. 819. c.

Dion. de Eccl. hier. c. 7.

Sym. Theſſ. apud Arcud. l. 5 c. 7. Euchol. p. 4 0. extr. ibid.

Euchol. p. 417.

Euchol. p. 417.

in Euchol. p. 437.

L. 5. c. 6. p. 386.

alie

aliter ſuccedit; & exceptis aliquot precationibus ad eſſentiam ſacramenti minus ſpectantibus, quæ diſtincta ſunt ab illis, quas prior recitat, reliqua æque atque primus conficit & abſoluit. Nam & oleo ſacro inungit ægrotum; & eaſdem partes corporis inungit, & eadem prorſus ſacramenti vtitur forma. Hęc Arcudium in Græcis ſuis ferre ne ipſe quidem potuit. Multa enim ad hanc eorum ἀλληπτικὴν iterationem vel purgandam, vel certe nonnihil excuſandam molitus, poſtremo ſentiens nihil iuuare

Ibid. p. 398. ſua ἑῷα φάρμακα, rotunde confitetur *hanc Græcorum conſuetudinem, vt nunc fit, eſſe abuſum.* Idemque identidem huic Orientalis Occidentaliſque Eccleſiarum Conciliatori in aliis fere omnibus diſputationis partibus accidit; quod etiam Goar obſeruat; atque indignatur.

in Euchol. p. 438. a. *Mihi* (inquit) *illud mirandum magis ſemper fuit, vt quos concordes cum Latinis pollicetur exhibere Græcos in ſacramentorum ſenſu, eos leui occaſione ad diſcordiam prouocet, & quaſi fidei rupto fœdere erroris & ſacrilegij non ſolidis, vt mihi quidem conſtat, indicijs condemnare non vereatur.* Sed illi quidem viderint, ſacrilega-ne ſit an ſecus Grę-canica vnctio; Nobis ſatis eſt, quod à Latina longe alia eſt. Quo vel inprimis illud pertinet, quod in hoc adhibendo oleo Græci hoc ſemper & quidem maxime ſpectant, vt corporalem inuncti valetudinem aut reſtituant, aut certe firment ac muniant. Clamant hoc omnes eorum in hoc peragendo preces; omnes olearij officij partes.

Euch. in off. Euchol. p. 410. ὄρεξον χεῖρα τὴν σὴν ὑψηλὴν φιλάνθρωπε, καὶ τὸ ἔλαιόν σου τοῦτο ἁγιάσας [illegible] τῷ σῷ οἰκέτῃ εἰς ὑγείαν καὶ νοσημάτων ἐκλύτρωσιν. *Manum tuam* [illegible] *præbe ô benigne, & tuum oleum ſanctificans, ſaluator, in ſanitatem & morborum omnium depulſionem illud famulo tuo impertire.* Tum;

ibid. p. 411. ῥείθροις τοῦ ἐλέους σου χριστὲ καὶ ἐπαλείμματι τῶν ἱερέων σου, πραΰνον ὡς εὔσπλαγχνος Κύριε, τὰς ὀδύνας καὶ τὴν κάκωσιν, καὶ ἀλγεινὰς ἐπιφορὰς τοῦ ἐν ἀνάγκαις παθῶν λυομένου, ὅπως δοξάζῃ σε σωθεὶς εὐχαρίστως. *Miſericordiæ tuæ fluentis Chriſte, & ſacerdotum tuorum linimentis, abſterge Domine, vt humanus, dolores, & vexationem & incrementa languorum huiuſce, qui in morborum anguſtiis deficit, vt ſeruatus gratanter te glorificet.* Item;

p. 412. διὸ ἐλαίῳ σου πιστῶς τὸν προσιόντα καὶ νῦν, ὡς εὔσπλαγχνος ἁγίασον, ἐλέησον. παντοίας νόσου καθάρισον. *Ad oleum propterea tuum nunc fideliter accedentem ſanctifica & miſerere, vt humanus, omni morbo expurga eum.*

p. 413. Mox; λύτρωσαι νοσημάτων, καὶ πικρῶν ἀλγηδόνων ἔγειρον. *A morbis libera, & ab amaris languoribus erige & excita.* Denique ne omnia de-

p. 417. ſcribam, ipſa illa oratio qua totius myſterij vim contineri ipſi Latini volunt. Πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ τῶν ψυχῶν καὶ σωμάτων, ὁ πέμψας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πᾶσαν νόσον ἰώμενον καὶ ἐκ θανάτου λυτρούμενον, ἴασαι καὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε, ἐκ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σωματικῆς καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας, καὶ ζωοποίησον αὐτὸν διὰ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ σου. *Pater ſancte, animarum & corporum medice, qui filium tuum vnigenitum, Dominum*

Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem miſiſti; SANA quoque ſeruum hunc tuum à detinente illum corporis animaque infirmitate, & viuifica illum per Chriſti tui gratiam. Itaque vt ſunt acuti & ingenioſi, inter cæteros cœlites, quorum in hoc opere præſidium, atque operam requirunt, diſerte eos commemorant quorum propria eſſe creditur in morbis depellendis, curandiſque vis, atque induſtria; quales ſunt verbi gratiâ Coſmas, & Damianus, Cyrus & Ioannes, Pantaleon, & Hermolaus, Sampſon & Diomedes, Photius & Anicetus, ἰαματικοὶ ἀνάργυροι, *Medici* (vt ipſi vocant) *nulla mercede conducti*; de quibus Goar ad hunc locum fuſe. Sed & poſtea Dominum rogant vt *medicam ſuam virtutem cœlitus emittat*, vt corpus tangat; febrim extinguat, dolorem mitiget, & occultam omnem infirmitatem eiiciat. γενοῦ ἰατρὸς τοῦ δούλου σου τοῦδε (inquiunt) ἐξέγειρον αὐτὸν ἀπὸ κλίνης ὀδυνηρᾶς καὶ στρωμνῆς κακώσεως. σῶον καὶ ὁλόκληρον χάρισαι αὐτὸν τῇ ἐκκλησίᾳ σου εὐαρεστοῦντα καὶ ποιοῦντα τὸ θέλημά σου. *Fias medicus ſerui huius tui. Erige eum è dolorum lecto, ab infirmitatis ſtrato. Saluum & incolumem illum Eccleſia tua largire, beneplacentem tibi, & voluntatem tuam exequentem.* Eadem mox iterum apud Deum repetunt, quo loco ſibi per Apoſtolos à Domino datum profitentur ἐλαίῳ μετὰ προσευχῆς τὰς ἀσθενείας τοῦ λαοῦ θεραπεύεσθαι, *vt oleo cum oratione infirmitates populi curans.* Itaque ab eo petunt, vt ipſe *oleum illud ordinet atque conſtituat in medelam ſiue ſanationem ex eo vngendis, in remedium omnis languoris & infirmitatis, in liberationem malorum iis, qui ab ipſo ſalutem expectant.* αὐτὸς δὲ τὸ ἔλαιον τοῦτο σύνταξον εἰς ἴασιν τοῖς ἐξ αὐτοῦ χριομένοις, εἰς ἀπαλλαγὴν πάσης νόσου καὶ πάσης μαλακίας, εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν κακῶν τῶν ἀναμενόντων τὴν παρὰ σοῦ σωτηρίαν. Cum his conſentiunt omnes Græci recentiores; Hieremias P. CP. Gabriel Philadelphienſis, Ioannes Nathanaël, Emanuel Caleca, Symeon Theſſalonicenſis; alij, qui vna omnes docent hunc ſui olei finem, hoc effectum eſſe, vt corporeis morbis liberentur. Loca ipſa piget deſcribere, quæ apud Arcudium videat, qui volet. Quod ſi Græcos vrgeas, cur ergo ſuum euchæleum ſanis ac beneualentibus miniſtrent, quod ipſi ad morbos depellendos comparatum eſſe volunt; illi vero, vt eſt acutum genus, facile reſpondent, id ita à ſe fieri διὰ τὸ ἄωρον τοῦ θανάτου, καὶ ὡς τὰ πολλὰ αἰφνίδιον καὶ ἀπροσδόκητον, *propter immaturam, ac plerumque ſubitaneam, & inexpectatam mortem*, vt loquuntur apud Arcudium, Philadelphienſis Epiſcopus & Iob Monachus. Mature ſcilicet de remedio ſibi proſpiciunt, & à morbis & morte multo antequam ingruant, ſibi cauendum putant. Sin ea verba Apoſtoli obiicias, in quibus *peccatorum remiſſionem* inunctis promitti, fatentur & hanc in ſuo euchelæo haberi, ſed ita tamen, vt à corporis curatione non ſit diuellenda; Ideo enim inunctis remitti peccata, vt iis liberati donum ſanitatis à Domino conſequantur. Sic

Ibid.

Not. p. 417.

Euchol. p. 420.

p. 421. Vid. & p. 423. 424. 419.

l. 5 c. 7. p. 402. 403.

V enim

enim verba Iacobi accipit Symeon Theſſalonicenſis, ſane non inepte:
ap. Arcud. l. 5. c. 7. p. 403. κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς ἀφεθήσεται αὐτῷ. ἵνα ἰαθῇ (inquit) καὶ ἐγερθῇ δηλο-
νότι. Etſi peccata admiſerit, dimittentur ei; *vt ſanus fiat videlicet & eri-
gatur.* Atque ex his liquet exiſtimare Græcos verum ac proprium ſuæ
vnctionis finem eſſe morbi depulſionem, & hominis inuncti cura-
tionem, ac ſanitatem: quod à Latinorum dogmate quam ſit alienum,
ſupra oſtendimus. Itaque morbi depulſionem illi quidem & vbique
in toto officio, & in ipſa etiam *formali* (vt vocant) huius euchelæi
precatione enixe à Domino petunt; hi vero ne ſemel quidem memo-
rant in ſua oratione, vnam peccatorum remiſſionem expoſcentes, &
conferentes, vt ipſi quidem ſibi perſuadent. Denique neque illud o-
mittendum eſt, quod & Arcudius, & Goar obſeruarunt, Græcos ſuum
illud euchelæum ad id, quod & Latini vocant, *pœnitentiæ ſacramentum*
referre, eique vim aliquam tribuere ad quorumvis pœnitentium de-
lenda peccata. Nam tametſi nulla in Euchologio fiat huius olei ſacri
vſus diſerta mentio, tamen & Græci vulgo Theologi ita docent, & res
ap. Arcud. l. 5. c. 4. p. 385. ipſa loquitur. Simeon Theſſalonicenſis; ἅγιον ἔλαιον παραδέδοται ὡς
ἱερὰ τελετὴ καὶ θείου τύπος ἐλέους, εἰς ἀπολύτρωσιν καὶ ἁγιασμὸν τοῖς ἀπὸ ἁμαρ-
τίας ἐπιστρέφουσι χορηγούμενον. *Sanctum oleum traditum eſt veluti ſacrum
myſterium, diuinæque miſericordiæ typus, quod in redemptionem & ſanctifi-
cationem præbetur iis, qui ſe à* PECCATIS *conuertunt.* Id vero qui
Ibid. p. 386. fiat luculentius idem ſic exſequitur; ἁμαρτάνοντες προστρεχόμεθα θείοις
ἀνδράσι, καὶ μετανοοῦντες τὴν ἐξαγόρευσιν τῶν πλημμελημάτων ποιούμεθα. ὧν τῇ ἐπι-
ταγῇ προσφέρομεν ἅγιον ἔλαιον τῷ θεῷ εἰς τύπον αὐτοῦ τῆς ἐλεημοσύνης καὶ εὐσπλαγ-
χνίας. ἐν ᾧ τὸ θεῖον καὶ ἱλαρὸν ἀστράπτει τῆς χάριτος φῶς. καὶ γὰρ καὶ φῶτα
προσφέρομεν. ὅτε δὲ καὶ ἡ εὐχὴ προσάγεται, καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται, οἱ χριόμενοι
τῷ ἐλαίῳ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων δέχονται. *Commiſſo peccato ad viros
diuinos* (id eſt confeſſarios, quos Græci πνευματικοὺς vocant) *accedimus
& pœnitentes erratorum confeßionem facimus; eorumque iuſſu offerimus
Deo ſanctum oleum in ſignum ipſius miſericordiæ ac benignitatis: in quo di-
uinum, & exhilarans reſplendet gratiæ lumen* (*nam & lumina offerimus*)
*Cum vero & oratio defertur, & oleum ſanctificatur, qui oleo vnguntur, re-
mißionem peccatorum conſequuntur.* Hoc vero idipſum eſt, quod Na-
thanaël *à quibuſdam pſeudo-Abbatibus & illiteratis Græcis aßidue fieri gra-
uiter conqueritur.* ἀνόητοι ὄντες (inquit) τοῖς ἁμαρτάνουσι ἀντὶ ἐπιτιμίου καὶ ἀντὶ
Ibid. p. 387. ἁγιασμοῦ ὡς μετανοοῦσιν χορηγοῦσι. nimirum, τὸ ἔλαιον. *Inſanientes
peccantibus, ſi reſipuerint, loco mulctæ ſiue pœnæ canonicæ, & inſtar ſancti-
ficationis iſtud præbent,* olei myſterium. Sed & eodem pertinere viden-
in ad. cum vict. p. 79. tur quæ de euchelæi effectis affirmat Hieremias; καὶ λύσιν (inquit) ἁμαρ-
τημάτων παρέχει, καὶ ἐξ ἀρρωστημάτων ἐγείρει, καὶ ἁγιασμοῦ ἐμπιπλᾷ. *Et
Ibid. p. 147. remißionem peccatorum præbet, & ex morbis ſiue infirmitatibus ſuſcitat, &
ſanctificatione replet*; quod & iiſdem verbis poſtea repetit in epiſtola

ſecun-

ſecunda. Iam quod ſanis & beneualentibus Græci conferunt euchelæum eo quoque maxime referendum videtur. Nimirum iſtiuſmodi homines inungunt, non vt valetudinem, qua proſpera fruuntur, recuperent, ſed vt peccatorum remiſſionem conſequantur, ad quam ſcilicet hoc etiam olearium inſtitutum pertinere putant. Hanc vero ſacri olei ad reconciliandos peccatores Græcanicam adminiſtrationem Arcudius veluti ſacrilegam impugnat; Goar purgat & defendit pro virili; quo vterque ſucceſſu, noſtra nihil refert. Certe non videntur deeſſe apud veteres, quæ pro Græcis afferantur. Nam & Pſeudo-Iuſtinus, & Baſilius ex hæreticorum baptiſmo venientes, vnctos olim fuiſſe teſtantur, cum Eccleſiæ reconciliarentur; & Arabici Canones Pſeudo-Nicæni eos *oleo benedicto* mundari decernunt, qui cum muliere infideli fornicati ſunt; & Origenes, atque Chryſoſtomus non obſcure ad pœnitentium remiſſionem trahunt, quæ de presbyteris oleo vngentibus habet Iacobus; vt ſupra audiuimus. Sed ſi quid cum veterum inſtitutis commune habet, hic Græcanici euchelæi vſus; illud quidem certum eſt eum ab extrema Latinorum vnctione plane penituſque alienum eſſe. Atque ex his vel cæcus viderit quam ſit fallax Bellarmini ratio, quæ ſupponebat ſcilicet hodiernum Græcorum euchelæum idem eſſe cum ſua vnctione; cum qua tamen nihil fere habet commune, non *miniſtrum*, non *materiam*, non *obiectum*, non *formam*, non *finem*, non *effecta*, vt ſatis eſt à nobis hactenus demonſtratum. Illud vero libens fateor hanc Græcorum vnctionem in plurimis cum ea conuenire quam apud Latinos octaui & noni & aliquot ſequentium ſæculorum in vſu olim fuiſſe, ex veris certiſque documentis ſupra demonſtrauimus; quod & ab Arcudio ipſo & à Goare in primis eſt obſeruatum vt totam vtriuſq; de hoc negotio diſputationem legentibus apparebit. Nam & Græcorum quoque euchelæum, perinde vt vetus quondam oleum, quibuſuis ægrotis datur, non ſolis ad mortem laborantibus, & ſæpius, imo ſepties, in vno eodemque morbo iteratur, & ad reſtituendam valetudinem proprie pertinet, nequaquam autem *ad præparandum proxime hominem ad fælicem ſtatum vitæ futuræ*. Itaque Græcorum euchelæum nobis quidem eorum, quæ de veterum iſtorum vnctione diximus, euidens ſuppeditat argumentum; pro Latinorum ritu à quo alienum eſt ſcilicet, nullam Bellarmino vel neceſſariam, vel veriſimilem probationem præbet. Atque hæc de Græcis hactenus.

L. c. 4.

CAPVT XXII.

Diſcutitur ac diſſoluitur eorum obiectio, qui queruntur, quod vnctionis, non nouitium tantum apud Romanos abuſum, ſed veterem etiam qualem ſeptimo ſæculo fuiſſe concedimus, vſum ſuſtulerimus. Caſſandri & Grotij ratiunculæ refelluntur. Gregorij de Valentia vanitas ac ſophiſtice diſſlatur: Opus concluditur.

NVNC antequam opus concludàm, ſupereſt vt eorum obiectioni ſatisfaciam, qui Eccleſias noſtras reprehendunt, quod omnem illum ſiue aduerſariorum recentem, ſiue Græcorum, ſiue ſeptimi & ſequentium ſæculorum veterem, in ægrotis vngendis vſum plane penituſque abrogarunt. Eſto enim, inquiunt iſti, Nouitium eſſe concedamus, & à quadringentis annis repertum, vt non alij, quam moribundi vngantur, neque alia fere de cauſa, quam *vt ægrotans proxime præparetur ad vitæ futuræ ſtatum.* Non ideo tamen conſequens fuit, vt totum hoc vnctionis negotium repudiaretis. Nam vobis abiecto hoc nouæ ſuperſtitionis fermento, licuit vnctionem ipſam retinere, eoque fine, eaque ratione miniſtrare qua olim ante ſequiora ſæcula factitatam, à Patribus conſtat. Cur ergo, quam vetuſtiſſimis temporibus, ſeptimo ſcilicet, octauoque ſæculo paſſim in vſu fuiſſe, imo licet obſcurius, ac exilius, quinto iam ſæculo aliquatenus cœpiſſe conſitemini; cur eam (inquam) vos vnctionem abiecistis? Reſpondeo nos abieciſſe, quia religionem eiuſque ſacros ritus non ex humanis ſeptimi, octauique, vlliuſve alterius ſæculi placitis, ſed ex diuinis Apoſtolorum literis metimur, ac conſtituimus; & quæ in hoc genere neque à Chriſto vel inſtituta, vel præcepta, neque ab Apoſtolis vſurpata ex ſacro illo teſtamento reperimus, ad ea nos obſeruanda nullius mortalis, quantumuis alioqui ſancti, ac excellentis authoritate obſtringi poſſe cenſemus. Ita illam *lactis melliſque concordiam*, quibus à vetuſtiſſimis *infantatos* olim (vt Tertullianus loquitur) ſcimus, qui baptiſarentur & infantium communionem tertio, quartoque ſæculis, imo & ſequentibus vltra decimum ſolennem, & alia multa eiuſdem generis de religione, incuntanter expunximus, quod ea nullam habeant ex diuinis literis authoritatem. Cum ergo paſſiua illa infirmorum ad ſanitatem recuperandam vnctio, ab iis miniſtrata, qui ſanationum dono carent, neque à Chriſto neque ab Apoſtolis inſtituta, imo neque apud triū in

quatuór-

quatuórve primorum ſæculorum Chriſtianos vſitata fuerit (quod ſupra abundè demonſtrauimus) profecto non debuit efficere ſeptimi, octavique ſæculi exemplum, vt res peregrina, & noua retinetur. *Peregrinum* enim meritò cenſemus, quicquid aliunde, quam ab Apoſtolis exortum; nouum quicquid non ab initio Chriſtianiſmi fuit. Fruſtra nobis hic obiicit Caſſander, Mediatorum ac Conciliatorum princeps, Lutherum ac Bucerum *vnctionem iſtam non vſque adeo olim deteſtatos eſſe, ac illum quidem ſcripſiſſe, vtile eſſe adire ægrotum, orare, & exhortari, & ſi poſtea velit quis eum oleo lini, liberum eſto in nomine Domini; hunc vero in deliberatione anno 1539. clare aſſenſum eſſe, non eſſe damnandam hanc vnctionem, ſi ad exemplum epiſtolæ Iacobi vſurpetur, ſi omnis fiducia in Chriſto collocetur.* Primò enim non Lutheri Buceríve, ſed vnius Chriſti authoritate ſtat apud nos religio. Deinde ex his ipſis apparet duos illos viros vno pacis ſtudio eo prouectos eſſe, vt hæc aduerſariis concederent; non quod rem ipſam probarent, multo vero minus, vt neceſſario tenendam, ac factitandam exiſtimarent (iſta enim *liberum eſto, tum non eſſe damnandum, qui ad Iacobi exemplum vnxerit*; non præcipientis, ſed indulgentis ſunt, & pluſculum, quam neceſſe ſit concedentis.) ſed quod Chriſtianorum pacem tanti eſſe cenſerent, vt etiam alicuius erroris indulgentia redimendā crederent. Quod tamen ita eos intelligere clarum eſt, primò, vt ne grauis ſit error, & hominum pietati, ac ſaluti exitioſus; ſecundò vt qui errant, meliora ſentientes ne damnent, vel errare ſecum cogant; Nam clarum, certumque eſt, neque grauiter errantes, & in ipſa Chriſtianæ pietatis fundamenta impingentes ferendos eſſe, neque item eos qui errores licet per ſe leues, præcipiunt tamen, ac velut neceſſariam fidei partem ſub anathematis pœna vrgent; quippe cum etiam in hos illud Pauli dictū ſit, *ſi quis vobis Euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Itaque cum nudam ſimplicemque ægrotorum vnctionem ad eius exemplar, quam Iacobus præcipit, viri illi errorem quidem, ſed leuem, ac minime pernicioſum putarent (& fatemur ſane ſiquis intra hæc ſteterit, ægrotumque tametſi ſanationum dono nequaquam præditus, ſimpliciter oleo vnxerit, licet erret, nequaquam tamen eo ſalute excidere, dum cætera fide ſanus ſit) cum hæc inquam illi ita exiſtimarent, non immerito hoc conceſſerunt, vt is error ferretur, dummodo de cæteris quæ grauiora ſunt, & maioris ad pietatem momenti cum aduerſariis conueniretur; quod fieri poſſe, maxime in illis initiis, nondum ſatis explorata Romanorum inuicta pertinacia, pro ſua caritate ſperabant. Nunc cum aduerſarij errorem illum de extrema vnctione ſuum non modo nulla parte emendarint, vel iis vitiis, quæ exitioſa ſunt, vt ſanctorum inuocatione, & aliis purgarint ſed totum cum omni hoc fermento retinuerint; cum adhæc errorem iniquitate ac crudelitate

Conſil. p. 389. Gal. 1. 8.

V. 3

delitate immani cumulauerint, dum eos omnes, qui ſecum hoc in argumento errato abnuunt, diris anathematiſmis, à ſua communione ſubmotos velut Dei perduelles, Eccleſiæque hoſtes deuouent, igneque ac ferro perſequendos cenſent, quis non videt nullum amplius ei moderationi ac indulgentiæ locum ſupereſſe, quæ initio illam meliorum ſpe erat, duobus illis ſanctiſſimis Chriſti ſeruis non diſplicebat? Illa quidem eorum manſuetudo, ac caritas, quam ſincero, quam Chriſti, Chriſtianorumque amanti, paciſque communis cupido eſſent animo, abunde teſtata eſt, & inexcuſabilem reddidit aduerſariorum pertinaciam. Sed eo tamen trahenda non eſt vt errorem nulla cuiuſquam gratia, nulla apud Deum, hominéſve mercede vel admittamus, vel feramus. Fateor aduerſarios eo multo grauius peccare mihi videri, quod vnctionem ſuam vel leuiſſime perſtringentes, aut de ea minimum dubitantes Eccleſia proſcribunt ac exterminant, (qui etiamſi in huiuſmodi negotio errarent, ferendi tamen eſſent) quam quod ægrotos vngendos ſimpliciter putant. Sed in eo ipſo, tametſi minus peccent, peccant tamen: Fac iſtos nullam ad creaturas, quod faciunt, precationem admiſcere; fac non moribundos, ſed ægrotantes; non iuſtificandi, ſed ſanandi ſpe inungere; fac denique eos oleum, non velut proprie dictum ſacramentum, à Chriſto ad ſalutem animæ inſtitutum, ſed velut præſidium ad morbum depellendum non inutile adhibere: qualiter veteres ſeptimi, & ſequentium aliquot ſæculorum Chriſtianos ſua illa vnctione vſos eſſe putamus; fac inquam iſtos ita ſimpliciter hunc ritum vſurpare, ne ſic quidem eos culpa liberaueris, vel à peccato immunes feceris. Cum enim hoc oleum ad valetudinem miraculo reſtituendam ac Chriſti voluntate, & Apoſtolorum vſu pertineat; peccat quiſquis, ſanationum dono minime præditus id ægrotis adhibet, niſi tu eum peccare non putes, qui rem alienam inuadit, temereque quod ſui non eſt muneris ſumit, & id audet, quo Deus non vocat; eoque facto Chriſti Domini nomen, ac religionem ludibrio exponit. Recte ſane, ac ſapienter hoc loco ſe geſſit Auguſtinus, qui, vt eſt à Poſſidio memoriæ proditum, *cum ad eum ægrotantem, & lecto vacantem, quidam ægrotum adduxiſſet, rogans vt ei manum imponeret, quo ſanus eſſe poſſet, facturum* ſe negauit, reſpondens *ſi aliquid in his poſſet, ſibi hoc vtique primitus præſtitiſſet*; Neque aliter vt ægroto manus imponeret adduci potuit, quam cum qui ægrotum adduxerat *affirmaſſet, viſitatum ſe fuiſſe*, diuinitus ſcilicet, *ſibique per ſomnium dictum eſſe, vade ad Auguſtinum epiſcopum, vt eidem manum imponat, & ſaluus erit. Quod dum comperiſſet*, (inquit) Poſſidius, *facere non diſtulit, & illum infirmum continuo Dominus ſanum ab eodem diſcedere fecit*: Iudicauit ſcilicet vir ſapientiſſimus neminem ægrotis ad eos ſanandos manum imponere debere, niſi cui ex Spiritus Sancti teſtimonio, hoc vel ipſi interius, vel alij certe reue-

De vita Aug. c. 29.

reuelantis, compertum ſit non fruſtra futurum, quod in ea cauſa fecerit. Cum ergo olei vnctio eiuſdem omnino ſit rationis, cuius eſt manuum impoſitio, (eſt enim vtraque miraculoſæ ſanationis, hoc in loco ſymbolum) profecto iudice Auguſtino, iis duntaxat ægrotos oleo ad morbum depellendum inungere licet, qui rem ad ægrotorum ſanitatem ſucceſſuram compertum habent, ex reuelatione Spiritus vel ſibi vel certe aliis diuinitus immiſſa. Itaq; negari non poteſt temere hactenus feciſſe, adeoque peccaſſe, ſiue ſeptimi, ſiue alterius ſæculi homines quotquot ægrotis vel manus imponere, vel oleum adhibere ad eos ſanandos auſi ſunt, tametſi neque ſanationum chariſma à Deo accepiſſent, neque vero an ægrotum ſua illa opera morbo liberatura eſſet, vlla ratione certum, aut compertum haberent; erraſſe adeo illos, qui hunc iſtorum vſum vel probarunt, vel etiam commendarunt, & vſurpandum defenderunt. Idque ipſi Romanæ communionis homines ſenſiſſe videntur; Neque enim eos veterem illius ritus rationem, quem ad ſanandum ægroti corpus proprie, ac potiſſimum olim comparatum fuiſſe conſtat, immutaturos fuiſſe credibile eſt, niſi animaduertiſſent, temere & indecore id tentari, quod experientia teſte videbant vel numquam, vel certe raro ſuccedere: ſed illi quidem (vt diximus) veterum errorem non tam emendarunt, quam alio multo grauiore commutarunt, & priorum temeritatem non modo non correxerunt, ſed etiam ſupergreſſi ſunt, dum ex hoc ritu, mordicus retento, qui illis nihil aliud erat quam ſimplex quoddam, licet caſſum & ineſſicax, contra morbos præſidium, ipſi proprie dictum ſacramentum ad animam leuandam & contra Diaboli inſidias, ad ingreſſum vitæ cœleſtis muniendam, ſuo ſibi ingenio fabricati ſunt. Neque vero illum vel veterum, vel recentiorum in hoc negotio errorem excuſat Caſſandri annotator, & conſectaneus Grotius; qui id quod obiicimus admittens, vnctionem à Iacobo memoratam ad ſanandos ægrotos pertinuiſſe; *dona autem ſanationum nunc ceſſaſſe*; reſponderi poſſe ait *non quidem tam frequentia & conſpicua eſſe, quam olim fuere, dona ſanationum, attamen Deum nunc quoque pijs, quorum ſaluti id expedire iudicat ſæpe morbos auferre, aut mitigare.* Quaſi vero id nunc quæratur. Quæritur, an oleum ægroto illinere etiam ij poſſint, ac debeant, qui ſanationum dono præditi non ſunt. Tu fateris, certe non negas, vnctionem ad ſanationem donum pertinere. Ergo neque negare illud potes vnctionem rite, ac legitime, nonniſi ab eo, qui donum hoc habet, vſurpari; temere adeo facere, qui cum huiuſmodi dono careant, vngendi officium inuadunt. Nihil huc fecit allatum temporum diſcrimen; cum vnctio per ſe miraculoſæ ſanationis ſymbolum ſit, profecto neq; eam olim fas fuit eum vſurpare, qui ipſo dono, cuius illa eſt, caruit; neque nunc, ſi quis id donum habeat, eam adhibere nefas fuerit. Denique

Annot. ad conſult. Caſſ. tit. 22. de vnct. inf.

& illa

& illa quæ connectit vir doctus, non video equidem qui cohæreant. *Licet* (inquit) *minus quam olim frequentia, ac conſpicua nunc ſint dona ſanationum; attamen Deus nunc quoque piis, quorum ſaluti id expedire iudicat, ſæpe morbos aufert, aut mitigat.* Atqui hoc, non miraculoſi ſanationum doni, ſed diuinæ vnius prouidentiæ opus eſt; quæ & piorum & ipſorum infidelium valetudines, pro gloriæ ſuæ rationibus, regit. Quid ad miraculoſum ſanationum donum facit hoc, quod ordinaria Dei prouidentia fit? profecto ſi recte, ſi conſentanee, ſi ad inſtitutum argumentum apte ac conuenienter loqui voluit Grptius omnino ita dicere debuit, *non quidem tam frequentia, & conſpicua eſſe, quam olim fuere, dona ſanationum; eſſe tamen nunc etiam aliqua,* quod quia dilutum, & vix verum eſſe ſentiebat, eloqui non eſt auſus; & id, quod quidem verum eſt, ſed noque ad rem pertinet, neque inſtitutæ orationis initiis reſpondet, dicere maluit, *Deum* ſcilicet *piis ſæpe morbos auferre, aut mitigare.* ſed quod ſecundô locô ſubiicit, etiam mirabilius eſt, & ipſius (quod equidem ſciam) plane ſingulare. *Vt id non fiat,* inquit (id eſt vt morbus neque auferatur, neque mitigetur) *Illud certum eſt omnes illas ſanationes corporum figuras fuiſſe ſanationis animorum, & proinde non male, ad hanc obtinendam pares ritus vſurpari.* Sic quidem ille: Nobis vero ſacramenta, non Grotij, non cuiuſvis alterius mortalis ingenium; ſed vna Chriſti authoritas, atque inſtitutio facit. *Sanationes ipſæ corporum* (inquit) *figura erant ſanationis animorum.* Belle dictum, & ſcite, imo & vere: Neque enim id negare, ego quidem auſim. Sed, quid tum poſtea? *Ergo* (inquit) *non male ad hanc obtinendam pares ritus vſurpantur.* Hoc vult ſymbola quibus corpora ex miraculoſo dono ſanabantur, licere ad animum quoque ſanandum transferre, iiſque etiam hac mente legitime vti. Hoc vero præter iſtum, quis vnquam vel dixit, vel cogitauit? Atqui ſi hoc valet, quod Chriſtus cæci corpori illuminando adhibuit lutum ex puluere & ſaliua factum, licebit quibuſvis illiinere, ad illuminandum eorum, non quidem corpus, ſed animum tamen; cuius ſcilicet ſanatio cæci illuminatione figurata eſt.

Marc. 7. 33. Et *digiti in auriculas fidelium immittendi erant & eorum lingua ſputo contingenda* clamando *Ephpheta,* ad mentis aures aperiendas, linguamque reſoluendam: Quidni, cum Chriſtum cuidam ſurdo corporis & auditum, & vocem iſtis ſymbolis reddidiſſe legamus? Sed & Grotio auctore, hominibus incubare ad reſuſcitandos eorum animos peccatis immortuos fas erit;

Act. 20. 10. quod Paulum ſcilicet feciſſe conſtat vt pueri mortui corpus ſuſcitaret. Paranda idem erit noua aliqua natatoria, in quam immergantur, quibus mens eſt vel languida, vel arida, vel cæca, vel clauda, ad eorum exemplar, quos paribus corporis valetudinibus

c. 5. 2. in Betheſdæ piſcina diuinitus liberatos, ac ſanatos fuiſſe apud Iohannem legimus. Quin & noua hæc magni in literis viri Theologia verendum

rendum eſt, ne nobis emplaſtrum ex ficis, quo Iſaias Ezechiam ſanauit, & immerſionem in Iordanem, quâ Eliſeus Syrum illum purgauit, & cætera de hoc genere omnia, in totidem Eccleſiæ Chriſtianæ ſacramenta commutet. Ac Romanæ quidem communionis Theologi hæc à noſtris obiecta ita depellunt, vt dicant diſparem eſſe iſtorum, & vnctionis ſuæ rationem; quod vngi homines & Iacobus præceperit promittens fore, vt peccata iis remittantur; & Eccleſia definitione atque conſuetudine ſua declarauerit vnctionem hanc eſſe ſacramentum ad perpetuum fidelium vſum inſtitutum; quorum neutrum in illis aliis à nobis allatis ſymbolis locum vllum habet. Grotio vero eo effugio vti nõ licet; quippe qui multo, quam iſti, benignior, ſacramentorumq; largior eſt, ipſi enim, vt aliquis ritus ſpirituale ſacramentum fiat, ſatis eſt, ſi is huius modi eſt, qui ad ſanandum corpus adhibitus olim fuerit; quod ſcilicet *omnes illæ corporum ſanationes figuræ fuerint ſanationis animorum*. Nam quod Theologorum ſcholæ vulgo ad hoc quoque requiri aiunt, vt is ritus ad ſpiritualem illum vſum à Chriſto inſtitutus, ac deſtinatus, & promiſſione gratiæ ornatus fuerit, id inquam vir magnus, velut puerilem hominum in partibus peruicacium, paciſque inimicorum cantilenam, explodit. Sed & multa veterum Chriſtianorum vt vocabant, ſacramenta, ex hoc ſuo axiomate fluxiſſe iampridem in alio opere notauerat, quos ait quicquid ἀλληγορικῶς dictum in ſacris literis reperiebatur, id expreſſiſſe viſibilibus ſignis; Quod vere obſeruatum fateor; imitandum, aut probandum, vt hic cenſet, nego. Neque denique illud prætermiſerim, ſi nouum iſtius inſtitutũ ſequimur, non moribundos duntaxat, vt apud Grotij Catholicos mos eſt, ſed & quoſuis infirmos, imò quoſuis fideles, etiã optimè valentes *extrema* illa, (ſane nõ iã ex iſtius quidẽ rationibus *extrema*) vnctione vti poſſe, ac debere: quoties ſcilicet æger animus aliquo ſeu vitio, ſeu peccato, ſeu errore, & aliqua veri ignorãtia laborabit; ad quos depellendos morbos ſcilicet *non malè hanc vnctionem vſurpari putat* Grotius. Quod vero poſtremo loco addit *hunc* inungendi morem *Eccleſiæ vniuerſalis* eſſe; ſi *vnctionem* ſignificat quo ipſe ſenſu accipit, ſcilicet eo factam; vt iis morbis, quos figurabant corporis infirmitates oleo per miraculum olim curatæ, vnctorum animus liberetur, ea non modo *vniuerſalis* Eccleſiæ mos non eſt, ſed ne vllius quidem ſingularis; imo ne vllius quidem, vt reor, Theologi vel Chriſtiani hominis: Huiuſmodi enim *vnctionem*, nemo, præter Grotium, hodie quod ſciam defendit: ſin de extrema illa aduerſariorum, de qua quæritur, vnctione, vt par eſt, intelligit, multipliciter falſum eſſe patet, quod ille de ea affirmat. Nam ſi loca reſpexeris, vnctio neque iſta, neque alia vlla ſimilis apud Æthiopes in vſu eſt, vel apud Armenios, aut Indos Sancti Thomæ diſcipulos, qui tamen etiam Grotio, ni fallor, pars ſunt Eccleſiæ vniuerſalis non

Annot. ad Marc. 6 13.

X contem-

contemnenda. Nihil de nobis dico, quos iſte parum modeſte *Eccleſia vniuerſalis* & cenſu, & nomine ſummouet; nihil de Socinianis, quibus minus quam nobis iratus fuiſſe dicitur; cum tamen hi non magis, quam nos, alipticum hoc myſterium retineant. Sin tempora intuearis, neque totis quatuor prioribus Chriſtianiſmi ſæculis vllum fuit apud vllos Chriſtianos *vnctionis iſtius* ſolenne, proprieque dictum ſacramentum; neque iſtinc ad duodecimum vſque ſæculum vlla extant apud veteres certa *extremæ*, hoc eſt Romanæ hodiernæ vnctionis veſtigia: Vnde etiam liquet, quam futile ſit & ſophiſticum illud argumentum, in quo Gregorius à Valentia de hac quæſtione diſputans ſibi mulſtum placuit, *Auguſtini*, inquit, *axioma eſt*, quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec *concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur. Sit ita ſane*, Gregori. (Neque enim, nunc quidem, neceſſe eſt de tuo illo Auguſtini axiomate diſputare diligentius) Quid tum fiet? *Atqui extremam* (inquit) *vnctionem eſſe ſacramentum vniuerſa tenet Eccleſia, neque vllum vel Pontificis alicuius, vel concilij decretum aſſignari poteſt, quo primo inſtitutum fuerit, vt ea pro ſacramento habeatur, ac vſurpetur.* Tibi vero, ô bone, quis hoc niſi ſtultus, & rerum ignarus conceſſerit? Atqui ne nunc quidem Æthiopia vel Armenia totam tuam illam infirmorum vnctionem nouit; nedum, vt eam ſacramentum eſſe putet. Quid, quod partem axiomatis tui pœne præcipuam, vel maligne, vel certe imperite prætermittis? nimirum quod *ſemper retentum eſt*? Oſtende quæſo *vnctionem illam tuam* SEMPER retentam fuiſſe. Oſtende primis Chriſtianis ad quartum vſque ſæculum inter religionis myſteria fuiſſe. Oſtende quam veteres habuerunt à ſeptimo ad duodecimum excluſum, tuam fuiſſe. Alioqui fruſtra ex Auguſtini ſententia concludis fuiſſe eam ab Apoſtolis traditã. Denique quod negas vllum Pontificis alicuius, vel concilij decretum aſſignari poſſe, quo primo hoc vnctionis veſtræ ſacramentum inſtitutum fuerit; facis tu quidem pro tuo more nimis inuerecunde; quaſi quiſquam ſit, qui neſciat Eugenij IV. Pontificis veſtri in Synodo (vt vos quidem vultis) Florentinâ decretum ea de re anno Chriſti 1439. primo factum fuiſſe.

in 3. Th. diſp. 8. q. 1. punt. 1.

l. 4. de bapt. contr. Donat. c. 24.

Ergo contra iſtorum omnium caſſum & inutilem laborẽ, qui vel inter aduerſarios pugnant, vel Mediatorum, ac Conciliatorum nomen, & munus ſumunt, tandem concluſum eſto, recte, ac ſapienter feciſſe Valdenſes † circa annum Domini 1170. & Albigenſes [a] & Iohannem Viclefum [b] anno 1372. & paulò poſt exortos Bohemos, ſiue Huſſitas & auorum denique noſtrorum memoria Lutherum. & Caluinum cæteróſque noſtros homines, dum hanc iſtorum vnctionem Chriſtianorum Sacramentorum numero eiecerunt. Neque eſſe, quod nos

† Guido Carm. in ſumma

a Æn. Syl. de Orig. Boh. c. 35. Antonin. Scamm. Theol p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5.

b Thom. Vald. T. 2. de Sacr. c. 163. ipſe Viclef. Triad. l. 4. c. 25. Vide de his omnibus Bell. vb. ſup. c. 1. §. hæretici.

nos huius ſententiæ pœniteat; cum ex iis, quæ hactenus diſputauimus, clariſſime appareat; nullum huius modi vel à Chriſto inſtitutum, vel ab Apoſtolis traditum, vel Chriſtianis quatuor primorum ſæculorum, ſolenne ac vſitatum fuiſſe ſacramentum, & eam vnctionem, quæ ſeptimo ſæculo, & ſequentibus ad duodecimi initia valuit, ab hac nouitia, quæ hodie vrgetur, longe aliam fuiſſe; aduerſariorum adeo intolerabilem, & apud Deum, hominesque inexcuſabilem eſſe duritiem, ac crudelitatem, qui tantam veritatis lucem aſpernati non modo errorem hac in parte ſuum abiicere noluerunt, ſed eos inſuper, qui vno Chriſti *Euangelio contenti* vera ſequuntur, diris anathematis, veluti totidem fulminibus, ſed vano & irrito ictu, percutiendos putauerunt.

FINIS.

Errata in tractatu de Confirmatione.

Pag.	Lin.	Corrige.
3.	22.	inſularum
10.	20.	tum, inquam,
21.	8. ant. fin.	chariſmatibus
35.	7.	præfracte
39.	0. ant. fin.	ita
52.	9. ant. fin.	quæ Bellarminus.
54.	1.	Confirmatione, vt ea.
71.	19.	mecum
76.	penult.	affixo
86.	6	precationis
87.	3.	chriſmatione
110.	2.	vere a
124.	25.	Hebræa deprauatiſsima ſic Corrige:
		ביצד מושחין את חכחן צק את
		חשמן אל ראשו וסך ממנו על
		גבי עיניו בסין כי יוונית כות X
127.	3.	qui Spiritu
133.	22.	Rigaltius
136.	22.	Callisto
	29.	& vitæ
	5. ant. fin.	qui mortuus
139.	7. ant. fin.	conſuetum
152.	9.	ſacros
156.	11. ant. fin.	ſed & cæterorum.
	8. ant. fin.	impoſitioni
157.	4. ant. fin.	Iamesio
164.	8.	non ab
172.	26.	Proximo ſæculo.
181.	5. ant. fin.	pararet, loco-
187.	6.	quod in Domino
192.	27.	deſideret
198.	6. ant. fin.	pectus denique
200.	26.	derepta
204.	4. ant. fin.	ante, hanc poſt
206.	29.	erit, niſi & baptiſmi
207.	11.	vnguento capite
211.	6.	vt res typo
217.	vlt.	neque nunc eſſe
219.	16.	erunt Hilarius
220.	10.	ante annos
	18.	duobusque ſummis viris
	vlt.	conſecrari.
222.	5. ant. fin.	Arcadium
229.	29.	rechriſmaturi, prudenter:
232.	19.	Illi vero
233.	18.	eſt eam
236.	29.	ex litteris
240.	antepen.	cuius nullus.
244.	10. ant. fin.	factum ſit
245.	19.	Roma
248.	8.	eam hic
252.	7. ant. fin.	Chriſtiana
253.	13.	inde à
	25.	lauacro, quam lauacro ſua.
254.	15.	hoc ita.
255.	4.	viculis
257.	23.	potius reor
258.	penult.	linebant
259.	8.	præ presbytero.
261.	3.	ij & ſuo
	11.	quiſ talibus.
	6. ant. fin.	*Exigis*
263.	24.	hunc eſſe
280.	3.	more ductam.
281.	8.	diuerſam.
282.	12. ant. fin.	facta
285.	26.	repetitum
286.	20.	vtraque
287.	8.	ambas
288.	26.	Videamus.
290.	26.	hoc eſt, res huius.
	35.	vnus ex eius
292.	ant. pen.	& eſſe inuiſib.
297.	5.	fraude, & vi
306.	8.	iam illam quam.
310.	penult.	cauſam.
313.	18.	Regenſem
316.	5.	noſter teſt is.
317.	5.	iſte ſe nobis
	7. ant. fin.	quod illam ſic
318.	6. ant. fin.	ratione, qua.
319.	5. ant. fin.	loca. Sexto.
320.	5. ant. fin.	inuecto
325.	29.	Græcos.
326.	5. ant. fin.	oſtenderet.